Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

35 A 13
NIET PLAKKEN
(BOEKBANDNR 1774 A 115)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

265 A 15

BELGARVM,
ALIARVMQVE GENTIVM,
ANNALES;

Auctore

EVERARDO REIDANO;

DIONYSIO VOSSIO

Interprete.



LVGDVNI BATAVORVM,

Ex officina IOANNIS MAIRE.

cIↄ Iↄ c xxxiii.

Cum Privilegio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

AVGVSTIS
FOEDERATAE
BELGICAE PATRIBVS,
ET
INVICTISSIMO PRINCIPI,
FREDERICO
HENRICO,
ARAVSIONENSIVM D.G. PRINCIPI,

COMITI NASSOVIÆ,

GELDR. HOLLAND. ZELAND. VLTRAIECT. AC TRANSIS. PRÆFECTO,

FOED. BELGICÆ SVPREMO TERRA MARIQVE IMPERATORI, &c.

DIONYSIVS VOSSIVS D.D.

IAmpridem, AVGVSTI PATRES, PRINCIPVM INVICTISSIME, ætas hæc, parum ipſa capax rerum à vobis geſtarum, venturis infundere temporibus laborat, quæ tanto cum ſtupore excepit orbis univerſus, ut citra jactantiæ ſuſpicionem dicere liceat, incepiſſe à Belgis ſæculum, quod omnium anteactorum obruere fa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

mam meruerit. Quippe inter tot adverſa, & graſſatos in viſceribus, aut incubantes cervicibus noſtris Philippos, eò faſtigij evecti ſumus, ut pretium fuiſſe videatur, prioribus ærumnis conflictari, ad obtinendam, quâ nunc fruimur, felicitatem. Et ſi tantorum ſucceſſuum cum tempore quoque creſcet magnitudo; venient haud dubiè illi dies, quîs poſteri ſuſpecta habebunt, quæ de exordijs armorum noſtrorum, & formidatâ Hiſpanorum potentiâ memorantur. Vnde minimè mirum judicaverim, tot gentium ſcriptores, æternitatem ſperaviſſe, conſignando ea, quorum memoriam nullâ unquam longinqui temporis malignitate obliteratum iri prævidebant. Etenim ut exilia tractantibus ſpes immortalitatis ſolo nititur ingenio; ita in tam fœcundâ maximarum rerum materie, etiam qualeſcumque ſcriptores ſatis firmo munimento inſiſtunt, ad famam ſine fine apiſcendam. Sed quomodo ſcribentis plurimùm ſemper interfuit nobile argumentum delegiſſe; ita & his, quorum geſta traduntur, ingens famæ momentum ſunt ingenia ſcriptorum. Quamvis ſtupenda, & omnium temporum exemplis majora, ſi aridus & exſanguis auctor memoret, amittunt æſtimationem ſuam, & ſæpe vulgaria, nedum admiranda videntur. Vnde haud falsò ſapiens antiquitas tantâ curâ cavendum exiſtimavit, ne ignaviâ ſcribentium diſſimiles ſui magnæ virtutes ad poſteritatem tranſirent. Vt ſpecula afflatu aëris obducta, non vigorem, non vivacitatem formæ quæ admovetur, ſed languidam, & corruptam ejus imaginem repræſentant: ſic & hiſtoria, actionum humanarum ſpeculum, ſi infelici manu, & cum torpore ſcribatur, magnorum virorum vitiat memoriam. Ac proin illorum maximè depravata judicia videntur, qui in ea eloquentiam & vim dicendi ſupervacuam putavere. Ex hiſtoria verita-

tem

tem petimus, ideo æſtimamus, ideo veneramur eam. Veritatem autem vix tranſmittat, cujus ſpiritus infra res ipſas jacet; cujus dictio non valet, quod vult, aut debet. Auguſtum Cæſarem monuiſſe Prætores legimus, ne commiſſionibus (ita lentum ac ſegne illud ſcribendi genus appellabat) ſuum nomen obſoleſieri paterentur. Scilicet advertebat Principum prudentiſſimus, magna à magnis componenda, &, ſi qualis quiſque eſt, talis poſteritati noteſcere cupit, æquanda factis dicta eſſe. Quod qui nequeunt, ne finem quidem ſcriptionis adſequuntur. Neque enim ad virtutum imitationem accendet, quiſquis frigidè eas commendat; nec deterrebit à vitijs, qui ſatis ea deteſtari neſcit. Hiſtorias ſcripturum erecto eſſe animo, & magnâ dicendi vi oportet, ut cum eximiæ virtutes, aut ſcelera & flagitia traduntur, ipſi legentes, ſi tales fuerint, præmiorum ſpem illico rapiant, aut imminens dedecus, & totius poſteritatis judicia extimeſcant. Hæ veræ hiſtorici virtutes ſunt. Nec tamen eo ſe dignum nomine credere debet, quiſquis illas adſecutus eſt: quando & declamatoribus promtum ſæpe fuit arduâ oratione excitare hominum animos. Requiritur totius hiſtoriæ fundamentum, exacta omnium quæ traduntur notitia: quam pauci adepti ſunt, qui non Reipublicæ, ac eorum, quæ memorantur, pars & ipſi fuerint. Et Belgarum arma cùm multi haud improſperâ ſcribendi famâ tradiderint, nulli tamen ſcientiam adjecere, quam ſcripturos habere oportebat. Eam ob cauſſam, poſt tot, & tam varia de eorum rebus monumenta per Europam evulgata, Veſtræ AVGVSTI PATRES gloriæ, Tuæ, PRINCEPS INVICTISSIME, domus, totiuſque adeo Reip. Belgarum intereſſe exiſtimavi, ut ad exterarum gentium notitiam produceretur Autor, quo nullus adhuc majore poſte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ritatis curâ magnitudinem geſtorum Veſtrorum conſignávit. Commendationem, quam ad ſcripta ſua plerique afferunt, conſultò prætermitto, ne aut arrogans videar, extollendo auctorem longiſſimè ſupra laudes meas ſitum; aut injurius in cauſſam noſtram, pro quâ quicquid ſcriptum eſt vel ipſa æquitate ſatis commendatur. Imo verò, ſi, noſtræ gloriæ minùs curioſi, in levi habuiſſemus, cujuſmodi monumentis belli hujus memoria ad poſteritatem tranſiret, ſupremi tamen NVMINIS honori debebantur hi Annales, ut miracula ejus cum ſtupore inde hauriret, cum veneratione agnoſceret poſteritas. Sed quia rarò deſertæ veritatis ſuſpicionem effugiunt propè incredibilia memorantes; haud dubiè eximiâ pietate opus erat ad fidem veri tantis rebus adſtruendam. Mihi, ſi pietatem in Reidano commendare ordiar, univerſi ejus Annales ſint deſcribendi: quippe ita compoſiti, ut non aliud conſilij habuiſſe videatur, quam DEO OPTIMO MAXIMO Belgarum nomine grates agere pro immenſis ejus beneficijs. Nihil præter NVMINIS potentiam, gloriam, miracula ſpirat, aut loquitur. Hinc illud, quod non injuriâ tam ſeriò paſſim oſtendit, ab aſpernandis nos ſurgere initijs debuiſſe, ne quidquam virtuti noſtræ tribueremus, ubi cuncta divinæ erant; neu ruentia in pejus ſæcula, aut cum mundo ſenuiſſe DEVM, aut humanas creviſſe vires, impiè affirmarent. Auſim dicere, eodem ardore, quo parentes noſtri, ac majores, ad religionem & Remp. inſtaurandam acceſſere, eodem & illum in ſcribendis Annalibus inflammatum fuiſſe. Sed nec pietatem velim eò memorari quiſquam exiſtimet, quaſi hæc laudum, ut ſumma, ita & ſola fuerit. Nihil neglexit eorum, quæ magnos unquam ſcriptores fecere. Prudentiam nefas eſto requirere in eo,

quem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

quem illa NASSOVIÆ domui (quo majori jure tibi, PRINCIPVM MAXIME, offertur) tantopere potuit commendare; qui Reip. diu ipſe pars, & arcanorum conſcius, quidquid in noſtris, in hoſtium partibus, geſtum eſt, vidit; & ſingula laude aut culpâ digna, eâ extulit vel arguit libertate, quâ acta ſunt; eâ eloquentiâ, quæ virum gravem decet, & dictionis ut non ambitioſum affectatorem, ita neque incurioſum. Quippe quantum à declamatorum luxuria, tantum ab humilium ſcriptorum abeſt ſiccitate. Adeò ut ambigere nequeamus, quin & veſtræ, AVGVSTI PATRES, & Magni Parentis ac Fratris Tui geſta, INVICTISSIME PRINCEPS, vel in ſolo hoc auctore ſatis habeant præſidij, cui adverſus oblivionem venturi temporis inniti poſſint. Quod ſi tuis quoque, PRINCIPVM CELEBERRIME, rebus dignos hæc tempora ſcriptores dabunt, haud dubiè, quantum Virtus Tua reliqua ſæcula geſtorum magnitudine, tantum ingenia Belgarum felicitate ſuperabunt ad invidiam uſque facundam antiquitatem. Non ingrediar hîc laudes tuas, quîs impar ſum. Vt divinitatem humiliter venerando magis, quàm compoſita ad oſtentationem oratione, conciliamus; ita ſuſpicere triumphos tuos, quàm vanitatis meipſum convincere, potius habeo. Implevisti famâ omnes gentes, omnium quoque gentium Te ora loquentur. Nos ne quidem pro parta Belgis ſecuritate ſatis gratiarum agere poſſimus; & ſi agamus, nova ſe ſemper materies pandet. Taceri non debebunt everſæ captæque claſſes Hiſpanorum, non ſemel exutus Occidentis gazis Philippus, novi imperij fundamenta diverſo in orbe jacta, & terminatæ cum metis Solis victoriæ; quæ non minùs captum noſtrum, quàm illius immenſum jubar terrarum orbem excedit. AVGVSTI PATRES, PRINCIPVM MAXIME,

DEVS,

DEDICATIO.

Devs, qui Belgarum imperium huc magnitudinis evexit, deinceps illud conſervet, tueatur, atque augeat: & ſive nunc pacem Chriſtianæ leges, ſive bellum neceſſitas ſuaſerit, prudentiam, fortitudinem, felicitatem, quæque alia rebus domi foriſque dirigendis requiruntur; denique & gratam pro tantis beneficijs mentem duit. Amſtelodami Idib. Iul. cIↃIↃcxxxiii.

PRÆFA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

P R Æ F A T I O

AVCTORIS.

NON injuriâ queri liceat, inter tot magnos viros, ac decôra Belgicæ ingenia, paucos adeò hactenus accenſos deſiderio poſteris tradendi, quæ, ab anno poſt mille quingentos ſexageſimo, digniſſima æternis memorijs evenere. Quibus oblivione, & caligine involutis, non modò meliorem cauſſam, & patriam, honore ſuo; poſteritatem magnis, quîs juvari poſſit, exemplis fraudamus: verùm & in DEUM ſumus ingratiſſimi; cujus miracula, & beneficia, nullis ſatis verbis prædicanda, & opem toties rebus prope deſperatis latam, memorare omnes obligamur. Nam ſi exigua hujus belli exordia, progreſſus admirandos, & ſupra prudentiſſimi cujuſque opinionem; partium nequaquam conferendas vires, inde hoſtem potentiſſimum, hinc acciſas res, infirmam Rempublicam; ſi nunquam factas inducias, miras rerum converſiones, obſidia, vi, dolo, captas, aut amiſſas, urbium celeberrimas; externorum Principum fœdera, ſubdolas artes, hoſtium crudelitatem, pervicax & implacabile Regis in ſubditos, Parentis adverſum liberos odium; ſi horum patientiam in extremis miſerijs, & omnis generis calamitatibus, conſtantiam in defendenda animorũ corporumq; libertate; ſi denique, conclamatis jam rebus, abruptas, divino nutu, Hiſpani victorias, & exitio, quod impendebat, ereptam Eccceleſiam, reputare, juſtâque æſtimatione metiri libeat: haud dubiè comperiemus, nihil hujus, nihil venturæ ætatis memoriâ dignius ab auctoribus ullis editum eſſe. Lectis, quæ olim, quæ nunc conſignata ſunt, evolutis omnium gentium Annalibus, prudentior quiſque fatebitur, ſine exemplo, exiguam adeò terram, potentiſſimi Hiſpaniarum Regis jugum ijs animis, eâ conſtantiâ depuliſſe. Videmus populorum quicquid Chriſtianus orbis habet, quin & ipſos Turcas ac Moſcovitas, ad Belgarum arma arrectos, variéque differentes, ſollicitè exſpectare, quem tanta res finem ſit habitura. Videmus, tot externos Scriptores, eruditos, rudes; & in his Roſtochij Davidem Chytræum; Baſileæ Adamum Henricum Petri; Richardum Dinothum Mompelgarti; quendam obſcuri nominis Gallum Lugduni; Michaëlem Eitzingerum Auſtriacum, ac Hiſpaniarum Regis morionem; denique & Saxonem Guilhelmum Maium Gottingenſem, levem, atque inconſtantem ſibi; tum & complures alios, quos nominare, nedum legere, pretium non eſt, eò audaciæ proceſſiſſe, ut noſtris de rebus, quarum ignariſſimi ſunt, ingentes libros componerent. Vnde nihil mirum, ſi falſa cuncti ſcripſere; alij, quos in noſtra haud malè pronos, imperitia, & falſi rumores, alij quos malevolentia atque odium impulerunt, tam abſurda ſcribere, ut omnes veteres ſcriptores adducere in ſuſpicionem queant apud illos, qui ex horum ingenijs ac monumentis etiam vetuſtatem æſtimaturi ſunt; non reputato, plerumque tunc à Principibus, vel Rerump. rectoribus, aut conſignatas res ſuas, aut earundem materiem ſcribentibus præbitam. Contrà hi nec Reip. participes, nec rerum geſtarum ſcientiam ab egregijs viris haurientes, ſæpe incerta famæ, & quoquomodo accepta amplectuntur; digni quos ludibrio omnes habeant, & ne apud illos quidem gratiæ quidquam meriti, quorum favorem adulatione ſuâ aucupantur; dum libros ex rumoribus, in celebria, quæ habitant, emporia delatis, contexunt; non æſtimato à noſtris, an hoſtium partibus, ijdem promanaverint. Vnde neceſſarium, ſine judicio auditiones quaſvis accipientem, nunc pro his, nunc illis partibus loqui. Hunc igitur in modum noſtris ſe rebus exteri immiſcuere. Nos verò tantarum rerum maximi teſtes, qui divina miracula oculis undique uſurpamus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſilentio noſtro hunc eorum monumentis honorem dedimus, quòd paſſim apud credulos, non ſine dehoneſtamento patriæ noſtræ, admittantur. Emanuel Demetrius, reliquos omnes ſupergreſſus, indefeſſo labore, inexhauſto ſtudio cuncta conquirendi, laudem haud dubiè magnam meritus eſt. Sed credulitatis non facilè eum excuſaveris, quam ne quartâ quidem operis ſui editione correxit. Accedit, quòd ſpe, aut metu, laudat promtiùs quàm arguit; cùm virum gravem hoc potius deceat; quippe corruptum mortale genus, mali quàm boni fœcundius eſt. Veritas, & poſteritatis cura, utrumque pari libertate fieri jubent, quò habeat illa in magnis exemplis ſtimulos virtutum, & alienis vitijs cautior, etiam veras rerum cauſſas intelligat. His ego rebus adductus, nonnulla geſtorum (nam univerſa complecti mearum virium haud eſt) quîs ipſe adfui, quæq; à gravibus viris tradita mihi ſunt, conſignare in animum induxi; id unum ſummis expetens votis, ut in alijs Fœderatæ Belgicæ terris, meo exemplo, egregij prudentiæ viri, apud ſuos acta componant; quo quondam à magno quopiam ingenio, in unum corpus cuncta redigantur. Etenim haud facilè unus aliquis univerſa complectatur, niſi ſiquem huic negotio dilectum, Fœderati Patres ad arcana, acta, codices, literas publicas admittant, & augeant autoritate, quid in quaque natione, aut urbe actum eſt, inquirendi, atque ex vero poſteritati tranſmittendi. Hujuſmodi ubi opus lucem adſpexerit (impleat vota Deus) cæteri, ceu ad ſolis radios noctuæ, diffugient; & Chytræus, Dinothus, Adamus Henricus Petri (quorum ſtudium & conatus vel eò laudandus eſt, quia ſtimulos nobis ſubdidit) ipſi fatebuntur, temere à ſe tantæ molis rem ſuſceptam. Ac proin nullus miretur, in hiſce Annalibus meis, fuſè alia tradita, nonnulla in tranſitu, & nudè tramiſſa, non habitâ ratione, ut æqualis decurreret hiſtoriæ ſtylus. Etenim quorum certa ad me pervenit notitia, ſola tradere inſtitui; cæteris aliorum laboribus, quîs meliùs cognita ſunt, reſervatis. Multi Auctorum integrum à partium ſtudio animum oſtentavere. Sed non facilè ita ſcriptioni modereris, quin hic, illic, affectuum indicia erumpant. Id ego confidenter aſſerere auſim, ut conſilio manuque ſemper Fœderatorum partes, ita in ſcribendo veritatem me ſecutum, non diſſimulatis aut vitijs amicorum, aut hoſtium laudibus. Quamquam autem ab anno potiſſimùm MDLXXXIII *ordiri deſtinaveram, tamen ob hiſtoriæ ſeriem anteacta paucis tradere libet, & præcipua horum, quæ de belli primordijs, à viris graviſſimis accepi.*

BELGA-

BELGARVM,

ALIARVMQVE GENTIVM

ANNALES,

Auctore EVERARDO REIDANO,

DIONYSIO VOSSIO Interprete.

BREVIARIUM LIBRI I.

CAVSSÆ *primorum motuum. Hiſpani & Galliarum Regis fœdus, exſtinguendis reformatis initum. Belgarum primores nuncio de Albani adventu conſternati, deficiunt. Arauſionenſis in Germaniam abit. Antverpiæ civium diſcordia. Venit in Belgicam Albanus, & Senatum ſanguinis inſtituit. Ludovicus Naſſovius prælio Arenbergium vincit. Arauſionenſis Moſam tranſiicit, & in Germaniam mox revertitur. Cæſar paci operam navat. Hiſpaniarum Rex coniugem, & Carolum filium necat. Memorantur duo quaſi præludia originis, & ſucceſſus, Belgici belli. Inundatio omnium Sanctorum feſto. Italia, terræmotu; Hiſpania, Granatenſium Maurorum bello concuſſa. Arauſionenſis Daventriam aſtu incaſſum tentat. Albanus decimas exigit: Ultraiectini abnuunt: & eam ob cauſſam in Hiſpania condemnantur. Brila à Geuſiis capta. Vliſsingani urbe ſuâ Hiſpanos prohibent, & propinquum Albano Pacecum in patibulum tollunt. Veniunt auxilio iis milites ducenti, clam Antverpiæ collecti: & quingenti ex Britannia. Roterodamum à Boſſuvio oppreſſum: quo dolore ſtimulatæ reliquæ Hol-*

landorum civitates, ab Albano deficiunt. Montes Hannoniæ à Ludovico Naſſovio capti. Arauſionenſis Moſam denuo trajicit, & in tranſitu Ruræmundam expugnat. Bergius Comes loca complura in Zutphanienſi, trans-Iſalana, ac Velavica ditione in poteſtatem redigit: ſed mox deſerit. Arauſionenſis in Hollandiam venit. Hiſpani Zutphaniam Nardamque ſubigunt. Dein obſidio Harlemi menſes plures diſtenti. Alcmaria obſeſſa irrito conatu. Middelburgum ab Arauſionenſi circumſeſſum, & tandem deditum. Primi Zelandi vectigalia mercibus ex hoſtico in hoſticum euntibus imponunt. Lugdunum Batavorum ab Hiſpanis obſeſſum, & relictum. Bellicæ naves in Auſtrali ſinu glacie adſtrictæ, non ſine miraculo liberantur. Albanus Belgicâ excedit: truculentia eius. Succedit Ludovicus Requeſenius. Cæditur ad Movicum Ludovicus Naſſovius. Hiſpanorum ſeditio orta, compoſitaque. Lugdunum obſidio repetunt, cæterum improſpero eventu. Ultraiectum penè oppreſſum à ſeditioſis Hiſpanis. Pax cum Requeſenio tractata, & ſancita. Conſilia de mutando Principe. Vectigalia Caleti inſtituta.

ANNALIVM

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ANNALIVM LIBER PRIMVS.

TAMETSI, multorum judicio, primi in Belgis motus,
truculentis, ad abolenda reformatorum ſacra, edictis,
coortæque hinc plebis indignationi adſcribantur: quod
ſpatio annorum quadraginta, hominum millia plus cen-
tum flammis, laqueo, aquis hauſta, variiſque ob religio-
nem tormentis excruciata forent: altius tamen inſpi-
cienti complures inveniuntur cauſſæ; miſcentibus ſe
multis, rerum novandarum per diverſa cupidis. Nec
compertum quemquam initio conatuum ejuſmodi ani-
mo eventum præcepiſſe, qualis divinâ poſt ſecutus eſt providentiâ. quâ &
pravæ aliorum molitiones, & conſilia bonorum, ceſſerunt in ſupremi Numi-
nis honorem. Hiſpanis jam inde à Caroli Quinti temporibus plurimus in
eo labor, ut peculiares immunitates, ut jura, ac conſuetudines Belgarum (non
olim ſub Principibus modò, ſed & in electione Caroli, Philippique, & majo-
rum ejus retentas) everterent, &, quod publicumerat, imperium ad unum
traherent. Prompto huc Rege, tanquam nullis jam exceptionibus imperatu-
ro. Promptis Hiſpanis, ob ſpem dignitatum, exteris alioqui per leges negata-
rum. Hac itaque mente omnibus nequidquam tentatis, anno ſæculi decimi- MDLIX.
ſexti poſt quinquageſimum nono, facta cum Gallis pace, cum ingentes copiæ
Hiſpanorum in Belgis agerent, licet confecto bello, conſilia de relinquendo
apud eos milite, novandaque Rep. ineuntur. Quamvis enim tendens in Hi-
ſpaniam Philippus, Patrum querelis (quîs graviſſime offenſus fuit) motus, fi-
dem dediſſet, Hiſpanos tres poſt menſes ſecuturos: ſeſquianni tamen ſpa-
tium in Belgica hæſere: & demum cæſis ad Lotophagitin inſulam Hiſpanis,
abierunt. Tum quoque ſimulante Rege, non neceſſitatem huc, ſed Belga-
rum poſtulata impuliſſe: cùm eâ manu in ſupplementum cæſorum adverſus
Turcas uteretur. Itaque optatum tunc otium Belgis. Cæterum ut anno ejuſ-
dem ſæculi poſt ſexageſimum ſexto, celebres illi ſupplices libelli à nobilium M D
nonnullis Margaritæ Parmenſi traditi, paulloque poſt temeritate plebis diſie- LXVI.
ctis templorum ſimulachris, opportunum Hiſpani caſum cenſuere, tentandi
meditata jam pridem conſilia. Igitur quamvis non arma, non vis pacandis re-
bus requirerentur (ut à Margarita ac Senatu ante Albani adventum cuncta
compoſita conſtabat) bellum tamen poſcebatur. Ipſeq; Hiſpani ad Galliarum
Regem legatus, literis ad Parmenſem motas Belgarum res, ut læta, diſſere-
bat: quippe datam nunc Regi opportunitatem Remp. mutandi. Hiſpanorum
inimicus adeo Belgicæ libertati animus, prima malorum omnium origo fuit,
vix alios edere fructus idonea. Hinc ſævis initium edictis, quîs, obtentu reli-
gionis, Belgarum libertas petebatur. Iis confirmandis novi Epiſcopi inſtituti;
& Granvellano major publicè potentia, quàm procerum indigenis, data.
Igitur crudelibus edictis plebes univerſa, novis Epiſcopis Eccleſiaſticus ordo,
nimiâ alienigenæ autoritate primores tantopere exacerbati, ut commune
odium, communes de Rep. queſtus, fremituſque plebis non minùs, quàm pri-
morum, ardeſcerent. Juvitque eò procerum egeſtas, quibus, ut ære alieno op-

M D LXVI. preſſis, haudquaquam à rebus novis animus abhorrebat. Debitis iis partim luxus, partim Hiſpanica aula, cauſam dederat, jamdudum inopiâ primorum vires frangere, invalidoſque adverſum conatus ſuos efficere laborans. Hoc conſilio, ſub ſpecie honoris, magnificis functi legationibus. Arauſionenſis ut Cæſaream coronam Romani Imperii Principibus referret, hinc in Galliam pacis obſes miſſus eſt. In Angliam Egmondanus abiit ad matrimonium Philippi cum Maria regina: mox ad Gallos, nubente Regis filiâ. Quæ itinera ducentis trecentiſve florenorum millibus ſtetere, quorum non obolum rex refudit. Congeſtæ quoque iis maximæ in militia dignitates. Ita Arauſionenſis anno quarto & quinquageſimo, ſupremus exercitus Dux declaratus, honeſtoque ab ſtipendio deſtitutus, Regis pariter ſuamque dignitatem, privatis neceſſariò ſumptibus tuebatur. Regi nec Bruxellis, neque in Hiſpania ulli unquam convivæ; ſolus aſſiduè cibum capere, paucorumque in aula nobilium miniſterio uti: cæteris vivendi ſumptus annumerati. Legati, aut Principes exteri ſiqui adveniſſent, majeſtatis regiæ causâ, Arauſionenſis, Egmondani, aliorumque Procerum menſis excipiebantur. Nec tamen his Belgarum incommodis, tantoque luxu acquieſcentes Hiſpani, aliis quoque ſtimulis irritare proclinatos ad pompam animos. Quotannis Bruxellas Hiſpanus, magno apud ſuos loco, ablegabatur, qui luxu fortunam ſuperans ſuam, anni unius ſumptus, quadriennij reditibus æquabat. Flagitium Belgis videbatur, hîc cedere. Et Hiſpani faciliùs luxum tolerabant, quem exacto anno, in Hiſpaniam, aut Italiam reverſi, parcimoniâ penſarent. Belgis perpetuum cum adventantium quibuſque certamen erat. Quæ ſiniſtræ artes (ut plerumque malè ſuaſa in autorem cadunt) omnino contra Hiſpanorum opinionem cecidere: penituſque eos, facilè à Belgis obſequium, ob res anguſtas, ſperantes, ſua ſpes fefellit. Etenim adeo non ingratum Belgis accidit res mutari, ut nonnulli occultò incendium aluerint. Igitur, conjuratione factâ, denuntiant Regi, diſcedendum Granvellano eſſe; quippe nullam eo præſente quietis ſpem reliquam. Nec injuriâ de nimia autoritate Cardinalis, hominis exteri, humilis præſertim loci, querebantur. Cæterùm ipſorum ea culpa, quòd luxu, quòd aſſiduis comeſſationibus, tranſacto tempore, occaſionem alienigenæ dediſſent, publicæ rei adminiſtrationem in ſe trahendi. Quippe vir ingenio, ferendiſque laboribus validus, rerumque uſu ingenti, nec ſuperbiâ minore erat. Unde primores, tanto id in homine novo indigniùs ferentes, omnibus modis expellere eum Belgicâ conabantur. Quod arduum, negligentiâ eorum ad tantum faſtigium evecto Cardinale. Ille tamen priuſquam diſcederet, humilibus blanditiis apud Arauſionenſem, apud Egmondanum uſus, obſequium in cunctis, &, ſiquid deliquiſſet, ſupplicem, genuaque advolutum, deprecaturum promiſit. Sed nequicquam pollicitationes factæ, apud diffidentes conciliationi. Quo ille dolore graviter adeo exarſit, ut ſummâ cum indignatione in Hiſpaniam profectus, nunquam moderata ſuaſerit, animo vindictæ cupidine æſtuante. Facileque aurem Rex prębere, accipiendis ab eo conſiliis: promtior, ob inſignes viri dotes. Eâdem tempeſtate Catharina Medicæa, Galliarum Regina, cum impubere filio, Carolo nono, jamdum coronato, principes Galliarum adibat civitates, eas novo regi, ut ferebat, oſtentatura: cæterùm ut hoc obtentu, citra ſuſpicionem Hiſpaniæ limites accederet. Ea Bajonam veniens, filiam ſuam, Hiſpaniarum regi nuptam, Albanumque Ducem convenit. Ubi fœdere icto, hæreticorum (ut eos appellabant) excidium ſuo in regno Regum uterque promiſit. Decernitur Madriti, Albanum cum decem millibus Hiſpanorum in Belgicam mittendum. Quibus per Galliam iter habituris, Rex, tanquam parum tranſituro militi fidens, ad ſecuritatem limitum ſex Helvetiorum arceſſit millia, paulo pòſt adverſum reformatos uſurpata. Interfuerat colloquio huic Princeps rupis ad Icaunam, religione Pontificius,

remque,

remque,ut erat,totam,Principi Condæo,cognato ſuo, pridie quàm fatis con- M D
cederet, aperuerat. Interea apud Belgas, ubi de Albano percrebuit, primo- LXVI.
rum plerique languere, pactiſque vix ſtare: velle in gratiam cum aula Hiſpa-
nica redire, Cardinalis quoque hoſtis infeſtiſſimi, molli oratione animum de-
mulcere. At ille, implacabili odio, & ſupplicem ſe ſpretum memor, cuncta
hæc aſpernari. Aguntur in exilium ab Egmondano vocati nuper Eccleſiaſtæ,
pars quoque in patibulum ſublata. Bergenſis Marchio, Montigniuſque, Belga-
rum cauſam acturos ſimulantes, expoſitoque triſti rerum ſtatu, pro eo petitu-
ros, ut ad Regem mitterentur impetrarunt. Cæterum animus iis, purgare ſe,
culpamque in Arauſionenſem, & Procerum alios, reiicere. Comiter eos pri-
mò Rex excepit, ac Belgas literis perquam liberalibus cohortatus eſt. Unus
Arauſionenſis, cæteris prudentior, Egmondanum pontem fore dixit, qui adi-
tum Hiſpanis ad Belgas daturus eſſet. Ipſe conſilio ſibi capto, adire propin-
quos in Germania decrevit: itaquè miſſionem à Rege petit, ut ejus voluntate
id ſibi facere liceat. Adverſum ea Rex, *dolori ſibi, quod turbidis rebus, & maxi-*
mè neceſſariâ ejus operâ, diſceſſum moliretur: poſthaberet privata negotia quieti
publicæ; iterque aut ſuſpenderet, aut quantâ poſſet celeritate, conficeret. Fixum
contra blanditias Arauſionenſi fuit, non omittere propoſitum: impellebant
quoque intellecta fœderis inter utrumque Regem ſecreta, de abolendis hæ-
reticis, regnique ſtatu mutando: quæ Henricus, inter Gallorum reges id no-
men ſecundus, ita Numine dirigente, ei aperuerat, nullus dubitans, Bruxellis
in conſcientiam arcanorum adhibitum. Unde manifeſtum Arauſionenſi ſub
ſpecie religionis, Belgarum libertatem, ſeque, & Procerum reliquos peti. Ita
Dillenburgum proficiſcitur, ſedato prius Antverpiæ graviſſimo tumultu, &
cæde, quæ certò imminebat, prohibita. Etenim jam infeſtis inter ſe armis
cives conſtiterant. Verùm ille ingenti animo armatorum cuneis, confertiſſi-
miſque haſtis perruptis, tumultuantes partim & vultu repreſſit. Itineris in pro-
cinctu, ſermonibus cum viro primario habitis, inter cætera, immeritò ſe accu-
ſari queſtus eſt, tanquam alieno obnoxius æri, novis ſtuderet rebus. *Eſſe an-*
nua ſibi florenorum millia LX, *neq; ſe contra regem moturum quidquam famâ boniſ-*
que integris. Neq; enim magna ei ad id tempus rerum divinarum notitia. Eo,
quem diximus, tumultu tres Antverpiam factiones diviſerant, Reformato-
rum, confeſſionis Auguſtanæ hominum, ac Pontificiorum. Auguſtani, fallaci
Romanenſium oratione ſeducti, ac tolerare ſua Regem ſacra rati, ùti in Ro-
mano imperio à Carolo Cæſare factum meminerant; ne bonam cauſam con-
tactu Calviniſtarum corrumperent, Pontificijs ſe junxerant, convulſis hac
ſeceſſione Reformatorum viribus. Nec multis pòſt diebus, & Auguſtanis, &
Reformatis, Eccleſiæ ademptæ. Germani, qui illius in religione ſententiæ
forent, Matthias Illyricus, Spangenbergius, aliique, urbe pelluntur. At Arau-
ſionenſem Germanico in itinere comites proſequuti Henricus Brederodius,
Guilhelmus Bergenſis Comes, Florentius Culenburgicus, Hoochſtratanus,
Batenburgicus, magnâ cum nobilium civiumque variis ex urbibus catervâ.
Inter hæc cum exercitu in Belgicam veniens Albanus terrore ſui omnia con-
cutit. Et licet promtos obſequio ſubditos, facilè reſtitui otio poſſe animad- M D
verteret, ſi paulò clementiùs ageretur, Hiſpanorum tamen ſequi decreta, LXVII.
mutarique reip. formam placuit. Novum igitur conſeſſum judicum inſtituit,
exteris in eum pleriſque adſcitis: quem Turbarum ille; plebes, Sanguinis ap-
pellabat Senatum. Huic Vargas, Hiſpanus præſidebat, truculenti homo in-
genij, ſummæque imperitiæ. Ferebaturque de cunctis Belgicam habitantibus
hujuſmodi ejus judicium: *Hæretici fraxerunt templa, boni nihil faxerunt con-*
trà, ergo debent omnes patibulare. Inſigni crudelitatis, inſcitiæque extremæ
documento. Is tamquam turbidis rebus, omnium ſibi rerum arbitrium vin-
dicare. Senatores, Judices, Magiſtratus, quorum, ex legibus, cura Reip. erat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

M D LXVII. vana tantum & invalida nomina. Ille promiſcuè laqueo, igne, homines enecare. Nec repertus, cui adeo aut innoxio, aut Pontificio eſſe liceret, in quem non omiſſionis ferretur crimen: modò aut loci, aut potentiæ alicujus, aut denique patriæ vindex libertatis haberetur. Trucidata vis innumera, non reformatorum tantùm, ſed & qui ſacris eorum ſemel, iterum, interfuiſſent. Ejuſdem criminis accuſati Egmondanus, Hornanuſque, gladio feriuntur. mox fratres Batenburgici, & in Hiſpania Montignius, & Hornani frater, capite plexi. Bergenſis Marchio, ut vulgò ferebatur, veneno extinctus. Novi paſſim Epiſcopi inſtituebantur: quibus ne facultates deeſſent aulæ, miniſtris, adjutoribuſque ſuſtentandis, opulenta quædam Monaſteria everſa, abbatibus, prælatis, canoniciſque nonnullis detracta ſtipendiorum pars, illis congeruntur. Albanus ipſe gnarus, Arauſionenſem nihil moturum, famâ boniſque integris, quamvis non offendi ſatius ſciret, citari tamen in Senatu Turbarum jubet, ac perduellionis, læſæque Majeſtatis accuſatum, capitis bonorumque condemnat, & quæcunque in Belgica ac Burgundia ſuperiore poſſidebat, recenſeri, redigique in fiſcum imperat. Illum per id tempus in Germania continenter profugi proceres hortabantur, ut imploratâ propinquorum in Germania ope, expeditionem adverſus Albanum ſuſciperet. Offerebant, ſe quoque pro viribus auxilia collaturos. At Arauſionenſis arbitrari, parum tempeſtivè hæc nunc peti; patienter quævis ferenda, donec majorem ſalutis ſpem Deus oſtendiſſet; ſive defectione urbium; neque enim diu illas crudeliſſima imperia laturas; ſeu diſtento aliis rege; quippe impares exulum vires bello contra potentem adeo hoſtem. Non tamen ea verba proceres admiſere, verſiſque in convitia precibus, haud gravem illi moram, objecere, quando liberaliter à fratre habeatur. at ſe, ſuamque egeſtatem, quîs nullum perfugium, nulli receptus forent, ab eo negligi. Hac contumeliâ irritatus generoſus animus, nec
M D LXVIII. longiùs ferens, totus anno LXVIII expeditioni incubuit. Ad hanc mutuò impetrata à Principibus Imperij, æris ſumma. nec ſpernenda exules contulerunt. Ipſe Arauſionenſis monilia, vaſa argentea, tapetes, cætera ſupellectilis divendit, digna regio palatio ornamenta, ſed exigui ad bellum momenti. Cæterùm maximè Joannes Naſſovius juvit, à quo, oppigneratis quæcunque poſſidebat, majora præſtita, ut priſtinis fratrem terris amiciſque reſtitueret; quàm aut Carolus Cæſar, aut cognominis huic Burgundiæ Dux, pro affinibus fecere regibus: ille gratiâ Chriſtierni quarti, Daniâ ejecti; hic Eduwardi, Anglia pulſi: licet haudquaquam conferendâ cum illis Naſſovij fuerit potentia. Eâ expeditione cum parte copiarum Ludovicum Naſſovium Arauſionenſis præmiſerat, ſpe intercipiendæ Groningæ. Qui in itinere, celebri prælio, Arenbergium cum mille quingentis Hiſpanis concîdit. Verùm magnis itineribus, cum univerſo exercitu, ſuperveniente Albano, ipſe mox pari fortunâ cæditur. Præcipiti æſtate, Arauſionenſis equitum ſena, peditum quatuordecim millia, Moſam, quamvis navibus ponteque deſtitutus, tranſmittit. Superatoque equis alveo, tormenta funibus attracta. Id Albano cum ſuis, qui pro munimento flumine utebantur, incredibile viſum. Miles pugnandi deſiderio flagrabat, eademque Arauſionenſi votorum ſumma: cæterum attingere eâ luce Albani caſtra haud dabatur. Itaque inclinato in veſperam die, feſſiſque labore militibus, quatenus, magna itinera emenſi, haud ſine negotio rapidum amnem tranſierant, quod reſtabat diei, ſecutaque nocte reficere ſe juſſi. Id Albano, exitij alioquin manifeſto, ſalutem attulit. Quippe muniendi otium nactus, caſtris ſe exinde tenuit, oſtentatoque militi marſupio, eo ſe hoſtes Regis ſuperaturum dixit. Auferri mox circumquaque inferiores molarum lapides jubet: unde Arauſionenſis, anguſtâ re frumentariâ, exercitu per Hannonios, Picardos, Campanos, ac Lotharingos, in Germaniam reducto, Argentoratum attigit, aſſiduè tergis ad Galliarum uſque limites hærente Albano; cæte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

no; cæterùm, ut detrectare pugnam, ſi videretur, poſſet. Duravit id ſpatio dierum trium & viginti, quîs crebrò velitatum. Quater intra tormenti jactum uterque exercitus ſtetit. Nec ullâ proditum memoriâ, duos id virium exercitus, tantillo diſcretos intervallo, à prœlio temperaſſe. Hæc vera ejus expeditionis ſeries: plurimumque falſi, qui aciem Arauſionenſi non auſam memorant. Quippe nec animus illi, nec judicium deerat, quò intelligeret, non eſſe bellum inferentis, incerta prœlii reformidare: & tanquam pecuniâ inferiori, omnia in celeritate ſita. ſimul, confligenti ſpem victoriæ; non pugnantem, ultro extingui. Anno poſt mille quingentos octavo & ſexageſimo, Maximilianus Cæſar, fratrem Carolum, Auſtriæ Archiducem, in Hiſpaniam miſit, qui Regem Imperij nomine ad pacem hortaretur. Cui acerbè inter cætera Rex, *Suſpicari Senatum, Principeſque Hiſpanos, Cæſarem, ſuſceptâ Belgarum cauſſâ, averſos eos ab Hiſpanis, & beneficio hoc obſtrictos, ſuam in ditionem trahere moliri. Arroganter facere, quum ſibi moleſtus ſit, ut Principum Germanorum pareat libidini.* Unicus Regi filius Carolus erat, quem per id tempus à parente in vincula conjectum, mors fato propera, non ſine veneni ſuſpicione, rapuit. Vulgabatur, iter ad Belgas molitum, indignantem, prælatum ſibi à patre Albanum: animumque ſuum Joanni Auſtriaco aperuiſſe. Quem callidè omnibus exploratis, Regi denuntiâſſe. Exiſtimabant alij, perſuaſum Regi, cum noverca, Gallorum Regis filiâ, rem habuiſſe. Non levi ad hanc ſuſpicionem momento, quod paullo pòſt inſolens eam morbus hauſit, repertuſque in uterò quinûm menſium fœtus. Medici obſtructione affectam rati, incisâ venâ, acria ei medicamina præbuerant. Interea ut in vanum Arauſionenſis expeditio recidit, creſcere cum diebus tyrannis Albani, pluresque profugere: ita ut per cunctos Chriſtiani orbis tractus, ubi tutò reformatis eſſe liceret, ſparſi Belgarum exules reperirentur. Infractis legibus, ſilentium Patribus, magiſtratibuſque, tyrannidis metus impoſuerat. Nulli animus patria defendendi jura: laqueo paſſim, & igni, in homines ſævitum: decreſcente indies ſalutis ſpe, dum impares exulum vires novis copiis contrahendis exiſtimantur. Omnium denique judicio metus erat, ne æternùm Albanus ſervitutis jugo Belgas premeret. Nec alium exitum rem habituram fuiſſe crediderim, niſi inexplebilis animus, parum his contentus, deſperatione ſe ſuaque defendere Belgas compuliſſet. Viſum eam ob rem, levem, cæterùm non injucundam huic loco narrationem inſerere. Wolfardus Arnhemenſis, poliendis gladiis quæſtum victumque quærere ſolitus, nave Antverpiâ Bruxellas vehebat; ubi temere multa in Hiſpanos equites probra jactans, centenos ſe ordine equis dejecturum, gloriabatur. Nec Hiſpanorum, qui aderant, reverentia, libertatem morari valuit. Itaque ſine mora ad Albanum res defertur. Ille enim accitus incuſare vanitatem linguæ, & ſuppliciter Ducis ad pedes projectus, veniam orare. Sed nequaquam motus Albanus, reipſa probaturum; ſin nequeat, corpore pœnas loquacitatis luiturum, pronuntiat. Igitur numero, quem depopoſcerat Wolfardus, dimidiâ parte minuto, mox quartâ propoſitâ, tandem cum ternis inire certamen adigitur. Auxitque eum liberalitate Albanus, dum poteſtatem facit, equum ex ſuo, quem vellet, ſtabulo, diligendi. Certatum Bruxellis eſt in maximo hominum concurſu, & Wolfardus adverſariorum duos primo, tertium repetito impetu equis deturbavit. Veriſſima ſanè originis finiſque Belgici belli imago: quod temere, & ſpernendis viribus, adverſus potentiſſimum Regem ſuſceptum eſt. cujus cum præfractam mentem nullis ad pacem precibus, nullis flectere querelis poſſent, verſis ad iram animis, bellum orſi, ſummo cum gentis ſuæ honore, & Hiſpanorum ignominiâ, confecerunt. Accidit fortè ſub idem tempus Bruelli, (id nomen loco haud multùm Colonienſis Epiſcopi aulâ abſito) ut quidam leonem adultum circumduceret, faciendo, oſtentatione ejus, quæſtui. Quod ut Epiſcopo compertum, cupidus

CIↃ IↃ LXVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXVIII. pidus feræ vires explorare, inſignem robore taurum adduci curat, & cibos inter, accubantibus ad jucundum ſpectaculum invitatis, decretum ait, poſtridie exhibere certantes Albanum, & Arauſionenſem. Stato tempore deducuntur beſtiæ in circum. Parum conſtiterant, & torvè eminus invicem intuebantur, quum leo, ſtimulante fame (denegatis conſultò, & irritandæ rabiei alimentis) valido impetu tauri latus occupat, pelliumque & carnis fruſta revellit. Ille horrendis omnia mugitibus complere, & obverſis adverſarium arcere cornibus. Qui nihil cunctatus, dum redintegrata vi inconſultiùs ruit, cornibus implicitus, in ſublime abripitur. Ne ſic quidem victa pertinacia: donec pari fortuna in altum iterato excuſſus, graviſſimo lapſu terræ allideretur. Neque ex eo animus illi renovandi certaminis. Et taurus furore tum demum ardens, per diverſa circi præcipitem agere leonem. Cui cum nulla ſalutis oſtenderetur via, arceſſendi fuere, qui miſſilibus taurum conficerent. Pudebatque Pontificiæ religionis Epiſcopum inſtitutæ à ſe comparationis; præſertim, cum non aliam Hiſpanis fortunam adſtantium multi tacitè precarentur. Nec abſimile profectò Arauſionenſis fatum: quem, cùm, præter exſpectationem omnium, Albano Hiſpaniſque pulſis, potiſſima gloriæ manerent, aliàs invictum, im-
CIↃ IↃ LXX. miſſo percuſſore, in ſuo cubiculo Hiſpaniarum Rex trucidavit. Anno ejuſdem ſeculi ſeptuageſimo, Novembri menſe, graviſſimam tempeſtatem Africus concivit. inde in Caurum verſus, ſuperveniente inundatione, mare ita incitavit, ut omnes fere Belgicæ aggeres ſuperfuſis obruerentur fluctibus. Antverpiæ multi flumine hauſti: in Friſia utraque, & Omlandis, hominum jumentorumque ſtrages magna edita. Ferrariam quinquaginta dies vehemens adeò terræ concuſſit motus, ut ſtare erectis hominibus labor fuerit. Majori tamen tectorum, quàm hominum, pernicie, quum hi in agros fugam feciſſent. Per idem tempus Maurorum in Hiſpania bellum, non tam vi aperta, quam dolo, confectum eſt. Id biennio geſtum Regi xxx hominum millibus ſteterat, & quot menſibus ducatorum millibus ducentis. Mauros Turcici auxilij ſpes concitaverat; quod ubi ex gentis ejus præfecto Regi compertum, prævertendum huic ratus, inopinantes adortus eſt. Sic quoque imparati tantam virtutem præſtiterunt (capitum millia erant xxv) ut non niſi inſidiis, ſubdolâque pace ſuperari potuerint. Bello capti venum ivere: cæteri manipulatim per Hiſpaniam diſtributi, ut victum manibus pararent. Agri poſſeſſioneſque Hiſpanis, qui colere vellent, gratis dati: & ſic magna quoque pars vacavit. Inter hæc Arauſionenſis, irrito conatu, inſidias Daventriæ molitus erat, conſciis oppidanorum multis: & mirum, quàm inter diverſi ornis, ætatis, ſexus, (nam & fœminas ſecreti participes fuiſſe, nobis, qui per id tempus in urbe eramus, ab earum unâ relatum eſt) taciturnitate res cohibita ſit. Cauſſa commune Hiſpanorum odium erat. Sed ſucceſſum morata eſt nivium vis, quæ ingens in Germania delapſa, itinera Dillenburgum Veſaliamque inter occluſerat. Quîs centum agreſtium labore diſcuſſis, magnam itineris partem, cum fratre, Arauſionenſis pedibus emenſus erat: cùm inſecutæ nivium vim aquæ, quicquid inter Daventriam Veſaliamque agri eſt, inundarunt, ac itineribus ſuperfuſæ profectionem prohibuere. Senſit tandem Pacecus, urbi præfectus, nova conſilia agitata. Itaque civium nonnullos, vel leviſſimam ob cauſam ſuſpectos, in vincula coniicit; nec ſic quidem, reſcire quicquam, aut deprehendere autores potuit, licet quibuſdam inter tormentorum dolores animam exſpirantibus. Dum hæc aguntur, Albanus, nullo tyrannidi adverſante, ne ipſis quidem Patribus, eò audaciæ procedit, ut non contentus fugâſſe Reformatos, Pontificiam aſſeruiſſe religionem (quâ præſcriptione adventum velabat ſuum) jam palàm jactaret, incolarum ſe facultates petere. Proinde cupere, ut bonorum mobilia, atque immobilia, centeſimam ſemel; deinceps illa, quotieſcumque venum irent, decimam, hæc

vicesi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↄ Iↄ LXX.

viceſimam, vendentis detrimento penderent. Id verò Belgis intolerabile viſum, qui diverſimodè interpretantes, fore aiebant, ut re unâ eademque decies venditâ, totum Albano cederet pretium. Quin & hanc ſæpius ſolvendam, ut in venditione boum, primo macilentorum, hinc pinguium, cutis inde, adipis, candelarum, alutæ, calceorum, aliorumque id genus. Et Albano quidem, licet in novis hujuſmodi edictis moderatè agenti, non leves tamen ſe difficultates obiiciebant. quîs ſuperandis cùm paulatim voluntatem exſequi ſuam poſſet, facto à ſingulis, ac infirmioribus primò oppidis, initio; nihilominus, Hiſpanico faſtu, exordium à principe civitate Bruxellis capit. Ejus ſe exemplo terrorem cæteris injecturum ratus, ſponte capitis exemplum ſecuturis. At Bruxellenſes tantâ conſtantiâ decimas negarunt, ut diu clauſis officinis, opificio quiſque ſuperſederet. In urbe nec mactari pecudes, nec pinſi, nec cerevíſia coqui. quiſque ex vicinis civitatibus victum neceſſariò petebat: malle enim piſtores, lanij, coctoreſque cerevíſiæ, artem intermittere, quàm decimâ quæſtus ſui parte cedere. Jamque ſummam decimâ non minorem Albano Belgæ offerebant. Cæterùm ille ut regios proventus ignaros ſubditis, ita vectigalia eum in modum ab illis pendi cupiebat, ut, quantum ſolverent, ignorarent ipſi. Ad ultimum, quum nihil proficeret, centies centenis florenorum millibus redimi decimas paſſus eſt. Quâ re tametſi ſatisfactum ſibi Rege atque Albano ſimulantibus, gravem tamen iram recondebant. Poſteaque compertum, Eccleſiaſticos, & Ultrajectinos, quòd decimas recuſaſſent, in Hiſpania condemnatos, ac Senatus conſulto decretum, mœnibus urbem, ipſos facultatibus orbandos. Bruxellis ſanè primorum complures in ædium ſuarum foribus ſuſpendere Albanus conſtituerat: feciſſetque, ni captam Brilam nuntij attuliſſent. Quorundam opinio fert, non religionem Belgis, ſed decimam defectionis fuiſſe cauſſam. quippe antè geſta profugi patrarant. Unde gravior in illos divina fuiſſe pœna videtur, quod ſacris ſe exui paſſi, fragilium bonorum gratiâ bellum Regi moviſſent. Communis hæc urbium ob decimas indignatio Arauſionenſem, ut de nova expeditione cogitaret, impulit. Jamque omnia ita ex voto fluere, tanquam uno tempore univerſa res Belgarum inſtaurari poſſet. Favere ei Galliarum Rex, ſeu verè, Hiſpani perturbandis negotiis; ſive ſimulatè, ut deceptos eâ ſpecie Reformatos, in Gallia opprimeret: uti pòſt eventus oſtendit. Utut erat, tantum id Ludovico Naſſovio, per id tempus ad aulam agenti, profuit, ut connivente Rege, ingens eum Gallorum nobilium ſequeretur turba. Interea Comes Lumæus, Bartholomæus Enteſius, ac Wilhelmus Treſlongus, qui, Belgicâ pulſi, maria obſederant, raptuque navium utriuſque partis, ſe ſuaque ſuſtentabant (perfugium iis tutum Anglia erat) mare Balticum petierant, intercipiundæ claſſi, frumentum ex Boruſſia advectanti: dein Enchuſam inſidijs petituri. Cæterùm adverſâ rejecti tempeſtate, Brilam inviti adpelluntur. homines numero ſexcenti admodum. Terrâ conſcenſâ, urbem à præſidio deſtitutam intrant, rediguntque in poteſtatem. Mox prædâ in naves deportatâ, diſceſſum molientes (quippe nondum id animi Lumæo erat, ut opperiri Albanum auderet) conſtantiâ ejuſdem, quo adpulſi erant, venti, retinentur. Vliſſingæ, maritimâ Walachriæ urbe, octoginta Walones præſidebant. Invalidum adeò numerum ipſe Albanus fecerat, qui Ultrajectinos in Hiſpania de ſe queſtos ulturus, abductas Vliſſingâ centurias aliquot Ultrajectum miſerat: mox, ubi captam à Lumæo Brilam pro certo habuit, majori firmare præſidio incaſſum laborabat. Etenim Vliſſingani haud novum modò militem urbe prohibuerunt, ſed & Walones LXXX, qui in præſidio erant, ejecere, ſuſpenſo, cui præfectura decreta, Paceco. Quam rem, ut ab indubitatæ fidei viro, quique rebus interfuit, relata nobis eſt, fuſiùs expedire aggredior: quò indicio ſit, quàm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ LXX. grandes hi conatus minuta habuerint exordia. Hiſpanorum centurias XVI, duce Paceco, Vliſſingam Albanus miſerat, præſidioque tunc præfectum, intromiſſis per cœptum arcis opus Hiſpanis, diſcedere juſſerat. Bellovaſius, his cognitis, tympani pulſu monitos Walones in poſteram lucem paratos itineri eſſe jubet. Tympaniſta dum circumit, monebat identidem cives, *adventare Hiſpanos: proin conjuges ac facultates paratas iis tenerent.* Quod levis adeo autoris indicium primo aſpernati cives, poſtridie demum cepere, ut naves XVI, Hiſpanum vehentes militem, conſpectæ ſunt. Eæ totam jam noctem terram capere nequidquam laboraverant, ita dirigente Numine, ut in anchoris ſtare cogerentur. Nautæ, civiumque alij, quos prima lux ad ſolita laborum revocaverat, his viſis, proditos ſeque urbemque conclamant. Mox incitato curſu ad curiam delati, conſules aſſignandis Hiſpano militi hoſpitiis occupatos, offendunt. Id minimè placuit, & turbæ augentur. Nonnulli conſcenſo vallo, tormenta in claſſem diſplodunt. Mirari Hiſpani, quorum unus in fluctus deſiliens litus adnat, quæritque, cur tormentis hoſtiliter regii peterentur. Sed non meliori conditione uſuros, niſi extemplo diſcederent, ab oppidanis reſponſum eſt. Ita Hiſpani, ſublatis anchoris, Goeſam navigant. Vix è conſpectu erant, quum plenis in portum velis Pacecus contendit, ſuos ſe ibi inventurum ratus. Sed ipſe è veſtigio comprehenſus, & Albano ſe conſanguineum incaſſum jactitans, in patibulum tollitur. Bellovaſius, his viſis, trepidus, vultum tamen fingere, & velut probatis quæ agebantur, ſpem facit, brevi ſe omnem Walachriam in partes & ſocietatem tracturum. Morabatur per id tempus Antverpiæ Carolus Beaulieus; qui per Vaſſorium, participem arcanorum Senatus, alioſque eo in ordine amicos, pleraque Regis, & Albani, ſecreta cognoſcebat conſilia: cognita Arauſionenſi Dillenburgum perſcribebat. Is nunc commeatus literas, à Ludovico Naſſovio, quamvis alio fine, acceptas, confirmandis civium animis Vliſſingam alteri incluſas epiſtolæ per Henricum Filverum dimiſerat. Quâ ad conſtantiam Vliſſinganos hortatus, maturè cum auxiliis ſubventurum Arauſionenſem ſignificat. Allatis literis, fama, ut ſolet, ſtrenuè totâ urbe diſcurrit, veniſſe legatum Arauſionenſis. Is nuncius Bellovaſium cives placare conantem, adeò perculit, ut extemplo comites adjungi ſibi poſtularet, adducendo in ſocietatem Vliſſinganam Middelburgo. Sed impetratâ re abiit, nullâ minore, quàm ſervandæ fidei curâ. Prima Vliſſinganis auxilia ducenti milites fuere, clam Antverpiæ à civibus ſcripti, qui, ducente Blomarto, in varias diſtributi naves, Vliſſingam pervenere. Mari princeps Worſtius vires auxit. Qui Antverpiæ hâc tempeſtate agitans, etſi dementiam Vliſſinganorum multùm improbaret, quòd temere, & nullâ propemodum ſpe, tantum opus orſi videbantur; adductus tamen eſt, ut in verba Arauſionenſis juraret. Igitur Vliſſingam tendens, duarum Antverpiani mercatoris navium, quæ Lilloum juxtà ſecundam in Hiſpaniam tempeſtatem exſpectabant, gnaro poſſeſſore, globos, pyrium pulverem, cæteraque bello neceſſaria, diripuit. Multum inde Vliſſinganis animi: auxere fiduciam quinæ Zelandorum naves, adverſum Geuſios, (uti nuncupabant) adornatæ: quæ ex itinere reduces, ut infixa Vliſſingæ mœnibus vexilla adſpectarunt, haud contanter exoneratis machinis, *vivant Geuſii* exclamavere. Earum rerum Arauſionenſis Dillenburgi certior factus, ſine morâ Vliſſingam, Middelburgum, Veriam, Zirizeam, Dordrechtum, Goudam, Enchuſam, ac Roterodamum, litteras mittebat; firmandis, qui defecerant; impellendis, qui deliberabant. Quas litteras Antverpiam ille, Beaulieus circumquaque dimittebat. Fortè accidit, ut Henricus Hengelius, inſtitor boarius, earum unas, ad primarium in civitate virum, deferret. Eum Hiſpani comprehenſum, diris affixerunt cruciatibus. Nec tamen ullam exprimere vocem potuere; conſtanter ad-

ſeverante

ſeverante illo, inſcium ſe argumenti, pro ſimplicitate ſuâ, roganti id mercatori, quamvis ignoto, denegare officium noluiſſe Middelburgum litteras deferendi. Vliſſinganis non multò pòſt Bernardus, & Eloyus, centuriones, cum quingentis Belgis, ex Britannia accitis, acceſſere. Dein cum Anglis centum Morganus, totidemque Scotis Balfourius, Veriam venerunt. mox Gallorum centuriæ nonnullæ, Duce Serratiò, cui vicarius Sautænus. Quæ dum in Zelandia geruntur, Medinæ-cœli Dux, claſſem ex Hiſpania, novumque militem adducebat. quorum parte majori à Worſtio cæſâ, Dux ipſe Sluſam adpellitur, miratus, ita ſe exceptum: quippe, turbarum neſcius, quietam offendere Belgicam ſperârat. Zirizea, poſt longiorem aliquanto moram, reverſis è mari piſcatoribus, ſe Walachrianis junxit. Magnus itaque concurſus, promtique erant animi; cæterum exiguæ, ut tantâ mole, facultates. Poſtulabat à Beaulieo Arauſionenſis, mitti ſibi coronatorum millia ſexaginta: quò, motis eâ pecuniâ caſtris, obſeſſis Hannoniæ Montibus ſubveniret. Cæterùm id æris nec civitates, neque conficere mercatores poterant. Fere itaque deploratis rebus, Numen ſubvenit. Viginti Luſitanicæ naves ſaccharum, aromatumque alia, Antverpiam delaturæ, ſex hebdomadas in alto jactatæ, quum nihil de Vliſſinganorum defectione audiſſent, anchoris ad urbem jactis, ſubſtitêre. Quis oblatis, Tſerartius, urbi præfectus, militum delectis mercium commendat curam. Sed ij, laxatis arcarum vinculis, effractiſque feris, argentum omne, exceptis coronatorum millibus quindecim, diripuere; quæ ſola in Magiſtratuum pervenerunt manus. Quicquam tamen hujus ſummæ Arauſionenſi miſſurum ſe negabat Tſerartius, cum in ſtipendia militum ſuorum neceſſariò uteretur. Rurſum igitur Arauſionenſis expeditio differtur. Saccharum, cæteraque aromatum, divendi nuſquam poterant. Etenim Albanus, dimiſſis ad civitates nuntijs, quicquam eorum redimi, publicè prohibuerat. Poſtremò, ubi conveniſſe intellexit, ut alterâ pretii parte ſua mercatores bona reciperent, pecuniaſque Bremæ appenderent; ne hoc quidem paſſus eſt. Unde pretioſæ merces viliſſimo pretio veniêre: nec major ex his ſumma confecta, quàm millia florenorum quadringenta, & quinquaginta. Hæc Vliſſinganorum primordia fuere. In Hollandiâ, Roterodamum præſidio firmare Boſſuvius laborabat. Cumque nihil impetraret, tranſitu poſtulato, manipulatim ſuos ſine ullo maleficio tranſituros pollicetur. Quo conceſſo, ſimul patefactis portis, admiſſi priores ſunt; cæteri, conferto agmine, in urbem irrumpunt. Ipſe Boſſuvius, diſtricto gladio, centurionem oppidanum transfigit. Hinc miſeranda civium cædes, magnique per univerſam Hollandiam motus ſecuti. Hinc accenſo communi odio, etiam quæ imperium accepturæ videbantur civitates, hoc dolore ad maturandam defectionem ſtimulantur. Paſſim ergo, certatimque tanto impetu deficiunt, ut ipſe monendas Arauſionenſis putaret, ſenſim, atque ordine agerent, primoque argentum, pulverem pyrium, cætera bello neceſſaria comportarent. Neque enim copias ſuas tot urbium præſidio ſatis eſſe. Unum Amſtelodamum in fide permanſit Regi. Manifeſto divinæ providentiæ indicio, quæ illibatum ſibi horum motuum honorem ſervare, & cum nullo mortalium partiri voluit. Jamdudum enim Arauſionenſis ad defectionem Amſtelodamum, ac Middelburgum ſolicitaverat. Cæterum ei, ut hæc votorum pars non ſucceſſit; ita, quod nunquam ſperârat, ultro obvenit. Dum hic apud Belgas rerum ſtatus eſt, Ludovicus Naſſovius, uti præſcripſimus, unà cum Caſpare Colinio, mari apud Gallos præfecto, maximâ apud Regem erat gratiâ. Huic demonſtrabant, componendis regni turbis, non aliud utile æquè auxilium reperiri, quàm, ut medicorum exemplo, graviores morbos inciſâ venâ curantium, homines in regno ſuo, inter arma educatos, otiique impatientes, externa ad bella ablegaret. Facilè ſalubris adeò conſilii

cIↄ Iↄ LXX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ filii rationem amplexus Rex, proficiſci nonnullos cum Naſſovio in Belgi-
LXX. cam jubet, palam ſe mandante factum diſſimulans. Hâc manu inſtructus Naſſovius, celebrem civitatem Montes, aſtu hujuſcemodi adortus, capit. Nonnulli œnopolarum habitu urbem ingreſſi, primâ luce portarum rogant cuſtodem, ut maturiùs, quàm pro conſuetudine, pandere eas velit. Nec difficulter perſuaſêre, demonſtrato, vino ſe à Solis æſtu metuere. Igitur intromiſſis in urbem curribus, qui ſucceſſui imminebant L, aut LX numero equites, introrumpunt, effuſoque curſu per diverſa ruentes, liberatam tyrannide civitatem conclamant: majoris multo, quàm erant, numeri ſpeciem præbentes. Quâ re duabus, & ultrà, horis, metu civitatem in officio continuerunt: donec, quæ extra urbem aberraverant turmæ, minuſque de præſtituto tempore ſollicitæ fuerant, adventarent. Nec multo pòſt obſidione Albanus urbem circumdat. Huic Arauſionenſis imminens, in Germania exercitum, parem illi, quem anno LXVIII duxerat, coactum habebat. motiſque caſtris Ruræmondam in tranſitu capit. Hinc trajecto Moſa, caſtra Albani caſtris contraria poſuit; in campis patentibus, regiis non ceſſurus. Albanus, quamvis copiarum numero alterâ parte validior, aciem non auſus, caſtris ſe tenuit. Auxilium ei, cum magna Germanorum equitum manu, ferebant, Erycus Brunſvicenſis, Franciſcus Louwenburgicus Saxoniæ Dux: præter hos Holſatiæ Dux, & Otto Comes Schouwenburgenſis; qui terrâ ſuâ Pontificiorum ſacris, atque imaginum cultu, exactis, Euangelij doctrinam palam exponi omnes juſſerant; nunc, dum Albano ſuccurrunt, confirmatum in Belgica Pontificiorum religionem ibant. Schouwenburgenſem quoque ſanguinis vinculum Arauſionenſi adnectebat. Holſatiæ autem Dux, mercedis vicem, publicata Arauſionenſis bona à rege petere haud dubitavit. Adduxerat quoque Germanum equitem Salentinus, Colonienſis Epiſcopus; pariter & Electoris, & Eccleſiaſtico ordine indignum faciens. Is poſtea, tanquam facti pœnitentiâ ductus, multaque de Albano queſtus, occultè per litteras Joannis Naſſovij gratiam quærere. Cæterum, fraude emanante, Comitis arcana ſcrutari, Albanoque enuntiare conatum, exitus oſtendit. At Arauſionenſem, caſtra ad Montes Hannoniæ habentem, Hiſpanorum centuriȩ nonnullæ, induſiis amictæ, noctu invaſere. Jamque proſtratis ſummo ſilentio obviis quibuſque, ad ipſius tentorium penetraverant; cùm illum, alto & gravi ſopitum ſomno, catellus, aſſiduus comes, perſtrictâ leviter fronte, excitavit. Ad latus, Prætor Bredanus, excuſsâ è tubo glande, tranſiectus concidit. Hiſpanorum plerique, à Germanis equitibus circumventi, periere, quandò ab induſiis, non ſine detrimento ſuo, facilè agnoſcebantur. Eâdem tempeſtate Guilhelmus Bergenſis Comes, nemine prohibente, Zutphaniam ingreſſus, ſummo omnium conſenſu cæteris ejus Comitatus oppidis, Doeſburgo, Doetecomo, Lochemo, Grolla, atque Herembergâ potitur. Mox in agrum Velavianum progreſſus, Hardervicum, Elburgum, ac Hattemum, in poteſtatem redigit. In Ultrajectino dein agro, Amersfurtum; transIſalam, Campos, Swollam, Oldeſaliam, atque Haſſeletum in deditionem accipit. Sed paullo pòſt inſecutâ, Bartholomæi feſto, Pariſinâ cæde, quum Galliarum oſtendiſſet Rex, quo hactenus conſilio, quæ agitabat, diſſimulâſſet, & Erneſtum Mandeſlojum tribus equitum millibus præpoſitum (nam Gallica ſtipendia faciebat) revocatum, hoſtile quidquam in Hiſpanos facere prohibuiſſet: ſenſit tandem Arauſionenſis, vanæ ſe innixum ſpei, inopinantem eluſum eſſe. Itaque durante in propoſitum Albano, nec pugnæ facultatem faciente; cùm ſuſtentare ulterius militem nequiret, cæteris dimiſſis, exiguâ cum manu in Hollandiam contendit, conſilii, opiſque ejus, motis jam rebus ordinandis, indigam. Ludovicus Naſſovius menſe poſt cædem Pariſinam tolerato obſidio, tandem, certas pactus conditiones, Montes dedit. Quod

ſimul

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſimul ac fama diſtulit, Bergenſis, quàm facilè memoratarum ſuprà urbium CIↃ IↃ
potitus, eâdem levitate, ne viſo quidem hoſte, eaſdem deſerit. Nec ſanè LXX.
illi ingenium, tantarum rerum, aut ullius auſi capax: qui ſolâ Arauſionenſis
fortunâ nixus, ſui cauſâ, ne rem quidem leviſſimam tentaturus erat. Non
illi captas munire urbes, non frumentum providere, aut tributa imperare
curæ. Hinc exſortem ſtipendii militem civium exhaurire facultates, ru-
ſticorum diripere agros patiebatur. Ipſe omnium tantopere ſecurus agita-
re, ut teſſeram ſæpe militarem ab uxore vigilum præfecti acciperent. Zut-
phaniam Arauſionenſis ſummo ſtudio ſervatam cupierat, præſidioque urbi
miſſus Iſelſteinius. Qui vixdum obſeſſus, colloquium poſtulat. Dumque
illâ parte de conditionibus diſputatur, Hiſpani averſo latere ingruentes,
perrupto vallo, plurimos trucidarunt. Cæteræ transIſalam, atque agri
Trajectini urbes, claves obviam hoſti tulere. Prima omnium Narda, infe-
lix oppidulum, antecurſoribus hoſtium occludere portas ſuſtinuit. Sed uni-
verſo exercitu adventante, initis conditionibus, Hiſpani admittuntur. à
quibus cives poſterâ die convenire juſſi, quum frequentes bonâ fide acceſ-
ſiſſent, exſpectantes ſiquid Regis nomine juberetur, pecudum in modum
univerſi trucidantur. Ipſum Fredericum, Albani filium, ſuâ manu nonnul-
los confodiſſe, ferebat fama. Quæ res ut exitium illis, ita cæteris Hollandiæ
urbibus ſalutem attulit. quippe hoc exemplo ſtimulatæ, extrema quæque
antè pati decreverunt, quàm Hiſpanis ſe permittere. Huc obſtinatis ani-
mis, Harlemum, urbs invalida, hoſtilem exercitum ad Junium uſque men-
ſem, anni ſeptuageſimi tertij, ſuſtinuit. Urbi huic Patres, quippe militiæ CIↃ IↃ
rudes, rebus tantopere turbatis, frumentum providere neglexerant; unam LXXIII.
ob ſiliginis caritatem eâ cura dilatâ. Et ſic quoque ſeptimum menſem to-
lerata obſidio. Nec facilis illa hoſti, fœdum in modum fame, frigore, &
omnis generis miſeriis vexati oppugnantes: adeò, ut in Regis Senatu de-
monſtratum ſit, quadringentos Hiſpanos inediâ extinctos. Nam Germa-
norum, aliarumque nationum, nulla ratio, nullus cenſus. Redacto in pote-
ſtatem Harlemo, ſic viſum Numini, ut ſtipendia flagitantes Hiſpani, qui-
nas hebdomades tumultuarentur; Alcmariæque, & urbium reliquis, ſpa-
tium ſe ex tanto timore colligendi, darent. Ubi ſeditio conſedit, delibera-
tum, quâ parte perſequi victoriam è re eſſet. Pari intervallo Lugdunum, &
Alcmaria, aberant. Hanc tamen ſors tetigit. Erat in hoſtili exercitu in-
gens civium Harlemenſium numerus: quos operi, factâ ſalutis ſpe, admo-
vebat; ut primos ſociorum jactus, telaque exciperent. Primo hoſtium ad-
ventu, adeo in urbe trepidari, tantus Hiſpanorum terror eſſe, ut civium
complures, comparatâ ad Kenemarienſem portam fugâ, ſalutem peterent:
quippe necdum ab hoſte clauſam rebantur. Cæterum ut hâc quoque cir-
cumfuſa agmina præter ſpem videre; timore in deſperationem verſo, con-
jurant, cum militum centuriis, quæ ternæ præſidebant, eundem omnes ca-
ſum laturos. Statim Hiſpani mœnibus ſuccedunt, ſummâque vi urbem
oppugnant: ſed depulſi, dimiſere animos denuo fortunam tentandi. Quan-
tum amiſſo Harlemo cladis acceptum, Middelburgi expugnatione Deus
penſavit. Ea urbs, non ſine maximo animorum noſtris in partibus incre-
mento, poſt navalem in Scaldi, ad Rommerſwalam, conflictum, deditio-
nem fecit. Longa obſidio fuit, longi labores, & Annalium memoriâ digniſ-
ſimi. Præerant urbi Mondragonus, ac Bellovaſius. Walachriam univerſam
circumfuſæ undique naves arctè adeo ſepſerant, ut interclusi commeatu
oppidani, cibis præter naturam neceſſariò famem propulſarent. Sæpius Al-
banum de anguſtiis ſuis certiorem fecerat Bellovaſius, auxiliaque petive-
rat. Sed plerumque interceptæ, ab Arauſionenſis militibus, literæ, ſecreto-
rum indicia fecere: aperiente furtivas notas, & numerorum recondita,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXXIII. Beaulieo. Unde diffidere invicem Mondragonus & Bellovaſius: adeo ut hic, velut arcanorum detectorem ſe ſuſpectari dolens, paullo poſtquam Middelburgo exceſſit, mœrore exſtingueretur. Cæterum geſta in Walachris, & quomodo primùm ingreſſi inſulam Hiſpani, his, qui rebus affuere, latiùs deſcribenda relinquimus. Vliſſingam, Serartii frater, operam & ſtudium offerens, ſed miſſu hoſtis, & explorandis rebus venerat. Tamen eluſis noſtris, æs impetrat, copiis ſcribundis: ubi accepit, rectâ Antverpiam profectus, Albano cuncta, quæ erat ſpeculatus, revelat. Obſidio Middelburgenſi, nihil gravius obſeſſoribus pecuniæ inopiâ fuit, dum militis, dum navalium ſociorum ſtipendia deſiderantur. quippe necdum ab iis in vectigalium ratione curatum quidquam erat. Prima, Octobri menſe anni LXXII, vectigalia, mercibus, quæ exportarentur, Zelandi impoſuere: addito edicto, nequis in hoſticum tranſveheret quidquam; & in negligentes, pœnâ publicandarum mercium. Vectigalis verò is modus, quem ſine offenſu proceſſura negotiatio pateretur. Aprili menſe inſequentis anni, Zelandorum exemplum ſecuti Hollandi, octingenta & quinquaginta florenorum millia vertentis anni ſpatio collegere. Sed Middelburgenſi obſidione, tantæ à pecuniâ anguſtiæ fuere, ut, deficientibus ſtipendiis, univerſa res labi videretur. Jam prudentiſſimum quemque deſperatio inceſſerat, cum caſu navis, cujuſdam ſubditorum Regis, apianum ex Græciâ vinum vehens, adpulſa eſt. Londinum petens, jam in Mariæ portu anchoris jactis ſubſtiterat; unde contraria tempeſtate Vliſſingam rejecta eſt. Gubernator liberaliter habitus, navem, & omnia ſua recepit, excepto vino, quod florenorum millibus XXX divenditum. Paullo ante deditionem urbis, ad extremum rurſus caſum delapſis rebus, quartum jam diem ſtationariæ naves annonâ carebant: ac neceſſariò ſtatione deceſſiſſent, ni ſex millibus panum à Zirizea mutuò acceptis tolerata inopia foret. Noviſſima neceſſitas octo ante ſubactum Middelburgum diebus incubuit: nec ſpes ulla continuandi obſidii: ipſe Arauſionenſis anxius erat, quum, divinâ providentiâ, Mondragoni ad Requeſenium literæ in manus venere, quîs, niſi ſubveniretur, octavum intra diem dedundam ſibi urbem ſignificabat. His literis expeditis; nam, ut ferme in talibus, abſtruſis notis ſcriptæ erant; tum verò exultantem Arauſionenſem videre fuit, quippe haud minùs, quàm oppidani, anxium. Dein, Vliſſingæ in vulgus prolatæ tantum potuere, ut florenorum millia XIV, privati æris, cives conferrent, duplum, captâ civitate, pacti. Nec vanæ ſpes fuere. etenim VIII Kal. Mart. qui octavus ab eo tempore dies, (annus LXXIV agebatur) Middelburgum deditur. Reperta in urbe mercium vis, & Antverpianorum mercatorum magnæ facultates, quæ florenorum millibus quingentis diſtractæ, pars nautis, pars in ſtipendium militibus, ceſsêre. Bellum in Hollandiâ, Zelandiâque ancipiti fortunâ quatuor annis geſtum eſt. Sæpe in eo miranda Numinis potentia; ſæpe, deſperatis rebus, omni humanâ ope ſublatâ, auxilia eluxere. Circumſeſſo Lugduno, quæ tria exitio urbi futura videbantur, ſalutem attulere. Aberat civium optimus quiſque; invalidum præſidium; civitas peſtilentiâ vexata. Hæc cuncta in bonum verterunt. Quippe major, dum aberant, civibus, cura liberandæ urbis, quàm ſi incluſi mœnibus fuiſſent. Britanni, præſidio ab Arauſionenſe miſſi, & imprudentiâ quorundam urbe prohibiti, deditionem haud dubiè celeraſſent. Dederantque jam ipſi experimentum: nam, acceptis à Conſule glandibus, pyrioque pulvere, ſimul de adventu Hiſpanorum auditum, abjectis armis, cuncti ad hoſtes tranſiere. Peſtilentia gravis, ob funera multorum, annonam extendebat. Nec multo pòſt mœnium pars ſuâ ſponte in foſſam corruit. Quod ut terrorem obſeſſis, fiduciam hoſtibus addere par fuerat: quando vallum, tormentis alioqui diſiiciendum, fortuito lapſu foſ-

ſam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſam compleverat: tantopere tamen fragore muri, ſubjectas in aquas ruentis, conſternati ſunt, augente formidinem noctis ſolitudine, ut caſtris univerſi ſemet ejicerent, deſertoque Lammenſi caſtello (quod quamvis perfoſſis, aggeribus, quamvis omnia circumquaque obtinentibus aquis, retentu facile erat) fugam uſque adeo maturarent, ut nec ſpatium relinquerent ſibi, diſiectum vallum, completas foſſas, nudatam denique urbem contemplandi. Manifeſtus quoque divinæ potentiæ conflictus adverſus Boſſuvium. Manifeſtum illud tempus, quo, adſtrictis glacie aquis, univerſæ noſtrorum bellicæ naves, in ſinu Auſtrali, attinebantur: juſtiſſimumque pavorem incendii ab Hiſpanis, induerant, quippe cominus illuc adire valentibus: ſed ſubito gelu, & aquis ſolutis, liberatæ, vix portus ceperant, quum renovatum frigus aquas clauſit. Ejuſdem anni, qui poſt mille quingentos tertius & ſeptuageſimus, menſe Decembri, Albanus, quam tranquillam offenderat, crudelitate ſuâ turbatam, Belgicam reliquit. multis inſidiis, quas commune odium ſtruxerat, feliciter evaſis. Quadrageſimæ tempore, monaſterium, propinquo Bruxellis ſitu, aditurus, vix, indicio admonitus, effugerat. Noviomagi quum noctes nonnullas divertiſſet, cellæ, cubiculo ejus ſubjectæ, pyrio pulvere differta dolia inlata erant, qui accenſus, ipſum ſimul, & ædes, in ſublime abriperet. At incertum, quo fato, & an prohibente Numine, doli machinator, pulveri ignem injicere non ſuſtinuit. Eandem quoque in urbem Carolus Brimæus, Megenſis Comes, & Geldriæ idem, ac trans-Iſalano populo præfectus, frequentes proceres vocare, ipſumque huc Albanum, obtentû graviſſimorum Reip. negotiorum, pertrahere ſtatuerat: mox in vincula daturus, certuſque ſpei, probaturos factum Belgas univerſos. Et jam paratæ illi literæ, quîs, comprehenſo Duce, querimonias ejus apud Regem præveniret. Sed illum, tanta molientem, repens apoplexia ex hominibus amolita eſt, nondum Belgarum malis modum faciente Deo. Albanum in patriam per Germanorum fines remeantem, hoſpitio excepit Ludovicus, Conigſtænianus Comes, avunculus Arauſionenſis; cui in aula Caroli, inter Cæſares id nomen Quinti, exercita cum Albano amicitia. Apud hunc ille, decem & octo ſe hæreticorum & rebellium millia, carnificis manu ſuſtuliſſe jactavit, exemtis, quos bellum hauſiſſet. velut partâ laude, æquâ juſtitiæ adminiſtratione. In bello truculentiæ immanior; neque gerere bellum Patres, ſed tumultum cenſebat: itaque in captivos, tanquam prædones, & rebelles, noviſſima cruciatuum exempla edere, & indignos putare, quîs militiæ jura ſervarentur. Non ille capere quenquam, non captos redimi paſſus eſt; ſed laqueo univerſos, & exquiſitis tormentorum doloribus, enecare. Verùm ut eandem Hiſpanorum fortunam vidit; cùm nullum Fœderati redimi perpeterentur, ſed ſine diſcrimine nobiles, ignobiles (& in illis Pacecum, ſanguine ei junctum) tollerent in patibulum, aut præcipites in fluctus darent; adeo ut Vliſſingæ mille trecentos Hiſpanos idem tulerit patibulum: cùm, non paucioribus demerſis, tantus nautarum furor eſſet, ut nec ſpatium ſibi relinquerent, torques aureos, pretioſamque veſtem nobilibus detrahendi; diligentius ſervare jura belli, & tanquam cum hoſtibus agere cœpit. Quamvis nunquam Hollandi, aut Zelandi, ex quo vires mari ſuas didicerunt, paſſi ſint ære emi ſalutem navalibus præliis captorum. Unde jurejurando ſe navium præfecti obſtringere coacti, mortem antè, quàm deditionem ſubituros, nec hoſtium licet dedentium ſe cuiquam parcituros. Quod retinendo maris imperio inſtitutum. Albano Duci ſucceſſor datus Ludovicus Requeſenius, mitiora exercere imperia juſſus eſt, quia crudelitatem noxiam experimenta approbaverant. Hic ille Ludovicus eſt, qui ante annos tres, dolo Granatenſes Mauros oppreſſerat. Etenim dato centurionibus nonnullis negotio, ut, induciarum fiduciâ ſecuris hoſtibus, caſtra

cIↄ Iↄ LXXIII.

noctu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ noctu invaderent, poſtquam mandata patravere, & Mauri rupta fœdera,
LXXIII. querebantur; ille velut neſcius actorum, ſine morâ abſtrahi ad capitale ſupplicium centuriones, & interfici juſſerat. Quo facto tanta ejus opinio apud barbaros fuit, ut juſtum, ut ſanctiſſimæ fidei Imperatorem appellarent, & paullo pòſt, dum incautius agunt, ſubdolæ pacis ſpecie, circumvenirentur. Idem ergo aptiſſimus viſus, qui Belgas pacis, & veniæ, nulli non gratis nomi-
cIↃ IↃ nibus, deciperet. Anno poſt ſeptuageſimum quarto, Aprili menſe, Lugdu-
LXXIV. num obſidione liberaturus Ludovicus Naſſovius, militem in Germaniâ contraxerat. Iter illi præter Noviomagum, quò devectos Moſâ, & Vahali, milites, in Bommelianam inſulã tranſmitteret, exſpectante ibi eum Arauſionenſi cum copiis Belgarum. Sed Movici, ad Moſam, quiete militibus datâ, falſoque ſpeculatorum indicio deceptus, ab hoſte, Graviæ amnem poſtridie tranſgreſſo, cæditur. Suaſerant locorum gnari, ut ſeſquihoræ itinere longiùs, in ſciſſis, Moſam & Vahalim inter, agris, caſtra poneret. Sed ille feſſo militi conſulere voluiſſe, & ſuis nimium fretus, hoſtium vires aſpernatus videtur. Ipſe egregiâ pugnâ editâ occubuit: nec viſum poſtea cadaver. Dux profectò, (modo ita Numini placuiſſet) vitam longiùs proferre dignus, & haud dubiè celeberrimus ſui temporis futurus Imperator. Quippe ingenio, ad ſuggerenda conſilia, valebat; ad exſequendum propè nimius audaciæ. Inerat ei venerabilis quædam ad imperia majeſtas, & autoritas; promtaque ac profluens eloquentia: in conſuetudine comitas, & conciliandis hominum ſtudiis illecebræ. Potus ei deſiderio naturali finitus modus; tempora ſomni, quàm noctis, artiora: jam animus quibuſvis ſufficiens laboribus, & in Deum pietas, in bello militaris diſciplinæ ſtudium. Periere eodem certamine frater ejus Henricus, & Chriſtophorus Palatini Electoris filius. Hâc clade nunciatâ, vehementiſſimè Hollandorum conſternatæ mentes. Mitigavit tamen dolorem Deus, immiſſo in Hiſpanorum caſtra diſſidio, qui Antverpiam tantùm non diripuere, civibuſque extorta Carolinorum millia quadringenta. Intraverant urbem eam, connivente Requeſenio, Hiſpanorum quinque millia. Paucis antè diebus Campaniaco, præfecto arci, nunciatum erat, ſeditioſos Hiſpanos, cum arcis cuſtodibus conſiliis ſociatis, arcem, aperto latere, quâ parte, dejectis mœnibus, lorica, præfixis ſudibus, obducta erat, irrumpere ſtatuiſſe. Et Requeſenius re compertâ, quamvis ſæpe monitus ut præverteret, periculum ſpreverat, nihil ſe præſente auſuros Hiſpanos dictitans. quare & paucas machinas campeſtres ad defenſionem loci, arce deduci vetuerat. Poſtremò quoque Campaniacum plateas urbis ſuffodere, aut repletis lanâ ſaccis aditum intercludere conantem, prohibuit: addito, non eſſe præfecti, vulgo oſtendere, quemadmodum caſtello uſus adimeretur. Igitur Hiſpani in ſolutum, æs partim, partim pannum & holoſericum, accepere, VII & XXX menſium ſtipendia omnium pretio æquante. Hoc motu compoſito, Lugdunum obſidio repetens hoſtis, etiam tum ab annona deſtitutam urbem, repperit. Magno negligentiæ indicio, dum recens Harlemi memoria, quam frumenti egeſtate ſubactam, etiam vulgo conſtabat. Cæterum & hic ſuam oſtendere potentiam ſupremo Numini viſum: quod rebus ad extremum relapſis caſum, Hiſpanis, cœli ante ruinam, quàm externam vim metuentibus, tantum terrorem injecit, ut Octobri menſe, anni poſt ſeptuageſimum quarti, repentè omnia, quîs urbem circumdederant, caſtella deſererent. Quapropter Hiſpani, condito in cuſtodiam Baldeſio, novum creant ducem: cui Electi nomen dedere. Ipſi Ultrajectum contendunt, direptione urbis, penſaturi ſtipendia, quîs fraudati erant. Sed cives animoſe reſtitere, ducentis Hiſpanorum cum ipſo duce proſtratis. Ac ni cupidiùs inſectantes, qui arci præſidebant Hiſpani, tormentis terruiſſent, nequaquam hic ſtetiſſet ſtrages. Inter hæc pacis identidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

identidem Requeſenius mentionem facere. Sæpius antè, dum clauſi obſi- CIↃ IↃ
dio Lugdunenſes, Aldegondium Ultrajecti captivum (accepto priùs, pi- LXXIV.
gnoris vicem, jurejurando, rediturum in urbem) ad Arauſionenſem, ac Pa-
tres miſerat: ſi fortè perſuaderet, de reſtituendis Regi Belgarum terris, hâc
lege, ut Pontificiorum ſacra quicumque averſarentur, annos nonnullos ha-
berent, vendundis bonis, quîs exactis alias ſedes quærerent: Arauſionenſis
autem, relictis Belgis, captum apud Hiſpanos filium; ille, paterna bona re-
ciperet. Sed non adeò vel Arauſionenſem, vel Patres, animus defecerat,
ut accipienda hæc putarent. Viſuſque ipſe Baldeſius, prædæ Lugdunenſis
ſpe morari conditiones. Aliàs, miſſo Leonino Juriſconſulto, & apud Lo-
vanienſes Profeſſore, quem familiarem quondam Arauſionenſi nôrat, haud
iniqua Requeſenius obtulerat. Neque Patres rejecere, adeo ut Hiſpano
Senatui, Principis, eorumque reſponſa non diſplicerent. Sed priuſquam
Bruxellas remearet Leoninus, Hiſpani, cum parum ſibi emolumenti inde
ſperarent, mutatâ ſententiâ, reſtrictiſque conditionibus, rem evertêre.
Anno ejuſdem ſæculi poſt ſeptuageſimum quinto, Guntherus, Comes CIↃ IↃ
Swartſenburgicus, affinis idem Arauſionenſis, literas Cæſaris attulit, de LXXV.
conciliandis partibus. Eodemque tempore, miſſu Requeſenij, Leoninus
Principi Patribuſque demonſtrabat, utraque Regem ſacra toleraturum,
dummodo Pontificijs templa redderentur. Deinde in annos IV, aut V, in-
ducias facerent; acturũ de religionis negotio Regem, cum Fœderatis pro-
ceribus. Paratos in utrumque Patres & Arauſionenſem cum Leoninus re-
tuliſſet; Arſchotanus, Barlæmontius, & Aſſonvilius amplectenda putave-
runt. Diverſa Requeſenio mens; cui Hieronymus Rhoda, & Raſſingius
accedebant. Continuatum itaque bellum, non tamen quâ antè alacritate
apud Hollandos Zelandoſque: quippe otii ſpe plebis animi ad pendenda
vectigalia obtorpuerant: nec quatuor menſibus priſtinus ardor rediit. Ita-
que urbes Veteraquæ, Schoonhoviaque amiſſæ. mox Bura, & Bommene-
da caſtellum. Zirizeam hoſtes obſedere. Noſtris in partibus Arauſionen-
ſis Crimpâ (caſtelli id nomen) expugnatâ, magnam Dordrechto ac Rote-
rodamo ſecuritatem, novoſque ſimul animos attulerat. Mihi quoties Bel-
garum geſta pervolvo, mirandum ſanè videtur, exiguas adeo terras, tot cla-
dibus fractas, nunquam tamen animo defeciſſe, bello adverſus potentem
adeo hoſtem inſiſtendi: imprimis nullo vicinorum ſubnixas auxilio. Britan-
niæ nonnunquam Regina mutuam dederat æris ſummam; ſed ſimulac
proſperæ hoſti res, & hinc minæ illi intentatæ, reſtitui debitum ſæpe im-
portunè adeo urgebat, ut majore penè damno, quàm commodo, mutuò ſu-
meretur. Simul certamen cum ipſis Anglis acceſſerat, dum naves Hiſpa-
niam petentes, ſine gentis diſcrimine Hollandi, Zelandiq; rapiunt; Britanni
verò tutum maris uſum poſtulant, tanquã ab hoc bello otioſi. Sed perſeve-
rantibus in propoſito Belgis, & rapta prædam militi facientibus; quippe o-
mnium ſe gentium perſequi jura, & hoſtium loco dictitabant habendos, qui
eorum vires augerent: ſumma inter utroſque contentio oborta eſt, Anglis
Belgarũ, his viciſſim illorum detinentibus naves: quam gliſcere, unum Hi-
ſpanis votum erat. Monebatque Reginam Arauſionenſis, falsò eam ſubdito-
rũ hic lubidini gratificari. Quippe iniquum eſſe, ut paucorum ob avaritiam
mercatorum, multa hominum millia in vitæ, in facultatũ, in veræ religionis
diſcrimen adducerentur. Per idem tempus de ſubjiciendis externo Princi-
pi Belgis actum: cui vires defendendo eſſent. Vicinorum ſingulos ſui motus
turbabant. Romanum Imperium ſacrorum ſtudiis in diverſa ſcindebatur;
neque à tot Principibus matura, pro neceſſitate, auxilia ſperari poterant.
Cæſar, caput omnium, & Pontificij, Hiſpano addicti. Galliam graviſſimi
concuſſerant motus. Tranquilliores Britannorum res: ſimul communia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXXV. ſacra, & ſociatum gentis utriuſque maritimum robur, invictum fore videbatur. Igitur magnificâ legatione Reginam Patres adeunt, Fœderatorum imperium offerentes. Reſpondit illa, nequaquam res ſuas pati, ut bello adverſus Hiſpanum ſemet implicaret: operam paci, ſi Belgis videatur, daturam. Nec multo pòſt Galliarum Rex, & mater ejus, miſſo ad Arauſionenſem nobilium uno, denuntiavere, ſi Andino Duci, (is frater Regis erat) ejuſmodi conditiones offerantur, lætius reſponſum laturos. Patres, eo comperto, ut concidiſſe in Gallia bellum cognovere, haud diu deliberato, Alenzonio iiſdem legibus principatum deferunt. Sed priuſquam in Gallia certi quidquam ſtatueretur, Gandavenſis pax intervenit. Quamobrem Regi ac Reginæ à Patribus, & Arauſionenſi ſignificatur, mutatas res, & pacem à cunctis Belgis initam. Itaque non jam ſeorſim Hollandis, aut Zelandis, ſed univerſis ſimul Belgis Principem quærendum eſſe: cui ſe rei operam daturos. Viſus ſanè Galliarum Rex poſt patratam Pariſiis cædem, pronior in Arauſionenſem: ſed occultò; ſeu prioris delicti abolere ignominiam, ſeu Belgarum imperium cupiebat. Idem petente Arauſionenſi (qui, miſſo Beaulieo, quàm detrimentoſa ei Hiſpanorum proſpera forent, demonſtraverat) Caleti nonnullos conſtituit, tuti itineris vectigal à mercatoribus Galliam Britanniamque inter commeantibus exacturos, ne ipſis quidem Gallis immunibus. Neque palam Arauſionenſis nomen præferebatur; ſed, ut privatim conſuetudo inter mercatores obtinet, datis averſi periculi literis, naves ſingulæ, quando deſtinatum cepiſſent portum, vectigal pendebant. Et jam, quantum gens quæque ſolveret, convenerat. Hiſpani & Itali decimam, Luſitani ex centenis octonos, Galli quinos. Primuſque omnium conſul Caletanus, Hamburgum proficiſcens, id portorium numeravit. Etenim tot à Belgis rapiebantur naves, ut eam quiſque ſummam exhibere, quam omnium venire in periculum mallet. Proventus fere hinc tanti fuere, ut ſoli ducendo bello ſufficerent. Quippe totius Belgicæ poſt pacem Gandavenſem commeatus ſupergrediebatur, quorum fructus decies centena florenorum millia. Gnarum id Requeſenio: itaque ſummo labore rem evertere, ſed nequidquam, tentavit; promto ſemper Regi, quo ſe excuſaret. Donec tandem avaritia, & prædarum dulcedine ſtimulati ipſi navium præfecti, totum negotium corrupere. Enimverò cum deterius compendium ſuum, & infructuoſam ſibi ſine præda militiam viderent, ſcriptas Caleti literas ludibrio habuere. Uſque adeò egeno Principi (qualis tum Arauſionenſis) arduum eſt, militarem diſciplinam retinere: nam neque quietus miles ſine pecuniis; nec ſine tributis pecuniæ haberi queunt.

FINIS LIBRI I.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

EVERARDI REIDANI

ANNALIVM LIBER SECVNDVS.

BREVIARIUM LIBRI.

EXCESSVS Requeſenij. Hiſpani Zirizeam capiunt, & ſeditionem induunt. Senatus carceri Bruxellis includitur. Brabanti, Arteſii, Hannonij, gentes aliæ, Regi hactenus parentes, cum Hollandis, & Zelandis, fœdus ineunt. Sancitum id Regi: qui Ioannem Auſtriacum, fratrem ſuum, ſed nothum, Belgis imponit, duplicibus mandatis. Is, occupato Namurco, hoſtilia adverſùm Patres cœptat. Quâ de cauſſâ Brabanti vocatum Arauſionenſem, rebus ſuis præficiunt. Arſchotanus Flandriæ præfecturam, mox carcerem Gandavi habet. Accitur ad Belgicæ præfecturam Matthias Archidux. Cometes cœlo fulget. Patrum miles ab Ioanne Auſtriaco ad Gemblacum cæſus. Pax à Selleſio propoſita. Ioannes Naſſovius Geldriæ præfecturam obtinet. Concipiuntur conditiones de tolerandis invicem diverſa circa religionem ſentientibus. Reformatorum & Romanenſium contentiones. Dathenus Arauſionenſem, ut contemtorem Numinis, deteſtatur. Auxilium ab Eliſabetha poſtulatum. Caſimirus IV equitum, quina peditum millia, ſubſidium Belgis adducit. Pacta cum Andino: & quæ circa hæc Eliſabethæ acta. Caſimiri cum Boſſuvio, Arauſionenſi, & Andino, ſimultates. Dathenus pacem Gandavenſem oppugnat. Reformatos in Pontificios concitat. Seceſſio Meninenſium, & factionum exordia. Patres XIV equitum, V & XXX peditum millibus, nihil memoriâ dignum gerunt. Ioannis Auſtriaci obitus, ingenium, laudes. Boſſuvius moritur. Andinus, animi alienatus, Belgicam relinquit. quamobrem Eliſabetha acribus literis Patres perſtringit: qui conditiones Alenzonio offerunt, conciliando ejus animo. Alexander Parmenſis à Rege Belgis præfectus. Trajecto ad Moſam potitur: amiſſo Hierge, Geldris præpoſito. Coloniæ colloquium de pace agitatum. Arthesia, Hannonia, Sylvaducis, & Inſulæ, à fœdere abſcedunt: ſimul primorum Belgarum multi deficiunt. Hollandi, Zelandi, & cum his nonnullæ nationes, Arauſionenſis, ac Ioannis Naſſovij operâ, artiori fœdere colligantur. Cameracum Alenzonio tranſditum. Groningam Lalænius, Machliniam Bourſius hoſtium in partes traducunt. De Alenzonio Principe ſumendo deliberatum, decretumque, ob turbatam Rempublicam. Dynaſtæ Geldri deficiunt. Conditiones, quîs adeptus principatum Alenzonius; & eandem in rem declaratio Galliarum Regis. Alenzonius occultè juri ſuo in Hollandos ac Zelandos renuntiat: ac Reginæ matrimonium tentat. Belgica vehementi terræ motu concuſſa. Quâ Matthias Auſtriacus excedit. Groningam Hohenloius circumſidet, & in campo Hardenbergenſi, ſed improſperè, confligit. Anholtum captum, amiſſumque. Hohenloius ad Burtangam iterum prælio vincitur. Hattemum ereptum, ac recuperatum. Fato fungitur Lalænius. Noritſium Verdugus Northornæ profligat. Hezius gladio percuſſus. Sebaſtiani Regis in Africam expeditio, clades, exitus: & quis poſt eum Luſitaniæ ſtatus.

ANNO,

cIↄ Iↄ LXXVI. ANNO, qui poſt mille quingentos ſextus & ſeptuageſimus, III. Non. Mart. repentinâ peſtilentiâ Requeſenius extinguitur; mentis ſimul, & ſermonis impos: nec dicto ſucceſſore, quod jus illi ab Rege datum, conſtabat. Ejus fine verſæ hoſtium, & noſtrorum res. Mirum, quàm amiſſa, Junio menſe, Zirizea Hollandorum fregerit animos. Quippe Hollandiam utramque Harlemum; à Zelandis, Hollandos Zirizea dividebat. & inſularum ſubjugatione, ſenſim hoſtis mari propinquabat. Cui malo, ut cæteris graviori, mirando magis occurſum eſt remedio; &, mutato belli ſtatu, qui Hollandorum in perniciem conjurâſſe videbantur, ita dirigente Numine, oppreſſis ſubvenere. Etenim Hiſpani Zirizeâ potiti, rurſus in ſeditionem prolapſi, atrociorem, quàm aut capto Harlemo, aut cæſo ad Movicum Naſſovio, conciverant. Diripiuntur Aloſtum, Trajectum ad Moſam, Antverpia. Parumque à Bruxellis ſpoliandis aberant, ni providâ cives curâ, præſidium urbi, civicas cohortes diſpoſuiſſent. Initoque numero eorum, qui armis idonei, reperta in urbe capitum millia XX. Summa rerum per id tempus penes Senatum. quo in ordine Arſchotanus, Mansfeldius, Barlæmontius, Havreus, Viglius, Aſſonvilius, Saſboutius, aliique, tametſi coërcere ſeditioſos nitebantur, & Senatuſconſulto palam eos Regis hoſtes pronuntiarent, occultæ tamen conſcientiæ eorundem innexos plebes ſuſpicabatur. Auxere opinionem Rhoda ac Romerus, à Senatu reprimendis Hiſpanis miſſi, & mox eorum in partes tranſgreſſi, conſilijs, auxilijs juvantes. Quo cognito, Glimeſius ſupremus Brabantiæ Prætor, Berſellus, Gertrudis ac Perchæ Abbates, vulgi motum ſecuti, univerſum in cuſtodiam condere Senatum agitant. Nec diſtulere. Comitatus peditum centuriâ Glimeſius per vim curiæ fores molitur; omnibus ad ſummam audaciam attonitis. Cæterùm ut Germani militum Tribuni, Polwilerus, Fronſbergius, & Fuckerus (qui, & cum his militum plures, dicto Senatui audientes erant) per literas dimitti Senatum, aut captivitatis exponi cauſſas petivere: adjectis minis, ni pareretur, officij ſui quod videretur acturos: Brabantiæ Proceres, ignaris ſe, nedum jubentibus factum affirmantes, culpam omnem in Glimeſium, Berſellum, & quos retuli alios, rejecere. Succurrebat illis, XL regiorum millibus cuncta teneri præſidia; ſibi tantum X, aut XII, tumultuarias centurias. Sciebant Flandrorum & Artheſiorum Proceres, ad conventum, niſi exſoluto vinclis Senatu, haud venturos. Nec ſigillum, neque ſcribam præſto eſſe, aut ullum denique collegium, cui indicendi conventus aut jus foret, aut poteſtas. Serò igitur temeritatem ſuam Glimeſius, & facinoris ſocii, advertêre. Perchenſis Abbas, timore ſpiritum includente, extinguitur. Cæteris in fugâ præſidium. Donec ſuaſere nonnulli, durarent mentem, nec ſine cauſſa factum adſeverarent: ſed illam non niſi pleno numero collectis omnium nationum Proceribus, exponi poſſe. Ita Germanis quies rediit, graviter Senatum deliquiſſe opinantibus. Paullo pòſt emiſſus cuſtodiâ Præſes Senatus Saſboutius, cum duobus, qui arcana curabant, conventum per literas indicit. Medio tempore Hiſpani, patratis à ſe ſceleribus, ita curas omnium diſtrinxerant, ut quæſtioni in cauſſam Senatus otium deeſſet. Quibus rebus moti Brabanti, Flandri, Artheſij, Hannonij, cæteræque Regi hactenus obſecutæ gentes, exteros ſuâ quiſque terrâ pellere conſtituunt. Et, quia deſtinatis exſequendis vires deerant, fœdus cum Hollandis ac Zelandis ineunt. Leges fuere, ne contra Pontificiam religionem noſtri quidquam tentarent: ſed utriſque ſacrorum, qui in præſens, ſtatus maneret: donec, pulſis exteris, nationum cuncta-

in der haaſt geligt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cunctarum proceres congrederentur: ii quod ſtatuiſſent, pro rato omnibus CIↃ IↃ
fore. Quæ ubi Hiſpaniarum Regi audita, ne palam contra tendendo incaſ- LXXVII.
ſum ſe fatigaret, velut probato fœdere, Joannem Auſtriacum, fratrem, ſed extra conjugium Carolo Quinto genitum, Præfecti dignitate ad Belgas mittit. Qui per Galliam, nulli agnitus, viarum compendiis ſummâ celeritate itineris id confecit. Gemina huic mandata, palam, ut ſe facilem præberet Belgis; clam, ut initum noviſſimè fœdus everteret, & collapſam Regis autoritatem reſtitueret. Cætera ab Hieronymo Rhoda cognoſcere juſſus, qui ducem ſe atque autorem cædis, ac direptionis Antverpianæ Hiſpanis præbuerat. Cæterum per literas ſocianda cum eo conſilia: congreſſus fugeret, vitandis Patrum ſuſpicionibus. Hæc mandata Regis literis enuntiatum eſt, occultis notis, ut ſolitum, ad Auſtriacum perſcriptis. Igitur ille, memor præceptorum, miti oratione Belgarum animos lenire. Utque inveteratum apud Patres, apud plebem, odium Hiſpanorum extingueret, Belgicâ excedere, & Longobardiam petere Hiſpanos jubet, quò, ſi neceſſitas exigeret, revocati citiùs adeſſent. Germanicas legiones, ſub Tribunis Polwilero, Fronſbergio, ac Fuckero, non deduxit urbibus, quarum præcipuas complures inſederant. Habebatque obtentum id, quaſi nondum ſolutis ſtipendijs, quæ propediem ventura dictitabat. Interea occultè cum his conſilia agitare, ut civitates, quîs præſidebant, Regi cum fide ſervarent: ipſe novas in Germania copias ſcribere. Brabantiæ dein Flandriæque, & Artheſiæ ac Hannoniorum proceribus ſuadet, perficitque, ut, Hollandis & Zelandis excluſis, novas ſecum ineant conditiones, ſed à prioribus longè diverſas. Diſtractis hunc in modum nationibus, Bruxellis, nequidquam dehortante Arauſionenſi, Præfectus declaratur, ſeque jurejurando obſtringit: quod ſanctum, donec uſui; poſtquam is ceſſabat, ludibrio habuit. Etenim ubi callidè in ſua tracto Treſlongo, per eum venit in ſpem potiundæ arcis Antverpianæ; ubi fidem Germanorum (inſederant ii Machliniam, Sylvamducis, Bergas ad Zomam, Tholam, Bredam, Ruræmundam, Daventriam, Campos, Swollam, & urbium alias) indubitatam credidit; denique ut paratum in Germania militem intellexit; non ultra ſimulandum ratus, Namurci validam ad Moſam arcem occupat; iter ſcripto nuper Germano militi, & jamdudum literas ejus in Longobardia exſpectantibus Hiſpanis. Brabantiæ proceres, animadverſo dolo, ſuis quoque rebus conſulendum arbitrati, impellunt Bourſium, Treſlongi in arce Antverpiana vicarium, ut, exutâ fide, ſuas in partes tranſeat. Hic, militum ope, captum illis Treſlongum tradit. Recipiuntur mox breviſſimo ſpatio Bergæ ad Zomam, Sylvaducis, & Breda: pulſiſque, Hollandorum auxilio, Germanis, Fuckerus, Fronſbergiuſque, ſuorum proditione militum, in poteſtatem veniunt. Exin vocatus ad conſilia Arauſionenſis, tanto plebis concurſu, & multitudine gratantium, Antverpiæ, Bruxellis, Gandavi excipitur, uti plerorumque optimatum invidiam incurſaverit, quemadmodum pòſt compertum. Et ille quidem, omnium conſenſu, Brabantiæ præpoſitus, copias cogi, ipſumque in arce Namurcenſi Auſtriacum obſideri hortatur; brevi & illum, & arcem, egenam frumenti, in poteſtate fore. At non eo perſuaſit. Erant Patrum in ordine Antiſtites, & ſacratæ vitæ complures; forſan &, qui communem impetum ſecuti, diverſa animo premebant: his audax cœptu facinus videbatur. Complures menſes diſputando conſumti, inferri, an defendi bellum oporteret. Adeo adhuc anguſtæ illis conſcientiæ, tanta regii nominis veneratio erat, ut flagitij videretur Præfecto ejus vim inferre. Imprimis non ut hoſtem ſe gerente Auſtriaco: quippe blandâ oratione, & mitibus reſponſis Belgas lactabat; nuſquam exceſſurum limites juramenti. Occupâſſe arcem, ſed præmonitum inſidias ſtrui. Hæc credita novis denuo colloquijs originem præ-

cIↄ Iↄ buere. Et commeantibus ultro citroque legatis, dum conſultò rem longiùs
LXXVII. trahit Auſtriacus, ſpatium fuit, quo Germanicæ copiæ, & Hiſpani adventa-
rent. Primorum nonnulli, quorum invidiam tanta Arauſionenſis gratia
elicuerat, ut Flandriæ Arſchotanus præficeretur effecere. Sed ille Ganda-
vum veniens, dum Swevegemo, Raſſingio, Senatus Præſide, aliiſque in Au-
ſtriacum pronis, familiariùs utitur, civium ſuſpiciones provocavit: atque à
Rihovio, Embiſioque, ducibus multitudinis, cum his, quibuſcum conſilia
miſcuerat, & Epiſcopis nonnullis, in carcerem datur. Objectabatur, quòd
diſſuasâ Arauſionenſis electione, diſtrahere Brabantiam Flandriamque ten-
taviſſent. Præterea Arſchotanus cum ſuis, ut majori nomine gloriam
Arauſionenſis obumbraret, Matthiam Auſtriacum advocaverat. Is gnaro,
cæterum diſſimulante, cujus frater erat, Cæſare (antè ſpeciem improbantis
prætulerat, ad introſpiciendam Hiſpani voluntatem) Pragâ, curru uno, nec
ullus præterea comitatus, Trajectum ad Moſam venerat, mirantibus Pa-
trum, & potiſſimarum Brabantiæ urbium pleriſque: quippe accitum ne-
ſciis. Et quo tempore vincla indita Senatui, miſſi à Brabantiæ proceribus,
qui principatum Alenzonio, Galliarum Regis fratri deferrent: hi parum à
repudiando Matthia aberant, niſi Arauſionenſis, ignominioſum id Matthiæ
reputans, præſertim confecto jam itinere, perpuliſſet civitates præfectu-
ram ei conferre. Dataque his legibus, ne vicarium deligeret alium, quàm
Arauſionenſem. Cui nova hinc invidia, & optimatum cæteri captivitatem
Arſchotani, quamvis bene merito objectabant. Quippe præfecturam Flan-
driæ petentem enixè juverat commendatione, & vinculis gratiâ potiſſi-
mùm ſuâ exemerat. Paulloque pòſt evidentiora documenta oſtendêre, ne-
quaquam Rihovio Embiſioque, Arſchotani captivitate, Arauſionenſis
gratiam quæſitam; quippe non minùs ſuo iis nomine inviſi, quàm Arſcho-
tanus erat. Novembri menſe cometes ingens cœlo fulſit, indicium atro-
ciora portendi. Eo qui ſecutus eſt Decembri (annus agebatur poſt ſeptua-
geſimum ſeptimus) Joannes Auſtriacus, & quicunque pro eo, palam Reip.
hoſtes declarantur. Simul Patrum copiæ Namurcum deductæ, non obſeſ-
ſa urbe, nec memorabili ulla re tentata, Gemblaci, viciniſque locis conſede-
cIↄ Iↄ re. Ubi palantes, diſiectoſque, Auſtriacus, menſe Januario, anni octavi
LXXVIII. poſt ſeptuageſimum, univerſos concîdit. Quippe & virium illi ſatis, & lon-
go tempore occaſioni, ſiqua daretur, intentus, opportuniſſimã habuit, pro-
fectis, per idem tempus, Bruxellas militum ducibus, ad Berſelli nuptias.
Audita clade, tum verò Bruxellenſes intrat pavor: & atrociora metueban-
tur, ni Arauſionenſis hortando, conſolando, conſternatas mentes erexiſſet.
Igitur dum recens metus, & in animis terror viget, Patres Matthiæ Archi-
duci, Arauſionenſi, ac Senatui poteſtatem faciunt quantum, & quod vel-
lent militum ſcribendi. Cætera ipſi exſequerentur pro arbitrio, pro rerum
neceſſitate; nec opus ad Patres de cunctis referre. Tantùm providerent, ut
congruerent inter ſe neceſſitas erogationum, & ratio quæſtuum. hos quot-
menſibus florenorum millibus ſexcentis æſtimari. Hæc ita adminiſtrata,
ne cujuſquam proditione, aut perfidia, quæ agebantur, hoſti patefierent.
Interea etiam de pace agebatur: & miſſus ab Rege, qui eam tractaret, dy-
naſta Selleſius. Ut, abrogato Auſtriaco, alium mitti præfectum Belgæ pe-
tiverunt; Rex prolatare ei poteſtatem non contentus, adjecit, probari ſibi,
quæcunque egiſſet. Simul dilapſæ ſpes, & omiſſum negotium. Exordio
ejuſdem anni, qui poſt ſeptuageſimum octavus numerabatur, Joannes Co-
mes Naſſovius, aſſiduis procerum Geldriæ precibus à Fœderatis Patribus
ad præfecturam ejus terræ vocatur. Hinc redintegrata in Naſſovios invi-
dia, Bergenſis quoque Comitis, quamvis illi ſoror Naſſovij in matrimonio,
animum accendit. Ad remp. veniens Naſſovius parum aut conſilij aut opis,

ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXXVIII.

ſibi ab alijs ſperandum cognovit. Geldriæ Senatus Regi impenſius, quam patriæ cupiebat libertati. idem animus magiſtratuum pleriſque. In urbium potiſſimis Pontificiorum ſacra. Nec adverſus ea remedium Naſſovio; jurarat quippe in verba pacis Gandàvenſis, quâ nihil in religione mutari convenerat. Sed inopinanti, hunc ultro in modum verſus reip. ſtatus eſt. Senatum, quod ex peregrinis conſtaret, urbes, & Equeſtris ordo abrogarunt, nonnullis, quibus provectior ætas, Pontificijs, cæterum indigenis, ſervato honore. Magiſtratuum ſuſpectiores, ſuffectis opportuno tempore alijs, dignitatibus dejecti. Matthias Archidux, ac Patres, quamvis Pontificia foverent ipſi ſacra, cum à tanta Reformatorum in Belgis multitudine, niſi libertatis aliquid daretur, malum vererentur, conditiones de tolerandis circa ſacra diverſis opinionibus compoſuere; quîs decretum, ut Reformatis ſingulis in civitatibus (ubi centum eorum familiæ eſſent) ſacellum, aut Eccleſia, faciendis ſacris, concederetur. Crebro id ſupplicibus libellis Geldriæ civibus poſtulatum. Verùm ut obſtinato Magiſtratus animo, non templum, non ſacellum tranſdere voluere, ſpretis Naſſovij adhortationibus, qui plures Germaniæ urbes triginta annis habuiſſe, & adhuc tolerare utramque religionem demonſtrabat; cauſſa civibus data, per vim Eccleſias occupandi, penituſque Pontificiorum ejiciendi ſacra. Ita illos pertinax omnia tenendi ſtudium omnibus exuit: quos, conceſſo civibus uno tantum ſacello, cætera initæ conditiones tutos præſtabant.. Ut apud Germanos tolerato diverſorum ſacrorum exercitio, multo tempore Eccleſiaſtici in otio ſua poſſederant bona. Hæc ſola veriſſimaque eſt cauſſa ortarum poſt pacem Gandavenſem publice inter omnes Fœderatorum terras, inter urbes; privatim inter cives, incolaſque, contentionum, odij, diffidentiæ. Omnium ante animi, nullo religionis diſcrimine, ira in Hiſpanum accenſi: omnibus una ſpes, patria libertas erat. Preſſis Albani jugo urbium multis, cum in uſum belli adverſum Hollandos Zelandoſque pecunias terrarum cæteræ ſufficerent, multos Pontificiorum, occulte Hiſpanorum adverſis lætos, proſperis triſtes fuiſſe compertum. At poſtquam pax Gandavi facta, inſidijs invicem petere, mutuoque metu occultas agere excubias cives orſi. Sæpe in partes diviſi, infeſtis armis ſtetere; quique ſuperabant, pulſis adverſarijs, proſperorum Hiſpanis cauſſa. Pellebantur plerumque Reformati, non numero tantum Pontificiis impares, verum & cohibiti præfectorũ magiſtratuumq; autoritate moderate agendum paſſim monentium. Eoq; nec Reformatorum injurias in Pontificios patiebantur, ſi prohibere poſſent. quippe huc intenti, ut diffidentiam ex animis Pontificiorum eximerent. contrà Reformatos, ut adverſum ſubita ſecuri agitarent, præſidio firmabant, bonaque ſuſtentabant ſpe. Quâ dejectos, ſi præverti ab adverſarijs contigiſſet, tum aſperas in voces, convitiaque plebes erumpere, faventemque Romanenſibus magiſtratum differre. His qui non acceſſiſſent, nec tantum affectibus dandum putarent, & ipſi aut Pontificij, aut his addicti, vel denique aſſentatores, ac proditores audiebant. Quo cuique plurima in calumnijs impudentia, eo acrior patriæ libertatis, veræque religionis vindex habitus. Qui tales inter eminebat, Petrus Dathenus, impium Arauſionenſem, nec ullũ Numen adgnoſcere, ex umbone Gandavi proclamavit. Noviomági, Arnhemi, nullus convitijs in Naſſovium modus. adeo per id tempus arduum, & obtrectationi ſubjectum, Remp. bene regere. Sed Reformati, ſi quando ſuperiores, ſacerdotem unum, alterum, & Pontificiorum acerrimos, ejeciſſe urbibus ſatis habuere. Cæteris in otio vita. plures ultro demigrabant: brevi victoriam & arbitrium omnium penes Regem fore; & ſibi glorioſius rati, reverti ad fortunam ejus, cujus in improſperis ſocij fuiſſent. Paucis ex eo Pontificijs aut animus, aut votum, pro patriâ libertate. Qui veteres ſedes retinebant,

CIↃ IↃ LXXVIII. nebant, quid optarent ipſi ambigere. Hinc ſervitutis jugum, inde religionis jactura imminebat: hæc Patribus, illud Rege vincente. Talibus convulſæ Fœderatorum vires, & præſidia paſſim non hoſtium, ſed mutuo metu diſpoſita. Quæ, aliò properanti, paucis attingere viſum; alij latiùs proſequentur: nunc deſtinata repeto. Auxilium Fœderatis Franciſcus Alenzonius, Galliarum Regis frater, offerebat, non ſponte ſuâ, ſed accitus quibuſdam è proceribus Brabantiæ, ſimulac in vinclis Senatus fuerat. Et quia validas copias, non ſine Hiſpanorum damno, ad fines Belgarum oſtentabat, ſpem conceperat, plures ad ſe ituros: Matthiam ſolum, ſine milite, ſine auxilijs veniſſe ad Belgas reputans. Mox ſalutatus *defenſor libertatis Belgicæ*, promiſſa accipit, ſi Belgas exterum quærere Principem, neceſſitas adigat, non alterum ei præpoſituros. Inſtabat dein, tradi limitanearum urbium nonnullas, munimentum ſibi, ſaucijs & ægris receptaculum. Non videbantur opportuniores ullæ Querceto, Landreceio, ac Bellovaco. Sed, promtis Patribus, cives abnuebant, recente adhuc Gallici belli memoriâ, quòd multis nefariè patratis, exuſtis pagis, aut direptis, ſtupris feminarum ne nunc quidem ſuperſederent. Ægre id ferre Alenzonius: tum petere, ut Patres, duobus ſuorum ad conſilium ejus dimiſſis, invicem in ſuum conventum Gallos totidem admitterent. Et hoc comiter denegatum. Equidem Belgarum Remp. ijs temporibus haud falsò quis virgini inter procos mediæ comparaverit; quorum ſingulis primum in amore locum petentibus, quîs humilitas ſua ſpem alios dejiciundi adimebat, tamen veſtis revellere partem niterentur. Britanniæ Reginam Patrum legati Havreus, ac Mekerchus, Flandriæ idem Præſes, ad auxilia ſollicitaverant. Nec abnuit illa; & quo plus ſtudij oſtentaret, ſociandis conſilijs perpetuum apud Patres legatum habituram promiſit: idem viciſſim à Patribus in Anglia faciundum. Mox pecunias quoque, & militem pollicetur. Nihilominus continenter interea ad pacem Patres hortari, monere, *ne quidquam regijs indignum ſubditis committerent. Imprimis hauſtam ab incunabulis Pontificiam religionem retinerent.* Subinde &, quamvis nullo accuſante, injuriam ſibi fieri ſuſpicionibus dictitabat, quaſi Belgas, aut quidquam eorum, in ditionem ſuam trahere moliretur. *Nunquam ex alieno damno ſua commoda, ſed tranquillas domi res quæſiviſſe. Quo non leve momentum, concordiam vicinorum: ſimul ſi Hiſpanorum ab ijs jugum depelleret. Opportunas ſe proferendi imperij occaſiones omiſiſſe. Datum in Scotia experimentum, licet jam olim hoſtili. Multo minus Belgarum, veterum ſociorum, detrimento id facturam.* Poſt hæc Matthiam Archiducem vocatum, & gravem adeo rem inſciâ ſe peractam queritur. Injectam eâ re ſperatæ paci moram. Facilè verò Matthiam, quandocumque Hiſpano libuerit, pertrahi in partes poſſe: quippe ſanguinis vinculo conjunctum. Malebant legati pecuniam, quàm militem Reginæ, metu diſcordiarum ex tot diverſis nationibus: ad hoc formido ſuberat, ne Reformatorum partes nimium creſcerent. Quod illa ubi comperit, indignabunda objectare, ſperni militem ſuum; at ſanè Britannorum ære Scotos, antiquos eorum hoſtes, & Burgundicæ domus fœderatos conduci. Igitur paciſcuntur legati, ut decies centena florenorum millia, militum quina, mille equitum Regina mitteret. Tabulis, quîs debitum profitebantur Belgæ, inſcriptum: QVOD PRO SERVITIO REGIS CATHOLICI, ET CONSERVATIONE PROVINCIARVM IN EIVS OBEDIENTIA REGINA MVTVO DEDERIT. Nec multo pòſt mutat conſilium de mittendo milite; per Danielem Rogerium, Patribus vereri ſe, denuntians, ne Gallus, ſuſpectans Anglorum hunc tranſitum, hoſtile quidpiam adverſùm Belgas moliatur. & jam comparâſſe, quæ bello neceſſaria. Sibi quidem integram conſcientiam, nec meditatum unquam Belgarum ditionem occupare, tamen ſcire, non aliud

de ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

de ſe judicium Galliarum Regem facere. Proin ſui conſilij eſſe, ut Joannem Caſimirum, Comitem Palatinum, cum ſex Helvetiorum, quinque Germanorum equitum millibus advocent. Inopinatum id Patribus, jam ante Caſimirum arceſſere agitantibus; ſed minoribus cum copijs. Quippe circa ſacra plerique Pontificijs addicti, inconſultum judicabant, diverſæ religionis Principem, cum tanto exercitu accire. Tamen pecunias, ni fieret, recuſante Eliſabethâ, aſſenſere, ut auxilio vocaretur, cum equitum quaternis, quinis peditum millibus. Stipendia, licet à Reginâ profecta, pro Patrum arbitrio erogarentur. Inter hæc cum Alenzonio quoque Belgas colloqui Reginæ nunciatur. Unde ulterius, quàm par eſſet, inſciâ ſe Patres proceſſiſſe queſta, Majo menſe flagitat, nequid ante adventum legatorum ſuorum ſtatuatur. addit minas, niſi impetret, neceſſariò hoſtium ſe in partes tranſgreſſuram. Reſponſum à Patribus, jam pridem, per Havreum legatum rem omnem Reginæ ſignificatam: monitum etiam Antverpiæ legatum ejus. Nondum hactenus decretum quidquam. Dolori ſibi fore, ſi hoſtium loco ab ea habeantur. Nullam Reginæ cauſſam eſſe colloquium morandi, niſi adverſùm omnes hoſtes Belgarum ſuſcipere tutelam velit. Paucos intra dies Alenzonij à ſe reſponſum exſpectari. Sperare interea, adfore legatos Reginæ, quo collatis conſilijs decernant. Poſtquam legati acceſſere, propoſitas conditiones apertè damnant: firmantque, promiſſa de præponendo cæteris omnibus Alenzonio, ſi ab Hiſpano deficerent Belgæ, veteribus Britannorum pactis cum domo Burgundicâ, adverſari. Adverſari quoque traditionem Querceti, Landreceij, ac Bellovaci. Adhæc, quòd Tranſmoſana cuncta, Lutſenburgum, Burgundiamque, propria ei, quam diu ſupereſſet, tribuerent. Quærentibus ad ea Patribus, quid conſulerent; quando aut Principem accipere Alenzonium, aut hoſtem experiri neceſſe ſit; X aut XII dierum moram popoſcerunt, quo ſpatium eſſet compellandi Reginam, & accipiundis reſponſis. Quintâ effluxerat hebdomas, cùm reverſi legati dictitant, non videri Reginæ id Alenzonio poteſtatis dandum, ut, quandocumque libuerit, ſub ſpecie auxilij, invadere principatum poſſit. De cæteris conſilia quottidie ſecum communicarent. Patres, effectum ſe daturos, ne violata pacta queri Regina poſſet, reſponderunt. Non tamen eo res proceſſit, aut certi quidquam decretum: dum auxilium Regina his legibus offert, *ut militum præfectis in Senatum Patres aditum darent: quò turbidis rebus, nihil domi, nihil militiæ, niſi communicato ſecum, aut cum ſuis conſilio, decerneretur. Controverſias, quæ inciderent, ipſa dijudicaret. Si purgando mari claſſem deduceret, Patres bellicas naves* XL, *omni armamentorum genere, militeque inſtructas ſubmitterent, ſingulas minimùm* XL *vehium: impenſas Reginam facturam. Fœdera, occultas pactiones, cum quoquam Principum aut Rerump. niſi annuente Reginâ, Patres ne facerent. Quam, ſi ita videatur, iiſdem in conditionibus fore.* Adjecta id genus complura, nobis, quia ſupervacua, ſilentio prætereunda. Quæ dum aguntur, Caſimirus cum copijs multò quam convenerat majoribus in Belgicam venit, conſciâ fortaſſis Reginâ; & occaſioni, quandocumque daretur, imminens, vi ſuâ cuncta tracturus. Tardè Britannica ſtipendia procedebant, haud ſine gravi Reip. ac Patrum detrimento, quorum rationes eventui diſſimiles. Quippe dictus miles, medio æſtatis, quod aptiſſimum gerendis rebus, ſex hebdomadas in Zutphanienſi hæſit Comitatu: magnâ agreſtium, magnâ publici jacturâ: recuſante Caſimiro in hoſtem movere, niſi numerato etiam adductis præter Patrum opinionem militibus ſtipendio. Nam quod deſtinatis copijs debebatur, paratum erat. Itaque demum VII. Kal. Septemb. Brabantiam petit, tribus antè hebdomadis ſubito Auſtriaci incurſu turbatam: quem, coacto maturiùs exercitu prohibere in proclivi fuerat. Ad exercitum veniens Caſimirus, cognoſcit, Boſ-

CIↃ IↃ LXXVIII.

cIↄ Iↄ LXXVIII. ſuvium Imperatorem ſalutatum à Patribus, indigenam & Pontificiæ religionis Ducem cupientibus. Hinc indignatio, & jam antè Principi Patribuſque alienus, multùm hoc dolore graviùs exarſit. Etiam Andinum inter & Caſimirum orta æmulatio, dum faſtigium quiſque alterius in ſui diminutionem accepit. Editur famoſus libellus, probrorum in Alenzonium plenus; quo & Pariſina cædes, & quæcumque privatim in eo, aut familia ejus argui poterant, objectabantur: alienandis, ſi quos in Belgica haberet, faventium animis. Autorem fuiſſe Petrum Peutericum, arcanorum Caſimiri arbitrum, pòſt compertum eſt. Adverſùm ea Galli jacere, Caſimirum Ducem mercenarium, ſpe magis lucri, quàm caritate, Patribus militare. Patres ipſi parum hæc diſſidia probare, non exiguum ad res ſuas momentum concordes vicinorum Principum animos arbitrati: imprimis Arauſionenſis cui pridem quæſita Gallorum ſocietas, ut gentem in Hiſpanos concitaret: id ratus maximè idoneum liberandis Belgis. Multum itaque amicitiæ inter eum ac Caſimirum, quamvis Reformatum utrumque, deceſſit. Erat ex Senatoribus Caſimiri Petrus Dathenus, vir miro apud Gandavenſes favore. Hîc ille ſpargere, caput pacis Gandavenſis, quo Pontificiam religionem in integro relinqui convenerat, impium eſſe: & defenſori ejus Arauſionenſi (is nihil temere mutandum, ſed ſervandam fidem, & inimicum perjuris Numen dictitaverat) nihil penſi, nihil ſancti, nullum Dei metum, nullam religionem eſſe. Nec turbare antè deſtitit, quàm Embiſij, aliorumque operâ effectum, ut opulentis abbatijs, & ſacratis bonis direptis, Pontificia religio penitus ejiceretur Gandavo. Traxitque res incommoda alia, ſpoliatis in Flandria primorum quorundam ædibus, quîs novatio diſplicebat. Hâc datâ occaſione Montignius, Lalæniuſque, militum manum, de Patribus, ob non ſoluta ſtipendia, conqueſtam, ad ſe pertraxere; direptamque Meninam, Flandriæ pagum, munitionibus firmant. Adverſum hos Gandavenſes Caſimirum advocant. Ferebant enim Montignium, Ducem Malecontentorum, (id factioni nomen vulgò impoſitum) jactaviſſe, auxilia ab Alenzonio promiſſa, Gallicumque ſe militem exſpectare. Igitur Caſimirus quingentorum equitum manu, ignaris Patribus, in Flandriam contendit, convulſis diſceſſu ſuo viribus exercitus. Et ni Patrũ poſtulato acceſſiſſet Arauſionenſis, Caſimiro Flandriæ principatum deferri nullus ambigebat. At Arauſionenſis multus in conciliandis partibus, cum diſcordiarum originem inquireret, intellexit, dictitare Gandavenſes, ſtructas ſibi inſidias; quîs prævertendis arma neceſſariò cepiſſe. Decimum aut circiter menſem agi, ex quo Antverpiæ edictum contra pacem Gandavenſem promulgatum ſit, de redintegranda Reformatorum perſecutione. Certò creditum ſibi, Walones à Matthiâ, Arauſionenſi, & Patribus miſſos, vaſtandæ Flandriæ, ac Gandavo circumjectorũ. Denique pulſos à Tornacenſibus Reformatorum nonnullos: ſacrorum exercitium publicè interdictum. Hæc partim falſò credita, partim Gandavenſium culpâ acciderant, qui cauſſa defectionis Artheſiorum. Adeoque jam iræ in animis invaluerant, ut ſpernerentur monita Arauſionenſis. Andinus, ut Gandavum veniſſe Caſimirum intelligit, anxius curâ, quæſitum ad Patres mittit, illorum conſilio, an ignaris, feciſſet. Ipſe exauctoratis mox ternis Gallorum legionibus, occultè Tribunos Meninenſibus operam offerre jubet. Ingens hinc momentum partibus adverſum Gandavenſes. Multum, abducto equite, exercitus vires Caſimirus infirmaverat. Civile bellum Gandavum ac Meninenſes inter conflatum: jam diverſa in ſtudia ſciſſi primores, publico bono pauci, ſibi quiſque tendere. Hinc effectum, ut peditum millibus v & xxx, equitum xiv, nihil dignum memoriâ Patres geſſerint. Militi ſtipendia non procedebant, requiſitis quotmenſibus nongentis, & undecim florenorum millibus: nec veniebant hunc in

numerum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXVIII.

numerum præſidia Flandriæ, Artheſiæ, Hannoniæ. Belgarum proventus exigui. Quippe trium, quas dixi, nationum, tributa ac vectigalia Gandavenſium bello intercipiebantur. Brabantiam duo validi exercitus corrumpebant. Hollandi & Zelandi, longo feſſi bello, vixdum reſpirare. In cæteris vix opum quidquam, aut virium. Summa omnium, quæ ſex menſibus coacta, florenorum milia fuere quadringenta, ab Antverpianis, Hollandis, ac Zelandis collata. Quæ à reliquis provenere, vix ea legatis, & ultro citroque commeantibus exactoribus ad mercedem ſatis. Igitur ingentes illi exercitus, Turcarum haud dubiè bello pares, dimittuntur. Adducti à Caſimiro equites, tranſmiſſo Moſâ, impetratoque per hoſticum itinere, domum rediere. Caſimirus aliquantiſper Gandavi hærens, & Arauſionenſi reconciliatus, in Britanniam abijt. Pòſt, nitente Arauſionenſi, nonnullas Gandavi Eccleſias Pontificij recepere: & renovata inter utroſque pax: ſed ſerâ medicinâ, huc provectis Meninenſibus, ut implacabile odium retinerent, ſalubria cuncta aſpernantes. Nec in arduo fuiſſet Johanni Auſtriaco, hoc rerum ſtatu, multum cladis inferre; ni illum, Octobri menſe, fatum rapuiſſet. Quippe alta viro indoles; animi & facundiæ ſatis: nec, pro ætate, (triceſimum circiter annum expleverat) ſcientiam, & artes belli requireres. Partum illi nomen anno ſeptuageſimo poſt mille quingentos, victoriâ adverſum Turcas. Tantæque opinionis erat, ut occultè eum Rex deprimeret, ademtis, ad magna conandum, facultatibus. Gratiâ apud Romanum Pontificem valebat; qui Tuneto loco Regis imponi eum; mox, amiſsâ urbe, Britannico præfici bello, & confecto, regio extolli faſtigio, apud Hiſpanum laboraverat. Sed hic diſſimulato apud Pontificem animo, neque creſcere tantum Auſtriaci potentiam, nec Regum Chriſtiani orbis numerum augeri, ſolus omnium cupidus, patiebatur. Ob hæc Eſcovedum, ſecretorum Auſtriaci participem, clam è medio ſuſtulit, regnorum cupiditates Principi ſuo, ut ſuſpicabatur, injicientem. Neque ipſum Auſtriacum veneno interceptum, ſuſpiciones deſunt: ſive patrante Gertrudis Abbate; qui maximo ſe patriam beneficio affeciſſe jactitaverat: ſeu juſſu Regis: qui, in extremum Europæ angulum ſemotus, & longis adeo ſpatijs diſcretus, ſuam & ſenectutem, & abſentiam contemtui fore, nec ſine cauſſa, verebatur: imprimis Auſtriaco, ſatis oſtentanti, cuncta mediocria infra cogitationes ſuas. Cujus in manu miles, cui vires, ad dejiciendum. Nec latuit Arauſionenſem ita animatus: unde omnibus modis proclinatum urgere animum laboravit: obtulitque per Leoninum (is Auſtriaci miſſu ad Hollandos profectus) ſocietatem & auxilia ſua, ſi pulſo Rege propriam tentaret potentiam. Quæ tametſi haud accepit, conſtat tamen nequaquam ægrè tuliſſe. Viſus nec temere Arauſionenſi fidem in gravi adeo re habere, nec oblata aſpernari. Quippe ſub idem tempus Antonio Perezio, Regi ab arcanis, apertè per literas denuntiavit, neutiquam Belgarum ob præfecturam relictam abs ſe Italiam. Malle aliquot militum millibus, in Galliâ, aut adverſùm Turcas, fortunam experiri, quàm precariò præeſſe Belgis. Fuere, qui adhuc in Italia agitanti ſpem fecerant Britanniâ per inſidias potiundi, ſi militem, velut datâ Patribus fidem impleturus, ſimulato in Hiſpaniam reditu, navibus imponeret, & in tranſitu inopinatos Anglos invaderet. At poſtquã Hiſpanos, jubente Rege, in Longobardiam terreſtri itinere profectos, & ſe lapſum ſpe vidit, impotens ſui animus, prædictis literis auxit Regis ſuſpicionem. Duobus poſt obitum Auſtriaci menſibus, Boſſuvius, exercitui à Patribus præfectus, extinguitur. Andinus ad medium hyemis in limitibus hærens, continenter querebatur, nequaquam in eo, quod conveniſſet, Patres manere, de tradendis Querceto ac Landreceio. Neque enim creditum illi, ſi cordi rem Patres haberent, viribus deſtitui. Tandem offeruntur ei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ Malbodium, Binchium, Bavacum, ac Soigneſium, parvi momenti oppidu-
LXXVIII. la, donec majoribus perſuaderetur. Aulam Machliniæ, ſed abſque præſi-
dio, habere conceſſum. Patiebantur id Machlinienſes, cætera.Principem
haud mutaturos adfirmabant. At ille reliqua ut vilia,Machliniam,quia mi-
litem imponere haud dabatur, aſpernatus, x Kal. Jan. diſceſſum parat,Patri-
buſque ſignificat, *frequentibus ſe literis Regis,fratris ſui,revocari. Quippe,*
eſſe, qui unum ſe in morâ paci Belgarum cum Hiſpano exiſtiment. Quæ ſi mi-
nus procederet, (etenim colloquebantur tunc de pace Belgæ, ut in contextu
operis oſtendemus) *perpetuam in ſe culpæ ſuſpicionem. Cæterum conteſtari,*
longè id procul ab animo ſuo: & Belgis tranquillas, florenteſque adeo res optare,
ut nunquam ſuæ opis egeant. Promtum quoque locorum, quicquid accepiſſet,re-
ſtituere; quo oſtendat, non proprij quæſtus, ſed egregij publici cauſſâ, acceſſiſſe.
Approbatum id induſtriâ ſuâ in ſedandis Patrum ac Meninenſium diſcordijs. At
privato compendio ſervientes duces, quid potius habituros fuiſſe, quàm augere,
turbas, & miſerias Reip. ſuam in potentiam vertere? His prolatis, clauſit
orationem legatus Ducis Eſpruneauſius, hujuſmodi ferè verbis: *Adverti-*
te animum Patres conſcripti, quanta in vos Ducis merita, quàm utilis autoritas
fuerit. Reputate, quo honore à vobis habitus diſcedat. Certè cordi id habebunt
vicini Principes, habebunt gentes: & in exemplum trahent mercedem, pro tantis
beneficiis, & inſperatò, præſtitis. Veſtri commodi, veſtræ ſalutis cauſſa ſollicitè
ejus amicitiam retinete, qui damna (ſi videatur) graviſſima; commoda, nunc
quàm antè majora, afferre vobis poteſt. Videtur ſanè apud Angliæ quoque Re-
ginam queſtus; hinc enim aſperæ illius ad Patres literæ: *Non ſine dolore co-*
gnoviſſe, parcè adeo vicem exſolutam grandibus cognati ſui meritis; neque aut
fortunæ ejus, aut promiſſorum habitam rationem. Poſſe id non ipſum modò aver-
tere, ſed cunctis Principibus cauſſam dare damnandi ingratum adeo animum.
Sibi verò iræ cauſſam juſtiſſimam: differri, & ſpargi in vulgus (ita enim comperiſ-
ſe) ſibi id gratificatos Belgas. Quaſi adeo Galliarum Regis eundem & fratrem
& filium inviſum habeat, ut indignè, nec pro fortunâ, aut meritis habitum eſſe,
lætetur. His moti Patres nihil intentatum reliquere, quod conciliando
Alenzonio eſſe videretur. Offertur ei pro domicilio Aloſtum; adjecto, cæ-
tera graviora eſſe, quàm ut ſine nationum omnium conſenſu, vel autoritate,
ſtatuere Patres auſint: etenim inania, & quæ perficere nequeant, promit-
tenda non putare. Itaque, ut diſcordiæ tollantur, revocandum Duci à Me-
ninenſibus Gallum militem: præſtandum palam utriſque inoffenſum ſacro-
rum exercitium. Hæc ſi faciat, & ante Kalendas Martias anni unde octo-
geſimi pax cum Hiſpano ineatur; apud ſuam quemque nationem operam
daturos, ut Duci potiſſima, poſt Deum, gloria tranquillitatis publicæ tri-
buatur. Et in æternam tanti beneficij memoriam, celebrioribus Antverpiæ
ac Bruxellarum locis, ſtatuas illi poſituros. Adhæc, grati animi teſtimonium,
legationem quotannis (in ea fore ſacrorum Antiſtites duos, nobiles, atque
urbium legatos totidem) ad eum, & maſculam, ſi tolleret, prolem, cum co-
ronâ aureâ rami oleaginei ſpecie, miſſuros, ac munerum alia, pretij non in-
fra florenorum centum millia. Sin irritæ pacis ſpes, æqua omnia rejiciente
Hiſpano, exacto, quod dictum, tempore, publicè Patres abrogato Regi im-
perio, & ſolutis ſacramenti vinculo nationibus, acturos, de offerendo Duci
Belgarum Principatu. Præter hæc ſiquid ultra rogatos Belgas velit, factu-
ros, ne de voluntate eorum dubitet. Sed enim & his conficiendis ſpatio
opus: nec ægrè minus Aloſtani, quàm cæteri, flectebantur. Quamobrem
Alenzonius, Decembri menſe, cum exercitu omni in Galliam proficiſcitur,
redditis, quæ acceperat, oppidulis, Binchio, Malbodio, Bellovaco, & arce
Temnonia. Cambelleſium quoque Gallis præfectum, ſegregare ſe ſuoſ-
que à Meninenſibus juſſit. Nocte, quæ abitum præceſſit, Montenſes, Han-
noniæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

noniæ civitas, Gallorum equitum manum, propinquâ in ſylvâ perſenſere, cIↃ IↃ
qui urbem peterent cunctos detinentem. Quod inſidias interpretati, ci- LXXVIII.
vium ædibus perquiſitis, Gallos urbe ejecere. Id quamvis ægre ferens An-
dinus, condidit tamen iram, maximâque voluntatis ſignificatione magiſtra-
tibus compellatis, diſceſſit. Paullo pôſt compertum Montenſibus, ingen-
tem externi militis turbam in urbe agere; quos convenire ad tympani pul-
ſum juſſos, civitate pepulerunt. Tanta in limitaneis urbibus erat diffiden-
tia. Exemto humanis rebus Auſtriaco, Belgarum præfectura in Alexan-
drum Farneſium, Parmæ Principem, transfertur. Is auſpicante anno poſt cIↃ IↃ
ſeptuageſimum nono, Trajectum ad Moſam circumſedit, & III. Kal. Jul. LXXIX.
ob paucitatem defenſorum, in poteſtatem redegit. Augere numerum ſæ-
pe, & nequidquam Arauſionenſi tentatum, gravatis admittere militem op-
pidanis. Quin & infeſſis jam ab equite hoſtili, quæ ad urbem ferunt, itine-
ribus, præſidij parte levari petiverant. Commodo Geldrorum Hierges dy-
naſta, gentis præfecturâ functus, in obſidio glande ceciderat. Quippe clan-
deſtinæ multorum conſcientiæ innexo non alius hoſti urgendæ victoriæ
utilior. Sed expugnato Trajecto, Joannis Naſſovij, Geldrorum præpoſiti,
curâ effectum, ut omnis ulterior tractus, & quîs primum timebatur, urbes,
validioribus præſidijs firmarentur. Interea dum Trajectum Farneſius pre-
mit, crebri ab Hiſpanis, à Belgis legati, ultro citroque commeabant, quo-
rundam Germaniæ Principum conciliatu de pace Coloniæ Agrippinæ col-
loquentes. Nunquam tamen impetratæ ab Hiſpanis induciæ, manifeſto do-
cumento, parum Regi rem cordi eſſe. Illeque privatim cum Arauſionenſi
tranſigere, eumque magnis pollicitationibus in ſua trahere nitebatur. Bona,
filij & conſcientiæ libertatem, debitorum exſolutionem, ſedem in Belgis,
aut ubicumque gentium vellet, offerebat. Adhæc damnorum privatim in
bello acceptorum penſationem. Et ſiquid inſuper poſceret, habiturum.
Horum nuncius Otho, Comes Swartſenburgicus, Cæſaris idem legatus, per
fidem, per famam ſuam jurabat, quæcumque promitterentur, ſervatum ſan-
ctiſſimè iri. Quod ni perinde ac vitam ſuam, certum haberet, ſilere, quam
committere malle, ut per ſe Arauſionenſis, intimus amicorum, eludatur.
At Princeps, nihil quod privatim ſe ſpectaret, audire reſpondit. Videbat id
Regem agere, ut duce Belgas orbaret. *Omnia ſe ad publicam ſemper utili-*
tatem, ad privatam nihil unquam retuliſſe. Ita ſe Patribus obſtrictum, ut ne
in leviſſimo quidem, excluſis illis, paciſci velit. Cæterum ſi Belgis ſatisfiat; fa-
cilè ſe conditiones accepturum, dummodo nec conſcientiæ, nec honori ſuo adverſas.
Reformatis nihil à Rege præter ſpatium vendundis bonis, concedebatur.
Illo exacto, alias ſedes quærerent. Duriſſima profectò lex, quando tantæ
multitudinis, vix uſpiam locus capax. Quamobrem præterquam quòd va-
nus ſucceſſus, etiam alijs hinc malis origo. Artheſij, Hannonij, Sylvaducis,
& Inſulæ, pulſis Reformatis, ruptâque fœderis reverentiâ, fidem mutavere.
Potiſſima defectionis incitamenta primorum illi, quibus & majores, uno re-
gnante, ſpes, quàm ex patria libertate; & ægris oculis introſpectum Arau-
ſionenſis faſtigium, & multiplicata honorum. Ne quærentibus quidem ob-
tentus defuit: ſumſere, quæ Gandavi in Eccleſiaſticos patrata. Sed ſi verus
is, haud fuiſſet in arduo occurrere. Ictum dein cum Farneſio fœdus, ut Hi-
ſpanos, Italos, & omnem exterum militem Belgicâ exigat; ſive hæc ſpecies
velandis anteactis; ſeu aſtus fuit, cæteris in obſequium Belgis pertrahendis.
Quîs in odia Hiſpani durantibus, facilè admiſere, ut revocarentur. Ita quàm
temere tantam rem moverant, eâdem levitate deficiunt, Arſchotanus, Ha-
vreus, Montignius, Hezæus, Lalænius, Vicecomes Gandavenſis, & Ber-
genſis Marchio: quorum pars jam palam Reformatorum profeſſi ſacra.
Ipſe Philippus Egmondanus, paternum fatum, & Albani ſcelus oblitus, de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXIX. ſerit partes ardentes in vindictam cædis. Statim Arauſionenſis, cum fratre Joanne Naſſovio, advertit, inquietis quorundam mentibus Remp. diſtrahi. Itaque veriti ne, avulſis ſociorum compluribus, cæteri quoque laxato communi vinculo dilaberentur; Geldros, Hollandos, Zelandos, Ultrajectum, Friſiamque artiori fœdere conſtringunt: queis non multò poſt Brabanti, & Flandrorum pars magna, acceſsêre. Inter hæc conſtanter Alenzonius cœpta ſecum perfici urgebat, priuſquam Coloniæ pax conveniret. Patres Artheſiorum & Hannoniorum defectione ſemet excuſabant. *Seu pax ſeu bellum haberetur, nihilominus ſuam ei gratiam relaturos. Irritâ pace, faciliùs deſtinata Duci proventura. Quippe fixum ſibi, publico edicto Regi principatum adimere.* Eâdem tempeſtate Inchius, Cameraco impoſitus, ut, dilapſis in hoſtilia Artheſijs Hannonijſque, excluſum ſe à cæteris videt, ſolus colloquium cum Alenzonio orditur, contra Arauſionenſis, & Patrum conſilia, qui non ante cuiquam paciſcendum cum Andino cenſuerant, quàm communi totius Belgicæ conſenſu, principatus ei offerretur. Inchius pactus eſt, ut Belgarum reliquis ſub imperium Ducis venientibus, ipſe eâdem in cauſſâ eſſet. His conditionibus Gallicum accipit præſidium. Diverſâ in parte Georgius Lalænius, Comes Rennæbergius, impellentibus, qui deſciverant, propinquis, exutâ fide ad hoſtes tranſit. Jam obſeſſo Trajecto cum Parmenſi egerat, de traducendis in obſequium Regis, quæ Præfecti titulo tenebat. Nec tamen præter Groningam, tradere ullam civitatem potuit. Groningæ vetus cum Omlandis certamen: quod ille ſuum in commodum vertens, occultò alere ſimultates, ſpargere diſſidia non ante amborum perniciem deſtitit. In urbium cæteris ſpe cecidit, prudentiâ Arauſionenſis, qui Campos ipſe contenderat. Fuere, nec è vulgo, qui crederent, Rennæbergium, Pontificium licet, nunquam à Patribus deſciturum fuiſſe, niſi improvida quorundam apud Friſios acta aſperaſſent animum haudquaquam noſtris alienum. Etenim hactenus, nullo reſpectu veniæ, auſa illi cuncta, quæ in Majeſtatis crimen Rex acciperet. Ejecerat Campis Daventriâque præſidium illius: Reformatis, urbium poſtulato, publicè ſacrorum exercitium conceſſerat. Idem Friſios, ut arctiori ſe vinculo ſocijs innecterent, impulerat. Denique pulſo Præſide Regio, abdicato Senatu, novos ipſe ſurrogârat. Pari ratione Pontus Noielles, Burſæ toparcha, & Machliniæ præpoſitus, qui proditâ Antverpiâ graviter adeo Regem offenderat, compulsâ ad defectionem Machliniâ, in partes ejus tranſit: novo beneficio veteris delicti veniam, ut rebatur, impetraturus: ſed vanâ nimium ſpe. Nondum recepto hoſtili præſidio, dum adhuc miſcet cum Parmenſi conſilia de prodendâ urbe, ſedulò eum Matthias Archidux, ſedulò Patres ad ſaniora flectere laboraverant: promiſſo, nec præſidio ſe, nec poſtulando Reformatis ſacrorum uſu, graves illi fore. Sed ille, quamvis arroganter cuncta ſpernens, tamen adverſariorum in urbe factionis ſuſpicionem non effugit, quos Petrus quidam, vitæ à mundi conſortio ſegregatæ, ut lubitum agebat, trahebatque. Hic mobilitatem Ponti veritus, ut pridem Antverpiæ expertam, urbe eum pellit. Traditur alteri imperium, ipſe in caſtris hoſtium agitans, paullò poſt ad Tornacum extinguitur. Crebræ hæ defectiones, quas Pontificiorum impulſu accidiſſe nullus ambigebat, cæteros deſperatæ apud Regem veniæ, Alenzonij repræſentare dilectionem compulerunt. Multa hîc adverſa, plerique contrà tendere, & omnibus modis obniti: adeo nullâ novandi cupidine vocatus Alenzonius. Quippe Pontificij immobiles favoris in Hiſpanum: Reformati, toties ab his eluſi, haud injuriâ Principi, diverſum in religione ſentienti, ſe ſuaque committere formidabant. Præſertim Andino, illo genere, illâ matre oriundo, quæ dolo, vi, ingentem Chriſtianorum perdiderat multitudinem. Cunctis in oculis Pariſina cædes eſſe.

Alenzo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXIX.

Alenzonium tamen, valde id temporis adoleſcentem, purgatum quiſque, nec pauci laudatum ibant: quòd primus ille aliquam ſaltem reſpirandi occaſionem Reformatis dediſſet: quòd in conſilio, & privatim domi, haud paucos ejuſdem ſententiæ toleraret. Simul occurrebant pericula principem exterum, peregrinos incolas, ſequi ſolita. Maximè verò omnes uno ore Paſtores intonabant, *interdicta Numinis mandato fœdera cum ſimulacra & humanâ arte factas imagines venerantibus.* Adversùm hos, graves in ſacro ſtudio viri, *non omnibus id gentibus præceptum à Numine*, diſſerebant. *Solum Iſraëlem cum Cananæis pacem aut fœdus inire vetitos: quippe perniciem genti, terras Iudæis à Numine deſtinatas. neque contactu Cananæorum aut commerciјs attaminari populum ſuum voluiſſe. At ſanè cum Aſſyriјs, cum Ægyptiis, cum Tyri regibus, aliјſque gentibus, pacem ſæpenumero feciſſe.* Dictitare etiam Arauſionenſis, *ſibi quamvis ſacro in ſtudio haud exercito, occurrere tamen exempla fœderum inter Pontificios ac Reformatos: neque unquam illis ſacri ordinis homines offenſos. Germaniæ Principes conſenſiſſe in Pontificiј Cæſaris electionem, ejuſque imperio ſubjectos. Eâdem ratione cunctas Romani Imperiј gentes ſocietate initâ, nec conſiderato, diſſentiretne quis circa ſacra, in bellum adverſum Turcas conjuraſſe. Sic Helvetios, mixtum genus ex Reformatis ac Romanenſibus, juramento ſemet ad defenſionem patriæ libertatis adſtringere. Sic Scotiæ Regem antiquum cum Gallis fœdus, licet Rege nunc ad alias in ſacris opiniones tranſgreſſo, renovaſſe. Sic nec Auguſtanos Germaniæ Principes gravatos, Gallorum Regem, quamvis diverſa in religione credentem, adverſus Carolum Quintum ad auxilium vocare. Quin & varios Chriſtiani orbis Principes, & Epidaurum, liberam civitatem, Turcarum ſe in clientelam dediſſe. Genevenſibus contra Sabaudum à Galliarum Rege ſubventum.* Sed vana hæc apud pervicaces propoſiti, ni extrema neceſſitas, & atrociorum formido, cætera in levi poſuiſſet. Agitabatur inſtar fluctuantis ſine gubernaculo navis Reſpublica. Ad ſalutem & dux, & via deerat. ac neceſſariò ſubeundum Hiſpani jugum, vel externa auxilia arceſſenda. Igitur potius viſum ad imperia Gallorum, licet ſuſpecta, ac periculoſa, deflectere; quàm truculentam Hiſpanorum dominationem experiri. Haud ſecus quàm perdicem ferunt hominis in manus, quàm falconis ungues, incidere malle. Apud Hiſpanos nihil præter ultionem aſperati defectione Regis: in Alenzonio aliquid tamen ſpei, oppreſſorum Belgarum fidem adverſum ſe reputantem, qui ejus ſe arbitrio permitterent, honore tanto cumularent, daturum operam penſandis beneficiјs, firmandoque recenti principatui. Imprimis Flandri bello præ cæteris afflicti, & tranſgreſſis in hoſtilia nationibus proximi, celerari, & illico mitti ad Alenzonium legatos poſtulabant. Itaque ſegnius conſulentibus reliquis, nonnullos è ſuis præmiſere, cæterum voluntate ſociorum. Idem mox Brabanti, Hollandi, Zelandi, Friſiјque, velut Groningæ defectione ſtimulati, decernunt. Tranſiſalani nunquam, ſeriùs Geldri atque Ultrajectini ſociorum exemplum ſecuti. Obſtabant primùm nonnulla, quæ, ut levia, tranſmiſere, permoti bello, quod, proditâ Groningâ, acriùs multò trans Rhenum exarſerat. Certè adeo tum acciſas turbataſque Belgarum res fuiſſe conſtat, ut de inſtaurandis, niſi Galli ſuccurrerent, prudentior quiſque deſperaret: neque enim præter hos ulla in gente quidquam ſpei vel auxiliј. Nationum aliæ nihil vectigalium in commune conferebant; aliæ ut tardè, ita nec integra. Miles ſtipendii exſors, agreſtibus gravis, &, ut ferme ex licentia luxus, ſolito haud contentus victu, eoſdem vina, ceteviſiam craſſiorem, & quæ alia aut neſciunt ruricolæ, aut inſuper habent, ex vicinis oppidis comportare coactos, argento præterea multabat. nec ſtetit hic petulantia, etiam pecudes abigebantur. Conſtat idem ſæpe jumentum quater quinquies ab eodem ruſtico redemtum, prout ab alio atque alio raptum erat.

Et ta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↄ Iↄ LXXIX. Et tametſi præda longe ſupra ſtipendii pretium, tamen ſi vaſis conclamatis caſtra moturos pronunciaretur, pecunias flagitabant: quæ quia deerant, nec ab illis damni quidquam hoſtibus, nec publico utilitas. Quin corruptis agris, vaſtatis terris, gravia detrimenta. De Patribus plebes, de militaribus præfectis Patres queri: hi ſe milite, diſciplinam ob non ſoluta ſtipendia aſpernante, excuſare. Clam interea læti, dari hujuſmodi obtentum; quippe prædæ & ipſi participes. Erantque in Patribus, qui ſolvenda militi ad diem ſtipendia haud caperent. Hi petulantem, & ſeditioſum militem increpitare, qui propoſito pugnandi ſigno, æs flagitaret. Rebantur, Principum complures, quamvis non exactè numeratis ſtato tempore ſtipendijs, habuiſſe tamen dicto audientem exercitum. Contrà, ſe ut novos imperandi, ut è plebe lectos, deſpectui, nec eâ autoritate eſſe, quâ, qui ſinguli regnarent. Satis tamen exactorum temporum exempla evincunt, frequens imperatoribus, frequens regibus malum, ſeditiones militares, dilatis ſtipendijs. Et parum ipſi Romani in civibus ſuis opis aut utilitatis repererunt, non dato ære. Igitur ut citiùs Patres terras corrumpi, quàm militem mollis inter agreſtes vitæ pertæſum eſt, conſultavere de cogendis pecunijs. Tum verò Geldri, Ultrajectini, Friſij, & Tranſiſalani, exhauſti, ut vix quidquam conferre poſſent, graviſſimos queſtus ciere, non ſatis agrorum vaſtitatem eſſe, pecunias inſuper flagitari. Collaturos tamen, ſi miles agris deducatur. Patres exhibendum priùs æs contendere, quo obſequentem in hoſtes militem ducant. Joannes Naſſovius ſedulò niti, ut abductus ex agris in oppida miles diſtribueretur. Addebatque, promtè æs daturos ruricolas, quippe vix tertiam hanc partem prædæ, quæ alioqui extorqueretur. Simul omnium utilitatibus conſuli; agreſtibus oneris levamentum, quæſtum urbibus (etenim in his ſtipendia militem prodacturum) Patribus parentem exercitum fore. Sed urbes militum laſciviâ, aut viſâ, aut ab alijs compertâ, territæ, adduci nequibant, ut militem, ante ſoluta ſtipendia, & reductam diſciplinam, admitterent. Quorum vaſtati agri erant, petendam ab Hollandis ac Zelandis pecuniam dictitare; nullum illis onus, immunes agros, naves, mercaturam, cuncta libera. Contrà Hollandi jacere, nec pro aliis ſe, nec ſolos gerundo bello pares. His & talibus contentionibus agitatâ perpetuò Rep. non injuriâ magiſtratus, parum aut conſuli, aut conferri in commune, querebantur. Sed maximè omnium exitiabile, exercitus (erant in eo centuriæ quadraginta & una ſupra ducentas, turmæ undetriginta) major quàm proventus ferrent, licet vectigalibus, & quæcumque ſolvenda, cum fide appenſis. Hinc nova moles, non auſis, hoſtium metu, Patribus, diminuere copias, quæ, deficientibus ſtipendijs, quamvis maximæ, nihil proderant. Interea exhauriri ab hoſte, à domeſtico milite, afflictæ nationes: & pro uno hoſte, jam gemini. Diſpreta paſſim autoritas Patrum, ut apud exſortem ſtipendii militem, ita indefenſos cives, ac ruricolas. Militi, laxatâ diſciplinâ, quidvis licere apud duces, tanquam & ipſos vitæ diſſolutæ, & malo militibus exemplo. Quin non aliam in bello vitam, ut in cœnobijs ſanctimoniam, decere exiſtimabant. Ne jus quidem, ut bello ſolitum, priſtino vigore manſit. Quo rerum ſtatu, quicumque in Hiſpanum proni, ſimul caſus obvenit de Patrum imperio querendi, movere ubique odia, quemque ab obſequio dehortari, & verbis miſerari conclamatas Belgarum res; cæterum turbare, miſcere omnia, quæ Hiſpano ex uſu videbantur, non intermiſere. Præ cæteris hoc obtentu Geldriæ dynaſtæ, agreſtium bellum accenderunt: & cùm parum cœptis ſucceſſiſſet, cæſis ab Hohenloio, qui exciti erant, ruſticis, Stirumenſes & Bronchorſtiani palam ad Regem deficiunt. Secutus mox exemplum Jacobus Batenburgicus, toparcha Anholdius, licet, Genevæ actâ in ſtudijs adoleſcentiâ, Reformatorum ſacris imbutus. Denique rerum illa facies erat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

erat, ut Parmenſi, ſi trans Rhenum miſiſſet exercitum, aut acceſſiſſet ipſe, cIↄ Iↄ
omnem hunc vaſtare tractum, in arduo nequaquam fuerit. Sed ille in Bra- LXXIX.
bantiâ Flandriâque verti potiſſima belli cupiens, primò Rennæbergium, mox Verdugum, ſolis præfecturæ ſuæ proventibus ducere bellum juſſit. Miſit ſubinde æris, ac militis aliquantum. Sed leve id auxilium tentandis novis, aut perſequendis victorijs; quales ſæpe oppugnationibus, aperto Marte, ut in campo Hardenbergenſi, ad Northornam, Bourtangam, Lochemum adepti erant. Unde miraculo vicinis gentibus eſſe, tot cladibus fractos Belgas, ſua defendere: hoſtem tot partis victorijs, parum adeò promovere: cùm ſolæ in morâ turbæ eſſent, quo minùs infirmum hoſtem Patres debellarent. Lento interea bello miſeri agreſtes utrimque atterebantur. Vaſtati tractus integri, latiſſimè vacantes agri, incenſi pagi, direptæ urbes. Dux Patribus deerat. Etenim Arauſionenſem publici cura, nunc in Flandriâ Brabantiâque, modò trans Rhenum attinebat. Suberat etiam metus, ne ad exercitum profectum, diſſolutus miles comprehenderet, abductoque, debita extorqueret ſtipendia. Ob hæc Philippo Hohenloio univerſa belli moles incumbebat: cujus fratri ducta in matrimonium ſoror Arauſionenſis. Ipſi vaſtus ac intrepidus animus, in vultu decora majeſtas: ſed belli nec uſus, nec diſcendi cupido: nihil prudentiæ, & ingenita ſecuritas omnium: vinolentiæ ac libidinum indomitus & immodicus adeo, ut ſæpe, quæ gerendis rebus tempora indixerat, libidinibus intentus ttanſmitteret. Exemplum ducis ſequebantur Tribuni, centuriones, militumque præfecti cæteri. Quorum ut quiſque flagitijs, perjurijs maximè notabilis, tanto & virtute præſtabilior habebatur. Pietas, & morum integritas irriſui, & pro ignavia erant. Nec in arduo fuiſſet meliorem Hohenlojo ducem reperire; ſed præferebat Arauſionenſis, quem flectere conſilijs ſuis ſperaret; non temerè exteri Principis denuo periculum facturus, tanquam memor Caſimiri. Hæc malorum tam vaſta moles, vocare Alenzonium adegit. Ut non tam Belgarum in eo fiducia aut caritas, quàm pejorum formido, & Hiſpani odium,
cauſſam dilectioni dederint. Igitur anno poſt mille quingentos octogeſi- cIↄ Iↄ
mo, Auguſto menſe, Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiorum- LXXX.
que legati conditiones in Galliam ad Ducem tulere. Quibus ille cum gaudio exceptis, inter cæteras voluntatis ſignificationes, ſeque, omniaque ſua, Belgarum ſaluti impendere velle affirmavit. Jura & leges inviolatas; imperium ſuum tale fore, ut patrem, quàm dominum, magis experiantur ſubditi. Et ne vanus promittendi videretur, naves armat intercipiendæ claſſi Indicæ, ac liberandæ Hiſpanorum jugo Luſitaniæ. Ita IV millia Gallorum coacta, conſcio Rege, ut legati rebantur: ipſe diſſimulabat. Cuncta ſub nomine Alenzonij, cui & arbitrium belli, & an pacem cum Navarreno, ac Reformatis faceret, à Rege conceſſum. Octo dies à legatis, ac conſilio Ducis diſceptatum. nam conditionum alias, ut aſperiores; alias, ut ambiguas & obſcuras arguebant. Poſtquam convenit, legati ut ſubſcriberent rogati, priuſquam facerent, à Rege poſtulavere, ut Hiſpanum, & quicumque in partibus ejus, hoſtes palam judicaret, terrâ, mari perſequeretur. Eamque ob cauſſam Belgæ æterno cum Gallis fœdere jungerentur, communi conſilio belligerarent, neque jugum Belgis imponere tentarent Galli. Adverſum ea illi, nec ſperandum talia à Rege promiſſa; nec, niſi ſignatis conditionibus, honeſtè proponi dictitabant. Videri legatos Regis tentare animum velle, ipſos nec juramento, nec ullo vinculo adſtrictos. Ita ſubſcripſere conditionibus; cæterum pacti, ut protinus poſtulatis Rex annueret. Recepitque Dux ipſe, operam ſe daturum. Quippe non ſua minùs, quam Belgarum intereſſe. Conditiones quîs collatum Duci imperium, priſcis pactionibus Belgarum cum Principibus ſuis haud abſimiles fuere. *Leges ſanctas & inte-*

cIↄ Iↄ *meratas fore. Tributa, niſi Patrum voluntate, haud imperanda. Quotannis*
LXXX. *tranſigendum Fœderatorum Patrum conventum. Senatum ex indigenis, quos*
urbes nominaſſent, legendum. In eo Gallis duobus, qui Patribus viderentur, lo-
cum fore. Dignitatum, in aulâ Ducis, potiſſimas, Belgis; minores, pro arbitrio
ejus, collocandas. Nobilium tamen pleroſque indigenas fore. Præfecturas, &
honorum alia, congereret dilecto ex triplici numero, ab eadem gente commendato.
Religionem, & quæ de tolerandis in ea diverſis opinionibus decreta, præſenti ſta-
tu ſervanda: aut ut cujuſque gentis Proceres deinceps conſtituiſſent. Hollandiæ
Zelandiæque ſtatum, maximè quantum ad ſacra, non mutandum. Rem mone-
tæ, belli, vectigalium ac tributorum, denique & arbitrium privilegiorum nationi-
bus aut oppidis conceſſorum, Ducis in manu fore. Illi enitendum, ut à fratre au-
xilia impetret contra Hiſpanum, & hoſtes alios. Quater & vicies centena flore-
norum millia (exemtâ re fiſcali) ex proventibus Belgarum quotannis Ducem ha-
biturum: cætera ei de ſuo, ac fratris opibus ſupplenda. Exercitui ducem, conſul-
tis Patribus, præficiendum: Gallo militi, qui ijſdem haud diſpliceret. Ne urbes
quidem ullas, invitis Patribus, Gallico, exterove muniendas præſidio. Pacem
cum Hiſpano nequaquam faciendam, niſi Patres voluerint. In hæc jurandum
illi: & ſi limites poteſtatis uſpiam exiviſſet, ſolutum Belgis fore alium, quemcum-
que voluerint, Principem quærere. Quæ ut Fœderatis Patribus nuntiata,
x Kal. Januar. anni LXXX per codicillos poteſtatem legatis fecere Ducis in
ea juſiurandum accipiendi, & Belgarum nomine dicendi. Addito, ut priuſ-
quam juraretur, certum haberent, Regem poſtulata facturum. Cujus rei te-
ſtimonium fuit exemplum literarum Regis, quod per omnia congruere au-
tographo, propriâ manu & ſigno teſtatus eſt Alenzonius. Verba literarum
fuere: *Cum non minus te ipſo, frater, fortunæ, & faſtigio tuo addictum me frater-*
nus amor reddiderit; promittere hac epiſtola volui, auxilio tibi me pro viribus
fore: Et in fœdus ac ſocietatem Belgarum, quibuſcum tibi nunc res eſt, ventu-
rum, ut petijſti, ſimulac principatum tibi traditum cognôro. Interea hanc Dei
adverſum nos fore clementiam ſperamus, ut regni motus componere det. Quod
ſupplex rogo, utque te potentia ſua incolumem ſervet. Blæſis, VII. Kal. Ianuar.
MDLXXX. His literis, etſi non quæ petebantur Rex promitteret, tamen
quia, obſeſſo Cameraco, intempeſtivum verbis diſceptare, acquievere lega-
ti, eâ lege, ut, ſi ita Patres cenſuiſſent, certiora à fratre promiſſa Dux exige-
ret. Compertum dein Hollandiæ Zelandiæque legatos, à quibus, dum re-
liqui aderant, eadem in verba juratum, recepiſſe à Duce codicillos, quîs
ſummo in eos imperio renuntiabat: & ei quorundam modò arbitrium, cæ-
tera in manu Arauſionenſis fore; cui paullo ante datum in eas gentes jus im-
perandi, quale Principibus fuerat, ſummi magiſtratus nomine. Id quia igna-
ris reliquis actum, compluribus malis, ac diffidendi cauſam præbuit. Adje-
cIↄ Iↄ cit poſtremò Alenzonius, ſummùm ſe exeunte Aprili, anni LXXXI, cum ſuis,
LXXXI. & impetratis à fratre copijs, in Belgicam venturum. Sed varijs impeditus,
menſe demum Auguſto veniens, Cameracum obſidio, Camerasium arcem
hoſtibus eripit. Cæterum, cum voluntarij nobiles, regiæque turmæ, quæ
pars major exercitus, interiora Belgarum petere recuſarent, in Galliam, in-
certum an alijs quoque de cauſſis, revertitur. Mox in Angliam profectus
Reginæ matrimonium ambit. Cujus mira in eum comitas, & promti etiam
in cubiculum aditus. Quîs motus, qui tum Londini agitabat, Aldegon-
dius, jam haud dubiè decretum matrimonium Patribus ſignificavit: adeo
exultantibus ad nuncium Belgis, ut pleriſque in urbibus campani æris ſoni-
tu, alijſque indiciis gaudium ſuum teſtarentur. Ibantque rumores, miran-
tibus Anglorum nonnullis, tam informem hominem placere Reginæ po-
tuiſſe; dixiſſe eam, *ut non ætatem ſuam Alenzonius, ita nec ſe formam ejus de-*
ſpicere. Viro docto ejuſmodi nuptias divino mandato interdictas libello diſ-
ſerenti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXXI.

ſerenti, amputari dexteram juſſit. Nec tamen eo magis proceſſit, & utrimque ſimulatum exitus oſtendit. Aldegondium ſane præproperæ ſcriptionis ipſa arguit Regina. Et amicorum fidiſſimis referebat poſtea Liceſtrius, meditatum per id tempus Andino, Britanniam cum Gallorum millibus aliquot invadere. Equidem haud præterierim, quod eodem tempore, quo Principum hæc mutatio in Belgis facta, univerſam eam terræmotus concuſſit, ut violentiæ haudquaquam comparandus motibus in Italia, montaniſque locis fieri ſolitis, ita tamen à quoque perſenſus. Inter hæc Matthias Auſtriacus, ſimulatque de vocando Alenzonio agi intelligit, diſceſſum parat: jamdudum hortante Cæſare, dum ægrè latum Hiſpano adventum ejus advertit. Igitur anno poſt octogeſimum primo, menſe Octobri, Auſtriam repetit, comiter ſalutatis Patribus, & honorâ nominis ſui famâ relictâ: quippe & pacis cupidus, & facilis in admittendis aliorum conſilijs fuerat; patris, hâc parte, ingenium retinens. Adeo ut nequaquam deſerturi eum fuerint Patres, ni Cæſar, Hiſpani metu, ſpem omnem auxilij præſcidiſſet. Notabatur, Croyum genus, ac procerum alios, qui ſuâ, non Patrum ſponte, eum acciverant, quò celſiore faſtigio Arauſionenſis famâ obſcurior eſſet, primos omnium eum deſtituiſſe: ac Hannonia Artheſiâque deficientibus, ad Regem tranſgreſſos. Apud Belgas, dum de novo Principe conſultatur, priuſquam ad finem votorum pervenire eſſet, variæ clades acceptæ, aſtu hinc illinc captis, direptis, aut proditis urbibus. Intervenere & prælia, ac velitationes, quæ cuncta expedire viſum, antequam ad Alenzonium pergamus. Deficiens Groninga Omlandos, Friſios, Drenthanos, Tranſiſalanos, ac Geldros gravi & diuturno bello implicuerat. Obſidebatur Groningæ incluſus poſt defectionem Rennæbergius; jam felicem exitum cuncta pollicebantur, & paratos colloquio oppidanos fidi nuncij, interceptæque literæ adſtruebant. Hohenlojo tamen, quamvis his compertis, tantum temeritatis potiùs, quàm audaciæ dixerim, ut ſimulatque Martinum Schenckium, trajecto Rheno, ſubſidio venire obſeſſis intellexit, paucis ad defenſionem caſtrorum militibus relictis, hoſti novem millium itinere in occurſum proficiſceretur. Schenckius expeditionem hanc ſuſceperat, dum majores duces famæ periculum facere abnuunt, ob parvam proſperi eventus ſpem. Sexcentos equites habebat, peditum terna millia, ſcripta privato ære exulantium Friſia Pontificiorũ, quis integer pro Rege animus. Igitur Hohenlojus univerſam rem in prælii ancipitis caſum dedit. Impulerat huc maximè Matiſlous, inſignis perfidiæ, cui patruus pollens opibus, & Cæſari à conſilijs. Ipſe ob animi vim magnâ apud Hohenlojum gratiâ, ſummiſſas ab hoſte pecunias profusè, nec pro ſorte ſua erogabat. Paucis priuſquam caſtra ſolverentur diebus, Germanus nuncius ex urbe interceptus, inauditus atque indefenſus, unius ad lubitum Matiſloi ſublatus in patibulum erat. Exceptæque à divini verbi miniſtro querimoniæ ejus, quîs nullius culpæ conſcium, ſed ſola Matiſloi, fidiſſimi nobilium Hohenloij, mandata exſecutum referebat. Paſtor miſeratione commotus, ſedulo innocentiam hominis demonſtrare Hohenloio nitebatur. Sed priuſquam audiretur, jam extinctus Germanus erat. Ob hæc fremente militum vulgo, Matiſlous aliâ in ſpeciem cauſsâ quæſita, à Comite diſceſſerat, primoque ad aulam Cæſaris, hinc Madritum profectus; impetravit à Rege ad Hohenloium literas. Quîs honoris primùm verbis virtutem ejus extollens, mirari ſe dictitabat, *pro malâ adeo cauſsâ, egeno Principe arma illum cepiſſe. Cujus ſtare ulterius res nequirent, quam donec ſuas in eum vires vertere libuiſſet. Intelligere unum illi incitamentum huc eſſe amorem in filiam Arauſionenſis. Se verò hanc ei cum univerſis facultatibus in matrimonium daturam, dummodo, ut Romani Imperij Comitem par eſſet, ab hoc bello abſtineret. Neque enim generoſam adeo indolem*

CIↃ IↃ LXXXI. *ſollicitare audere, ut ſtipendia ſua faciat.* Hohenloius lectam epiſtolam Patribus offert: ipſe, irâ inflammatus, parum ab exitio tabellarij aberat, ni illum à propriâ matre miſſum, hanc, ignaram argumenti, accepiſſe literas ab ipſo Matiſloo cognoviſſet. Igitur ex illo, intellecta Matiſloi perfidiâ, ſedulo in eum, ſed incaſſum, inquiri juſſit. Erat inter ſolvendæ obſidionis autores Ludovicus Rumpius, turmæ equitum præfectus: provectæ ætatis, & collecto varijs expeditionibus nomine, proſperâque apud equites famâ, & gratiâ. Is invitos inſtigare, hoſti potius, quam fami opponendos clamitans, cum, motis caſtris, præ copiâ paſſim panes muceſcerent. His, & talibus conſultoribus, dein ſuopte quoque motu pronus ad decertandum Hohenloius, infelici prælio in Hardenbergenſi campo conflixit. Cladem ſecuta Covordæ, Delfſilæ, aliorumque in Omlandis caſtellorum deditio. Swolla proditione propemodum amiſſa, & ſumma rei, liberata obſidione Groninga. Rennæbergius, hactenus obſeſſus, educere jam copias, & premere paullò ante laceſſentes parat. Collecta è Geldris, qui deſciverant, legio. Cæterum illa bis Rheni tranſitu prohibita, bis à Fœderatis, ad Veſaliam primò, mox ad Noveſium cæſa, neceſſario tempore jungere ſe Rennæbergio nequivit: quæ res impetum victoris repreſſit. Huic ſe legioni palam Anholdius Dynaſta junxerat. Quod ubi Geldriæ Senatui compertum, Anholtum urbem arcemque occupare Hegemannum militarem præfectum jubent. Ille inſidijs compoſitis oppidum præſidio deſtitutum capit, nihil hoſtile tentantibus civibus, unde primo ab injurijs temperatum. Id ubi Dynaſtæ parens, gravis ſenio vir, occultè Arnhemo reſcivit, colloquitur cum Hegemanno, ut acceptâ Brefurto, & momenti, & virium majorum urbe, Anholtum redderet, quippe hoc in Imperij ſolo ſitum. Scriptis, & utrimque ſigno firmatis conditionibus, ſenex literas Hegemanno tradit, juſſa continentes, ut urbe ſui excederent. Hegemannus cum literis, & miniſtris aliquot Anholtinis, Brefurtum pergit, mandata perlaturus. Militem Anholti relinquit. Simul digreſſus eſt, ſenex Rheſam, Cliviorum urbem, petit, & hoſtilem militem per poſticum arcis inducit. Hegemannus, Brefurtum veniens, oppido prohibetur. Ita fœde eluſus Anholtum redit, urbemque (nam ſine arce teneri nequibat) populatus, abit. Vix diſceſſerat, cum hoſtes ex arce erumpentes, quicquid ſupererat prædæ diripiunt. Ita utriſque miſeri cives in prædam ceſſere: fato bellorum, quo plerumque medii inter decertantes affliguntur. His geſtis, nova Geldrorum legio Rhenum tranſmittit: & junior Dynaſta Anholdius, Brefurto, & Anholto validiore præſidio firmatis, multa in Bergenſem hoſtilia tentat. Grollam capit; præſidio vacuam, ſive quia Hohenloio, penes quem ſumma rerum, non ſatis militum cunctis firmandis; ſive teneri non poſſe, aut (quod alijs traditum) quæ teneretur, indignam judicaverat. Sed accuratius poſtea vires urbis Mauritius perſpexit, quum anno poſt nonageſimum quinto, dein & ſeptimo, obſidione eam cinxit. Eodem tempore, quo Geldrorum legio, cæſis CL militibus, Rheni tranſitu prohibita, ſimul interceptæ Hiſpaniarum Regis ad Anholdium literæ, poſtrid. Kal. Februar. anni octogeſimi ſcriptæ. Mandata Regis continebantur, de cogendis peditum centurijs duabus. Anholdius tamen juſſa diſſimulans, poſt quoque Geldrię Patrum conventibus interfuit, omnium de Rep. conſiliorum particeps: primoque ea occultis artibus turbaturus, mox, emanante dolo, vi apertâ. Præter cætera Geldris mala incommodus Joannis Naſſovij abitus acceſſit. Qui defuncta conjuge, & neglectis in Germania ſuis rebus dum Belgicæ vacat; dein ne Germanorum Principum cavillationes provocaret, quîs deferri Alenzonio principatum diſplicebat, præfectura ſemet abdicavit. Surrogatur ei, magno partium ſtudio, Guilhelmus Bergenſis Comes, cui non prudentia, neque ſi fuiſſet hæc, voluntas Remp. tantis

motibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ LXXXI.

motibus jactatam dirigendi. Mirum Zutphanienſes, immemores quâ levitate anno poſt ſeptuageſimum ſecundo & urbem & omnem ditionem eorum dimiſiſſet, commendatione inſuper ſuâ eum dignatos: frigidè adeo laudante affine Arauſionenſi, (nam illius ſoror Bergio nupta) cui introſpecti mores & indoles erant; ut ne prudentibus quidem, quamvis humilis loci viris, ſatis factura fuerit commendatio, cujus hæc maximè verba: *Petivit*, inquit, *affinis commendationem noſtram in petendâ Geldriæ præfecturâ, & ſimul magnum ardorem ad tutandas Belgarum res oſtentavit. Equidem vellem, ante id factum; ſed ſerò, quam nunquam, præſtat.* Vile teſtimonium, & rectâ æſtimatione plus vituperij, quam laudis continens, facilè impulit non alium præfectum cupientes. Nonnullos, quia donis & magnis corrupti pollicitationibus: alios, ut imperito Præfecto nomen, penes ipſos vis imperij eſſet. Denique erant, qui hoc rectore facilius pacem cum Hiſpano proceſſuram ſperarent, quam ſi Naſſoviorum quiſquam præeſſet. Arnhemenſes Guilhelmum Ludovicum, Joannis Naſſovij filium fovebant. Unde veritus Bergenſis, ne cæteris, licet pluribus, haud cederent, ac pervicacius in ſententia durarent (contra tamen ab ijs caritate quietis publicæ factum) palam, ut magiſtratum ingredientibus moris eſt, aut ſolennibus cærimonijs auſpicari præfecturam non auſus, oblatâ fortè occaſione, cum viduâ Palatini Electoris, quæ Rheno flumine Hollandiam petebat, ſub veſperum, denſis tenebris, nec ulli cognitus ad urbem venit. & patefactis, honore Palatinæ, portis, ſimul ingreſſus, poſtea demum adgnoſcendum ſe præbuit. Inſecutæ haud multo pòſt turbæ. Venloniani, non procedentibus ſtipendiis, præſidiarios ejecere. Quîs impoſitus dynaſta Hogeſaxius, ne prorſus dilaberentur, aſtu, vi, Geldram deduxit. Hic reliquis juncti, & multitudinem vireſque ſuas circumſpectantes, magno Reip. diſcrimine turbas ordiuntur. Multis enim æs debebatur. Id modò in magno periculo commodi, quod nullam in poteſtate urbem haberent. At hoſtis occaſionem machinandis proditionibus opportunam ratus, è nobilitate eminentiſſimum quemque ad defectionem permovet, quîs pridem captis adverſus Regem armis, novo ex merito ſpes veniæ. Ille petentibus lubens dedit; ſimul permiſſum ad tempus manere in partibus Fœderatorum, donec proditâ Venlonâ majore pretio transfugerent: ut compertum ex interceptis præfecti Ruræmondani literis. Arauſionenſis per id tempus Gandavi retinebatur, poſt fratris diſceſſum unicum totius Reip. columen ac ſuſtentaculum. Commodùm ei tum aderat Everardus Reidanus, feudorum Geldriæ ſcriba. Hunc maturatis itineribus Venlonam Geldramque petere jubet, ubi militum ſcelere proximus exitio fuit. Cæterùm ſummo Hogeſaxij ſtudio omnes citerioris Geldriæ civitates per quadriennium retentæ. Idem eâ tempeſtate Martinum Schenckium Veteribus, Cliviorum oppido, illuſtri die captivum abduxit, perculſis repentino acceſſu civibus, & quia atrociora verebantur, tentare nihil auſis. Schenckio, occultæ multorum conſcientiæ in Geldria implicito, dare malum, niſi captivitas interveniſſet, in arduo nequaquam fuiſſet. Sed in Friſiam ut revertamur, Hohenloius, curâ Patrum Hollandiæ, conquiſitis ex Hollandia, Brabantiâ, alijſque locis, militibus, acceptum detrimentum ita ſarciverat, ut Rennæbergio obviam iteratò iret. Qui aciem non auſus, recepit ſe intra tormenta Groninganorum. Inſequitur Hohenloius, & ſpes bona erat, ſi morari ijs locis licuiſſet; ſed invalidis copijs, flectit iter Covordam, eamque in poteſtatem redigit. Ibi Guilhelmus Ludovicus, Comes Naſſovius, campeſtris machinæ globo vulneratus, penè crus alterum in adoleſcentiâ (quippe nondum viceſimus ei ætatis annus exactus) amiſerat: ſane periculum erat, ne reſecari neceſſum foret: verùm receptâ brevi valetudine, à Deo immortali ad majora, quæ poſtea pro Belgis geſſit, reſervatus eſt. Hohenloius,

cIↄ Iↄ LXXXI. Covordæ victoriâ nimium ſublatus, dividit copias, Lingam pariter & Wed-
dam obſeſſurus. Cæterum neutrâ potitus, rurſum à Rennæbergio ad Wed-
dam funditur. Qui mox Covordam, Oldeſaliam, Otmarſam, Enſchedamq;
recuperat. Paullo pòſt Stenovicũ circumſidet: quam urbem, tolerato quin-
tum menſem obſidio, ægrè noſtri liberavere: biennio poſt fœdâ negligen-
tiâ, abſente centurionum utroque Crommio, Bokholtioque, qui poſt obſi-
dionem præſederant, amiſſa eſt: & quam fruſtra multo ſanguine, ingenti
pretio expugnare nequidquam tentaverat; incruenta, facilique victoria
urbs hoſti in ditionem ceſſit. Dum Stenovicum hoſtis premit, Guilhelmus
Montfortius prætoris titulo Hattemienſi arci impoſitus (ſed ſuſpectum mo-
verant noſtri loco, nunc imprudentiâ quorundam in arcem admiſſus) Hi-
ſpanicum præſidium intromittit; illectus promiſſis Rennæbergij, qui auxilio
ſe conatibus futurum ſpoponderat. Accurrunt ad rumorem è finitimis oppi-
dis cives, & arcem circumfuſi, tormentis tantâ vi quatiunt, ut milites veniam
corporibus, arma, cæteraque ſua ſibi pacti, arcem, & ipſum doli autorem
Montfortium, cum patre dederent. qui capite truncati, laceratiſque in
quatuor membra cadaveribus; Arnhemi ſceleris ſui pœnas luerunt. Jam
liberato Stenovico, vindicatoque Hattemo, huc delapſæ Hiſpanorum res,
firmatique adeò noſtrorum animi, ut Vollenhoam, Lemmeram, Stavriam,
ac nonnulla in Omlandis caſtella expugnarent; Rennæbergius neceſſario
Groningâ ſe teneret; ubi mœrens, multaque de ſorore, & alijs pravi adeo
conſilij autoribus queſtus, extinguitur. Urbem aliquamdiu cum Fœdera-
torum milite Noritius obſedit. Rebus ex voto fluentibus, Tranſiſalani, ne
ſibi quidem in ſociorum fortunâ quieſcendum rati, Goram caſtellum ag-
grediuntur, & tormentis aliquot admotis, armatâ manu locum cingunt. Sed
ſubito præmiſſus à Schenckio eques ferentia Daventriam itinera occupa-
vit, & clauſos ad tantas redegit anguſtias, ut duces, quique aderant nobiles,
dedere hoſti cogerentur. Mox quoque Noritius, pecunię inopia, cœptum
Groningę obſidium deſerit, ac Friſiam petit. Inſequitur abeuntem Verdu-
gus, Rennębergij ſucceſſor, Reidamque caſtellum ad Ameſin expugnat.
Interea collecto Leovardiam Senatu, ſtipendium militi, & equeſtre auxi-
lium, ducente Guilhelmo Ludovico, Noritius impetraverat. Auctuque
virium etiam creſcente fiduciâ, Northornam uſque Verdugo obviam con-
tendit. Verdugus, diducto latius agmine, peditem tripartito, in alis equi-
tem collocat. Noritium anguſtiæ campi diſponere peditatum prohibe-
bant. & quia foſſarum intercurſu diviſus ager, à foſſoribus, quorum exiguus
illi numerus, compleri ſpatium jubet, quantum ſatis traducendis campeſtri-
bus machinis duabus; quot ſecum vehebat. Ponè pedes erat, quorum cis
foſſas ſingulas ter acies inſtructa. Crebri interea tormentorum jactus, &
utrimque miles, etiam qui latera clauſerant jaculatores, vulnera telaque in
hoſtem dirigere. Primoque dextera equitum hoſtilium ala, à Guilhelmo
Rogerio centurione, eodemque Noritij vicario, in fugam datur. Noritius
inſtandum ratus, cæterum equitatum, qui anguſto tramite dexterum latus
agminis ſepſerat, procurrere, & quia tubis, ut mos Germanorum, armiſque
brevioribus utebantur, fratrem Eduardum cum xxx haſtatis equitibus præ-
ire jubet. Hi cum lancearijs Thomæ Albanenſis concurrentes, pauciores,
à duabus turmis facile pulſi, ad equitatum refugiunt. Et anguſtia viæ adeo
turbati ordines, dum cum omni peditum acie ſupervenit Verdugus, cujus
iter nulla jam res, ne foſſæ quidem (quippe ante completæ) demorabantur,
ut univerſus Noritij peditatus, pars in acie, pars in tranſitu jacti in foſſa ag-
geris occupati, in fugam conjicerentur. Hæc tertia clades accepta, quâ
multi centurionum, multi è vulgo militum cecidere. Eodem prælio ad-
actus tormento globus manubrium gladij Guilhelmo Ludovico à latere
abripuit:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

abripuit : ipſe glande femur tactus, armorum firmitudine, ut ſæpe aliàs, peri- CIↃ IↃ
culo evaſit : & virtute adeo eximia fuit , ut fugientem quoque gloria ſecuta LXXXI.
ſit. Hæc fuſius proſequi viſum, quia & præſentes ſæpe locum, & magnorum
virorum relatu rem omnem, cognovimus. Victor Verdugus caſtellum Nien-
ſilam petit. captum, Friſiam ei aperiebat. Sed vergente anno, aſſiduis imbri-
bus, & agrorũ inundationibus præpeditus, cœpta omiſit. Hęc trans Rhenum
gerebantur. Altera in parte, quamvis icto fœdere Artheſij Hannonijque ſo-
cietatem Regis induerant , manebant tamen loca nonnulla Fœderatorum
præſidijs inſeſſa : quæ crebris excurſibus, quicquid circa agri jacet, infeſtum
faciebant, vaſtabantque. His cohibendis cuncta Parmenſi tentata, ut in po-
teſtatem redigeret , quicquid Fœderatis ſubditum. Quo promtius earum
nationum proceres Hiſpanum Italumque militem revocari permiſere. His
igitur copijs inſtructus Mortaignio , & Amandi fano , dein Cortraco per
aſtum potitur. Dein Cameracum obſidere aggreditur. Maturavit id con-
ſilium Inchii (ſupra nobis memorati) jampridem de recipiendis in urbem
Gallis ſecum agitantis. Eadem tempeſtate Tempelius , Bruxellis præpoſi-
tus, Nivellam oppidulum dolo invaſit, diripuitque ; & Glimeſium, qui anno
ſupra ſeptuageſimum ſexto regium Senatum in cuſtodiam dederat , ibidem
deprehenſum, in vincula conjicit. Pari propè modo Lanovius Ninovam no-
ctu adortus, ſpoliat. Validi rumores ibant, Philippum Comitem Egmonda-
num, tentandis militum civiumque animis, præterita veſpera, conſultò claſ-
ſicum cani juſſiſſe. Vnde & ipſe dum tutius lectulo ſe hærere arbitratur, cum
Carolo fratre, Pontoque Nojelle interceptus eſt. Nec longè poſt verſâ for-
tunâ, Vicecomes Gandavenſis Lanoviũ capit. Et promtis noſtris Egmonda-
no dimiſſo Lanovij libertatem redimere, tametſi Comes ille, hic nobilis mo-
dò eoq; permutatio haud inutilis hoſti videretur, abnuit tamen Rex, gnarus
comtemtum Egmondanum, Lanovij ſummam in bello experientiam. Poſt-
ea quoque Bouchæni per inſidias interceptis nobilium ac primorum com-
pluribus (dolum inhabitantium unus compoſuerat , proditionem oppidi ſi-
mulans , conſcio præfecto Juſto Soetio , Villeriano Toparchâ) & in his Jo-
anne Noircarmio , dynaſtâ Selleſio , negavit Parmenſis , pro Egmondano
Selleſioque Lanovium dimittere, addito, *nequaquam ſe leonem duabus ovibus
mutare*. Selleſius quarto poſt anno, deſperatâ libertate, ſupremum in vin-
clis diem obijt ; multum queſtus , parum Regi penſata ſua & fratris merita.
Cæterum nec Bouchæna , nec Nivella diu in poteſtate fuerunt. Obſedit
mox Parmenſis, & expugnavit. Idem Hezium, Hornani genere oriundum,
& conſpirationis cum Alenzonio poſtulatum, gladio percuſſit. Ejuſdem cri-
minis accuſatus Auxij Toparcha, Comitis Boſſuvij frater, ſemet periculo, &
arcem ſuam Lidekerckam Fœderatorum in partes ſubduxit. Nec tamen ſu-
ſpicionem effugit, & credidere, qui mores ejus ſcrutabantur, arcem de indu-
ſtria tradidiſſe , ut conciliatis hoc pignore noſtrorum animis , majoris mo-
menti urbem hoſti proderet. Ob id in vinculis aliquantiſper detentus, ad ul-
timum , deprecante Tempelio , cui in matrimonio ſoror ejus erat, carcere
emiſſus, ad Gallos abijt. Inter hæc validam urbem Machliniam Tempelius
ac Noritius aſtu ceperant; ubi multa truculentè ab Anglis patrata , urbs ipſa
direpta. Etiam Dieſtâ potitus Fœderatorum miles, & Dieſtam ſecuta Ar-
ſchotum ac Sichemum , invalida oppidula . mox Eindova & Helmonda :
ſed utramque circumſedit Mansfeldius , recepitque. Hoſtium in partibus
Altipennius, & Martinus Schenckius, Bredam per inſidias ſubegerunt. Adeo
& cladibus & victorijs altera pars alteri haud ceſſit. Sed hoc inferiores no-
ſtri , quod hoſtis , ut copiarum numero , ita viribus ſuperior , facile amiſſa
recuperabat. Noſtris nec parta retinendi poteſtas, nec reciperandi amiſſa.
Interea gravius multò quam ante Cameracum Parmenſis premebat: & jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXXXI. redactis ad extremam famem oppidanis, Auguſto menſe cum exercitu adventans Alenzonius, ſolvere obſidionem compulit, maximâ Belgarum omnium lætitiâ. Gaudia, ut ſunt variæ rerum vices, par luctus excepit, cum Alenzonium liberato Cameraco, captaque in propinquo arce Cameraſio, copias in Galliam reduxiſſe nuntiatum eſt: ut jam antè expoſitum nobis. Ac Parmenſis ad Cameracum aciem non auſus, rurſus validior noſtris, Tornacum, antemiſſis qui circum urbem itinera occuparent equitibus, obſidet, & III. Kal. Decembres (annus agebatur LXXXI) ad deditionem compellit. Hæc dum apud Belgas geruntur, ſenſit quoque memorabiles rerum ſuarum vices Luſitania, ſperantibus in poſterum Belgis oneris levamentum. Sebaſtianus Rex, cæcâ ambitione, & gloriæ ſtimulatus avaritia, bello ſe haudquaquam neceſſario adverſus Mulejum Maluccum temere implicuit: diſſuadente primùm Hiſpano, mox hortatore, & auxilia promittente, quæ ubi jamjam iturum Sebaſtianum videt, perfide revocavit: maturè (ſi Hiſpanis referentibus credendum) Belgarum ſe bello excuſans, & hæreticos quam Turcas aut Mauros exſtingui pluris intereſſe. Cæterum id tempori à Philippo factum negant Luſitani: quippe ſi id verum, omiſſurum cœpta Sebaſtianum. Sed illum vana ſpe, ſubdolis promiſſis ad extremum uſque à Philippo ſuſtentatum, quo exitium, quod moliebatur, celeraret. Conſultorem Albanum fuiſſe, ut revocato milite, belli temere ſuſcepti, de quo ſiniſtre prudentior quiſque ominaretur, eventum exſpectaret; regnumque per ſe invalidum, & Rege orbum invaderet; fortè exſpirante ſub idem tempus Luſitanorum cum Caſtellanis pace. Itaque nullam jam moram, quo minus gentem ſuæ faceret ditionis. Addunt Luſitani, multa & ingentia, per Marinum Hiſpanum, vitæ ſacratæ, ſed vafrum hominem, à Maurorum Rege, Philippo promiſſa, & in majus vero perlata, affingente Marino, quicquid ex uſu. Fuiſſe ea (ut quorundam ferat opinio) de tradenda urbe Laraqua, ſi bello huic arma non interponeret Philippus. Et obſecutum, Albano, Marinoque impellentibus. Etenim peditum millia ſeptem, equites ducentos, ducente Lopeſio Figueroa, ubi jam Lebrixam attigiſſent, properis literis revocaſſe. Sebaſtianum autem Olyſſipone tunc ſolventem, Gadibus primùm (ſenûm millium à Lebrixa abſitis) terram conſcendiſſe, & per triduum, mox Arzillæ duodecim dies exſpectatis auxilijs, cum ſolis ad ultimum Luſitanis abijſſe: quippe jam huc deductis rebus, ut citra dehoneſtamentum famæ cœpta intermittere nequiret. Cujus tolerandi arduum ejus animum neſcium fuiſſe. Auditoſque diſcedentis queſtus, & atroces in Hiſpanum minas. Denique aſſerunt Luſitani, Philippo neque adverſum Belgas (qui, ipſis quoque Hiſpanis fatentibus, revocandi militis obtentus) copijs illis uſum, nec digreſſo Sebaſtiano exauctoratas. Sed continenter in Hiſpania, ubi nec bellum, nec ullus ab hoſte metus, retentas auxiſſe. Sed forſan hîc neque Hiſpani, nec Luſitani, adulationis & odij crimina effugiant: quamobrem prudentiorum de veritate judicium eſto. Belli exitus fuit, ut Sebaſtianus auxiliorum ſpe dejectus, ſimul & experientiæ, bonique conſilij inops, cum univerſo flore Luſitanicæ nobilitatis anno LXXVIII concideretur; nullo ſatis certo ſucceſſore relicto: dum Antonius, Catharina Medicæa, ac Philippus, juris plurimum ſibi quiſque arrogant. Antonius dilectu regni procerum regium ad faſtigium evectus, jam è Galliâ, ſubmittente Catharina, auxilij aliquid duce Strozzâ acceperat; infirmioribus duobus contra potentiorem conjurantibus. Unde Belgis nova ſpes belli inter Gallos Hiſpanoſque, & hinc utilitas. Sed hæc brevi evanuere. Quippe tumultuarius Antonij miles, è civibus & agricolis contractus, impar veteranis Hiſpanorum ac Germanicis legionibus. Dein pecuniâ, potiſſimo belli alimento, validior Hiſpanus, quà urbium, quà caſtellorũ præfectos, ad exuendam fidem

paſſim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

paſſim emercabatur. Terceram Ieſuitæ prodiderunt. Strozza cum ingenti nobilium numero cæſus, Gallorumque multi etiam præter pacta trucidati. CIↃ IↃ LXXXI. Manebat tamen veteris inter Gallum & Hiſpanum amicitiæ ſpecies. Igitur verſo hunc in modum Luſitaniæ ſtatu, ſingulare quoque Belgis detrimentum: quia terris, quæ maritima exercent commercia, cum Sebaſtiano convenerat, ut vitatis in poſterum Hiſpaniarum portibus, mercaturam apud ſolos Luſitanos exercerent. Ibi enim ſæpe detentæ naves, ſæpe Regis ſervire commodis, curſumque alio dirigere coactæ, ſummo non mercaturæ tantum damno, ſed navium, ac navigantium periculo. Hic impunitatem hominibus mercibuſque, & liberum Sebaſtianus reliquerat, ſentire cuique circa divina, quod libitum. Indulſerat idem, ut Belgarum inter ſe controverſias gentilis arbiter; cæteros cum Luſitanis contractus regij judices diſceptarent. Quod haud dubie exitiabile Hiſpanorum vectigalibus, & urbium negotiationi. forſan & bello inter utrumque Regem materies. At Hiſpanum, ubi Luſitaniæ potitus, multi è nobilitate, & eminentes inter Luſitanos viri ſupplicibus literis adiere, promiſſam mercedem navatæ in occupando regno operę, petentes. Ille eodem omnibus ſcripto reſpondit. Quod hujuſmodi: *Aut ſuam, aut Antonij fuiſſe ſucceſſionem. Illo vero, cur à quoquam emeret? Sin plus juris Antonio, ſceleratè ſupplices hos principem ſuum prodidiſſe, atque aliena venditâſſe. Proin mercedis loco haberent, ſi clementiâ Regis, merita effugerent ſupplicia. Nec de præmio deinceps aut cogitarent, aut verbum facerent.* Eadem tempeſtate Solpoſtus, agreſtis, & abjecti ortus, ſupra fortunam nominis ſui famam diffudit, privato impendio bellum adverſus omnem Hiſpaniam orſus. Movendi cauſſa penes milites Hiſpanos, qui illo ad palum religato, in conſpectu conjugi ſtuprum intulerant. Vnde ille ultionis cupidine ardens, omnibus relictis, ſylvas monteſque petiit; Hiſpanos, quicumque occurrerent trucidans: Luſitanis nihil ab eo incommodi. Ac protinus ad eum ingens numerus gentilium confluxit. Sed ille nulli fidens ſub veſperum, quietis cauſſa, abdita petebat loca, modo in antris, ac defoſſis ſub terram ſpecubus, modo apud Luſitanos ruſticos latitans, quîs hoſpes gratiſſimus aderat. cætera nuſquam ſtabilis, & à locis quæ pridie vaſtârat, xx ſæpe aut xxx millium itinere dimotus. Pagos, civitates univerſas incendit, tantæ celeritatis in mutandâ ſede, ut idem metus & propinquos, & longiſſimè diſſitos involveret: ac pecuniam vehentes Hiſpani, neceſſario quadringenti aut quingenti, faciundi itineris cauſsâ, convenirent. Quîs motus Rex, proponit præmium coronatorum millia centum, qui vivum aut peremtum tradidiſſet. Tanto majoris illi hic ruſticus æſtimatus præ Arauſionenſi, cujus percuſſori octoginta millium promiſſa merces. Sed Solpoſtus tantâ prudentiâ ab inſidiis ſe, doliſque muniebat, evadebatque periculis; tantas brevi res geſſerat, ut eum Antonius, ſpe amiſſa recipiendi, ad ſe evocaret, exercitui præpoſiturus. Cui Solpoſtus, extra Luſitaniam inutilem fore operam ſuam reſpondit. Ibi adventum ejus exſpectaturum. Interea, pro exiguis facultatibus ſuis, vexaturum Hiſpanos. Et ſimul acceſſiſſet Antonius, daturum arma militibus mille, ſtipendium ſemeſtre univerſo exercitui. Quæ cuncta Hiſpanis erepta: argentum ſub terram defoderat. Sexennium Hiſpanos afflixit. Exinde viſus non eſt, dubium an multâ ex copiâ vindictæ ſatur, otium quæſierit, an fato abreptus ſuo. Certi nihil unquam compertum. Vnde & nonnullis poſtea annis Hiſpani, rediturum timentes, priſtinum retinuerunt pavorem.

FINIS LIBRI II.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

EVERARDI REIDANI

ANNALIVM LIBER TERTIVS.

BREVIARIUM LIBRI.

ALENZONII in Belgicam venientis egregia ad Patres oratio. Iuramentum præſtat, & accipit. Arauſionenſis Antverpiæ vulneratus. Salzedus, Alenzonium & Arauſionenſem perimere agitans, comprehenditur, Lutetiam mittitur, & pœnas ibidem luit. Parmenſis Aldenardam obſidio, Liram aſtu in deditionem redigit. Aloſtum à Meroda captum. Lochemum à Verdugo circumſeſſum: ubi dynaſta Anholdius periit. Truchſeſſius, Colonienſis Epiſcopus, conjugem ducit; deiicitur gradu, eique Erneſtus Bavarus ſuccedit. Galli Eindovâ potiuntur. Alenzonius parum acquieſcens conditionibus, quîs principatum acceperat, Antverpiam, Brugas, Neoportum, Oſtendam, aſtu incaſſum tentat. Teneramundam & Dixmuidam occupat. Colloquium ejus cum Patribus. Quibus argumentis nonnulli patrata ab eo, & cur fruſtra, purgatum iverint. Ipſe in Galliam abit. Duinquerca amiſſa. Legati ad Alenzonium miſſi de reddendo principatu: ſed ille fato fungitur. Cimacenſis Princeps ſe, Brugas, Dammum, in hoſtium partes traducit. Yperæ ab hoſte ſubacta. Embiſij perfidia, & ſupplicium. Gandavum exiguis copiis à Parmenſi ad deditionem compulſum: ubi egregia Richardoti prudentia eluxit. Bergenſis Comitis malæ artes, defectio, captivitas, ac dimiſſio fusè memorantur. Succedit illi in Geldrorum præfecturâ Adolphus Niuenarius. Arauſionenſis Delphis trucidatus. Ejus ingenium, & dotes.

cIↄ Iↄ LXXXII. ANNO poſt mille quingentos ſecundo & octogeſimo, Februario menſe, in Belgicam veniens Alenzonius, Antverpiæ, Gandavi, aliiſque in urbibus, magnis excipitur honoribus. Altam juveni indolem, ingentemque animum, puſillo ac deformi in corpore, ſermones oſtendebant. Facilis idem, dare cuivis aditum, comitate ac blandis alloquiis ſtudia omnium & officia provocare. Paucis ab adventu diebus, peractis ſalutationibus, apud Fœderatos Patres hunc in modum verba fecit. *Niſi, Patres Conſcripti, intelligam, quam arcto vobis nexu adſtrictus ſim, unus ex tot potiſſimum Principibus, ad tutandas res veſtras evocatus, non injuriâ ſanè indigno id honoris oblatum eſſe videatur. Cujus eo apud me major æſtimatio, quod fluctuante Rep. in ejus ſuccedam locum, quem immanitas ſua, & violenta imperia cervicibus publicis depulere: egregio profectò fiduciæ & amoris in me veſtri documēto. Quò propiore vinculo obligatus, cogor grato agnoſcere animo beneficium, majus, quàm ut exſolvere illi vicem queam. Cæterum ita vobis P. C. perſuaſum velim, me quem Principis titulo decorâſtis, caritatis in populum, eximium; affectu, parentem fore. Promiſi, & immotum animo ſedet, Belgas, ut liberos, ut cariſſima amplecti pignora. Quam in ſententiam tantò conſtantius*

ſtantius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſtantius durabo, quanto æquius Principem, ob faſtigium (quò vel natalibus, vel electione & populi conſenſu eum evexit Deus) incorruptam ſervare fidem, & fortunæ rationem habere, tanquam Numinis voluntate dilectum cœleſtis illius potentiæ miniſtrum, tanquam populi defenſorem, & in eum diſpenſatorem beneficiorum; quo jura, leges, & quicquid recte olim inſtitutum, integra conſerventur. Hinc neceſſario P. C. ut caput cæteris membris, ita inſeparabili nexu hærere ſubditis Princeps debet: ut illata illis damna ipſe perſentiat: eorum commodis ac ſaluti intendat curas: juſti primâ & æqui ratione habitâ, quîs potentiæ præcipua nituntur. Erit ſtimulus mihi veſtra fiducia, quâ in ejus aſſumor locum, quem Principis officia oblitum, imperio jure dimoviſtis. Certum nunquam deſtituere ſpes eorum, qui proſpera quævis, me Principe, augurantur. Adſit modo Numen, his moribus, illis geſtis, hanc ornabo dignitatem, ut collatam legibus nemo ſit negaturus: quippe unde ſingulis utilitas, nulli minus voto. Veruntamen ſi Reip. apud vos minus gnaro, primordia principatus haud quaquam, pro voluntate procedant, enitar, ut quicquid hic jacturæ, penſetur curâ, ne jura, leges, aut veſtræ uſquam conſuetudines lædantur. quas & periculo vitæ, & omnium quæ cara mihi, priſtino vigori reſtitutas dabo. ſimul quæcumque utilia vobis, collaturus. Ipſe viciſſim confido, id animi vobis, eâ ſanitate judicia fore, ut reverentes Principis, & obſequio promti, oſtendatis, quantum cuique pro patriâ aut voti ſit, aut animi. Occurrat ad animum, quanto flagrantius miſero ſervitutis jugo vos ſubdere hoſtes ardent, tanto acrius patriæ ſaluti incumbendum. Nec exemplum hic alterius quiſquam exſpectet, quo plerumque vitio neglecta Reſp. familiari malo in imperantium multitudine. Sed pro ſe quiſque fortiter, & immobili conſtantiâ, advertat animum patriis rebus; cogitet, non privatim ſua minus, quam publici intereſſe. Has ſi tam juſtas preces, tam æqua poſtulata P. C. impetravero, certum mihi, modò Numen ſecundet, brevi hoſte, & quæcumque nunc imminent calamitatibus depulſis, terras veſtras, ut quondam vigentes vos conſpecturos. Ipſe non vitæ, non facultatum parcus, periculis me meaque objectabo; utiliter expenſa habiturus, dum & honori, & tranquillitati veſtræ impendantur. Nec ingredi animum meum ulla ante voluptas poterit, quam ſummis votis expetitos laborum fructus adeptus fuero. Quîs adſequendis non fratrem tantum Regem, & pronam Belgis Angliæ Reginam ſollicitabo; ſed & quotquot veſtris cupiunt rebus, Reges, Principes, Reſpublicas. Sub exitum orationis exquiſiviſſe ex Arauſionenſi ac Spinojo memorat, optimum dirigendæ Belgarum Reip. modum. Exhibitumque ab illis libellum, quem ut quam maturrimè Patres cenſeant rogare: quando omnino induxerit in animum, nihil ignaris illis tranſigere. Septimo Kal. April. conceptis verbis juravit Dux, *ſe, hæredes ſuos, publicè, privatim, initas pactiones ſervaturos. Etiam daturum operam, ut Hiſpanum frater ſuus hoſtem declaret. At memoratas conditiones, neque à ſe violatum aut exceſſum iri; neque ut à quoquam id fiat perpeſſurum. Sed quæcumque bonum, & clementem Principem deceant facturum. Ita ſe Deus amet.* Iuravere dein Patres hoc maximè modo: *Nos Fœderatarum Belgicæ nationum, Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Machliniæ, Friſiæque Proceres, nobis & hæredibus ſubditiſque noſtris Principem deligimus, Franciſcum Valleſium, filium & fratrem Galliæ Regum, iis legibus, eâ potentiâ, quæ continetur pactis inter eum, ac legatos noſtros* x *Kal. Februar. anni* LXXXI *Burdegalæ initis, ac nunc prælectis. In ea juſiurandum damus, ſancta & inviolabilia habituros omnia capita eorum; nuſquam tranſgreſſuros, aut mutaturos; neque ut ab aliis mutentur, vel infrigantur, toleraturos. Ita vota noſtra Numen ſecundet.* Traditus ab Arauſionenſi ac Spinojo libellus, pecunias maximè ſpectabat; ſine quîs nec domi, nec militiæ quidquam procedit. Hanc in ærarium redactam ſupremo tradendam Quæſtori. Erogandi arbitrium penes Senatum fore. Idem ſi ſcribendus, aut dimittendus miles, decerneret: & tributa recuſantes, facultatem cogendi haberet. Conquirendis

cIↄ Iↄ LXXXII.

rendis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXXXII. rendis pecuniis novam viam ineundam, quando ſtipendia, & publicæ neceſſitates, proventus ſupergrediantur. Juri dicundo ſupremum Machlinienſibus Conſilium reſtituendum, aut Secretum ſupplendum. Cujus inter cætera de rerum gravioribus ſtatuere, certantes de privilegiis nationes atque urbes dirimere. His conficiendis Fœderati pro XXIV florenorum millibus, ut ante convenerat, quadragena ſe quotannis collaturos promiſere: permiſsâ Duci in detrectantes animadverſione. Pecunia verò apud ſummum Quæſtorem deponeretur. Quam Dux, ut libitum, erogaret; cæterum ſolutis ante omnia militi ſtipendiis, machinarum, commeatuum, ac ſpeculatorũ impenſis. dein quod nautis militem in Galliam, aut inde in Belgicam tranſportantibus, ac præfectis, & publica munia fungentibus deberetur. Cuncta facturum, & ſi quo ultra opus, de ſuo additurum Dux recepit. Sed enim quando provectiore hoc anno, tantas in ſequentem copias contrahere ſtatuiſſet, ut patentibus campis ſuperior, aperto Marte, ſi ita ferret, confligere cum hoſte liceret, popoſcit à Fœderatis, ut Martio, & tribus qui ſequerentur menſibus anni octogeſimi tertii, ſupra dictam pecuniam, florenorum millia ſexcenta penderent. De ſupremo Machliniæ Conſilio non neceſſum Patribus viſum, ut nec de altero, quod ſecretum nuncupant. Propoſuere ut nonnulli Senatui Juriſconſulti adderentur: decidendis, quas ante Princeps ſolitus, controverſiis. Poſtulatum ad hæc Duci, quandoquidem fiſcalis res (memoratis ſupra pecuniis adjecta) alieno æri obnoxia, ut ſexcenta quotannis florenorum millia ſibi tribuerentur, aulæ, ac domeſticis ſuſtentandis: addiditque eodem ſe ære, & Senatui, & Secreto conſilio facturum ſatis. In hanc ſummam quadragies centenûm millium, Brabanti ac Flandri ſtatim ingentem æris vim contulere. Ex Galliâ nihil quidquam allatum, neque ex facultatibus Ducis (qui validus opibus, beneficio Regis plura poſſidebat bona, quam adhuc Regum quiſquam fratri conceſſerat) neque ullum ex regiis promiſſis auxilium: ſive illo Guiſianâ factione impedito, ſive animi parum proni. Ad poſtulata extra ordinem millia ſexcenta copiis ſcribendis, & tantundem aulæ ſuſtentandæ, reſponſum, legatos ad ſuæ quemque nationis Proceres relaturos. Antverpiæ demum comperta nobilibus Ducis pacta Burdegalenſia: nec ſine ira, dum publica munera, ſe excluſis, indigenis deberi vident. Igitur avertere animum aggreſſi, dictitant, prælatum illi per omnia Arauſionenſem. Penes illum & Patres imperii vim, Duci nihil præter inane nomen. Altè hæc in pectus Alenzonii deſcenderunt, nec aliunde ſecutis exin malis origo. Forte congruerat, ut Martio menſe Arauſionenſi, intra proprios lares, mercatoris famulus, excuſsâ è tubo glande, caput tranſigeret. Plerique Gallorum ſcelus ſuſpectare, magno Ducis, ac gentis univerſæ periculo. Sed proviſum à Numine, ut correpto ſceleris miniſtro, raptatoque per urbem cadavere, machinator doli deprehenderetur, & ſuſpicionem Galli effugerent. Nec multò poſt novæ rurſum inſidiæ detectæ. Salzedus, domo Hiſpanus, Alenzonium & Arauſionenſem veneno tollere conſtituerat. Ejuſdem criminis incuſatus Egmondanus (qui Fœderatorum in partibus honeſto loco habitus, in ſpem præfecturæ Flandrorum venerat) cum Salzedo in vincula conjicitur. Et ille quidem etiam adverſus Gallorum Regem meditatas ſibi inſidias confeſſus, Lutetiam avehitur, ubi quatuor equis laceratus ſceleris pœnas dedit. Egmondani adoleſcentia veniam meruit, & Galliarum Reginæ, quam ſanguine tangebat, donatus eſt. Hæc præter ſub Alenzonio vix quidquam memoria dignum evenit. Niſi quod Aldenardam, poſt graviſſimam trium menſium oppugnationem Parmenſis ſubegit: noſtris ut inferioribus copiarum numero, ita prælium non auſis. Idem quoque, proditione Scoti centurionis, Lirâ potitus. Galli Lendium, Artheſiæ oppidum, à ſe captum, neceſſariò mox deſeruere. Cluſam dein, Cameraco vicinam, & Cameraſium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

meraſium arcem, aliaque loca munita ad deditionem hoſtis compulit. Ab eodem Ninova recepta, arces Gasbeka ac Likerka ſubactæ. Iamque Bruxellæ premebantur. E noſtris Meroda, Thyantæ toparcha, Aloſto per inſidias potitus. Julio menſe auxilia Duci è Gallia acceſſere, per litora Flandriæ, præter Duinquercam profecta. Dux erat Carolus Mansfeldius (is cognominem ſibi adverſis in partibus cognatum habebat) quem è Germanis octingenti equites ſequebantur. Ad orientalem Rheni ripam Lochemum Verdugus obſederat, & Guilhelmus Ludovicus Naſſovius bis commeatum in oppidũ intulit, adſpectante hoſte, nec aciem auſo, quamvis longe peditatu validiore. Eandem ſecundo rem feliciter Hohenlojus expediverat, ſed declinante luce, militum nonnullis ſuo furore hoſtium caſtra adortis, cæſiſque, magna totis caſtris trepidatio fuit. Complures, & in his Hermannus ac Fredericus comites Bergenſes, fugâ in oppidum factâ, grave diſcrimen attulere, non proviſo, tantæ multitudini, commeatu. Itaque rebus ad extremum jam caſum deductis, tertio Guilhelmus comes ſubvenit. Is Daventriam tunc conceſſerat, & gnarus hoſtiles copias acceſſu Mansfeldij firmatas, validâ manu, caſtris hoſtium perruptis, periculo obſeſſos liberavit: ſimulque hoſtes, re deſperata, obſidium omiſere; amiſſo globi jactu Iacobo Batenburgico dynaſtâ Anholdio. Præcipiti anno Stenovicum noſtrorum negligentiâ à Verdugi militibus captum, direptumque. Nunc finem imponere viſum ijs, quæ alijs, qui rebus ipſi adfuere, latius deſcribenda relinquimus: nos ad Alenzonium, tentatamque per dolum Antverpiam, & finem imperij ejus properamus. Eâdem tempeſtate Gebardus Truchſeſſius, Epiſcopus Colonienſis, adſcitâ in matrimonium Agnete Mansfeldiâ, palam religionis ſtatum apud ſuos novare aggreſſus eſt. Re cognitâ Eccleſiaſticorum collegium (vulgo capitulum nuncupatur) abrogato eo, Erneſtum Bavarum ſucceſſorem legit. Hinc bellum accenſum, interponente arma, non ſine Belgarum utilitate, Parmenſi; quòd hæreticos vicinis adeo locis ſedem figere nollet. Breve tamen commodum Belgarum: neque enim diu Truchſeſſius ſuſtinuit, exiguâ ſpe, magnæ molis rem aggreſſus, præproperus, & curarum tantis rebus familiarium impatiens. Autores fuere primarij viri, ne tanto impetu palam induceret reformatorum ſacra: ſed favore primum per civitates foveret, promotis paullatim ad dignitates, qui eadem ſentirent. Ante omnia urbium cuſtodiam fidis hominibus mandaret, ſubmotis ſenſim Pontificiis. Vrbes munitionibus, ſe pecuniâ, pulvere pyrio, cæteris belli neceſſitatibus firmaret. Quîs proviſis palam mutationem ordiretur. Sed ille non accepta, tam ſalubris conſilij ratione, cæco impetu præceps egit: dubium religionis, an novandi cupidine: ſeu minis Mansfeldiæ comitum territus, qui cognatam ſuam pro concubinâ illi eſſe paſſuros negabant. Truchſeſſius igitur, ſimul Reformatum ſe publicè profeſſus eſt, munere dejicitur: ſuccedente Erneſto Bavaro, qui Cæſaris filiâ natus, & Hiſpani propinquus; patruelibus Epiſcopi matre, & Philippo Rege. Et jam pridem ejuſmodi hominem vicinis Belgicę terris, Cæſar, Hiſpanus, ac Pontifex Romanus, præficere laborarant: cui pro Hiſpanis animus, & obſequio promtus, conſueta inter gentes conterminas officia Fœderatis denegaret. Hoc itaque conſilio Erneſtus Leodico, Coloniæ, Monaſterio, ac Hildeshemienſibus præpoſitus: imperio ejus à Brabantiæ limitibus ad intima Germaniæ pertinente. Ita ut tanquam circino circumductæ terræ ejus Fœderatos cingerent, quîs in Germaniam nullum aliud, quam per eas iter. Cæterum ille nunquam magnis rebus animum advertit, fœminis, vinoque deditus, & Sardanapali æmulus, cui conſuetum per vinolentiam noctes, lucem ſomno trahere. Vnde multum ſua de Erneſto ſpes Hiſpanum deſtituit, niſi quod animus illi ſatis adverſum Belgas inimicus. Ineunte anno ſuperioris ſæculi poſt octogeſimum tertio, non improſpe- ∞ IↃ IↃ LXXXII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXXXIII rus apud Fœderatos reip. ſtatus, bonâ omnes ſpe implêrat. Quippe non Galli tantum Helvetijque totam æſtatem deſiderati, cæteris ſe copijs, nequicquam hoſte prohibere tentante, adjunxerant; ſed & innumeri ex hoſtili exercitu milites, fame, miſerijſque conflictati, aut morbis hauſti, aut transfugijs, vires labefactaverant: ita ut reducere primum copias, dein & partiri coactus ſit, relictis circum Bruxellas, viciniſque locis, qua ægris, qua defunctis ad octingentos. Auxerat ſpem capta à Gallis Eindova, opportuna Bredæ, ac Sylvæducis obſidio urbs: tantâ Mansfeldij, & Hiſpanorum ducum conſternatione, ut Brabantiæ, Sylvæ ducis, ac Kempenſibus agris, ubi diu hæſerant, omiſſis, in Lutzenburgum ac Namurcum moverent; relictis noſtrorum arbitrio patentibus Brabantiæ locis. Hinc Sylvæducis plebes parum procedente negotiatione, ac neceſſariorum ſubvectione deſperatâ, tantum indignari, ac fremere, ut mox ad noſtros tranſgreſſura videretur. Igitur hoc ſucceſſu, novatiſque nuper apud Colonienſes rebus (ubi faventiores deinceps vicinos ſperabant Belgæ) omnium in ſpem erecti animi erant. Sed repente hæc in luctum haud minorem ceſſit, ſtolidis cœptis Alenzonij. Et ille quidem levium exterorumque hominum impulſu, queri primo de initis conditionibus cœperat: & paucis diebus antequam dolo (haud dubie jam tum compoſito) Antverpiam tentaret, comitante, qui adjunctus ei erat, Senatu, Fœderatorum procerum conventum ingreſſus, per Aldegondium (in quem gravis hinc offenſa) fuſe exiguam poteſtatem incuſans, niſi à Patribus augeretur nequaquam tueri Belgas poſſe obteſtatus erat. Quos ut parum moveri intellexit, meditato jam pridem dolo, vertere ſtatum Belgarum adgreſſus eſt. Quarta & quintadecima Januarij die (juxta novam quæ tunc inducta eſt ſupputationem, vetere enim quarta tantum & quinta numerabantur) Helvetiorum millia tria, quæ Ducis nomine ſcripta ad Belgas venerant, Scaldim tranſmiſere. Expoſito paucis ante diebus è Flandria in ulteriorem Brabantiæ ripam univerſo Gallorum exercitu. Habebatque obtentum id, tanquam movere in hoſtem, captæque Eindovæ victoriam perſequi decretum foret. Eo itaque exercitu (cui & Scotorum, & Britannicæ legiones, ac Germani ſub Mansfeldio equites aderant) Burgerhouti, Berchemi, alijſque circum Antverpiam locis commorante, atque ex urbis copijs ſuſtentato, continenter Galli & Helvetij frequentes in urbem commeabant: optimè de illis opinante civitate: ita ut uno tempore accenſis Ducis nobilibus, & qui aulæ miniſteria fungentes plerumque comitabantur, in urbe reperta ſint Gallorum ac Helvetiorum capitum ad quinq; millia: nullâ tamen ſuſpicione mali, donec incerti tandem rumores diſtulere, decretum militibus urbem occupare, quo ſuis ſtipendijs caverent. In levi habitum à magiſtratibus indicium. Cæterum XVII Kal. Februarij, ad rumorum reliqua Gallus acceſſit, qui ſub veſperum perſonatus vigilum ſe inſerens ſtationi, cives de rebus ſuis ſollicitos eſſe juſſit, tendi inſidias eorum ſaluti. Similia audierat, compertaque ad magiſtratus detulerat Petrus Villerius, natione Gallus, divini antea verbi miniſter, ſed bello ſuâ pulſus Eccleſiâ, ac tunc Arauſionenſi à ſacris & conſilijs, vir magnâ animi vi, & providus futuri. Hæc ubi delata, luſtrantur eodem veſpere tabernæ urbis, ac duplicato excubiarum numero, civium pro ſuis quiſque foribus lumina ſuſpendere jubentur. Alenzonio, ne acerbius interpretaretur, ſignificatum, ad ſecuritatem urbis, nec alio hæc pertinere: proin rogare ne deterius acciperet. Ille multum collaudatis magiſtratibus, ſerio intenti rebus ſuis agitarent monuit. Sed inſequente nocte Croneburgenſem portam pandi petit, neceſſitate quadam obtentui ſumtâ. Quod denegatum ne condicto tempore dolus patraretur, impediit. Poſtera die aſpera in conſulem oratione invectus Alenzonius, nocte intempeſtâ, ſummâ inhumanitate, ſcrutata nobilium ſuorum cubicula, inſidias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

tendi, & in ſui ſuorumque perniciem cives concitari queſtus eſt. Ad ea con- cIↃ IↃ
ſul excubias pro curâ urbis actas, atq; id ex uſu Duci reſpondit. Dein depre- LXXXIII
catu Mompenſierij, ſimilia quoque Lutetiæ accidiſſe demonſtrantis, tan-
quam abſtruſâ ira, vultum ſimulans, oblivíſci conſulem petiit, ſiqua forte
diffidentiam injeciſſent. His peractis, mutatâ ſententiâ ſub medium diei
ſuos in urbem ducere ſtatuit: quo tempore invalidæ vigiliæ, civium pleriſ-
que cibi petendi cauſſa domum, deſerta ſtatione, abeuntibus. Ipſe urbe
egreſſus, quo citra ſuſpicionem arma miles caperet, recenſere copias fingit.
Itaque tympanorum pulſu revocari in caſtra ex urbe militem jubet. Miſſus
hoc conſilio in caſtra Bironius equitum magiſter, curandis neceſſarijs. Ad
Arauſionenſem Quinchius: mox ipſe, ad ultimum Eſpruneauſius acceſſit,
rogatũ, ut comitari in caſtra vellet. At ille, vulnere adhuc invalidus, excuſari
petijt, & aperte Duci, multos ſuſpicari dixit, eum urbe egreſſum, ut cum
univerſo mox exercitu reverteretur. Quę ille levi riſu diſcuſſit. Omnis igitur
nobilitas, conſcenſis equis, in unum convenit, & extra urbem ad Kipdorpiam
(id portæ nomen) Gallorum centuriæ nonnullæ Ducẽ in caſtra deducturæ.
Eò ut deventũ (horam jam duodecimam exegerat dies) Helvetiorum præ-
toria cohors, quæ præceſſerat, pontem utrimque inſedit. Sequebatur ipſe
Alenzonius, latus alterum claudente Mompenſierio: à tergo Galli ſatelli-
tes, jaculatores omnes & palliolis holoſericis, rubri coloris inſignes. Exci-
piebant nobiles, Centuriones, & Belgarum primores, pars honoris, alij vidẽ-
di exercitus cupidine, Ducẽ proſecuti. In primis Comes Rochepotus erat,
ac Sanchevallius Tribunus Italus, cui altera ex ferro manus. Horum ille in
pontem ut venit, inhibito freno, reſtitit, & ingemiſcens, tanquam vulnerato
crure, gemitus & querimonias orditur. Advertere queſtus ij animum Vi-
rendelij civium Tribuni. Itaque miſeratione propius ſuccedens, & humani-
ter percontatus an quieſcere in ſtatione vellet, donec ex urbe chirurgus ar-
ceſſeretur, ſine mora confoditur. Eo ſigno dato, Galli ſatellites vigiles inva-
dunt, partem neci, alios in fugam dant. Stationem ponti pro porta impo-
ſitam Helvetius vigilum præfectus, incluſis, ne vim facerent, civibus ad tri-
ginta, obſtruxit. Ita cum nobilibus ac ſatellitibus portæ potitus Alenzonius,
quæ ad eam erant centurias ſeptem decem, nullo reſiſtente, ingredi jubet;
claudentibus agmen, equitibus aliquot haſtatis; quîs atra veſtis albâ à fron-
te ac tergo cruce notabatur. Ipſius Ducis audita vox, *pergerent, irent liberi
ſui, atque à prædatione temperarent*. Igitur, nemine adverſante, urbem in-
greſſi, pars aggeres utrimque ad portam occupant, pars Kipdorpianâ, Nova-
que, cui à longitudine nomen, plateâ in urbem penetrat, *vigeat Miſſa, urbs
capta*, conclamantes. Ædium quoque duabus haud procul portâ incenſis,
cæteras ſpoliare cœptaverunt. Novam tranſgreſſis Burſam, exiguus ſe ci-
vium numerus objecit. Qui primo Gallorum impetu tardato, mox, concur-
rentibus undique per diverſa platearum civibus, cedere compulerunt. Po-
ſtremò tantâ ad portam vi egere, ut priores, anguſto exitu, ſe ipſi pre-
mentes, præcluſo ſpiritui meatu, alios alij ſuffocarent: proximi jacentes
conſcendere, & fugâ ſalutem petere conati, à civibus proſternerentur. Ita
ut obſtructa, tantâ hominum ac jumentorum ſtrage, porta, nonniſi multo
veſpere, ſummotis cadaveribus, cæteriſque, quîs effugium non erat, truci-
datis, claudi potuerit. Rochepotus primò in ponte conſiſtens ſuorum ani-
mos accendebat, ipſe tanto ardens furore, ut diſtricto gladio x aut xii ex
urbe pulſos, tranſverberaret, ſiſtendæ ſuorum fugæ. Eos, qui in vallum atque
aggeres connixi, cives ex ædibus imminentibus tela ingerentes depulere, &
præcipites in foſſam lapſos, aquæ hauſerunt. Secutum biduum vix humandis
cadaveribus ſuffecit, quorum numerata ſupra mille quingentos triginta &
octo. Civium in his capita ad centum reperta. Cætera Gallorum multitudo,

magnam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ magnam partem nobilium Ducis: ducenti & quinquaginta, ſericâ veſte in-
LXXXIII ſignes recenſiti. Ipſum cum ſuis Alenzonium confeſſum conſtat, multis ſæpe juſtis prælijs non tantum nobilitatis perijſſe. Vulnerati quoque omnes paullo pòſt extincti, cum medicis deſtituti, frigidâ atque inclementi tempeſtate, tugurijs adverſus cœli injuriam parum tutis uterentur. Interemtorum principes fuere, S. Aignani, & junior Rubri-caſtelli Comes. Filiorum Bironij equitum magiſtri alter: alter equum tertiò mutârat. Durcæus vigilum ad aulæ portam centurio: Fevilladus à conſilijs Duci: Darhius, Sanchevalius, Biralus, Touriſius, Tribuni: Mercurius, Nicolus, Iulius Pandulphus, Centuriones Itali. Meroda Thyantæ toparcha, & Aloſto idem præpoſitus. Waliſius, Geniſacus, Duci à cubiculo, Labouchierius, alijque. E civibus deſiderati, Tribunus Vierendelius: Centuriones, Daſius, ac Michaultus; quorum hunc Gallicâ indutum veſte, ſpecie deceptus civium unus trajecit. Compertum poſtea ſignum fuiſſe, Crvris Fracti: de quo queſtum Rochepotum diximus. Eſpruneauſium quartâ horæ parte antè in caſtra Dux præmiſerat: in urbem Fervacquium ſecuritati Arauſionenſis conſulturum, aut ſaluti (his enim verbis Dux ipſe ad Crommelum centurionem uſus) dein componendis rebus, ac ſtationibus militi, hoſpitijſque aſſignandis. Mompenſierius, omnium ignarus, ut in ponte conatus advertit, accuratis precibus pro genero ſuo Arauſionenſi petere à Duce cæpit. Cui ille, immunem omnis injuriæ fore promiſit. Fervacquius pòſt in urbe comprehenſus, nullum unquam exercitum ſe eâ conſtantiâ, illo ardore dimicantem vidiſſe confeſſus eſt: credititque ſemper immiſtos milites agmen direxiſſe. Et egregium profectò virtutis documentum, quòd inopinantes oppreſſi, ac vagi per ſuas quiſque ædes tantam manum, jam in medium urbis delapſam, iniquiſſimo ſibi certamine, minus horæ ſpatio pepulerunt. Vnum ut noxium Gallis, ita civibus magnum ad ſalutem momentum. Helveticam legionem, ad Croneburgenſem, propinquam arci portam, contendere juſſerat Alenzonius: quâ clauſâ, magno circuitu, averſum latus urbis, quà Galli irruperant, petere coacti: & priuſquam attingerent, Galli, cùm nec feſſis novi, nec vulneratis integri ſuccederent, jam ejecti urbe erant. Acceſſit incommodo huic ipſa Gallorum negligentia, qui, multitudine freti, non pulverem pyrium, non glandes ſibi providerant; quò faciliùs ceſſere. Contrà urbi valde à magiſtratibus conſultum, edicto, quo exire mœnibus vetiti cives: quod ni factum foret ingens primariorum in urbe civium numerus, videndæ aciei deſiderio, diſceſſu ſuo urbem infirmâſſet. Sexcenti admodum Gallorum, armis ferendis idonei, S. Michaëlis cœnobium, quæ Ducis aula, tenebant. Hic poſtridie à magiſtratu, tubi, gladij, aliaque id genus arma, magno reperta ſunt numero. Unde ſuſpicio inceſſit, eruptionem tentaturos fuiſſe, ni providâ magiſtratus curâ civium objeciſſet legionem; cùm ſepiendo monaſterij exitu, tum præſidio Arauſionenſi, in arce propinqua agitanti. Arma (tanta erat multitudo) curribus avecta juſſu magiſtratus. In Gallos à maleficio temperatum, ipſique per collegia opificum diſtributi. Hæc dum ad Antverpiam geruntur, Galli eodem temporis veſtigio omnium Flandriæ urbium, quæ ultro (neque enim tenebantur) conciliandis Gallorum ſtudijs, præſidia Ducis acceperant, potiri conati ſunt: proſpero hic, adverſo alibi ſucceſſu. Brugas ubi quatuor Gallorum centurijs D'Eſpies impoſitus, VII Id. Januarij, Meninis quinque centuriæ venêre: poſtulatoque per urbem tranſitu, iter Duinquercam ſimulant, puniendis ibi nuper motuum auctoribus. Et ne conficta viderentur, proferuntur faciendæ fidei ejus argumenti à Duce literæ. Magiſtratus urbis, ſcriptis nuper peditum centurijs ſex, & equitum turmâ è voluntarijs civibus, armatos diſponit, Galliſque concedendum tranſitum cenſuit. Vrbem ingreſſi medio foro ſubſtitere. Ubi præfectus eorum Lava-

lettius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Iettius evocato ad ſe præſidij præpoſito, literas Ducis tradit, præſentibuſque è magiſtratu nonnullis, compertum Alenzonio ait, Pontificiorum in urbe CIↃ IↃ quoſdam proditionem moliri, quorum conatibus frangendis, poſtulare eum, LXXXIII ut hæ centuriȩ paucos dies præſidio urbi ſint. ſimul eadem affirmantes Ducis literas promit. Cognitâ re, Caſembrotius, conſul urbis, rogare Tribunos, ut ſecum curiam adeant, velle in pleno magiſtratuum conſeſſu rem proponere. Illi, nullâ doli ſuſpicione, annuerunt, curiamque ingreſſi, occluſis foribus, comprehenduntur: ibique, præſcribente magiſtratu, literas ad ſuos dare compulſi, urbe ut ſine mora excederent. Nullus effugio aut excuſationi locus erat: militem nec convenire, nec videre, aut ullum dare ſignum poterant. Summo omnia ſilentio, intra Conſiſtorium, ne adhibitis quidem apparitoribus, à magiſtratibus tranſigebantur. iiq; dictitare, videre ſe & urbē, & cives in perniciem, ſeque in ſummum adductos diſcrimen: cæterùm, niſi diſceſſum ſuis imperent præfecti, primos morituros. Illi metu ſubacti literas conſignant; & non obſequentes milites iteratò, aſperiuſque increpitos perpulerunt imperata facere. Juvitque nonnihil caſus, dum Brugenſes, uni è municipum collegio juſta perſolventes, honoris cauſsâ, omnes ſimul tubos exonerarent. Quorum fragor Gallos, diſceſſus ambiguos, & vim à civitate metuentes, ad portas egit. Poſtquam abiere, adhibitis cruciatibus, de cunctis accuratè præfecti examinantur. habuiſſentque ſupremam illam diem, ſi irritum Alenzonij in Antverpiam conatum magiſtratus ſciviſſent: cujus indicium inter tormenta factum à præfectis erat. Unde ſucceſſus incerti, ſocijs metuebant. Pòſt, deprecante Arauſionenſi, præfectos dimiſere. Teneramundæ ac Dixmuidæ Galli civibus prævaluerunt: ibi nihil atrocius patratū; Dixmuidæ ducenti quinquaginta cives nullam ob cauſſam crudeliter trucidati. Septimâ Ianuarij die ſub meridiem, collecto in curiam magiſtratu, centurio acceſſit, & arroganter pandi Eccleſias, celebrandis Pontificiorum ſacris poſtulat. Rogantibus illis, quo motus tam audacter peteret, pari furore ac minis in forum decurrit, ibique ſtantes armatos, ruere, cædemque per urbem facere jubet. Cæſi eo impetu civium ad quinquaginta; quos nullo mali metu, in foro viciniſque plateis deprehenderant. Reverſus inde ad magiſtratum centurio, monuit, non eſſe quòd mirarentur: quippe idem hoc tempore omnium Brabantiæ Flandriæque urbium fatum eſſe. Tertiâ die, omnino jam Galli urbis domini, verſis denuo ad furorem animis, civium ducentos, nullius mali conſcios, interficiunt. Duinquercam duplex præſidium cuſtodiebat, Gallorum nonnullæ, & Belgarum centuriæ duæ: quæ impares ipſis Nonis Januarij urbe pelluntur. Neoporti ac Oſtendæ, ſuperioribus civibus, Galli ejecti. Hunc igitur in modum animum ſuum, & quarum jam diu metus, inſidias Galli prodidere: ſic dirigente Numine, ut ſtolidè prorſus molitiones ſuas cœptarent. Imprimis Antverpiæ miraculo prudentiori cuivis eſſe, fœdè adeo, in re tam gravi, à veteranis ducibus erratum. Vix primorum multis ob temeritatem, atque intempeſtivos conatus, fides facta, animum Duci fuiſſe per dolū urbem occupandi. cum longè promtior via oſtenderetur, agentibus in urbe quatuor aut quinque Gallorum millibus, ac valido, nec cuiquam ſuſpecto, pro portis exercitu. Itaque creditum illis, orto inter cives ac Gallos jurgio, aut ſeditione militum, ob non ſoluta ſtipendia, portas occupatas. Stetitque ſententia, donec poſtridie ipſius Andini literæ, & qui verba præſentes exceperant, remque, ut geſta erat, oculis uſurpaverant ſuis, dubitationem omnem exemere. Cæterum ut Brugis, ut Teneramundæ, ut alijs in urbibus eadem conatum fama tulit, nullus dubitavit, cur iniquo tempore inſidias Antverpiæ maturaſſet, cùm paribus ubique tentatis, dilationem indici temporis anguſtiæ prohiberent. Admonitum indicio magiſtratum, duplicatum vigilum numerum, omniumque ſollicitos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXXXIII animos cognorat. Apertè ab Arauſionenſi monitus: ac petenti, portæ ut pateſierent, negatum, manifeſto indicio, non ut antè fidi. Notatumque omen, equum conſcendere cupientem, non admiſſum; illumque ita furore actum, ut multis nobilium, multis miniſtrorum juvantibus, fruſtra tentârit; licet aliàs eo vehi adſuetum. Dein altero adducto, dum cœnobium Michaëlis egreditur, ita greſſum fefelliſſe, ut ſellâ propemodum effuſo pallium deciderit. Tribus, priuſquam hæc geſta, hebdomadis, Britanniæ regina, quicumque Antverpiæ aut morabantur, aut ſedem poſuerant, ejus gentis mercatores, Middelburgum demigrare, rebuſque ſuis conſulere juſſerat. Promteque paruere, dum malè auſpicati imperij, pejores progreſſus metuunt. VI Id. Januarij ante medium diei Alenzonius literas ad Arauſionenſem, ac Fœderatorum Patres, duobus Antverpianis civibus, caſu deprehenſis in caſtris, perferendas dedit. Argumentum erat: *Varijs ſe injurijs, imprimis noviſſimâ contumeliâ, quod noctu cubicula nobilium ſuorum rimati eſſent, ad hæc tentanda compulſum. Non tamen ideo de priſtino amore in Belgas remittere, ſi & plus autoritatis apud ſe, & plus apud ſubditos obſequij videat. In hæc Patrum ſe reſponſum petere, priuſquam novam, quæ ſe offerat, occaſionem amplectatur. Bonorum, quæ mobilia in urbe haberet, remitterent. Neu Galli captivi inclementiùs haberentur.* Reſponſum à Patribus: *Alienatum à ſe, terriſque ſuis, animum Ducis, non ſine dolore cognoviſſe, ſperare id nullo ſuo factum merito: Ac petere, quando renovare pacta percupiant, fidem det, legatos impune venturos.* Dux properanter literis acceptis, V. Idus Januarij reſcripſit. *Gratum ſibi, quod colloquio paratos videat. Se quidem conditiones æquas adeo, quam ſperare à quoquam ſubditi poſſint, daturum. Quod tutum legatis acceſſum petant, nimiæ videri diffidentiæ: nec decorum ſubditis ita cum Principe agere. Non tamen eò intermitterent, legatos ſi veniſſent, inviolatos; & ſi cui tantū audaciæ ut læderet, curæ ſibi ultionē fore.* Literas eas qui deferebat Gordius, aulæ Ducis procurator, egenū frumenti, cibariorum; indigum famulitij Alenzonium affirmavit: rogare, ut annonam ſibi militibuſque ſubmittant: deinde & nobilium ſuperſtites. Patribus, ita confeſtim captivos remitti, non placuit: de commeatu aſſenſere, quando colloqui cupidis, nulla apud famelicum ſpes. Nec tamen audere magiſtratus Antverpiani, metu ſeditionis, in plebe, recenti cæde, ac vulneribus irritatâ. Igitur dum diſputando illi tempus extrahunt; Alenzonius, literis Brugas ac Machliniam dimiſſis, contraria his, quæ ad Patres, ſcripſit; honeſtiſſimam patratis ſpeciem obtendens, ac commeatum poſtulans: cujus tanta in caſtris inopia, ut crudis rapis famem propulſare, atque in prandium panem triticeum, lactarijque puſillum habuiſſe Dux ipſe conſpectus ſit. Tandem IV Id. Ianuarij, bidui commeatu, à magno Antverpiæ concilio, Duci decreto, legati ad S. Bernardi, primum ab urbe lapidem, quò mota erant caſtra, ad Scaldim detulere. His mandata, quæ perferrent, ut ante omnia militum onere Flandriæ civitates Dux ſublevaret, atque in hoſtem duceret. Nec deinceps ſecretum ipſe Conſilium Gallorum haberet; ſed ex ſententia Senatus, ei à Fœderatis adjuncti, omnia gereret. Cæterum eo venientes legati, Duffelam, indeque Riminantium tetendiſſe Ducem cognovere: hinc iter Vilvordam ac Teneramundam habiturum. Riminantium Dilia flumen præterlabitur, id temporis non continuis tantum imbribus ſummæ altitudinis, ſed etiam inſidiarum metu à Machlinienſibus patefactis, quîs aquæ retinentur, oſtijs, maximà aquarum vi adauctum, omniumque judicio inſuperabile. Preſſus tamen frumentariâ re, & parum id locorum tutus, omnino trajiciendum cenſebat Alenzonius. Igitur parari per Helvetios adminicula ponti jubet. Quîs aquarum impulſu diſiectis, cum toto exercitu pedibus trajecit, ipſe humeris tenus aquâ tectus: equo ne uteretur, fecit periculum Mompenſierij amnis vortice cum equo abrepti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

repti. Et ille quidem ægre porrectâ ab Helvetio haſtâ ſervatus: gregariorum militum, quorum ut æſtimatio levior, ita & cura, ad mille ſubmerſi; CIƆ IƆ LXXXIII cæteri loricas, plerique gladios, haſtas, tubos abjecere. deſiderata quoque impedimenta, ſecutique exercitum carri. Hoc diſceſſu ſeriùs, quàm pro voto, nec ante Idus Ianuarias Vilvordæ Ducem convenire legati potuerunt. Ut congreſſi, multa graviaque queritur, in omnibus pacta Belgas exceſſiſſe: nullam ſibi autoritatem, nihil potentiæ, ſpecioſum Principis nomen; ſed ſine imperio, ſine viribus, datum. Adjecit complura id genus, memoratu ſupervacua: ſumma omnium his contenta: *Pacta Burdegalenſia, de relinquendo, qui tunc erat, religionis ſtatu, mutatis ſacris, violata. Non Senatus dilectionem, non Secretum Conſilium, licet longinqui in Belgis uſus, impetrare quiviſſe. Pecuniarum, vectigalium, tributorum nullam ſe habuiſſe notitiam.* Ad ultimum apertè aſſeveravit, neutiquam decretum ſibi manere in eo, quod Burdegalæ conveniſſet, denuoque arrogantibus Bruxellenſes literis compellavit: legatis non antè ſe ex urbium ullâ deducturum milites reſpondit, niſi pro certo decretum colloquium intelligat. Neoportum abire ſtatuiſſe: ibique eventum rei exſpectare. Petereque, ut hanc urbem, & cum ea Oſtendam pro domicilio ſibi tradant, viciſſim Teneramundam ac Vilvordam redditurum. Ad ea cum ſubitò reſpondere Patres nequirent, dum cuncta à magno Antverpiæ Conſilio pendent, quod tardum in decretis; deliberatum, an non interea commeatu Dux juvandus, ne aut ſtimulati fame Galli in agrum Waſianum irrumperent, hoſtiliaque tentarent; aut Duinquercam diſcedens Alenzonius, ad Gallos rediret: juxta perículoſo utroque, & ſi eveniret, omni colloquendi ſpe ablatâ. Abnuebant Brabanti, quamdiu nullam Dux ſpem faceret militum onere urbes liberandi. Saltem initium à Teneramunda fieret. Tandem & illos, ut videbatur, conſenſuros, terruit exacerbatæ plebis metus. Flandrorum legati juſſos ſe dictitabant, in commeatus miſſionem haud conſentire. Cæterum reſtituta à Duce Teneramundâ, mitiora ſperare mandata. Interea colloquium cum Duce tranſigendum. Idem Brabantis animus: idem nationum cæteris, niſi quod annonæ arbitrium ad Brabantos Flandroſque rejecere, quorum maximè intererat, tanquam ſumendo, ſi mitteretur, ex agris eorum commeatu. At legatis ſine annona famelicum adire militem res periculi viſa. quare miſſio illa die differtur. Et ſic quoque, licet de potiſſimo capite ſuſpensâ Antverpianorum ſententiâ (ubi magnum concilium, toto nequidquam die diſputationibus tranſacto, tridui ſpatium ad deliberandum ſumſerat) ſi de annona conveniſſet, ituri fuerant legati, ſpe leniora, de reddendis urbibus, promiſſa impetrandi: quibus illectam plebem faciliùs aſſenſuram. Octavo Kal. Febr. Pontus Pertuiſius Duci, & Villerius Arauſionenſi à conſilijs, Fœderatorum Procerum literas ad Andinum detulere. Quîs, longiori morâ in rei molem rejectâ, rogabant Patres, ne ſiniſtrè id acciperet. Dein ſi Teneramundâ ac Vilvordâ confeſtim militem educeret, idque voluntatis ſpecimen daret, ſpem eſſe, de flectendis ad molliora Belgis. Offerre ſe viciſſim Bruxellas, ponendæ ſedi, quam Helvetiorum præſidio firmaret. His oblatis, ubi miſſo Lavallio Patribus denuntiari Andinus juſſit, paratũ ſe, dummodo præſidium, quantum arbitrio ſuo ad ſecuritatem ſatis, Bruxellis imponere daretur: interea dum colloquerentur, frumentum ſubmitterent: iteratò tantis ſtudijs de annona certatum, ut totum negotium Antverpiani Flandrique corrupturi viderentur. Quamvis enim, ſuadente Arauſionenſi, agi de conditionibus placeret, de annona tamen ſententiam obſtinatè retinebant: quâ negata, nulla colloquij ſpes. Nec deterrere eos periculum agri Waſiani potuit, quamvis Gallorum irruptioni patentis, imprimis ſtimulante fame. Petenti quoque Lavallio, non veſtes tantùm Duci, non captos mini-

cIↃ IↃ LXXXIII

ſtros, aut ſchedas modò, ſed & graviſſimè ægrotanti, lecticam, medicum, ac pharmacopœum, quos detinebant, remittere denegarunt. Superavit tamen omnia hæc patientia Ducis; qui cum legatos literaſque Patrum, tanquã poſterior reſponſo, exſpectare potuiſſet, iterum miſſo Lavallio, obviam illis iit. Ad ultimum arbitrio Bruxellenſium permiſſo, an Helvetiorum recipere præſidium vellent: additoque, de cæteris poſtea acturos; paratis illis, dum cunctantur Patres, inſeſſis diffidentiâ omnium animis, ſententiam Dux mutavit: haud tutò ſalutem ſuam committi ratus urbi, quæ Helveticæ legioni prævaleret. Igitur Duinquercam profectus, Vilvordam ac Teneramundam reſtituit. Non tamen inveteratam jam apud omnes ſuſpicionem exemit, pleriſque interpretantibus, annonæ penuriâ urbes retinere impotentem huc deſcendiſſe, dein ut capti Antverpiæ Galli liberalius haberentur. Ibi ille menſes aliquot literas ac legatos Patrum exſpectavit, tranſacturus, uti convenerat. Cæterum quamvis huc Arauſionenſi, ac procerum alijs incumbentibus, non impetratum à nationibus ob ſummam diffidentiam, ut imperium Duci renovarent. Licet pluribus argumentis Ducem purgare, patratique facinoris culpam minuere niterentur. *Non pro dignitate ſua habitum eum, nihil potentiæ conceſſum. Nec falsò queſtum, vanum ſibi nomen; Remp. vectigalia, ærarium, cæteram imperij vim, apud Patres. Negatum ei ſecretum conſilium, omnibus hactenus Belgarum Principibus uſurpatum. Integrum fere annum exactum, nec de proventibus aulæ ſuſtentandæ decretum quicquam: non edoctum, quo ſtatu, & an obnoxia alieno æri foret res fiſcalis. Aliter novum principem haberi par fuiſſe. Multa acta, unde querendi materies, exiguam ejus rationem habitam, nec promtos obſequio ſubditos. Hinc prava ſuadentibus (familiari aularum malo) occaſionem, ingenitam indolis bonitatem depravandi. Hos oſtentaviſſe, non adeo humili ortum loco, ut tantum contemtionis pateretur: potius ultro autoritatem ſibi potentiamque pararet.* Et fuiſſe conſtat, qui Bathorei Poloniæ Regis exemplo eum accenderent. Qui pari certamine adverſum nobilitatem implicitus, hunc in modum reſpondiſſe ferebatur. *Non ſum incola, ſed liber homo natus: neque mihi antequam ad vos veni victus vel amictus defuit. A vobis rogatus & vocatus huc veni, veſtris manibus meo capiti corona eſt impoſita. Sum igitur Rex veſter, non fictus, neque pictus, ſed regnare volo, & imperare. Neque volo vos præceptores meos fieri, ſenatorumque meorum. Cuſtodes libertatis veſtræ eſtis, quam ita cuſtodite, ne libertas hæc in abuſum vertatur.* Quæ verba haud dubiè Joannes Bodinus, Duci à libellis, vir doctrinæ atque experientiæ ingentis, aptare in Alenzonium, ejuſque animo altè imprimere non omiſit. Unde, qui excuſatum Ducem cupiebant, porro dictitare, *facile & juvenilem, & erectum animum, id genus hortamentis ad errorem, parandamque potentiam impelli potuiſſe. Non prædæ, ſed muniendi ſui cauſſa præſidium urbibus impoſuiſſe. Oſtentatos ei ab ijſdem conſultoribus Philippum, Matthiam, Caſimirum* (& objecit Patribus eorum exempla ipſe Dux) *dejectos imperio, vel abdicatos: nec meliora Alenzonio, niſi prævertat, ſperanda. Æquum eſſe, ut fratri ſuo, Galliarum Regi, eam hæreditatem tranſmittat. Qua alioqui ſpe bellum ab illo adverſus Hiſpanum ſuſcipi, auxilia mitti? Quo nobilitatis Gallicæ commodo? Nullone præmio illos, ſe, ſuaque periculis objectare? Humanum eſſe, quod accidiſſet, & condonandum, victo hujuſmodi querelis gentis ſuæ, cujus amorem à natura cuique inſitum. Multos ſpe mercedis, dum ſub eo merent, attritis opibus, ſemet perdidiſſe. Multos adeptis jam de mercede à Duce codicillis, ſperato tamen præmio fraudatos, Senatu ſubſcribere negante: nec Ducis literas, niſi ab eo autoritate donatas valere. Hæc ſine dubio altius juvenilem Principis animum penetraſſe. Nec conſiderandum, quod ita conveniſſet, & ſæpe quoque apud Gallos uſus ferret. Iam verò nequaquam mirandum, quòd Reformatorum ſacris ſuam quoque religionem ſuperinducere tentaviſſet. Innatam cuique caritatem ejus, & Belgarum*

multos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

multos hortatos. Denique utut ſe res habeat, unum ob errorem, non movendum
imperio Ducem, quando in Hiſpano tot tantoſque pertuliſſent. Deponerent potius cIↃ IↃ
anteactorum memoriam: minuendis controverſijs operam navarent. Ita cum Phi- LXXXIII
lippo Burgundiæ Duce à Belgis actum; quem, gravi cum Brugenſibus diſsidio com-
poſito, talem ſe geſſiſſe, ut annalibus Boni cognomento memoretur. Haud tamen
valuere omnia hæc, apud eos, quibus ante oculos tum nefaria illa vigilum
cædes, qui reverentiâ in Principem, nudatis capitibus adſiſtentes, in con-
ſpectu ejus trucidati à prætoriano milite erant; tum univerſum opus jam
longè antè præmeditatum (indicio rei, quod varijs ſimul patratum locis) &
adverſum ſolenne juſiurandum, adverſum bene meritos, Principis reve-
rentes, nec quicquam tale ſuſpicantes, tentatum. Rochepotum certè, &
familiarium Duci alios, paucis ante diebus gemmariorum arculas, & ſingula
quęque, emendi obtentu, curioſe perveſtigaſſe conſtat, quò gnari ubi opum
potiſſima ſervarentur, eas pretium laboris ipſi caperent. Notatum inſuper
Ducem, trecentis florenorum millibus, in Belgarum, Anglorum Scotorum-
que ſtipendia, à Patribus poſtulatis (nam recens è Gallia miles duûm men-
ſium æs acceperat) additoque, dein in hoſtem moturum: nonaginta millia
ejus ſummæ, è veſtigio à Brabantis Flandriſque collata, non dictarum na-
tionum militi, ſed Gallis elargitum, quò, cæteris ad tumultum concitatis,
horum auxilio voti potiretur. Hæc aliaque altè adeo in plebis animos de-
ſcenderant, ut nihil excuſari paterentur. Unde Andinus, ut rem trahi, &
alienatos animos vidit, ineunte Julio anni LXXXIII, Duinquercâ in Gallias
tranſiecit, cauſſaſque diſceſſus, dimiſſis ad Fœderatas nationes literis, ape-
ruit. *Duinquercæ peſtilentiam graſſari. Liberandum obſidione Cameracum, eo-*
que non longius legatorum exſpectare adventum potuiſſe. Rogare interea, ne ab-
ſente ſe ſententiam verterent, ſed flectendis ad æqua pacta Belgis operam darent.
tum in Galliâ, ſe facerent certiorem. Duinquercam à Duce relictam, & ab
hoſte obſeſſam, eadem penè fama tulit. Præſidebant Galli, qui ubi dedi-
tionem fecere, nova priſtinis ſuſpicionibus materies. Accedebant ſimul
ſermones eorum, qui Ducem in Britannico itinere comitati, arcanorum
multa è dicentis ore exceperant, nec ſine dolore pronum matrimonio cum
Hiſpani filia teſtabantur. Unde mirari ſubit, quæ tam vana ſpes matrimo-
nij inter Reginam Ducemque Belgas eluſerit. Multum hæc omnia ad dif-
fidendum valuere. Cæterum ſuperavit cuncta, veniæ ab Hiſpanis deſpera-
tio. Itaque paucis poſt menſibus Fœderati Patres, Antonium Lalænium,
Movillerij Toparcham, ac Joannem Aſſelierium, componendis Senatus
actis aſſiduum, in Galliam, revocando Alenzonio, miſere. Ille in hoſtem
movere, Yperiſque obſeſſis, ſubvenire ſe paratum, ſed numeratis ſtipendijs,
oſtendebat. A Patribus centena coronatorum millia, pedes, eques, tor-
menta, cæteræque neceſſitates belli, offerebantur. Inſtabant tamen, ut
publicè Hiſpanum hoſtem Galliarum Rex pronuntiaret, gnari hâc parte
potiſſima virium Ducis ſtare. Longè id trahebatur, diuque cunctatum,
magnis quoque pollicitationibus Ducem in ſua trahentibus Hiſpanis. Mar-
tio menſe anni LXXXIV dimiſſo Guilhelmo Maudæo, Manſartæ Toparcha,
denuntiant Patres, *in proclivi eſſe, nec recuſare quenquam, de renovandis pactis*
Burdegalenſibus. Flandros ab hoſte premi. Yperas nonum obſeſſas menſem: ter
cæſa ſubſidia: quod facilè univerſam pervertere rem poſſit. Proinde orare, obſe-
crare ſe, ut copias educat, locumque & tempus indicat, quîs peditum tria, equitum
millia duo, Patres ei adjungerent. Hoſtem liberales adeo conditiones in religione,
in privilegijs Yperanis, Flandriæque urbium cæteris offerre, ut metus ſit, ne plebes
illecta aurem præbeat, ni Ducis adventu artes eæ frangantur. Sperare Patres de
permovendis Flandris, ut Yperas atque Oſtendam muniendi ſui cauſâ Dux ha-
beat, cæterum hoc ſtatu periculum in mentione. A Rege, ubi ægre perſuade-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ LXXXIII batur, ut palam hoſtilia adverſus Hiſpanum indueret; tantùm codicilli poſtulati de juvando milite, pecuniâque Alenzonio, claudendiſque Caleti, Maſariæ, alijſque fluminibus, adverſus hoſtium ſubvectiones. In hæc reſponſum maturaret, moram enim pro negatione fore. Sibi quippe, impletis per omnia pactis Burdegalenſibus, liberum, alium quærere Principem. Paratos quotmenſibus ſexaginta quinque florenorum millia conferre in ſtipendium Gallis, quos Dux adduceret. acceſſura peditum ſuorum tria millia, equitum duo. Mox, permovendo quoque Regis animo, promiſſum, ſi abſque legitimo hærede Dux excederet, Regem, & quicunque ei legibus ſucceſſiſſent, Belgarum Principes fore. Terraſque eas inſeparabili nexu Gallorum imperio illigandas, conditionibus ijs, in quas Burdegalæ conveniſſet: integris tamen legibus, ſalvis inſtitutis. Ad ultimum tertiâ, poſtremâque legatione Patres petiere, ſaltem Yperis amiſſis Dux properaret, priuſquam in ditionem Gandavum ab hoſte redigeretur. Tradituros ei Sluſam, Oſtendam, Brugas, ac Dammum (quas ipſe poſtulaverat) ſi Duce Belgis conciliato oppida hæc ſub imperium Patrum redirent. Sed legati illi Ducem in vivis haud repererunt. Nunquam proſpera ei valetudo, ex quo Diliam flumen tranſmiſerat. Defunctus eſt prid. Kal. Junias, vetere dierum numero, loco cui caſtello Thiderici vocabulum, anno quarto poſt mille quingentos & octoginta. Procurator aulæ, ad extremum uſque ſpiritum individuus, de veneno ſuſpicabatur. Commendatumque ei à matre medicum ajebat, à quo, velut fidei indubitatæ, præbitum medicamen intrepidè hauſiſſe, præmonitum de alvi ac viſcerum cruciatibus. Cæterum adjeciſſe medicum, horam toleratis tormentis, ſalubritatem & vires medicamenti percepturum. ſin ſupra patientiam ſæviret dolor, eſſe ſibi in promtu lenimentum. Sed illum, cùm mitigandis cruciatibus quæreretur, mutatâ veſte, fugâ ex urbe evaſiſſe, parato jam antè eum in finem equo. Ducem verò eâdem nocte inter horrendos dolores extinctum, emanante ex omnibus membris ſanguine, haud diſſimili Caroli Regis fato; cui ex unguibus quoque ſanguinem effluxiſſe, memoriæ proditum eſt. Hunc finem Andegavenſis Dux habuit, ſummâ in ſpe cum Belgis in gratiam redeundi. Nec dubium hoc erat, niſi eum propera fato mors, aut alienum ſcelus rapuiſſet. Quippe tanto huc ſtudio intenti Fœderati, ut poſt exceſſum Ducis colloquium cum Rege, imò cum ipſa cœperint Reginâ, Pariſinæ cædis conſciâ: cujus inſons culpæ habebatur Alenzonius. Cæterum hæc ſuis locis reddenda: nos quæ interim geſta ſunt exponere aggredimur. Inexſpectato Alenzonij exceſſu, haud mirandum turbatam Remp. conſternatos bonos, pravis mala machinandi opportunitatem fuiſſe. Primorum multi, quîs plus ſpei in humano auxilio, quàm Numinis potentiâ, ambigui, deſperatâ Belgarum ſalute, occultò Regis gratiam captare, ut communi naufragio, &, certo illis, Fœderatorum exitio, ſe ſuaque eriperent. Hinc opportunum Parmenſi, firmiſſimas Brabantiæ ac Flandrorum civitates, copijs penè ad ludibrium exiguis, in ſuam poteſtatem redigere. E proceribus Carolus Croyus Cimaci Princeps, vir levis atque fluxi erat ingenij. Is anno LXXVI, ſacramento Patribus dicto, arma adverſum Regem ſuſtulerat. Pòſt anno undeoctogeſimo patrem ſuum, Ducem Arſchotanum, Coloniam ſecutus, Fœderatorum ſocietatem exuerat: donec elapſo triennio ſub adventum Alenzonij reverſus, & palam Reformatam religionem profeſſus, non tantum validam opibus Mariam Brimæam, Comitis Megenſis cognatam, & ex aſſe hæredem, in matrimonium impetravit; ſed & Flandriæ præfecturam: antehabitus à Reformatis Spinojo, qui Pontificia fovebat ſacra. Hic ubi ſpes de Alenzonio deſtituiſſe fortunam videt, quartùm mutatâ fide, intento ſtudio, Regis gratiam affectabat. Et primùm, diſſimulato conſilio, Arauſionenſi,

ſionenſi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſionenſi, Andinum revocari ſuadenti, obſtitit. Nec citra periculum tantùm ſui id, verùm & facilè perfecit, Gallorum gente exoſâ plebi, maximè Reformatæ. Poſtremò ubi extremâ neceſſitate conſilia Arauſionenſis probatum iri videt: (quippe humano judicio, aut cum Hiſpanis, aut Gallis, in gratiam neceſſariò redeundum erat: & hinc mixta, periculorum metu ſpes; inde nihil præter certum exitium;) utroque rejecto, tertiùm cum Embiſio proponit, de advocando Caſimiro, qui equitum peditumque copias auxilio Colonienſi Epiſcopo adduxerat; ac pertrahendis in fœdus Germanici Imperij Principibus. Pronis hæc vulgi animis excepta, ſtatim conſilia, quæ Andinum tangebant, evertêre. Igitur in Germaniam à Gandavenſibus miſſi Borluttius, Bouchliuſque. Quâ re dum tempus trahitur, dùm retro Epiſcopi res eunt, & hoſtis ſenſim imperij limites profert, amiſſis Duinquercâ, Meninâ, Dixmuidâ, Neoporto, Winoci monte, atque Yperis, quum principes Flandriæ civitates deſperatio inceſſiſſet, Cimacenſis palam cum Parmenſi pactus, urbes ei Brugas ac Dammum prodit a. d. XX. Maij anno LXXXIV. cùm nono Aprilis, qui præceſſerat, die, Yperæ expugnatæ eſſent. Conatus quoque Arnoldum Groneveldium Sluſæ centurionem corrumpere; ſed nequidquam, illo fidem retinente. Nec multò pòſt libellus ex ædibus Croij emiſſus, inſtigante illo, vel ſcriptore, ut creditur: quo prudentiam, ac dolum ſuum in ſubvertendis Arauſionenſis conſilijs jactabat. Se autore negligentiùs Dixmuydam, ſegniùs Neoportum cuſtoditam. ſuâ arte Scotos, ſubſidium Yperenſibus, proditos ac internecione (quamvis id libellus reticebat) deletos. Exitus erat: Duarum ſibi urbium recuperationem debere Regem. Neque alio animo ad Patres tranſgreſſum, quam ſpe regiæ utilitatis. Uſque adeo hominem offenſæ apud Regem metus, & decori, & honeſti immemorem fecerat. Satis tamen anteacta oſtendebant, non ſimulatione, ſed ſolâ ingenij inconſtantiâ, ad Patres tranſiiſſe. Quippe Antverpiam veniens defectionis cauſſas libello vulgaverat; Regem tyrannum nuncupans, & Achabo ſimilem, alijs id genus contumelijs adjectis. Brugis deprehenſum in ſacris ſacerdotem, à prætoriani militis vicario albâ amictum veſte, cum calice, cum hoſtiâ, ſacroque inſtrumento, per urbem ludibrio cunctis circumductum, trahi in ædes ſuas juſſerat, ereptoque calice, conſecratum aſtantibus vinum obtulerat. Cui delicto ignoſcere ne Regi quidem fas, ob inquiſitionem. Poſt defectionem, depoſitâ præfecturâ, Regis gratiam exſpectans, imperium in centum equites haſtatos pretium perfugij tulit. Gandavi ad lubidinem Embiſij omnia gerebantur; qui anno undeoctogeſimo Caſimirum ſecutus, odioque Arauſionenſis patriâ relictâ, ultro in exilium abierat. Nunc turbatis Flandriæ rebus revocatus, conſulatum adeptus erat. Is Gandavum ſimulatque ingreſſus, nonnullis, qui redeundum in gratiam cum Hiſpano clamitabant, comprehenſis, magnam omnibus lætitiam injecerat, tanquam oppreſſis per eum arcanis perfidorum artibus, liberatoque Gandavo. Sed haud multo pòſt, ad colligendam autoritatem, & admittendos in urbem Hiſpanos, feciſſe compertum. Ille non revocandos Gallos, neque audiendum hîc Arauſionenſem, favorabili ſermone paſſim diſſerebat. Cæterum priuſquam deſtinata perficere, aut moliri exitium urbi poſſet, ita bonorum in urbe numerus accrevit, ut detectis inſidijs, gladio perfidiæ pœnas dederit. Sed ſerum jam componendis turbis, aut plebem ad concordiam, aut ad obſequium concitatos revocare, aut denique languentium animos confirmare. Præ cæteris Campaniacus Granvellani frater, laxè Brugis in cuſtodia habitus, dato cuivis aditu, multorum paullatim ita flexerat animos, ut non alium utiliorem cauſſæ ſuæ oratorem ſperare Hiſpaniarum Rex potuerit. His de cauſſis VII tantum millium exercitu ingentem obſidere civitatem Parmenſis aggreſſus, commeatibus, quæque

ad urbem

CIƆ IƆ LXXXIII

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ ad urbem ferebant fluminibus intercluſis, ad tantas compulit anguſtias, ut
LXXXIII certas conditiones pacti neceſſariò urbem dederent oppidani. Conſumtæ,
priuſquam conveniret, diſputando hebdomades nonnullæ. Ubi ſumma Ri-
chardoti, Arteſiæ præſidis, prudentia eluxit. Quippe is non omnino ſpe li-
beræ religionis Gandavenſibus ademtâ, eam rem, ut cæteris graviorem, ad
ultimum reſervari petierat. Jura, leges, veniam anteactorum, cætera, con-
ceſſit, ita ut nequaquam abhorrerent Gandavenſes. Cæterum poſtremo re-
ligionis libertatem petentibus nonnullis, ſi id pertinaciter fixum eſſet, ne-
quidquam de cæteris laboratum reſpondit. Unde prioribus illecti Ganda-
venſes, religionis, quàm facultatum facere jacturam prætulere: haud ſecus
atque olim porcinæ cupidine à Gergaſenis Servator humani generis eje-
ctus eſt. Mox extorquendo opulentioribus civitatis argento, altero quo-
que dolo uſus Richardotus, *tametſi*, inquit, *civitas graviſſimo in Deum, in Re-
gem crimine, pœnas inclementes promerita foret: ſatis tamen Regi pro lènitate
ſua eſſe, exemplum in ſenos ſtatuere homines: & ſic quoque gratia in hos uſurum.*
Igitur convenit, ut totidem capita à Parmenſi conditionibus eximerentur.
Quo urbem ingreſſo, ut quiſq; facultatibus valebat, factum in ſe decretum
rati, ad Richardotum concurrêre, ejus interceſſione, & muneribus ſuis, im-
munitatem impetraturi. Unde ingens ei pecuniæ vis. Fidus per omnia
Embiſio Petrus Dathenus fuerat, verbi divini miniſter. An tamen in con-
ſcientiam arcanorum adhibitus, incertum. Urbis deditionem molitum
conſtat. Quâ traditâ, in Holſatis ſedem poſuit, & medicum ſe ferens, Petri
Montani nomen ſumſit. Poſt quoque religionem mutaſſe, fama tulit.
Quamobrem miſſis ad eum à Belgarum Synodo tribus miniſtris, ille nomen
ob temporum pericula mutaſſe, novam artem, quærendo victui neceſſariò
profeſſum reſpondit: cæterum à religione deſciviſſe, ſeriò pernegavit. Ro-
gatus, quid tam familiariter acerrimo Davidis Georgij ſectatorum utere-
tur, lapſum ſe in nonnullis, verùm Numinis beneficio ad ſanitatem revoca-
tum aſſeruit. Et, ſi judicij ſui documentum velint, paratum, Eccleſiaſticum
munus ſi offeratur, ſuſcipere, reque ipſa probaturum, quàm falſa rumores
vulgaviſſent. Pari ratione Guilhelmus Bergenſis Comes, Geldriæ præfe-
ctus, ob turbida rerum mutatâ fide, totus incubuit, traducendis ad obſe-
quium Regis, quas tenebat, terris; novo merito veteris offenſæ memoriam
aboliturus. Sæpe hunc animum detexerat, ſiqua poſtulatorum minus à
magiſtratibus impetraſſet. Hinc in audaces atque arrogantes voces erum-
pens (ut erat ingenio mobili, nec ſecreta celare idoneo) *videre ſe* jactitabat,
*quam contemtus haberetur. Nec cogitare quemquam de ſarciendo, quod ipſe, quod
filij accepiſſent, damno. Poſſe, ſi Regi impendere operam ſuam velit, majora obti-
nere, & faſtidio ſibi plebis ſervitium. Si omnino ſerviendum ſit, majori domino fa-
cturum. Eſſe quoque ſibi ad Regis gratiam receptum per Cliviæ Ducem.* Suſpe-
ctæ, ſpretæque à multis orationi, qui ingenij id levitati imputabant, facta
haud diſparia accedebant. Notatum miniſtrorum illi fidiſſimum, ſæpius
Emmericam profectum, cum Frederico Utenhamio, exule Ultrajectino,
infeſto Reformatorum patriæque hoſte, conſuetudinem habere. Ipſum Co-
mitem ad conſilia, ac ſecretò, ſuſpectos, boniſque omnibus inviſos homines
adhibere. Negotia graviſſima, unde principum urbium penderet ſalus, non
curari, exitijque manifeſtas negligi; certo indicio, parum formidatas illi
hoſtium victorias. Anno LXXXIII menſe Aprili, cum frequentes hoſtium
copiæ per Keſſeliam, Leodicumque volitarent, metui Venlonæ cœptum
erat. Comes tamen præſidium augeri diſſuaſit; proque obtentu, itinerum
pericula erant: militem in certum duci exitium clamitabat: quamvis poſt
ſummâ Cancellarij, conventus, ac Senatus Geldriæ curâ Weerdenburgius
præfectus ne ſingularis quidem militis jacturâ, duas in urbem centurias
perduxerit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ LXXXIII

perduxerit, hoſtium copijs trans Moſam vagantibus. Doeſburgo per aſtum noctu tentato, deprehenſi hoſtes, omiſſis in muro, quas è fune texuerant ſcalis, in foſſa navi unâ, irrito conatu diſceſſerant. Et quanquam ſcalarum prodente ingenio, non ſine auxilio cujuſquam oppidanorum ſuſpendi potuiſſe, à Comite tamen haud inquiſitum. Zutphaniam centuriæ duæ cuſtodiebant, quîs diſſidentibus pellitur urbe altera. Quæ manſerat, obſequium erga præfectum exuerat; ipſe Arnhemum diſceſſerat. Unde decreſcente indies militum numero, non plures L X X limitaneam, & tanti momenti urbem ſervabant. Compertâ re, Cancellarius ac Senatus de remedio monere Comitem cœpere. Et orantibus, ut virum nobilem, incorruptum fidei, belli ſcientiâ, atque autoritate egregium præſidio imponeret, *abunde ſibi obſervatorum* reſpondit *eſſe*. *Ipſum ſe Zutphaniæ ſedem ponere, atque imperium adminiſtrare velle*. Hac negligentiâ, ſive curatâ potius incuriâ a.d. XII. Septembris, primâ luce, Zutphania ab hoſte inſidijs capta direptaque eſt. Delatumque de ipſo Comite, priuſquam Geldrorum reciperet præfecturam, aditum ad Regis gratiam paraſſe, eoque conſcio & probante, Fœderatorũ ſe publicis rebus immiſcuiſſe. Tandem anno M D LXXIII menſe Octobri, transductis Moſam à Petro Paſio hoſtium legionibus, rectaque Geldriam petentibus, quum rumores iſſent, conſcio Comite à Parmenſi miſſas, ſimul nunciato, Comitis quem diximus miniſtrum ſæpius Emmericam ultro citroque ad Utenhamium commeare, cenſuit Cancellarius, & cum eo Geldriæ Senatus, ac magiſtratus Arnhemenſes, providendum patriæ ſaluti, adverſus inteſtinas molitiones: priuſquam ulterius hoſte penetrante, erectiſque in ſpem occultò faventibus, ſerò remedium quærerent. Itaque a. d. quintam Novembris, miniſtros Comitis, qui maximè ſuſpecti, Secretorum participem, Quæſtorem, quique à cubiculo erat comprehendunt, ipſius Comitis cubiculum acribus cuſtodijs ſeptum. Reperta apud cubicularium varia ſcripta, manifeſta totius rei indicia. In his literæ ad Philippum Marrezium: (is magno Regis concilio à Secretis erat) quîs negotium ei dabatur, aperire Parmenſi, poſſe Comitem Geldriæ præfecturam adipiſci; cæterùm haud facturum, niſi probante Rege. ei ſi videretur, daturum operam, reducendæ ad obſequium ejus Geldriæ. Pretium laboris, re confectâ, ejuſdem terræ præfecturam petere. Placuitque Regi, & miſſis ſine mora literis, conceſſit quæcunque poſtulabat. Repertum quoque ſcriptum, quo Parmenſem hortabatur, urbes Venlonam, Geldram, ac Wachtendoncam aggredi, tanquam ſegnius, ut ajebat, ab Hogeſaxio cuſtoditas. Suam interea legionem in civitates alias diſtribuere velle, quo cunctis, expugnatione dictarum urbium perculſis, minori cæteras negotio traderet. Præter hæc chartæ manu Utenhamij ſcriptæ, qui & præcedentes, & quæ proximè ſequuntur, conſignarat. His Zutphaniæ traditionem Comes promittebat, ſimulatque copias urbi Parmenſis admoviſſet. Alteris oſtendebatur, obſeſsâ Venlonâ prohibiturum eundem, ne ſubſidia ulla mitterentur: literis quoque filium, urbi præfectum, hortari velle, ut æquis eam conditionibus dedat. Ipſum contendere eò haud decreviſſe, ne vilem Fœderatis autoritatem, inutilem Regi operam ſuam faceret. Erat dein index copiarum, quæ expeditionem in Geldriam ſuſcepiſſent, ſcriptus manũ Hiſpani, apud Regios luſtrandis militibus delecti. Denique ad Utenhamium literæ, qui Parmenſi conſilium Comitis renuntiaret, de prædicti exercitus uſu. & illum quidem in Geldria ulteriori continendũ, dum Noviomagi atque Arnhemi conventus tranſigerentur, injiciendo equeſtri ordini, atque urbibus timori, quò facilius reconciliationem cum Rege perſuaderet, exiguoque impendio Geldriam ſub imperium ejuſdem reduceret. Hæc, ac talia cognoſcentibus, quanquam ſatis cauſſę Cancellario ac Senatui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ videbatur, tormentis miniſtros ſubjiciendi, ac facinorum exprimendi cæte-
LXXXIII ra, clementiùs tamen habuere, patrijs contenti rebus conſuluiſſe. Comi-
tem ipſum, conjugẽ, filias, ac liberûm natu minores in Hollandiam miſere,
ut mitiùs, interceſſione Arauſionenſis, cujus illa ſoror erat, in noxium ſtatue-
retur, & quam minimâ Naſſoviæ domus ignominiâ. Filiorum majores
Hermannus, Fredericus, Oſualdus, publica fungentes munera, quorum
Hermannus quingentos equites regebat, licet conſiliorum ignari, ne inſti-
gantibus alijs, aut memoriâ paternæ contumeliæ exſtimulati, flagitium au-
derent, ædibus ſuis clauſi, armaque ponere juſſi: poſt parentis diſceſſum tum
illa, tum libertatem recepere; ijſque Cancellarius ac Senatus, omnis culpæ
abſolutis, confidere dixit, fidei, ut hactenus, immobiles fore. Illi ſublatis
dexteris ad extremum uſque ſpiritum arma & fidem pro Belgis ſe retentu-
ros juraverunt, cum precibus obteſtati, ne ob ſequiora parentis conſilia,
deterius de ſe judicium fieret. Nec multo poſt dimittuntur & miniſtri.
Comes, & conjux, quintum ſe Delfshaviæ menſem tenuit: hinc poſtulato à
CIↃ IↃ Patribus, ut in locum ab hoc bello vacuum transferre ſedem daretur, his
LXXXIV. legibus impetravit, ut jurejurando intemeratam fœderatis fidem adſtrin-
geret; nec defectionem moliretur, neu hoſtium conſilijs aut ſua ſponte, vel
per alios, implicaretur, aut quicquam cum ijs commune haberet. Civitates
ejus, & arces Patrum præſidio cuſtodirentur, citra impenſas Comitis, & ſal-
vo ejus honore. Tormenta, cæteraque bello neceſſaria, quæ in ijs Comes
haberet, relinquerent Patres, militem ſacramento obligarent, proventus
nuſquam facerent deteriores. Comiti, liberis ejus, & quîs munera ulla man-
daſſet, dummodo boni cives forent, acceſſum, abitum, conficiendis nego-
tijs, libera fore. A Patribus ſi vocaretur, adfore ſe Comes jurejurando pro-
mitteret. qui ſi in quamcumque dictarum conditionum deliquiſſet, bona,
fructus, proventus, publica fore, quamdiu ille ſupereſſet. Contractus is
Delphis a.d. xv Martij anno MDLXXXIV utrimque ſignatus eſt. In quo ta-
metſi adjecta formula, *verbis de præſenti*, Comitique propoſita, ac ſubſcri-
pta; ille tamen Emmericę neque dexteram ſuſtuliſſe, neque ullo teneri jura-
mento jactavit. Eodemque obtentu paullo poſt Herembergenſi præſidio
inſidias molitus, Ulſtam ac Boxmeram arces ſuas in hoſtium traduxit par-
tes: & filios, pro fortunâ ſuâ, honeſto apud Fœderatos loco, ut eâdem æ-
ſtate hoſtilia adverſum nos induerent impulit. Bergenſi in Geldriæ præ-
fecturâ Adolphus Nivenariæ ac Meurſæ Comes, ſucceſſor datus, adeo tur-
bata cuncta invenit, ut nullâ ratione amiſſas paullo poſt urbes retinere po-
tuerit. Pravâ publicæ rei adminiſtratione, paſſim ſpiritus ſumere Pontifi-
cij, & propalam infeſtæ eorum audiri voces. Qui dubios hactenus ſerva-
rant animos, ſuperioris partis gratiam ſpectantes, eò declinarant: bonorum-
que multis languentibus, ſubitum Arauſionenſis fatum conſternationem
auxit. Illum quidem corruptus auro ab Rege ſicarius, ſuis in ædibus, ut à
menſa adſurrexerat, excuſſis è tubulo glandibus duabus tranſiecit. Fuit-
que ſimul fere cum vulnere mors: tantum noviſſima efflatus verba, *Miſere-
re Deus afflicti populi*, extinguitur. Hic exitus Arauſionenſem habuit alte-
ro ætatis anno poſt quinquageſimum. Cujus geſta magis poſteritas æſti-
mabit, ac ſuſpiciet, quàm coævi fecere. Multis quippe inviſus, infenſos
Chriſtiani orbis pleroſque Principes, æmulos & invidiâ accenſos æquales
expertus eſt. Plebis verò, cujus haud ſimul parêre libidini & uſui poterat,
ſæpius eum ferocia dicta, fremitus indignantium, mobileſque animi male
habuerunt. Regum quoque & Principum nonnullis, licet non Hiſpano,
non Pontifici cupientibus, averſa ab eo mens, metu ne ſubditorum in Prin-
cipes arma, cæteras quoque contactu nationes invaderent. ſed neſcij illi
cauſſarum belli apud Belgas, & juſta exercentibus imperia tale nihil timen-
dum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

dum. Patria Arauſionenſi Germania, & in eâ Dillenburgum fuit. Sed à teneris in Belgis educatus, tanquam hæres Renati Naſſovij, cui cognomen Cabillonenſis. cIↄ Iↄ LXXXIV. Juvenem Carolus Cæſar favore ſummo complexus, ſemper in cubiculo miniſtrantem habuit; in Senatu quoque præſentem, qui gravium rerum, qui dolis exitus, audire ac cognoſcere voluerat. Quæ, ingenio ætatis modum egreſſo, & tenaciſſimæ juncto memoriæ (qua in retinendis non geſtis tantùm rebus, ſed & innumeris hominum, quos noviſſet, locorumque nominibus, & quando, & ubi quidque actum, ad miraculum penè valebat) ſummam experientiam, providam mentem, acre judicium dedere. Patientiam haud naturæ adeò, quàm rationi ſuæ debebat. Nullæ animum frangere adverſitates, nulla incommoda aut labores fatigare corpus poterant. Cujus tam vegeta illi conſtitutio, ut condituri cadaver medici interiora omnia perinde florida invenerint, quaſi ætate vigentis: & miraculo erat, non peſtilentiam, quâ ante decennium laborarat; non ſanguinis fluxum, ex vulnere, anno LXXXII, accepto, quem ſiſtere medici haud quiverant; non ſummos labores, ſummas curas, incommoda ſumma, magis corpus aut animum labefactaſſe. Statura illi modica, color fuſcus, hilares blandique oculi: ſermones, ac conſuetudo à natura alliciendis hominum animis facti: nec amœnitatem jocoſque, ſi tempus ferebat, in eo requireres: imprimis inter cibos hilaris, & velut omnium ſecurus: quâ re & tetricos atque arrogantiores nonnullos offendit, qui ſimulatam ſæpe & coactam eam lætitiam haud capiebant: cum illius aſpectu cuncti refoverentur, illius ex vultu ſpei quiſque aut deſperationis cauſſam ſumeret. Potu naturale ſæpe deſiderium, ob gentis conſuetudinem, excedebat: ſemper tamen pari gravitate, ijſdem moribus, ſupra ſobrietatem nunquam. Omnis illi, dum cibum caperet, voluptas: ludis, ambulationi, equis, aut venatui nihil temporis; ſed curis, laboribus, ac ſerijs rebus, omne datum. In Deum pius: ſævitiam uſque adeo averſabatur, ut flagitij quoque compertos, capitiſque reos lugeret. Deditque experimentum clementiæ ſuæ Antverpiæ anno LXXXII, cùm glande caput trajectus, haudquaquam è ſententia judicum, vivos equorum vi diſtrahi noxios paſſus eſt; ſed conſilio interceſſit, impetravitque, ut prius eliſis laqueo faucibus extinguerentur. Fortè congruerat, ut Amſtelodami morante eo, Anabaptiſta, occiſâ per ſcelus fœminâ, ad flammas damnaretur. Ille moderandum ratus, quò ſimul & judicum ratum foret decretum, & longis reum cruciatibus liberaret, propoſuit, & obtinuit, ut eodem quo fœminam obtruncarat cultro, præſectâ dexterâ, inflictoque capiti vulnere, in flammas præcipitaretur. Belli artibus neminem ſuo tempore parem habuit. Sed ornatus, aut elegantiarum in ſermone incurioſus, ob rerum uſum, & tenacem memoriam, validis rationibus ſua comprobabat conſilia. Artes ad regendam plebem in eo omnes; quam, licet præfracti obſtinatique animi, tandem ad obſequium flexit: nunc blandâ, aſperâ nunc ac violentâ oratione, cujus frequentior illi uſus, quàm lenociniorum. Libertatis atque autoritatis ſuæ adſiduus cuſtos, ut liberè plebi ſua objicere vitia poſſet. Gnarum enim cuique, vitam innoxiè illi tranſactam, animumque ut publici egregij ſtudioſiſſimum, ita aſpernatorem privati. Unde bello eò paupertatis redactus eſt, ut diu hæreditatem adire hæredes contarentur. interea ſuppellectilia, annuli, vaſa argentea, quin & veſtes publicè in debitorum ſolutionem divenditæ. Guilhelmus Haſſiæ Comes, omnium ſui ſæculi Germaniæ Principum prudentiſſimus, cùm Judâ Machabæo, haud injuriâ conferre Arauſionenſem adſueverat. Quippe & hic, & ille, pro vera religione, contra imaginum cultores; pro afflicto, & ſine duce populo, adverſus potentiſſimos Reges; exiguis viribus contra invalidos hoſtes, arma ſumſere. Denique ab utroque ſpernendis primordijs, favente Nu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXXXIV. mine, præter opinionem omnium orbis prudentium, felicem in ſtatum res perductæ. Sed & Macchabæi quinque numero fratres, raro in familijs illuſtribus exemplo, eximiâ inter ſe fide fuerunt, omneſque hoſtium aut potentiâ aut dolo circumventi periere. & Arauſionenſis haud minorem in ſe quatuor fratrum fidem expertus: quorum neminem morientem lectus tenuit. Tribus bello hauſtis, ipſe inſidijs nefarioque ſcelere raptus eſt. Quintus, qui ſupereſt, Joannes Naſſovius Comes, Dillenburgi, quoad Numini videbitur, vitam tranſigit. Extincto Arauſionenſi confeſtim ad vicinos Principes nuncij dimiſſi. Præ cæteris ad Galliarum Regem, oratum, ut vel ſanguinis ſui, vel magnæ dignitatis virum mitteret, dirigendæ Belgarum Reip. per omnia obſequio paratos fore. Ad Britanniæ Reginam miſſi Jacobus Gryſius, ac Joachimus Ortelius, qui affectas arctaſque res Fœderatorum referrent. Inſtare cum triplici exercitu Parmenſem. Peditum millia tria, equitum XXIV turmas, in Geldria habere. Circa Antverpiam equitum militumque millia quinque ad utramque Scaldis ripam conſediſſe. In Flandriâ, Gandavo, ac Teneramundæ octona imminere. Non tamen ideo animum Patres abjicere. Nullam nationum, nullam urbium de pace cum Hiſpano cogitare. Impigre bellum à cunctis parari, decretaque in uſum ejus quotmenſibus millia florenorum trecenta & triginta; quamvis nunc, dum non niſi ſuis tuendis incumbant, tria tantum millia peditum, equitum turmas XXV educere poſſent. Brevi bellum illaturos. Germanorum peditum ad ter mille, equites trecentos ſcribi. Si præſtare auxilium Regina velit, multos præſidijs deduci, juſtumque cogi exercitum poſſe. Jam de conditionibus cum Gallo agi cœptum, & ſpe bonâ. Rogare ſe, ut recte id Regina accipiat, peditumque ſena, equitum tria millia, pulveris pyrij ad centum mille pondo ſubmittat. Poſſe eam naves Belgarum cum mercibus pignoris loco detinere: quòd cœpto cum Gallis colloquio, haud facilè de pecunia ttanſditione urbium caveatur. Poſſe & monilia anno LXXVIII pignori data, in exſolutionem debiti prioris vendere. Quod deſideraretur, Belgis donaret. Ad ea Regina, pignore tam incerto, nimia videri poſtulata reſpondit. Stipendium dictorum militum fore quotannis vicies centena florenorum millia. Inde palam ſibi bellum cum Hiſpano, & impenſarum cum annis incrementum. Subditos negotiationis Hiſpanicæ, ſe vectigalium omniumque tributorum damnum facturam. Cæterum ne prorſus ſolatij egenos Belgas dimitteret, legatos Bononiam mittere, atque ad auxilia ferenda Gallorum Regem hortari velle: & communicatis cum legatis ejus conſilijs circumſpecturam, quâ potiſſimum ratione defendi poſſent res Belgarum.

FINIS LIBRI III.

EVERARDI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

EVERARDI REIDANI
ANNALIVM LIBER QVARTVS.

BREVIARIUM LIBRI.

LEGATI in Galliam à Belgis mittuntur, qui principatum Regi deferant. Duplicia ijs mandata. Orationem Leoninus habet, cui ex tempore Rex reſpondet. Conditiones ab legatis allatæ circumciduntur, prætermiſsâ ſacrorum mentione. Hiſpani, & Guiſianorum conjuratione, prohibitus Rex Belgarum ſuſcipere imperium, legatos comiter dimittit. Noviomagum & Doeſburgum amiſſæ. Arnhemum cuſtoditum. Antverpia à Parmenſi obſeſſa, & clauſus Scaldis. Herentalia temere ab Antverpianis deſerta. Treſlongus ob contumaciam in carcerem datus. Sylvamducis dolo, ſed fruſtra, aggreditur Hohenloius. Nave igniti operis pons Scaldi impoſitus pervertitur; Billius, & Gandavenſis Vicecomes, alijque perimuntur. Kerſemakeri inventa ponti diſiiciendo: ſed non tentata. Kouwenſtænianus agger ab Hohenloio expugnatus, relictuſque. Vnde Antverpiani omni ſpe abjectâ, urbem Parmenſi dedunt. Friſiorum res: præfecturam apud eos, defuncto Arauſionenſi, Guilhelmus Naſſovius adipiſcitur. Verdugi cum Edſardo colloquium de firmanda munitionibus Cnockâ: quod Guilhelmi Naſſovij literis impeditum. Bergenſis Comitis filij deficiunt. Noveſium à Meurſæ Comite; Slikenburgum & Oldemarkæ templum, à Guilhelmo Naſſovio, in poteſtatem rediguntur. Fœderatorum miles ad Amerongam cæſus. Inſidiæ Groninganis à Rolando Ketelio paratæ, ſed irrito conatu. Ipſe capite plectitur, cadaver laniatur. Iſelorta & caſtellum ad molem Bergenſem à Meurſæ Comite expugnatum. Knodſenburgum extructum. Friſiorum copiæ Boxumi cæſæ. Improſperæ eorum res: quibus turbandis Franciſcus Bodimontius ſeditioſos libellos ſpargit. Vliſſinga bis aſtu tentata.

QUÆ interea cum Galliarum Rege Patribus acta ſint, CIↃ IↃ
curatius expedire nunc aggredior. Simulatque ex- LXXXIV.
ceſſiſſe Alenzonium fama tulit, negotium legatis datur, abſolutum Regi in Belgas imperium deferre, ejuſque mature reſponſum urgere; ne inani ſpe, cùm temporis, tum terrarum quoque ſuarum jacturam facerent Fœderati. Si is animus Regi, ut apertè Hiſpano bellum facere gravaretur, & matris præferri nomen mallet; eaſdem quas Alenzonio, conditiones proponerent. Occultè interea ab Rege literas impetrarent, auxilio matri fore. Reginam quoque monere juſſi, ne grave adeo bellum, quod ducentis florenorum millibus in ſingulos ſtaret menſes, niſi auxilij Regij certa ſuſciperet. Inter hæc Rezius Equitum magiſter cum Gallorum equitum manu Cameracum veniens, nova Patres ſpe accendit. Brevis tamen ea, cognito nihil in Arteſios Hannonioſve hoſtile moliri: & exiguo adeo ejus metu, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXXIV. inde deductam præſidijs Montignij legionem, alioſque milites, Gandavum, Lilloum, ac Lieſquenshoucam hoſtis dimitteret. Rothomagi legatos Brulartus, Regi à ſecretis, acceſſerat; quæſitoque, Regis nomine, quæ mandata haberent, ubi cognovit, bona ſpe impleverat. Idem à Petro D'oro factum; qui Luſitaniæ Regis legatus, & gratiâ Reginæ matris validus erat. Revertens poſt octiduum Brulartus, diſplicere, quæ audiverat, Regi ait, non oſtenſis, quîs fidem faceret, ab Rege literis. Eo comperto, legati (quia ipſi Rothomagi morabantur, haud conſultum judicante Rege, Lutetiam vocari) Lapreum ad Reginam miſere, qui Belgarum principatum deferret, dummodo mature ſubveniretur. Adijt quoque Regem Eſpruneauſius, quæſiturus, an quod ſuo nollet, ſub Navarreni Regis nomine fieri pateretur. Ad Patres Caronus contendit, de re totâ relaturus. Illis miraculo eſſe, ne auditos quidem legatos, & in gravi adeò negotio, non literis, ſed ore tantum reſponſum: id rei momentum arbitrabantur, ut ſaltem ſcribere operæ fuerit. Nec multo poſt miſſus ad Patres Eſpruneauſius lætiora adferebat. Illi imperatum de Patrum facultatibus cognoſcere: ſigillatim deinde, quid gentium cuique animi; quibus conditionibus imperium offerrent. Horum in teſtimonium literas ſigillo publico confirmatas referre. Igitur inquirenti Patrum reſponſum placuit, demonſtrato, ſperare de tredecim peditum, tribuſque equitum millibus cogendis, ad liberandũ Gandavum. Auxerat animos hoſtium à Lilloo diſceſſus, amiſſis militum millibus duobus, & centurionum multis. Lutetiam reverſus Eſpruneauſius, certiores facit Patres (qui inſtanter id ante petierant) Regem, ut nunquam aula ſua quemquam prohibuiſſet, ita Belgarum quoque legatis audientiam pollicitum. Inter hæc Davidzonus Britannorum legatus, ubi mox diſceſſuros in Galliam legatos videt, petere à Patribus cœpit, ut paucos ex ſuis deligerent, quibuſcum arcana communicaret. Apud hos ille, nec Belgarum res, nec cœptum cum Gallo negotium, turbare Reginam, aut trahere in ſe quidquam velle: multò minus imperij cupidam, licet plus autoritatis Principum quoquam promerita ſit: ſed vereri ne longius rem Gallus trahat, comperto, quam frigidum reſponſum Staffortio legato ſuo dediſſet, eoque auxilium & operam offerre ſuam voluiſſe. Proinde quis rerum ſtatus, quouſque cum Gallo proceſſum, quas facultates Patres habeant, ſcire velle. Ad ea Patres decretum ſibi, principatum Galliarum Regi tradere, jamque paratos itineri legatos reſponderunt. Expoſito dein rerum ſtatu, ut juvare Regina velit, rogarunt. His compertis Davidzonus, fruſtra mandatorum cætera exponi ait, rebus eo deductis. Pares Belgarum defenſioni Gallos, imo Britannis potentiores. Nihilominus manere in propinquo velle, ut Fœderatorum ex uſu, pro tempore, pro re conſulere poſſit. Igitur in Galliam mittuntur à Brabantis Richardus Meroda, Cornelius Aerſſenius, ac Junius Juriſconſultus: à Geldris Elbertus Leoninus Cancellarius, Joannes Gentius cui Toparchia Oya, & Gerardus Voetius juriſperitus. Hollandorum nomine profectus Arnoldus Dorpius; Flandrorum, Noëlus Caronus. Zelandi Jacobum Valckium; Ultrajectini Joannem Rengerium, & Amelium ab Aemſtel Minenſem, miſere. A Friſijs Jelgerus Feitſma, Heſſelus Aiſma, Juriſconſultus, & ejuſdem terræ Præſes; à Machlinienſibus Antonius Lalænius miſſus eſt. Fœderatorum Patrum miſſu Joannes Taffinus abijt, Belgarum antea apud Gallos negotia curare ſolitus. His ſeorſim ſingulis ſuæ gentis procerum mandata fuere: & communia cunctorum ſimul nomine. Datæ inſuper geminæ literæ, quîs poteſtas facta juramentum præſtandi, & ab Rege accipiendi: ne, currentibus ultro citroque nuntijs, tempus efflueret. Mandatorum hæc ſumma.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

I. *Vti Belgarum principatum pari poteſtate, tituliſque iiſdem in quos jura-tum à Carolo Cæſare foret, accipere Rex vellet, tum ſibi, tum quicumque Gallorum deinceps regno ex jure potirentur. Defenderet gentem; hoſtes, maxime Hiſpanum, perſequeretur, neque pacem cum eo, invitis faceret Belgis.* cIↃ IↃ LXXXIV.

II. *Servatis Reformatorum ſacris, diverſa ne induceret: relicta cuivis conſcientiæ libertate.*

III. *Privilegia in integro manerent.*

IV. *Dein & pacta cum Principum urbiumque finitimis, dummodo huic non adverſa.*

V. *Præfectum ſanguinis ſui, virum famâ, dignitate inſignem, conſtitueret: adjuncto indigenarum Senatu: ſed qui Reformati, carique Patribus forent.*

VI. *Præpoſitis cujuſque gentis imperium propagaret: aut ſufficeret alios: qui Regis loco, cum Patrum legatis ſecuritati ac tutelæ terrarum, urbium, caſtellorumque providerent.*

VII. *Vacantibus præfecturis, & dignitatum majoribus, alterum è duobus candidatis, ab eadem natione propoſitis, Rex deligeret.*

VIII. *Præſidiarios niſi ex inhabitantibus terram, nulli imponeret loco: nec caſtella aut arces, niſi primorum gentis conſenſu extrueret.*

IX. *Iuri dicendo, quibus id negotij datum, præeſſent, iiſdem quæ impræſentiarum haberent mandatis, eâdem poteſtate. Vacuis magiſtratibus, aliiſve muneribus, præfecti cuique populo, quorum arbitrio id tranſigeretur, & indigenas legerent, & Reformatos:*

X. *Excluſis, qui vel bello in exilium acti, vel ad hoſtes tranſgreſſi.*

XI. *Rem fiſcalem præſenti ſtatu acciperet, nec, niſi Patrum voluntate, novis vectigalibus, aut tributis oneraret populos.*

XII. *Fœderatos proceres quotannis Kal. Maij conventuros. Sed Regem, aut Præfectum cum Senatu, quando neceſſitas exigeret, convocare eos poſſe. Nationis cujuſque proceribus, quando & quoties videretur agendi conventus jus foret.*

XIII. *Amiſſas urbes Rex recuperaret: receptas ſuis reſtitueret terrris, & religionem reformatam reponeret. Omnes autem, quæ nunc cum Rege paciſcerentur terras, æternùm Galliæ regno copulatas prædictis conditionibus fore, neque ab invicem, aut Gallis diſceſſuras: non pacis, non matrimonij interventu, aut tranſlatione in liberûm juniores, permutatione, defectione, aut ulla denique alia ratione.*

XIV. *Belgæ tam in caducario jure, quo exterorum morientium res ad Regem reciderent, quàm mercaturâ, pari cum Gallis loco haberentur.*

XV. *Fœderatorum, & gentis cujuſque apud Belgas procerum acta, Rex rata haberet:*

XVI. *Vti & Arauſionenſis.*

XVII. *Fœderatorum Patrum fore in ſolutionem debitorum, tributa prorogare, imponere, aut remittere.*

XVIII. *Terras, quæ defeciſſunt, ſimulac recuperatæ, urgendas ad diſſolvenda debita ante diſceſſum contracta.*

XIX. *Dona à Flandris ac Brabantis in Arauſionenſem collata, ad luendum, quod bello conflâſſet, alienum æs, ſanciret; & nationum cæteris perſuaderet ſequi exemplum.*

XX. *Naſſoviam domum, viduam, & hæredes Arauſionenſis commendatos haberet.*

XXI. *Pro ſocijs ei forent, Romanum Imperium, Britanni, Scoti, Anſeaticæ, cunctæque Imperij civitates, & vicinarum gentium aliæ.*

XXII. *Po-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXXIV. XXII. *Populorum reliquos extra commune fœdus ſitos, qui Tranſiſalana, quà Drenthanum agrum & Omlandiam incolerent, quando venire ſub imperinm vellent, iiſdem legibus acciperet, nec diverſis paciſceretur, quæ aut his pactionibus, aut nationum cæteris obeſſe poſſent.*

XXIII. *Gentes & civitates fœdus nunc ineuntes iiſdem omnes conditionibus acciperet, nec cuiquam, niſi voluntate cæterarum, laxiores tribueret.*

XXIV. *Britannos ac Danos adprobanda hæc pacta permoveret.*

XXV. *In hæc jurejnrandum daret & acciperet.*

XXVI. *Denique fœdus hoc promulgaret publicè, & in acta referret cunctorum Galliæ, Belgicæque conventuum, & juridicorum conſeſſuum.*

XXVII. *Ante omnia tamen coactis Galliarum primoribus efficeret, ut fœdus, & quæcumque circa illud acta, adprobarent.*

Adjectum conditionibus hiſce mandatum, ut quærente Rege, quo pignore Belgarum fidem obſtringerent, reſponderent legati, ſubditorum animis nihil ſe majus polliceri poſſe. Dein ſacramentum præfectorum, magiſtratuum, dignitates & munia publica fungentium, totiuſque populi. Imperium in tribunos, centuriones, milites, præſidia. Odiſſe, horrere, atque averſari omnes Hiſpanum nomen. Neminem alicujus prudentiæ inter Belgas de conciliatione cum Hiſpano cogitare. Paratos quidem tradere urbium nonnullas, ut vadimonia fidei, ſed alienari eâ re urbium inter ſe animos. Documento eſſe annum LXXVIII, traditis Querceto ac Landreceio. Cæterùm ſi nihilominus inſtaret Rex, juſſi exquirere legati, quod maxime vinculum fidei expeteret, & quas ſinguli permiſſu gentis ſuæ urbes tradere poſſent, aperire. Eas tamen haudquaquam ſeorſim quiſque, ſed ſimul omnes Fœderatorum Patrum nomine offerrent. Datum & Gallorum duos, ſed Reformatos, Patribuſque acceptos, in Senatum admittere. Regi permiſſum vacuas præfecturas collocare quîs videretur, non adſtricto gentis ſuffragijs. Id Ultrajectini Friſijque recuſarunt, obſtinate contendentes ſine repulſa deſignandum alterum è duobus quos ipſi commendaſſent. Quantum ad cætera dignitatum, ſi Rex urgeret, conceſſum legatis *Reformatorum* vocem, eo capite expreſſam, omittere: ſed ſolo illo, & hâc lege, ut quibus munera ea conferrentur viri forent boni, pacis ſtudioſi, qui nec odia nec ſimultates ob diverſas in ſacris opiniones, exercerent. Eraderent quoque caput XXIV, ſi Britanniæ Daniæque Regum adſenſum impetrare Rex gravaretur. Quæ conditiones etſi multo laxiores erant pactis anteà cum Alenzonio initis, legati tamen quò facilius res procederet, in multis ultro quoque de poſtulatis remiſerunt, ut ſuo reddemus loco. Igitur Brilæ treis hebdomadas
cIↄ Iↄ LXXXV. adverſa tempeſtate detenti, poſtr. Kal. Januar. naves ſolverunt. Quarum nonnullæ proſpero curſu Caletum poſtridie advectæ, pars converſo repente vento, biduum in alto jactatæ, Bononiam decurrerunt. Eos Sylvanecti quindecim dies præſtolari juſſit Rex, legatos ut ferebat, aut literas Eliſabethæ exſpectans. Undecimâ Februarij die Lutetiam venientes, biduo poſt auditi ſunt. Orationem Leoninus Geldriæ Cancellarius habuit. Aderant è potiſſimis Gallorum Joieuſæ Dux, Comes Boucagius, Lavalettius Regijs Satellitibus præfectus, Brulartus, Eſpruneauſius, & Oignonus aulæ procurator. Spinoius Princeps, qui per id tempus in aulâ, legatis ſe junxit. Et illi exhibitis quæ venerandis Principibus ſolita, & tardioris acceſſus culpâ in adverſam tempeſtatem rejectâ, Regi pro favore, & prioribus beneficijs, tum & noviſſimâ hac in audiendo facilitate, grates ſummas egere. *Vnde ſpes nobis*, inquit Leoninus, *te Regum clementiſſime, in ſubditoram nos numerum acceptos ab intolerandâ Hiſpanorum truculentiâ vindicaturum. Exemplum in fratre tuo habes, qui tutelam noſtri adverſus immanem ſævitiam adgreſſus,*

Cæſarem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Cæſarem, Germanos, aliarumque gentium Principes per literas certiores fecit juſtiſſimarum cauſſarum, quîs motus defenſionem Belgarum ſuſcepiſſet. Itaque cIↄ Iↄ LXXXV. fruſtra denuo violentiam, & injurias, & duriſſima Hiſpani imperia recenſuerim; ſine miſericordia preces ſupplicum, deprecationes Principum aſpernantis. Fruſtra etiam ſubditorum fidem prædicaverim, qui ad graviſſima vectigalia, ad omne ſervitium promti, pro Principe ſuo in Africa, Italia, Germania, in aliarum regionum bellis, vitam periculis objectarunt, & victricia ſigna ubique fere circumtulerunt. Id tantùm, & ſatis ad purgationem dicam, nos, ut nuper fratri tuo principatum detulimus, ita nunc ad infimas procumbere obteſtationes, ut ſupplices, maxime Rex, accipere ſub imperium velis. Multæ impellunt cauſſæ, religio, conſcientiæ libertas, facultates, vitæ & corporum ſalus, cariſſima denique pignora, conjuges liberique, quæ cuncta adimere Hiſpanicus furor comminatur. Talia hæc tantaque ſpem nobis, Regum potentiſſime, fecerunt, ob immobilem tam proſperis, quàm adverſis, conſtantiam noſtram, non ingratam tibi electionem fore; haud perinde factam, quia opportunus Belgis tutandis Galliarum ſitus (quamvis nec hoc ignarum ſit) quàm ob eximia virtutum, quîs fulgere majeſtatem tuam videmus. Quarum fama diſſitos populos remotiſſimis ex oris excivit, ut tuum ultro ſubirent imperium. Quarum admiratione concurrunt quotidie, qui fœdus tecum & ſocietatem expoſcant. Noſtris ſanè in animis non tantum potentia & opes, inſtabili fortunæ obnoxia, quàm res pace belloque prudenter in tuis, in exteris terris geſtæ, valuerunt. Accedit tantis laudibus cumulus modeſtiæ, quâ debito tibi obſequio contentus, ſupremo quoque Numini ſuum cultum relinquis. Hæc, Rex clementiſſime, Belgarum quoque in te oculos verterunt, confidentium nequaquam illum, qui liberum cuique ſinit pro ſententia ſua Deum venerari, rejecturum juſtiſſimas querelas advenarum, tuam in ditionem venire cupientium, ut ærumnarum tandem ſuarum finem adſequantur. Quò non commune modo cunctis Regibus vinculum te adſtringit, ſed & ſingulare Numinis placitum, & naturæ fatum, quo ſemper Gallorum Reges, afflictorum vindices, imprimis vicinarum gentium fuere. Nos non finitimi modo, ſed & magnam partem Gallicæ originis ſumus. Vnum quippe corpus olim Galli Belgæque erant, & priſcorum Regum nonnullis ſedes, alijs patria Belgarum terra fuit. Eodem referendum, quòd Flandria, quòd terrarum aliæ, ejuſdem regni feuda habitæ. Vt mittam cætera juris & obtentuum adverſus Hiſpaniarum Regem; cujus ambitionem in proferendis finibus; & hinc tuo periculum regno; denique & hanc opportunitatem Gallorum pariter & Belgarum terras adverſus quamcumque externam vim claudendi, ipſe, quâ prudentiâ es, metiri juſta æſtimatione vales. Tantùm dicam, quamvis tot cladibus, tot damnis acceptis, ob cauſſas, quas memorare hîc ſupervacuum, eſſe ſub imperio Patrum urbes validas, tormentis, annonâ, cæteris bello neceſſarijs proviſis plures nonaginta, ejus naturæ & ingenij, ut vel modici Principis auxilio ſuſtentatæ, humanis viribus ſint inexpugnabiles. Mitto opportunitatem & copiam portuum, ſtationum, amnium, altitudine ſpatioque egregio Belgas aut cingentium, aut interſecantium. Mitto mercaturam, bellicas naves, nauticos homines, maximam rerum omnium ad exſtruendas naves facultatem, & commodorum reliqua, quîs longè plus utilitatis accedere tibi à Belgis poteſt, quam ullis gentibus orbis Chriſtiani. Veriſſimè ut dicere liceat, te, vindicatis ab Hiſpanorum ſævitia Belgis, præter famam, & æternum nominis honorem, tuo quoque imperio robur circumdaturum, extra diſcrimen ullum, quamvis ea bellis omnibus familiaria. Etenim clauſis Caleto, Maſariaque; interſeptis, qui illac ire ſoliti, Hiſpanorum commeatibus, Hannonij Artheſijque cum maxima hoſtilium copiarum parte ad extremas redigi anguſtias poſſunt, ut vis nulla alia accedat. At ſi modicæ inſuper copiæ cogantur, haud dubiè procumbent hoſtes, aut cedent. Neque aliud vel Artheſijs vel Hannonijs, jam omnino hoſtile præſidium accipere detrectantibus, voti erit, quam tuum accipere imperium, ſimulatque nationum cæteras præiviſſe intellexerint. Clementiſſime Rex, non de Neapolitana, aut Mediola-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXXXV. *nenſi victoria, non de tranſmarinis expeditionibus agitur. Ingens hæc acceſſio tibi, multas ſimul & vicinas terras, & conterminas Galliæ urbes adquires: quîs ſimul Gallos Belgaſque in tuto collocabis adverſum quaſvis injurias humanas, & mobilis fortunæ ludibria. Ob hæc igitur ſupplices oramus, ne parentis veſtigia deſeras, qui leviore de cauſſa, periculo majore, Germanos Principes tutatus eſt. Accipe Belgas æquis conditionibus, & juſta in eos imperia exerce; repelle vim ac truculentiam Hiſpani, quo priſtino vigori ad ultimum eos reddas. Illi ſane pro tantis meritis, tantoque beneficio, facultates, corpora, & vitam ipſam ſupplices devovebunt pro ſervitio tuæ Majeſtatis.* Ad ea Rex, gratiſſimum ſibi adventum legatorum reſpondit, & pro honore oblato impenſe grates agere. *Majoribus ſuis quæſitum decus ex regnatis bene Galliarum populis: tantò glorioſius ſibi, etiam ab exteris ad accipiendum eorum imperium ultro depoſci. Itaque devinctum ſe legatis, devinctum Patribus fateri, quorum miſſu veniſſent. Semper ſe & feciſſe eos maxumi, & proſpera Belgis comprecatum. Nunc merito eorum tanto magis eadem in vota duraturum. Numquam juſto & æquo potius ſibi fuiſſe quidquam, vel futurum. Proin quicquid in viribus ſit facere pro Patribus, Belgas caritate ſubditis æquare, paratum. Cæterum poſcere momentum rei, quo accuratius cuncta perluſtrentur, ut ſcripta tradant poſtulata ſua.* Itum deinde ad Reginam matrem, quæ, veniſſe legatos ait ad optimum faventiſſimumque Belgis Principem: itaque hortari, ut vitandis malè cupientium artibus æquas Regi conditiones proponant. Etiam agi cœptum de auxilio, ſi res longius traheretur, interea ſubmittendo. Reverſos domum legatos monuit Eſpruneauſius, prævertendis, quæ intervenire poſſint incommodis, diſſimularent reſponſum Regis, nec temere, niſi confecta re, gaudio indulgerent. Suaſit idem, & cum eo Reformatorum nonnulli, ne conditiones verbotenus deſcriptas offerrent Regi. etenim pro imperio, & jubentium fere modo conſignatas eſſe, ac fortaſſe protinus rejectum ab Rege iri. Igitur molliunt petitiones priores, & quæcumque occulto Patrum mandato, ſi Rex inſtaret, concedere legati poterant, ultro nunc omiſere, priuſquam offerrentur conditiones: quas ſtipulantium more ſcriptas mutarunt, ſupplicum in modum rogantes. Quinto capite, quo Senatus indigenarum Reformatæ religionis petebatur, ſubſtitutum ut duas parteis tertias Belgæ, alteram Galli facerent, aut quoſcumque Regi viſum. Rogatum tamen, ut qui deligerentur accepti Proceribus forent. Sacrorum mentio & in hoc, & in ſeptimo, nonoque capite omiſſa: ut & ſuffragiorum. Octavo, quod de pręſidijs, eraſum vocabulum inhabitantium, & reſcriptum, præſidia nuſquam, niſi Patrum voluntate, collocanda: adjiciebatur, ni aliter neceſſitas exigeret. Duodecimo prætermiſſa poſterior pars, quâ Patribus ſponte, & quoties libitũ, convenire permittebatur. Quartum & viceſimum omnino ejectum. Hunc in modum contractæ conditiones xv Kal. Mart. offeruntur. Et ſic quoque offenſam præmetuebant multi Reformatorum, qui Belgis faventes; imprimis poſtulato de præfectis, qui Patribus grati forent, legendis. xii Kal. Mart. legati in ædes Chevernij Galliæ Cancellarij acciti, præſentibus Eſpruneauſio, Oignono, Villequiero, Bellieureo, ac Brularto: ubi vix quidquam dignum memoria actum. Exquiſitum modò, quæ communi Fœderatorum, quæ cujuſque nationis nomine offerre juſſi eſſent. Exin epulis à Cancellario adhibiti, ſub diſceſſum celerari negotium petiere, priuſquam obſeſſæ per id tempus, urbium celeberrima, Bruxellæ, in hoſtium veniret poteſtatem. Triduo pòſt à Cancellario revocati, & de terræ cujuſque ſtatu, de Bruxellarum obſidio, ſitu, & quomodo ſuccurrendum interrogati, incertam belli rationem eſſe reſponderunt. Tamen ne Regis deſiderio deſint, quam exactiſſime poſſent, cuncta expedire velle. Igitur v. Kal. Mart. Chevernio deſcriptum tradidere cujuſque terræ ſta-

tum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

tum : quæ Patrum ſub imperio urbes, quo ſitu, quæ munimenta, aut amnes. cIↃ IↃ
De proventibus non, ut cætera, accuratè: fixumque ijs fuit, quamvis rogante LXXXV.
Rege, nihil de tributis addere, niſi ſuſcepto jam imperio. Prid. Kal. Mart.
inſignibus Regij ordinis Garterij, per Herbium Comitem ab Eliſabetha
miſſis, Rex donatus eſt. Solennibus id cæremonijs peractum, & frequenti
Principum conſeſſu. Aderant mater & conjux Regis, Borbonius Cardina-
lis, Vendoſmius, Guiſius, Joieuſa: legati Pontificis, Hiſpani, Scotiæ Regis,
Reip. Venetorum, Sabaudiæ, Ferrariæque Ducum. Belgarum quoque lega-
tis id honoris datũ, ut ſpectabili inter cæteros loco conſiderent. Quos acceſ-
ſit paullo poſt Eſpruneauſius, admonens haud ingratum Regi fore, ſi Britan-
nicum legatum ſalutatum eant. Nam & bonum de illo judicium facere, &
confidere, Belgas nihil noxium regno ſuo acturos. Paruerunt legati, com-
pellatoque Herbio inter ſermonum varia, in ſpe ſibi dixerunt eſſe, veterem
Gallorum cum Britannis ac Burgundis ſocietatem hoc fœdere firmatum
iri. Saltem ſe non aliò tendere, & conditionibus quoque id complexos.
Proin petere, ut juvare propoſitum etiam Comes velit. Herbius multis ver-
bis pronam Reginæ voluntatem extulit, omnibus huc viribus anniſuram
dictitans. Etenim egregium fore, ſi à Gallis, Britannis, ac Belgis imperium
conſtituatur in formam triumviratus. Itaque rogare, ne fidem habeant, ſi
diverſa de ſe rumores vulgaviſſent. Tertia Maij die, quid de liberandis
Bruxellis Regi videretur, Chevernius retulit. Militem aut mari trajicien-
dum, & hic naves, temporis ſpatium, & tempeſtatem (quæ ſemper incer-
ta) ſecundam requiri: aut terra ducendum: quo caſu peditum millibus VIII,
equitum haſtatis ſupra mille quingentos opus eſſe. Omnia hæc bimeſtri
expedienda. Interea quoque Hiſpanum, ubi militem cogi intellexerit, (ne-
que occultum id ullo modo fore) contracturum exercitus. Et jam expedi-
ta habere millia XXX, aut XL. Quare arduum id regi; cùm non omnia ad
Belgarum uſum, ſed ſuam quoque famam dirigere debeat: & accurate de-
liberandum, ne quid fruſtra tentet. Alenzonij diverſam fuiſſe rationem,
quem gloriæ cupidum, tametſi cœptis irrito abſiſteret conatu, nihil repor-
tare præter decus & honorem potuiſſe. Ad hæc igitur conſilium ſe legato-
rum poſcere: dein quantas cum Regijs copias conjungere Patres valeant.
Legati ad ea, non pro fama hoſti vires eſſe. Eductis à Rege copijs, multos
præſidijs deduci; quæ populationis metu ab hoſtium agro exigerentur, in-
tendi; paremque hoſtili exercitum cogi poſſe. Obſecrare, ut properet ne-
gotium Rex, ac copiarum aliquid ſub communi mittat præfecto. Quomo-
documque enim res cadat, in æſtatem id faciendum. Adjuncturos ſe pedi-
tum millia IV, equites mille ducentos. Primo adhæc ſemeſtri, ducenta
quinquaginta florenorum millia collaturos in ſingulos menſes. His com-
pertis, haud quaquam diſplicere Cancellarius oſtendit, & aperire Regi vel-
le. Nec adhuc aliud viſum legatis, quàm cordi rem Gallis eſſe. Octavo
Martij die nunciari per Cancellarium Rex jubet, quantas Fœderati requi-
rerent copias educere haud poſſe. Minores ventis, tempeſtatibus, alijſque
obnoxias eſſe periculis. Captas quoque Bruxellas (is nuntius allatus inter-
ea erat) & majori quam ante exercitu opus. Non videri itaque honorem
famamque ſuam diſcrimini exponendam, tam exiguâ ſpe, rei bene geren-
dæ. Si commodiorem legati ad auxilium viam cernerent, ſeu proprijs fa-
cultatibus, ſeu fœdere cum vicinis gentibus, aut Regis deprecatione, prom-
tum illum operâ haud parcere. Inſtabant tamen legati, ut modicum ſaltem
mari ſubſidium Rex mitteret. Naves ſe procuraturos, nec manu ea in acie,
cum diſcrimine exiſtimationis regiæ uſuros; ſed retinendis in fide Antver-
piâ, Machliniâ, urbiumque cæteris; quas licet Bruxellarum expugnatione
perculſas, aliquo tantum Regis auxilio viſo, non deſperaturas. Petere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ LXXXV. etiam, ut Caletano, Maſariæque portu, hoſtis prohibeatur: quem abſque ijs ingentem ſuſtentare exercitum haud poſſe. Hæc agentibus, Guiſiani fœdere ſuo, quod ſacrum vocant, novos motus dedere: conjurante, & æs militemque ſubmittente Hiſpano. Cauſſa illis pro defenſione ſacrorum Pontificiorum: Regemque, ut hæreticis ſocium, differebant. Quo defuncto, imminere ſucceſſioni Navarrum, hæreticum & ipſum. Quod prohibendum omnibus viribus cenſebant: graviterque adeo cuncta turbavere, ut Rex ſuſcipiendo Belgarum imperio promtus, quantum ex vultu conjectantibus apparebat, impeditum ſe regni turbis denuntiaret, quo minus deſtinata perficeret. Alioqui huc inclinare. Quod legatis aperire quam maturrimè voluiſſe, ne differendo majorum culpa malorum foret. Lachrymis Bellieureus obteſtabatur, non poſſe nunc aliter Regem. Interea animo eſſent bono, uberem ejus affectum, nec ſemper ſine fructu fore. Ventura & alia tempora. Multa quoque, auditis legatis, eandem in ſententiam à Rege dicta. Illi nihilominus clam Belgis ſubmitti auxilia, hoſtibuſque itinera claudi petebant. Etiam ut regis voluntate, eadem de re cum Britanniæ Regina colloqui, ac principatum deferre liceret; aut aperte indicaret, an datæ conditiones animum avertiſſent: paratos ſatisfacere ei. Iterato ad ea Bellieureus, nihil præter turbidum regni ſtatum obſtare, affirmavit. Quę nunc aliena ſit, occaſionem facile in melius ceſſuram, nec tum de eventu dubitandum. Monere interea ſe, ut alte Regis animo imprimant, ne claves regni ſui in Maurorum, & profanæ gentis recidere manus patiatur. Cuncta hæc legati Herbio aperuere; iſque vehementibus ſe verbis incitaviſſe Regem affirmavit, ut principatum capeſſeret. Ni faceret, certum Reginæ, Fœderatis non deeſſe. Itum quoque ad Clervautium ac Chaſſencourtium, Navarreni Regis oratores. Ipſum Bergeraci morantem Lævinus Calvardus adijt. Sed tantum ei domeſticæ molis incumbebat, ut præter doloris ſigna, nihil opis aut ſolatij Lævinus referret. Itaque legati, receptis à Bellieureo quæ tradiderant ſcriptis, ſalutatis Rege Reginâque diſceſſerunt. Illa ſuper magna doloris documenta, legatos adhortata eſt ne deſperarent, operam ſe daturam, ut brevi Belgæ votorum ſumma adſequantur. Legatorum ſinguli torque aureo unciarum unius & viginti, deinde ſumtuum quos fecerant immunitate donati XV. Kal. April. relictâ Lutetia, tertio Aprilis die Hagam reverterunt. Hæc ſunt, quæ cum Gallo acta; eò nobis fuſius deſcripta, quod novi Principis electio publicis in rebus potiſſimarum una ſit. Nunc quæ Belgarum interea res, quæ fortuna, commemorare ordior. Quintâ Martij die, ephemeridis veteris, Noviomagum, quorundam conſpiratione amittitur, qui oppreſſos inopinatò præſidiarios, urbe mox ejecere, ejuſque ſine cæde potiti ſunt. Eadem paullo poſt Doeſburgi fortuna. Arnhemum Nivenarius, auxilio Senatus Geldriæ, urbiſque ejus magiſtratuum, præſidio firmavit. Capto, priore anno, Gandavo, Antverpiam hoſtis obſederat. Et jam indies omnia urbi arctiora. Obſidentium non plures octo millibus erant. Quare exiguis adeo copijs, non vi urbem impetere Parmenſis, quod irriſui fuiſſet; ſed, interclusis commeatibus, fame fatigare aggreſſus eſt. Igitur tormenta ad libellam utrique Scaldis ripæ imponit, prohibendæ navigationi. Cæterum ut nihilominus rapido amnis æſtu, ſecundâque tempeſtate, ob latitudinem fluvij, tranſire naves, tormentorum inſultus coaſpernantes vidit, conſilium pontis faciendi capit. Id fieri haud poſſe plerique rebantur, ob naturam fluminis, ſex quibuſque horis æſtu incitati, & rapidè relabentis. Contendit tamen ille, omneſque difficultates opere hujuſmodi ſuperavit. Naves geminis à prora puppique anchoris alligarat. Ipſas longa ſerie rudentibus connexas, trabibuſque & aſſeribus conſtratas, impoſitis utroque pontis & navium latere tormentis, & militum

robore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

robore firmaverat. His affixi adverſus vim externam minores mali, præacu- CIↃ IↃ
to muniti ferro, nequis adigere in pontem naves, aut vi tempeſtatis illatus LXXXV.
diſiicere conaretur. Secundam in curam vaſtâ magnitudine malos, numero ad decem aut XII, exſtantibus utrimque acuminatis è ferro pinnis, unum in faſcem compegerat, modicoque intervallo ſupra atque infra pontem anchoris revinxerat. Longinqui temporis opus illud; ac Fœderati, tanquam vanæ molitioni inſultantes, annonam ſubmittere urbi neglexere. Quippe libello, quo deditionem urbis conſul Aldegondius excuſavit, ſupra humanam fidem fuiſſe adſeveravit, poſſe ejus naturæ amnem claudi. Ipſi quoque perſuaſum erat, ante civium ob intermiſſam negotiationem, indignatione, quàm annonæ penuriâ, urbem perituram. Nec obſidium cives toleraturos erepto mercandi, ac navigationis uſu. Hinc ſegnior frumentariæ rei cura. Non tamen curæ defuere Hollandiæ Zelandiæque proceres. Illi mercatoribus, & nautis, quicumq; inferre cibaria urbi vellent, indemne iter promiſere. His pollicitationibus magno hominum numero illecto, proſperè in urbem adpulſum eſt. Satis cara erat annona, unde tanto magis compendij ſpe hiantes mercatorum cupiditates intendebantur. Cæterum magiſtratus urbis, remedium caritati quæſiturus, omnis generis cibarijs, tritico, ſiligini, hordeo, avenæ, ſali, butyro, caſeoque, pretij modum poſuere; adjecto, in eos qui majori venderent, pœnæ metu. Dein nequis in longiorem diem, aut majorem annonæ caritatem, differre venditionem poſſet, interdictum publicè, necui, horrea, cellaſve, condendis frugibus conducere liceret, ſed è navibus vendenda omnia. Impoſitum autem pretium adeo minutum erat, ut ſine damno ſuo vendere nihil mercatores poſſent. Igitur claſſis illa, in longum ſpatium Antverpianis ſuffectura, ſublatis velis, ac iteratò feliciter hoſtium vi evitatâ, domum revertitur. Nec omittenda ſeu ſegnities, ſeu perfidia Treſlongi, fiduciariâ poteſtate maris apud Zelandos præfecti. qui, licet multum Patribus hortantibus, bellicis navibus commeatum inferre urbi, ac pontis opus turbare, parum maturavit. Primo Oſtendæ ſex hebdomadis ultra condictum tempus extractis, cogi XXX bellicas naves petijt, quîs proræ curvatæ forent; quem numerum in universa Zelandia haud erat reperire. Ad ultimum tamen ex Hollandia conductis navigijs, aliam injicit moram. Hanc quoque ubi ſublatam, & nullum ultra effugium videt, arroganter imperata facturum negat, priuſquam duos è magiſtratu, inimicos ſibi homines, munere dejectos videat. Multa quoque in Patres probra ingeſſit. Neque hic ſtetit: minis inſuper terrere, niſi moleſti eſſe deſinerent; facturum quod dolori cunctis eſſet. Adeo ægrè novo ſe Patrum imperio ſubjiciebant, quos hactenus Arauſionenſis autoritas, genus, prudentia, ætas, diuque exercita imperia, in officio continuerant. Videbatur ſimul cum eo magiſtratuum exſtincta auctoritas. Sane deſiderata paſſim conſilia, & opera ejus, in cunctis quæ ad Antverpiam tentata. Conſtat, nunquam urbi illum metuiſſe, auditaque vox ad eos, quibus id in metu, *verſurum in perniciem Parmenſi, ſi obſidium Antverpiæ auderet.* Cæterum defuncto eo, turbatiſque rebus, multa perperam commiſſa, priuſquam reſtitui publica res poſſet. Sic ſtolide prorſus Antverpiani, ante obſidium Brabantiæ domini, conſultò Herentaliam deſeruere, ut deducto, quod eam tutabatur, præſidio, ſuam urbem munirent: cum modicis munitionibus id oppidum ad tempus ſuſtinere hoſtium vim, ac tardare Antverpiæ obſidium potuiſſet. Hinc dictum illud Mondragonij, ubi utile ac neceſſarium obſidendæ Antverpiæ oppidum, ſine vi, ſine impendio captum vidit, *agnoſcere jam ſe mortuum Arauſionenſem*, Treſlongus quidem, alijque nonnulli, tempore aliquanto, pro lubidine ſua cuncta geſſere; denegato Patribus ſacramento. Quò tamen ille duplicato ſtipendio, adductus eſt. Cæterùm cùm pòſt ad ingenium reverſus,

cIↄ Iↄ LXXXV. minis haud abſtineret, autoritate Mauritij Comitis, quamquam adoleſcentis, ſubito indicto omnium Zelandiæ civitatum conventu, munere ſuo dimotus, in vincula conjicitur. Et multiplicis culpæ, capitiſque reus, interceſſu Britanniarum Reginæ evaſit; cujus in aulæ miniſtros erogata ſibi quinquaginta florenorum millia ipſe dictitabat. Juvitque eum, quòd non communicatâ cum Hollandis re, ſuo tantum conſilio Zelandi eum moviſſent loco. Quod indigne illi ferentes, in negotio ſe inſcijs cœpto, Zelandis auxilio non fuere. Quin & favore Treſlongum dignati, exacto biennio Hollandiæ ſaltuarium declararunt: quæ dignitas ex ſupremis terræ ejus muneribus exiſtimanda eſt. Multis ea res inter irritamenta calumniarum fuit, opinantium parum Hollandis ac Zelandis cordi fuiſſe Antverpiæ ſalutem. Sed, verè reputantibus, fuit, neque impenſis aut operâ pepercerunt. Neque ex multitudine hominum, qui captâ urbe Amſtelodamum ac Middelburgum frequentes adeo confluxere, ut proferri mœnia neceſſum fuerit, judicandum quod caſu, aut Numinis accidit voluntate, ſtudio operaque eorum eveniſſe. Sic neque (ut nunc hominum ingenia ſunt) crimini illis dari par eſt, quòd amiſsâ non ſine dolore eorum Antverpiâ, tranſlatam ad ſe mercaturam retinere laborarint, cum paucis poſt annis Mauritio, ac Hollandiæ proceribus, dolum in Antverpiam meditantibus, inter difficultatum cætera, negotiationis quoque deminutionem objecere. Anno ejuſdem ſæculi poſt octogeſimum quinto, nona Februarij die, Philippus Hohenloius, dum alibi laceſſit, Parmenſem diſtrahere ab Antverpia tentans, Sylvæducis per aſtum potiri conatus eſt. Favebatque primis cœptis fortuna. Quippe Julianus Cleerhagius centurio, cum militum delectis, ſub portam abditus, inopinatò oppreſſis cuſtodibus, aditum Hohenloio in urbem patefecerat. Jamque ille cum Chriſtophoro Yſelſtenio, Lubberto Torckio præfectis, & equitum peditumque ad mille quingentos ingreſſus erat, cùm intempeſtiva quorundam populatione ordines turbati: cæteri ſubito perculſi terrore, effuſo curſu ad portam ruunt. Quo viſo præfectus, qui portæ catarractam inſederat, ſtatione & ipſe decedit, quam incuſtoditam civium unus conſcendit, demiſitque. Noſtri fugientes, ut præcluſum exitum videre, conſcenſo vallo, præcipites ſe in foſſam dant: inque his Ferdinandus Truchſeſſius, frater Colonienſis Electoris, aquis hauſtus extinguitur. Nec minor eodem momento civium metus, qui captam urbem rati, averſo latere de mœnibus ſe dejiciebant. ita utrimq; ſupervacua ab hoſte formido. At Antverpienſes, ut in vanum Hohenloij conatus recidiſſe cognoverunt, nihil intentatum reliquere, quod liberandæ urbi eſſe videbatur. Eum in finem Franciſcus Genebella, natione Italus, navem extruit, impoſitaſque millenas aliquot pyrij pulveris libras, cæmento lapidibuſque includit, eâ naturâ præparatis, ut deſtinato tempore flammam conciperent. Perfecto opere navales ſocij, qui regerent, impoſiti. Hi poſtquam ponti propinquatum, adſtricto clavo, in medium pontis navem dirigunt, ipſi in ſcapham deſilientes, proripiunt ſe, terramque conſcendunt. Fertur interea aquarum impulſu navis, pontique ſuccedens, latere uno applicata hæret; nullo primùm effectu. Unde hoſtes, qui novitate ſpectaculi ponte deceſſerant, auctis denuo animis accedunt, ſimulque deſuper inhiantes, Geuſiorum illudere machinæ cœpere. Illa tandem concepto incendio horrendum adeo intonuit, ut univerſa hujus orbis moles ruere ac convelli videretur. Ipſa aquarum moles, violentiæ impar, utrimque ripæ aggeribus æqualis ſtetit. Pontem quicumque inſtiterant, nobiles, ignobiles, in ſublime abrepti. Simul univerſum opus diſjectum, trabes, rudentes, mali, & quicquid contra vim congeſtum, arundinis inſtar diſrupta. Sed patenti jam flumine nullæ in promtu naves quæ annonam veherent. Unde Parmenſi abunde otij convulſa reparandi. Tor-

menta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

menta interea omnia, etiam quæ ex deviſtis Flandriæ urbibus tuto advehi cIↄ Iↄ
poterant,longa ſerie aggeribus imponit. Quâ re non minus periculum nau- LXXXV.
tis tormentorum prævehi globos, quam militi haſtarum confertiſſima per-
rumpere. Antverpianis, ſuper jam dictas machinas, etiam excogitata ratis
plana, ex compactis arborum malis, quos anchoris connexos tanta firmitu-
dine effecerant, ut pluribus tormentis vehendis ſufficeret. Circumdata
operi lorica, adverſus quamvis contumeliam tormentorum. Hâc invadere
pontem, ac diruere decretum erat: ſed priuſquam conſummaretur opus,
deditio urbis intervenit. In Zelandia Kerſemakerus, homo ſolers, apud
Hollandiæ, Zelandiæque Proceres profeſſus erat,repertum ſibi quod ever-
tendo ponti eſſet: nec de ſucceſſu ambigere: ſumtibuſque privatis perfe-
cturum, ſi naves, tormenta, & quicquid caperetur, in pretium laboris ſibi
cederent. Quærentibuſque rationem operis Patribus, aperire detrectavit:
quippe niſi occulto habeatur,fruſtra fore. Ita menſem integrum dilata res.
Tum annuentibus poſtulato Patribus, ille diverſam quam priùs rationem
eſſe reſpondit. Succeſſum, ut antè,certum;ſed non prædam: etenim non-
nulla in ponte ab hoſte mutata. Impenſas facerent Patres,ſe,quod cogitaſ-
ſet, patriæ amore & commodo perfecturum. Cæterum non impetravit,
Patribus vana promitti exiſtimantibus. Kerſemakerus, ut amicorum inti-
mis poſt ipſe retulit, latiſſima expandere vela, navibuſque alligata, pondere
ſub aquas adigere decreverat. Quibus in pontem concitatis, illum impa-
rem aquarum moli, à velis impulſæ detentæque,neceſſariò ceſſurum. Mul-
ti in utrâque Scaldis ripâ aggeres perfoſſi, aperiendo, inundatis agris, ad ur-
bem itineri. Et ſucceſſum ſolus Kouwenſtænianus agger moratus eſt. Cu-
jus periculi providus Arauſionenſis, jam ab aliquot annis,impoſitas ædes, &
quicquid circa agri, emi à Kouwenſtæniano Toparcha, perfoſſoque agge-
re, validum juxta caſtellum extrui ſuaſerat. Quippe ſemper tunc navibus
apertum ad Antverpiam iter. Sed quæſtus laniorum, pecudeſque paſcen-
tium, quorum id agris detrimentoſum, ante publicam utilitatem fuit. Et
Parmenſis ſimulatque ad urbem acceſſit, ita rem ſuæ duxerat curæ, ut ne-
quidquam poſtea Antverpiani tentarent. Quippe acribus cuſtodijs obſe-
pto aggere, crebros in eum palos adegerat, qui foſſorum ictus interpella-
rent: dein diſpoſitis quaquavorſum tormentis, acceſſu oppidanos prohi-
buerat. Quæ tametſi difficultates proponebantur, vi ſuperare Hohenloius
contendit. Cœptiſque primò ſuccedebat, dejectis aggere hoſtibus, anno-
narijſque ad eum navibus appulſis. Mox celeriter dimiſſi nuntij victoriæ
famam ad omnes civitates detulere. In nonnullis, Amſtelodami imprimis,
publicè quoque gaudium campanarum pulſu oſtenſum. Cæterum terrâ foſ-
ſorum ictus non accipiente, quia crebri morabantur pali, multum temporis,
tranſlatâ ab una ad alterum aggeris latus annonâ, conſumitur. Interea tor-
menta hoſtes intendunt,nulloque in vanum recidente globo,militum com-
plures abripiunt. Lacertos, crura, avulſa membra, cernere in ſublimi erat,
mutuoque cruore milites fœdabantur. Ut enim anguſto in aggere ſe ipſi
conſtipaverant, globi à primo agmine ad noviſſimos pervolabant. Nec ul-
lum contra hæc militi remedium, nulla pugnæ copia cum hoſte eminus tor-
mentis laceſſente. Itaque ſex ſeptem horis aggeris potiti, non ſine magno
ſuorum damno proturbantur. Irrito hoc conatu,nunquam ex eo ſuccurrere
urbi noſtri tentavere: & jam cum annonæ inopia,creſcebat quoque civium
diſſidium. Ita magiſtratus intempeſtivis multorum vocibus, qui rem ad
extremum deduci caſum, & duriores tum ab hoſte conditiones exſpectare
nolebant, ut de urbis deditione cum Parmenſi colloqueretur, impulſus eſt.
Ille liberalis per omnia, ut clementiæ colligeretur fama, & Hollandorum
Zelandorumque in ſe ſtudia traheret, veteres leges, vetera conceſſit bene-
ficia:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Hoog.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXXV. ficia: liberumque his diſceſſum, qui Reformatorum ſacra deſerere nollent.
Debitis exigendis bonorumque venditioni quadriennium dedit, quo impu-
ne in urbem irent, abirentque. Redemtio civitati quater centena flore-
norum millia impoſita, præfinitis temporibus numeranda. Adjectum, quæ-
cumque terrarum urbiumve in eadem deſcendere pacta vellent, licere in-
tra anni vertentis ſpatium. Urbem, digreſſo præſidio, Parmenſis intrans, ad
tempus priſtino magiſtratui regimen Reip. permiſit, conciliandis civium
ſtudijs, ne ex urbe demigrarent, aut alias quærerent ſedes. Magna tamen
pars è veſtigio ad Hollandos ac Zelandos abiere. Aldegondius, conſumtis
in urbe hebdomadibus nonnullis, ut impune in Zelandiam accedere liceret
à proceribus petijt. Patres, quia Antverpianorum id nullus antè poſtulave-
rat, abnuerunt: veriti ne, ex poſtremo conditionum capite, ad pacem cum
Rege cives hortaretur. Neque id falſo. Nam edito libello, victorias, cle-
mentiam, ſanctimoniam in ſervanda fide, cæteraque virtutum Parmenſis,
ſummis laudibus extulerat: adjecto inter cætera, non poſſe integrâ conſci-
entiâ, arma in Regem à ſubditis Chriſtianis ſumi. In quo & veritatis, & ſui
ipſius oblitus eſt: quippe ab exortis motibus Arauſionenſem ſecutus. Alde-
gondius igitur, poſtquam nihil eorum quæ poſtulaſſet, à Proceribus impe-
trabat, ultro in Zelandiam venit. ubi ædibus ſuis egredi, & per literas quen-
quam compellare prohibitus eſt. Cæterùm exactis aliquot annis, honoris
legationibus, & quæ aliæ id genus dignitates, functus eſt; ad Remp. nun-
quam adhibitus. Obſeſsâ Antverpiâ exterorum, indigenarum, hoſtium,
ſociorum, ſuſpenſi ad eventum animi, in eo cardinem belli totius verti, ejus
exemplum urbis cæteras ſecuturas, exiſtimabant. Ipſi quoque Hiſpani ja-
ctare, ſi urbis potirentur, neceſſario ſua in ſacra Geuſios tranſituros: ſin libe-
rare ij civitatem poſſent, non defugere ſe eandem ſortem. Sed ſuam agi
cauſſam, nec ab humanis pendere viribus ſupremus orbis Arbiter oſtendit.
Qui ad extremas anguſtias turbaſque relabi cuncta, denique Anglorum im-
peria ſubire Belgas paſſus, conclamatis propè rebus, ſolatium & opem tulit:
uti expoſitis Friſiorum rebus, ſuo loco memorabimus. Igitur Friſijs anno
poſt octogeſimum quinto, Martio menſe, Guilhelmus Ludovicus Comes
Naſſovius præficitur. Terræ hic ſtatus erat. Rempublicam præfecti titu-
lo Arauſionenſis adminiſtraverat: quo abſente, Richardus Meroda, Topar-
cha Rummenenſis, annos aliquot fiduciarium geſſerat imperium. Eratque
eo in viro provecta ætate non minor rerum uſus, ac prudentia: & pro datâ
poteſtate, ac tenuibus facultatibus, feliciter ſatis Friſios tuebatur. Cæterum
invalidus ſenecta, cum ad exercitum proficiſci ipſe nequiret, eoque ſuum
ſine autoritate regimen, nobilium multos (quîs æqualis videbatur) imperia
aſpernari, poſtremo ubique lites, diſſidiaque gliſcere animadvertit; pertæ-
ſus imperij, miſſione ab Arauſionenſi poſtulatâ, ſe ipſe abdicaverat. Eo
Remp. curante, Stenovicum Rennebergius obſederat, urbes Stavriam,
Slotenum; caſtella Lemmeram, Kuinderam, Mackomum, expugnaverat:
quorum hoc in Friſiæ intimis duûm millium itinere ſupra Harlingam, ad ſi-
nus Auſtralis aggerem poſitum eſt. At Meroda, liberato Stenovico, felici-
ter amiſſa receperat. Nec priuſquam ea urbs præſidij ſegnitie ab hoſtibus
intercepta, quicquam in Friſia validi hoſtium erat. Præfecto in dirigenda
apud Friſios Rep. Patrum adjungebantur legati: quorum in collegio no-
vem numero homines. Ex his Oſtergoa, Weſtergoa, ac Septemſylvana,
binos ſingulæ, urbes ternos mittebant. Accedebat ijs Præſes, cum con-
ſeſſu judicum, quem Provincialem vocant. Et donec Friſiorum in viſce-
ribus valido cum exercitu hoſtes graſſabantur, nihil inter eos contentio-
num. Pulſis hoſtibus, receptis urbibus, caſtelliſque, de potentatu diſputari
cœptum. Singulis adſeclæ, & factiones ſuæ; familiari malo popularis ſtatus.
Pertende-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Pertendebat judicum conſeſſus, præfectorum quicumque præceſſiſſent, à ſe conſilium, à ſe opem flagitâſſe. Patrum legatis nullam potentiam; ſolùm ſiquando peccatum in regimine, monere ſuetos. Contra ea Patrum legati, ita ſub Rege obtinuiſſe; at nunc, excuſſo ejus jugo, univerſam ad Patres recidiſſe potentiam: nec eſſe Præſidis, aut judicum conſeſſus, publicis ſe rebus interponere. Tenerent illi ſe intra civilis, ac criminalis juriſdictionis limites. Judicum conſeſſum urbes ſequebantur: quippe illi magiſtratus, è duplici candidatorum numero, legebant. Patrum legatis agri, locaque aperta favere. Certabant quoque de imperio ſuffragijſque tres Goæ, atque urbes. Nec ullum in conventibus olim urbibus ſuffragium. Singulæ, in qua ſitæ erant Goa, ſub hac comparebant, & æquali cum præturis agrarijs loco, ferebant ſuffragia. Itaque tria tantummodo Friſiorum erant membra; Oſtergoa, Weſtergoa, ac Septemſylvana. Poſt pacem Gandavenſem mutatâ Reip. formâ, undecim Friſiæ civitates, Leovardia, Dockemum, Franequera, Harlinga, Bolſwerda, Sneca, Slotenum, quæ munitæ; & cum his Worckemum, Ylſta, ac Hindelopa, ſine mœnibus oppida, ut quartam Friſiæ partem facerent, impetraverunt. Utque Gois tria, ita quartum urbibus erat ſuffragium, ea conditione, ut nonam tributi ac vectigalium conferrent partem. Hoc impetrato urbes, ſimulatque novatâ religione, loco moti abbates, & ſacrorum Antiſtites, qui conventibus intereſſe antea conſueverant, dimidium ſibi ſuffragiorum deberi contendebant; prolatis in rei teſtimonium decretis & nonnullis conventuum actis: quîs hujuſmodi initium: *Nos Antiſtites, nobiles, hæreditarij domini, atque urbes.* Hinc inferebant, tres tantum apud Friſios ordines fuiſſe, Antiſtitum principem, alterum nobilitatis, & qui hæreditatis jure dominia poſſiderent, tertium urbium. Itaque ſacro ordini quod deceſſiſſet, reliquis duobus ex æquo accedere. Hâc quæſtione Principis & quatuor Juriſconſultorum arbitrio permiſsâ, ſcivere ij, quoad re accuratius expenſâ certiora ſtatuerentur, ut collegio Delegatorum Goæ cujuſque miſſu homines bini, urbium nomine terni intereſſent. Adeo ut reipſa civitates, quæ in collegio novem legatorum ternos habebant, ſuffragiorum tertiam caperent partem. Hinc nova rurſus controverſia, quomodo in magno Friſiorum conventu, ſemel ſingulos in annos tranſigi ſolito, colligendæ forent ſententiæ. Urbes hic quoque ſuffragiorum tertiam poſtulare. Adverſum ea Goæ dicere, nequaquam torqueri decreta poſſe ad ea, quæ diſertim in iis haud contineantur. Nec poſſe ad tria Friſiam membra redigi, niſi abrogatâ Goarum unâ. Hæ contentiones tanto fervore, tantis partium ſtudijs agitabantur, ut idem, quod Groningam ad hoſtes traduxerat malum, metuendum foret. Præ cæteris civitatibus acerrimè omnium Leovardia, & ſuum contra agros negotium, & judicum autoritatem adverſum legatos Patrum urgebat. Quippe judicum illa ſedes, eorumque conſilijs innexi magiſtratus. Quâ de cauſsâ Patrum legati conventus ſuos ibi hactenus habere ſoliti, tanquam in principe Friſiorum, ac mediterraneâ civitate, ubi virium & facultatum potiſſima, ubi judicum conſeſſus, quorum in multis neceſſaria autoritas, Franequeram demigrarunt, dicendis liberius ſententijs, quas invitis ſæpe à Senatu populoque Leovardienſi extortas querebantur. Fœderati Proceres, componendis controverſijs, in codicillis, quîs prçfecturam Guilhelmo Naſſovio contulerunt, certos utriſque limites aſſignavere. In Rep. ad conſilium legatos Patrum adhiberet, judices in dicundo jure. Res belli ex ſententia Delegatorum, aut paucorum, eo ex numero delectorũ adminiſtraret. Igitur ille Harlingã veniens, à Patrum legatis, conſulibus, magiſtratuum cæteris, magno cum gaudio exceptus, paucis poſt diebus Franequeram comitantibus Delegatis contendit. Ubi mox de indicendo conventu actum. Et nova rurſum hîc difficul-

cIↄ Iↄ LXXXV.

cIↃ IↃ LXXXV. tas, Delegatis Franequeram, judicum conſeſſu ac magiſtratu Leovardienſi, ſuam in urbem, pro conſuetudine, conventum trahentibus. Comes mandata Patrum ſecutus, Franequeram indixit. Vix ea quæſtio ceſsârat, cum novis rurſum moleſtijs octo dies conſumti. Negabant urbes ulla de re acturas ſe, priuſquam Goarum legati, ſuo exemplo, Hiſpaniarum Regem abjuraſſent. Id in agris adhuc tentatum non erat, quod hoſtili injuriæ expoſitis, facile ab incendio periculum. Soli prætores agrarij, & qui publicas dignitates fungebantur, juramentum dixerant. Quare dicere Goarum legati, haud poſſe id ſe injuſſos poſſeſſorum nomine præſtare; nec æquum, ut eo adigantur, quando ipſi, ſoluto conventu, poſt unam alteramque hebdomadem privati rurſus futuri ſint. Promtos tamen jurejurando, quod à vicinis ſuis factum memoriâ tenerent. Ad extremum conceſſum, ut hunc in modum jurarent; ſe in conſilijs ſuis omnia ad Numinis honorem, egregium publicum, hoſtiumque detrimentum directuros, & occulto habituros quæcumque agerentur. His ita conſtitutis, certatim pars utraque Naſſovij ab adverſarijs animum avertere aggreditur. Ille eadem utriſque reſpondere, dolori ſibi, quod diſſidentes uſque adeo videat, nec quem damnet, quem defendat ſcire. Id videre, ab utriſque delinqui, nec temperare iræ, pro tempore, aut belli mole. Depoſitâ primum ſimultate pariter in hoſtes iram verterent, & eandem utilitatem foverent. Pulſis hoſtibus opportunitatem fore diſputandi, ac rem integris animis dijudicandi. Nunc non modo nihil proficere, verum & partæ libertati, & legibus, fortuniſque ab hoſte periculum imminere. Inter hæc quatuor è Friſica nobilitate, Siouckus Eminga, Juſtus Herema, Tiardus Aluwa, ac Salvius Meckema, codicillos Comiti offerunt, quîs malè adminiſtratæ Reip. Patrum legatos poſtulabant. Quos non nefariam tantùm, & novam apud Friſios potentiam ſibi vindicaſſe, ſed & muneribus ſemet ingeſſiſſe, aut pro arbitrio alijs, quîs faverent, collocaſſe, ſuis ſuorumque auctis opibus, intolerandis ſubditos vectigalibus oneraſſe, eaque per apparitores ſuos, homines pauperum egentiumque labore ac ſanguine ditatos, extorſiſſe. Adjecerant criminum alia, non in totum modò collegium, ſed & nominibus, cognomentis perſonarum, factis, tempore, alijſque circumſtantijs deſcriptis. Igitur eam ob cauſſam, quicumque antiquam Friſiorum libertatem amarent, Comitis adventum ardentibus votis expetijſſe; quem ſperarent abuſos poteſtate abrogaturum, malis pœnam, præmia bonis, omnia denique corrupta in integrum redditurum. Rogare, ut legitimos Friſiæ magiſtratus (quîs verbis conſeſſum judicum deſignabant) priſtinæ reſtitueret autoritati ac potentiæ. Quod ſi impetrarent, nuſquam non in his, quæ ex uſu publico, promtos illi obſequio fore. Hæc legentem Naſſovium haud injuria movêre. Videbatque à judicum adſeclis profecta, qui diminutâ Delegatorum gratiâ, ſuum augere faſtigium niterentur. Poſteaque fatente eo, qui deſcripſerat, compertum, autorem fuiſſe Franciſcum Bodimontium conſeſſus judicum ſcribam. In varias itaque curas diſtrahi Comes, ambiguus quicum conſilia communicaret, cum utramque partem ex æquo res tangeret. Nec minus incertus agebatur, promeret rem in pleno conventu, an premeret. Enuncianti manifeſtus diſſidij conventus: diſſimulantem nobilium qui ſubſcripſerant convitia manebant, quod rem tantam neglexiſſet, & his ſine dubio ſui quoque fautores. Tandem adhibitis in conſilium intimis amicorum, occultare rem, quoad publica negotia perficerentur, conſtituit. Certam interea nobilibus ſpem facit, curæ ſibi rem fore antequam conventus ſolvatur. Igitur ubi adfuit dimittendi tempus, publice recitari libellum jubet, & qui publico miſſu conventui intererant, rogat, uti ſtatuere eâ de re, ſeque juvare conſilio velint. Patrum legati qui aderant, pro quibus Siurdus Fockeſius locutus eſt,

extemplo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

extemplo omnium ſe culpâ vacare, injuriamque fieri ſibi obteſtati, dari arbitros petiere: quîs non ſe purgare tantum, ſed oſtendere quoque parati ſint, qui ſubſcripſiſſent nobiles, inquietos, factioſos homines eſſe, quorum pleriſque, adeſis bonis, lubricoque, quin & deſperato ſtatu, nullam rebus compoſitis ſpem, eoque ipſos, Catilinæ exemplo, turbatâ Rep. ad honores, muneraque quæſtuoſa, contendere. Igitur decernunt trium Goarum legati, ut Comes idoneos viros, neutris infenſos aut obnoxios, deligeret: non ſpectato indigenæ an exteri forent. Cum his ſociato conſilio pœnam reis conſtitueret, innoxios abſolveret. Urbium legatis viſum, ut re cum judicibus deliberata, Comes tanquam ordinarius judex, litem dirimeret. Mox alterum quoque libellum ijdem nobiles tradunt, quo Comitis, & eorum quos adſciſceret, judicium rejecere, adfirmantes, non teneri ſe ijs ſiſtere. Nec ut conſeſſus judicum cognoſceret, Patrum legati pati voluere. Quîs moris dilata res, interveniente nonnullorum qui ſubſcripſerant fato, ad ultimum evanuit: crevitq; indies Delegatorum gratia, & judices intra criminum judicia ſe continuerunt. Sic quoque Gôarum urbiumque diſſidia ſenſim defecere, neutris aurem præbente Naſſovio. Is ad defenſionem Friſiæ XVII peditum centurias invenit, ducentorum pleraſque capitum, nonnullas quinquaginta minus: equitum Belgarum turmam unam. Poſt adventum ejus nova Gallorum ſcripta eſt. Præter hos Harlingæ Hollandorum centuriæ duæ præſidebant, ex quîs, ſi neceſſitas, centenos evocare poterat. Contra Verdugo Groningæ, Omlandorum, Drentæ, ac Twentæ regis nomine præfecto, legiones ternæ, equitum quatuor turmæ: quas fere univerſas tuto ex urbibus educebat. Nam Groningæ nullum præſidium. Stenovicum ac Oldenſalia exigua manu defendebantur, pulſis qui in noſtra proni vel per ſuſpicionem habebantur. Id Friſijs non licebat, quibus non minor adverſum cives, quam hoſtes cura ac labor. Septemſylvanam, Oſtergoam totam, partemque Weſtergoæ Verdugus incendij terrore tributarias habebat. Ex Omlandico agro nihil penè Fœderatis tributi: præterquam, quod leve, ex pagis ad occaſum Nibomſterſilæ ſitis, qui plerique vaſtati, deſertique. Cogitarant Patres, ne Friſijs incendij minis tributum hoſtis extorqueret, validum caſtellum in Bleſſa ad Stenovicum extruere, quo populationes hoſtium ſiſterentur. Itaque mittitur eo Naſſovius, exiguâ cum manu, ſpe intercipiendi per aſtum Stenovici: quo conſilio parata omnia, aut ſi minus id ſuccederet, munimentis excitandis. Cæterum de inſidijs jam enunciatum hoſti: locumque extruendo caſtello cognoſcentibus, haud idoneus compertus: quippe in continenti ſito, tranſitus utrimque patebat. Igitur re infectâ Comes revertitur. In itinere gravia tonitrua exaudita, ac fulguris radij, ſerpentium inſtar ſinuati, perque humum voluti, Naſſovij, comitumque equos proſtraverunt. Similibus aliàs quoque periculis ſine damno evaſit. Sic Leovardiæ dum per vallum obequitat (adeo intenſo gelu, ut quæ tenuiſſima arborum virgulta, adhærente glacie digiti craſſitudinem æquarent) magni ponderis ramus, cujus ruina aut obruere, aut mutilare hominem potuiſſet, à ſtipite avulſus, equi in tergum delapſus eſt. Fuit & hyeme, quum lubrico platearum, equo prolapſo crus Naſſovij ſubjaceret: & adſurgere annixus, implicitâ ſtragulo ſoleâ, rurſum corruit: nullo, præter metum, detrimento. Irrito, ob ingenium loci, de Bleſſa conſilio, agitatum, ut copiæ Friſiorum augerentur. Igitur Michaël Hogelkius, præfectus militaris, in Germaniam ad conducendas quatuor centurias miſſus, ſenis hebdomadis negotium expedivit. Verdugum per literas Naſſovius monuit, quandoquidem ſæpe exiguo numero, nocteque intempeſta in Friſiam ſe milites ejus diffunderent, ſolâ quæſtus ſpe ex abductis agreſtibus, aut raptus è curribus navigijſque iter facientium; omnes qui in manus veniſſent, præ-

cIↃ IↃ LXXXV.

cIↄ Iↄ LXXXV. donum loco habiturum; cæteris qui prælijs,aut in expeditionibus capti, belli jura ſervaturum, & redimendi jus fore. Id remedium contra hoſtilium prædonum audaciam quæſitum, eo majorem, quod menſtrui tantum ſtipendij periculo, ſæpe mille, & ultra, florenorum ſperarent lucrum. Varijs inſuper acceſſibus, fluminaque propter, caſtella, & excubijs ſtationes poſitæ, omniaque tentata,ut tributo,quod incendij metu ex agris capiebat, hoſtis orbaretur. Decembri menſe Guilhelmus Naſſovius, defuncto Arauſionenſi, ſacramentum renovavit, ac ſummam in Friſios præfecturam obtinuit. Per idem tempus Verdugus Otterdemum obſeſſis ad oppidum itineribus arctare aggreſſus,ab occaſu aggeri ſublime caſtellum imponit, pariter Otterdemo, ac Ameſin navigantibus infeſtum. Ad orientem ſolem quà continentem reſpicit, intra tormenti jactum, duobus minoribus caſtellis excitatis,quaſi vi adorturus ſe ſuaque compoſuit. Nec tamen illi tentatum quicquam niſi in navium tranſeuntes, quæ, licet accepto ſubinde à tormentis damno, itinere haud deſiſtebant. Solumque pretium laboris fuit, quod tributa, quæ agreſtes incendij metu noſtris pendebant, deteriora fecit: ſimul excurſiones Otterdemenſium prohibitæ. Eodem tempore duæ equitum turmæ, hortatu Seiſingij equitum præfecti (cui devij tramites perveſtigati, ac celebre ex latrocinijs nomen erat) in Drentanum contendunt agrum. Statimque ab adventu viſo hoſtium equitatu, licet numero impares, congrediuntur. Primum impetum Bordeſius turmæ equitum præpoſitus facit, recipiente Seiſingio, ſe ſucceſſurum. At ille ſimulatque permiſtum hoſtibus Bordeſium vidit, fuga ſe ſuoſque ſubduxit. Suo quoque exemplo, veteris dicti veritatem confirmans, prædones, ut inſidijs; ſuetos, & privati quæſtus avidos, aperto Marte raro cum hoſte confligere. Bordeſius, accepto vulnere, cum pluribus alijs, captivus Stenovicum abductus. Ubi recepta valetudine, à præfecto militari ad epulas vocatus, hauſto rubro vino,paullo poſt, haud citra veneni ſuſpicionem,extinguitur. Quippe ſumma viro belli ſcientia: quales ut redimerentur hoſte eſſe nolente conſtabat. Neque id poſtea in literis ad Verdugum Naſſovius reticuit. Kalendis Januarijs anni MDLXXXV, recepta conſuetudine, novandi per univerſam Friſiam magiſtratus erant. Cujus rei hic ordo. Qui magiſtratu defungebantur, Præfecto, præſidi, ac judicum conſeſſui duplicem commendabant numerum; unde ſequentem in annum deſignandi erant magiſtratus. Ea in re cum non jus, verum Remp. ſpectaret, Delegatorum conſilia ſequi decreverat Naſſovius. Id verò penitus urbes abnuere: quippe tum ſibi ab agrarijs palam (ita enim nuncupabant) adverſarijs ſuis, pro lubidine eorum imperatum iri. Novæ hinc & acres contentiones. Tandem huc ab urbibus deſcenſum,ut Prçfectus magiſtratum quem ipſe cenſuiſſet deligeret,modo nequid leges ſuæ caperent detrimenti. At Leovardia obſtinato pro judicibus animo permoveri eo nequivit; unde propagatum ibi magiſtratibus imperium. Eo qui ſecutus eſt anno, datum Leovardiæ ac Franequeræ, ut ſuos ipſæ crearent magiſtratus. Quo impetrato, urbium quoque cæteras eodem impellere conantur; cæterum nequidquam, tanquam parum cupidas novandi, atque aſſerentes, facilius Præfecti, quam ſuâ dilectione, bonos patriæ cives, ad publica munia perduci. Novationis hujus autores nonnulli erant, qui judicum autoritatem (alioqui ob majeſtatem juris augendam potius) quibuſcumque modis imminutam cupiebant, dum libertatem ſe populo reddere arbitrantur. Nec reputabant, Patrum ſimul excludi legatos, quorum nudum nomen adeo inviſum multis, ut ne audire quidem ſuſtinerent. Pleraque Naſſovij etiam ſuſpecta,ut in conſilium eoſdem adhibentis. Itaque publici mercatus tempore, quod maxime inſidijs opportunum, LX militum præſidium intra urbem accipere Leovardienſes abnuerunt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

nuerunt: eâdemque in ſententiâ pòſt quoque perſeverarunt, cum non minora hybernum gelu pericula oſtenderet. Nec hic modus iræ: anno LXXXVI omnes pariter urbes decrevere, non pati ut in quaquam earum ſedem Patrum legati ponerent. Qui ſi prorſus Remp. regere vellent, habitatum in pagos abirent. Cæterum id interceſſu Præfecti, & quorundam qui publicè à Senatu miſſi, omiſerunt. Ne literas quidem Naſſovij, quis Patrum legati ſubſcripſiſſent, accipere civitates voluere. Unde cum indicto, anno MDLXXXVI, conventu, Delegatorum quoque literæ præferrent nomen; Leovardienſibus acta de non præjudicando tradi neceſſum fuit. Nec diſparem, ubicumque poſſent, gratiam, Leovardienſibus Patrum legati referebant: & conventus Franequeram in remotiſſimam Friſiæ oram tranſtulere; quos haberi in limitaneis locis par erat: non ſine magno Reip. omniumque privatim, qui eorum opis indigerent, diſpendio. Eam ob cauſſam majorem temporis partem Leovardiæ extraxit Naſſovius: ſed eodem Patrum pertrahere legatos haud potuit, vixque Majo menſe anni 'LXXXVI, vehementer eo urgente, tranſactus Leovardiæ conventus eſt. Nec aliam ob rationem Franequeræ erecta Academia, quamvis Leovardiæ & majori Friſiorum, & quicumque ſtudijs vacarent uſu, id fieri poſſet. Denique, paucis ut expediam, vix aliud primo triennio in conventibus actum Naſſovio, quam componere lites, rogare, obſecrare, ne tantum affectibus darent; ut in perniciem Reip. verterentur. Tandemque moderatione ſua, partium præfracta vicit ſtudia, dum ex æquo utroſque arguit: qua re & hi & illi ad ultimum contentionibus feſſi ſuperſederunt. Fuitque magni hic uſus conſilium Naſſovij, ſuadentis, ut Patrum legati duos conſulum Leovardiæ, acerrimè ſibi adverſantes, in collegium ſuum adſciſcerent. Quæ res (licet multum improbantibus, qui pro agris erant) exitum habuit proſperrimum. Hæc quamvis ſecuturis quoque annis geſta conjunximus, ne diviſis, recurrendum denuo ad eadem foret. Duodecima Martij die anno LXXXV Guilhelmus Naſſovius Marnam, quo Fœderatis tributariam faceret, invadit. Quod ubi hoſtibus compertum, ſine mora digreſſi caſtellis, in quæ diſtributi circum loca illa erant, convenere, Friſijſque neceſſitatem fecerunt naves repetendi. Naſſovius ſuorum unum ſtupri per vim fœminæ illati, convictum, (nihil enim in hoſtico non impune licere putabat) tolli in patibulum juſſit. Menſe Aprili certi ad Comitem nuntij Emda & ex Orientali Friſia afferebantur, agere cum Edſardo Comite Verdugum, ut ejus permiſſu caſtellum ad Cnockam contra Otterdemum excitaret: aut ſi id concedere gravaretur, locum ipſe Edſardus præſidio munitionibuſque firmaret adverſus excurſiones præſidij Otterdemenſis. Quæ ſemina belli inter Edſardum ac Fœderatos fuiſſent. Igitur Naſſovius, ubi rem pro certa habuit, prolixis literis ordinem equeſtrem, urbeſque Orientalis Friſiæ monuit, *recordarentur humanitatis ſuæ, ac beneficiorum, quæ in Belgas, tyrannide Albani pulſos, initio belli hujus contuliſſent. Revocarent ad animum inſidias doloſque Hiſpanorum hanc pervertere ſocietatem molientium. In apertum hæc bellum eruptura, ſi prohibendis militum excurſionibus copiæ ſcribantur. Bella omnino ſine detrimentis non geri: detrimenta, quantum fieri poſſit, corrigi juris æquitate: cujus multo majorem apud Fœderatos, quam Hiſpanos curam. Qui aliud remedium huic quærerent malo, pares illis, qui vitandæ tenui pluviæ in flumen ruant. Providerent, ne circumventi ab occulte Hiſpano faventibus, qui & illos & Fœderatos pariter trahere in perniciem velint, in ſocios, eadem colentes ſacra, concitarentur. Non adeo affectas Fœderatorum res, quin hoſtilia tentantes, cumque Hiſpano conjurantes, perdere funditus valeant.* Earum literarum exempla Naſſovius ad Edſardum ac Joannem Comites miſit: ne objici poſſet, clam Principes concitare eum ſubditos conatum: ſimul ut in priſtina ſocietate perſevera-

cIↄ Iↄ LXXXV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ rent,rogavit. His effectum,ut veteri in ſtatu cuncta relinquerentur. Eadem
LXXXV. tempeſtate tres fratres, Hermannus, Fredericus, ac Oſualdus, Bergenſes Comites, exutâ fide ad Regem tranſiere: literiſque ad Guilhelmum Naſſovium (amitini quippe, multoſque annos eadem diſciplina uſi erant) gravibus de cauſſis id à ſe factum adfirmarunt. Autores quoque eſſe, ut exemplum ſequatur: utcumque enim non improſperæ nunc Fœderatorum res forent, tandem tamen fore ut ſuccumberent. Ad ea Guilhelmus, mirari ſe reſpondit, Hiſpanos toties circumventis Belgarum proceribus, ſatis inſuper fidei ad decipiendos cæteros invenire. Se quod attineret, nullas adverſitates tanti ſibi momenti fore, ut ſacra, bonamque deſtituat cauſſam. Exitum quemcumque dediſſet Deus, conſtanter laturum. Nec ſe maculâ hujuſmodi ſplendorem generis ſui adſpergere velle. Altius hæc in Bergenſium animos penetrarunt: unde ira pleni reſcripſere, tanquam objici indignantes, quòd genus ipſi ſuum dehoneſtaviſſent. Prid. Kal. Maias, Meurſæ Comes cum Barone Hogeſaxio biduo antè, ſed alio obtentu, collectis ad Veſaliam militibus, primâ luce Noveſium acceſſit. In urbe Quirini feſtum, mercatu ſolenne, celebrabatur, eoque vicinis ex locis extranei frequentes confluere in oppidum adſueverant. Nec fuit in arduo Comiti, mentito civium ac mercatorum habitu, multitudini milites immiſcere. Ii igitur ſub auroram duorum tuborum, quod ſignum erat, fragore audito, ex taberna, totidem ad portas concurſum faciunt: igne in ædium prius unas injecto. Simul tympana tubæque extra urbem ſonuere. Tantâque celeritate, qui in urbe extraque eam erant, portarum utramque moliuntur, ut priùs forum plateaſque pedes & eques tenerent, quàm catenas, initio belli hujus claudendis plateis comparatas, tendere, aut convenire in unum cives poſſent. Itaque exiguâ cæde noſtri urbis potiti, trucidatis decem tantùm aut duobus ultra civibus. Oppidum direptum, miles gravem habuit prædam. Nonâ Maij die Guilhelmus Naſſovius, quatuor tormentis, annonâ, cæteriſque neceſſarijs in navibus impoſitis, Slikenburgum contendit. Aderant milites ſeptingenti diverſis ex locis Slotenum collecti. His, ſub Theodorico Sonoyo, ex Hollandia Auſtrali quingenti acceſſerant. Et ille quidem communienda à tormenti jactu caſtra, & fatigandos fame obſeſſos, contendebat: quippe malè à frumento proviſum ijs. Cæterum Naſſovius foſſas è veſtigio compleri, vallum diſiici, ac impetu locum capiendum cenſuit. Etenim alterum conſilium multo tempore egere, hoſtemque aut caſtris, aut alibi inſultantem haud dubie prohibiturum. Creſcere quoque obſeſſis animos, inſtitutis è longinquo munitionibus; ad manus ubi veniatur, ſerio rem agi experturos. Quemadmodum enim in annulo, quo latius diducatur, tantum robori decederet, ſic conſtipatum quoque, quam diſperſum militem, validiorem eſſe. Prævaluit tandem hæc ſententia. Caſtello centuria una præſidebat. Erantque ad defenſionem gemina fuſili ex ære tormenta, modicæ magnitudinis; quique his emittebantur globi, quatuor aut quinque libras pendebant. Quibus quamvis crebro noſtri impeterentur, poſtera tamen die adgeſto tribunali, tormenta imponuntur, quîs, pro exiguo numero (quatuor tantum erant) non levia hoſti damna illata. In labore notatum, averſo latere, ubi quondam villa, ſed nunc diruta erat, altiorem in tumulum humum adſurgere; pluſque inde opportunitatis vexandis obſeſſis. Igitur noctu tranſlata huc tormenta, primâ luce intenduntur. Ubi fortè primo ictu globus per parietem, centurionis cubili contiguum, adactus, decumbentis in corpus lapides proturbârat. Quo ille territus metu, eâdem die deditionem fecit, exportatiſque armis, & impedimentis, diſceſſit. Redacto in poteſtatem Slikenburgo, Oldemarcam Guilhelmus petit. is locus Slikenburgo Stenovicum euntibus iter claudebat, & XL Walonibus defendebatur; quîs ingens è lapide templum

pro

pro munimento. Poſtulatâ deditione, abnuunt præſidiarij, niſi viſis tormentis. magnoque furore tela in noſtros ingerebant. Et quamvis paucorum periculo militum opprimi poſſent, Naſſovius tamen, quo ſuis parceret, tutiora, ſed operæ majoris prætulit. Itaque adductis in conſpectum tormentis duobus, præſidio inermes abiere. Templum, ne denuo receptus vicem hoſtibus, noſtris materiem laboris præberet, ariete, uſitatâ Romanis machina, ſubitoque eum in uſum paratâ, diruitur. Tormenta, quibus hac in expeditione uſus Guilhelmus ab urbibus Leovardiâ, & Harlingâ commodato ſumta. Erantque reliquiæ inſtrumenti arcium cœptarum à Rege, nec perfectarum. Non tamen magiſtratus urbium earum commodare voluerant, licet reſtitutionem, ſi amitterentur, promittente Naſſovio. Ne quidem ſyngrapham offerentibus Patrum legatis: quoad privato periculo pro ijs nonnulli nobiles ſponderent. Unde valde ſollicitum id Comitem habuit, ne deſtinata vulgarentur. Adeo parum tunc magiſtratibus animi erat, ſemper cladem, ſi bellum inferrent, metuentibus. Menſe Junio inſtanter Fœderati Patres petiere, ut laboranti Geldriæ præfecto, cui magnum ab hoſte diſcrimen, Friſij ſuccurrerent. Itaque tres validæ Germanorum centuriæ delectæ, Nivenario, Meurſæ Comiti, auxilio venere. His ille confiſus, Martino Schenckio, ſingularis audaciæ homine, ſimulatque in conſpectu Taxium Zutphaniæ præfectum habuit; qui in Velaviam venerat, Ultrajectinam foſſam munitionibus firmaturus, confeſtim perſequitur, pugnandi copiam quærens nullâ commodi ſpe, nedum neceſſitate adductus: quippe adeo infirmæ hoſtium vires, ut non urbium, non caſtellorum ulli ab eo metus aut periculum eſſet: id tamen roboris, ut haud facile concidi à noſtris poſſet: & noſtris, ut jam viciſſent, deerant vires obſidendis Zutphaniæ aut Doeſburgo. Agri vero, quibus expellere eum conabantur, jam tributarij erant, ita ut non prudentiæ, ſed ſola fortitudinis reportari gloria potuerit. Incitabat Nivenarium Schenckius, audaciæ in capeſſendis periculis, nimius. Nec minor Taxio pugnandi cupido. Unde patentibus in campis utroque hoſtem obvium optante, imprudentes ad Amerongam committuntur. Solus Taxio eques, peditatus ab horæ itinere ſequebatur. Meurſæ Comiti, præter copias omnes, præſidio quoque pagus erat. Itaq; exſpectandum ibi hoſtem nonnulli cenſebant. Et haud dubie pugnandi cupidine ſecuturum: ſimul loci opportunitatem quanto ex uſu noſtris, iniquiorem hoſti fore. Cæterum Comes Schenckiuſque nihil moræ paſſi, in hoſtem ruunt. Neutris cura, ſubſidia retinere, quæ ſubmitterent laborantibus, aut feſſis ſuccederent: ſed effuſo curſu totæ ſimul copiæ congrediuntur. Qua re laxatis utrimque ordinibus, invicem permiſti, pugnare, fugere, reſiſtere per patentia camporum; non ſocium ullus, non hoſtem noſcere. jaculatorum peditumque nullus uſus. Neutri partium ſollicitudo, congregandi diſperſos, aut prælium reſtituendi, dubio ubique Marte, donec peditatus, & cum eo recens equitum turma, Taxio ſubvenit. Hi inſtructis ordinibus haud ægre diſperſum Fœderatorum equitem in fugam egere. Dein pedites adorti, qui conferto agmine, animoſe reſiſtebant, (quippe nihil in fuga ſpei) ad unum omnes aut cepere, aut trucidarunt. cecidere prælio eo ad mille ſexcentos. Inter proſtratos cadaver repertum habitum oris, cæteraque Rolandi Lennepij referens; qui quondam unus è Patribus movendum dignitate ſua Bergenſem Comitem cenſuerat. Non tenuere iram eo conſpecto Comitis filij Hermannus ac Fredericus, & exanime jam corpus multis vulneribus vexantes vindictâ animum expleverunt. Poſt ubi deceptos ſpecie, nec vivum modò Lennepium, ſed irrideri quoque ab eo ſe cognovere, facti pudor ſubiit. Villerius Ultrajecto præfectus captus eſt. Schenckius paucis comitantibus elapſus, Ultrajectinam occupat foſſam, eamque ſine morâ

munitio-

cIↃ IↃ LXXXV. munitionibus firmat. Taxius, nullâ poſt victoriam memorabili re geſtâ, Zutphaniam redijt: ipſa quoque plebe judicante, temere diſcrimini ſe noſtros immiſiſſe, ad pellendum hoſtem; qui ne partâ quidem victoriâ damni inferre quidquam poſſet: neque enim caſtellorum ab eo vel unum expugnatum eſt. Adulto Junio menſe, Rolandus Ketelius, Groninganus exul, patriam urbem in noſtram reducere ditionem cupidus, dolum inſidiaſque aperit, quîs capi poſſet: ſi exiguus militum numerus in urbem dimitteretur, portarumque unâ, quà maxime infirmæ excubiæ, occupatâ, Naſſovio, & copiarum cæteris, patefaceret aditum. Comes nonnullis diebus re cum Ketelio deliberatâ, alteroq; ejuſdem urbis exule, Groningani quondam Senatoris propinquo, ac centurione, in conſilium adhibitis, difficultates non leves reperiebat. Cæterum cuncta ſupergrediebatur fervor Ketelij, caſum quicumque objiceretur, levem reputantis. Itaque dictitare, facilius, quam pro opinione, confici rem poſſe. Neque accurate adeo portæ ſitum, vigilumque deſcribere infirmitatem valere, atque ipſe perſpecta haberet. Darentur modo comites, ſui quoque capitis periculo tentaturum. Igitur adjunguntur ſocij Onno ab Euſum, ſingularis audaciæ juvenis, privato in urbem odio exſtimulatus: quippe Omlandus, qui fucato vultu, mercatoris ſpeciem induerat. Dein Quirinus Blaeuwius, aurigæ habitu, & Rolandus Schouwenburgius Livo, alijque numero ad quindecim. apud hunc tamen celata res, dictumque exiri ut opulentus mercator ſæpius extra urbem deambulans comprehenderetur, prædam ex æquo omnibus ceſſuram. Ubi ſtatum tempus aderat, Naſſovius cum mille quingentis militibus in Drenthanum ſe agrum confert. Iter præter caſtellum Norichium, & intra tormenti jactum neceſſario faciendum erat. Præſidebant milites LXX, à Groninganis impoſiti: proque urbis excubijs erant. Comes igitur, diſpoſitis noctu inſidijs, continere ſe militem ad decimam diei horam jubet; tum jumenta ex agris abigere; ratus eo in urbem nuncio perlato, poſt quoque exploratoribus de copijs viſis nunciantibus (nam ſub meridiem totum moliri agmen decreverat) exiſtimaturos oppidanos, utroſque de armentis referre. Inter hæc agreſtium unus, viſis inſidijs, Nyenordam rem perfert. Re compertâ Henricus Deldenius, loci præfectus, cogere ſuos, atque imprudentes, qui in inſidijs erant, opprimere properat. Sed caſu in totas incidens copias, vix intra caſtellum Norichium ſe recepit. Naſſovius ſine mora centum militibus locum circumdat; ita ut intercluſo exitu, Groningam abire nullus poſſet. Mox militum nonnullis ſub ipſas caſtelli munitiones velitationem orſis, retrahi eos Naſſovius à vigilum præfecto jubet. Ille de univerſis, qui caſtellum circumſtiterant, dictum ratus, abducit. Quâ re ſpatium ſimul & opportunitatem exeundi Deldenius adeptus, incitato equo Groningam decurrit. Nec dubitavit eo viſo Naſſovius, detectum dolum. itaque ex labore ſe reficere milites jubet, tanquam mox reducendos. Sub veſperum duos ex urbe milites cum literis Ketelius mittit, &, quod jam in ſuſpicione Comiti, enunciatam rem ſignificat. His per hoſtile caſtellum, quod Ponterbruggæ, tranſeundum erat. Quamobrem earundem ſe partium ſimulantes, ſpeculatum exire adfirmant. Præfectuſque loco cavere à Naſſovij copijs juſſos dimittit. Cæterum ut rectâ regione contendere eodem videt; miſſis qui inſequerentur, retrahi ex fuga jubet; repertiſque literis Groningam mittit. Quæ ut audita conjuratis, fugam ex urbe faciunt, deducente partem itineris Ketelio, qui deinde in urbem ſe recepit: rogantibuſque cæteris, ſuæ quoque ſaluti ut conſuleret, abnuit; amicis, quos in urbe habebat, confiſus, & nulli ſe ſuſpectum ratus. Repertæ apud milites literæ, nomen nullius continebant; neque ipſe tradiderat Ketelius, ita ut de conatu, non de autore conſtaret. Unde tormentis vexati, non aliud dicere,

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

quam mercatorem à quo accepiſſent commonſtraturos. Quibus verbis aucta Verdugi ira, intendique cruciatus juſſit. Sed tantundem reſcivit. Ketelium conſul urbis, Joachimus Ubbena monuit, multorum in eum ſuſpiciones cadere. At illo, ſublatâ in documentum fidei dexterâ, purgare ſe paratum adfirmante, ſatisfactum ſibi ſimulavit. Cæterum nocte intempeſta è lecto abreptus, adhibitis cruciatibus, rem, ut erat, omnem profeſſus eſt: gladioque percuſſus in quatuor membra diſſecatur. Milites, qui perferendas literas receperant, laqueo punire Verdugus ſtatuerat. ſed civibus deprecantibus, virgis cæſi, evaſere. Neque ab eo tempore unquam Naſſovius conſcijs oppidanis inſidijs urbium ullas adgreſſus, ſed alijs uſus eſt artibus, quas ſuis locis memorabimus. Undecima Octobris die, Adolphus Niuenarius, Meurſæ Comes, ac Joannes Noritius Tribunus Anglus Yſelortam, propinquum Arnhemo caſtellum, obſedere. Cuſtodia ducentorum erat militum. Noſtri utroque ab latere, qua Velaviam ac Batavorum inſulam ſpectat, munitionibus factis, tormenta dirigunt, ac die XIV. Octobris novem machinis, quas inter duæ majores erant, ab octava matutina, ad ſecundam à meridie horam, ſe magis quam obſeſſos fatigarunt, nullâ memorabili ſtrage editâ, cùm extrorſum diſiecta, nunquam intermiſſo labore, hoſtis intus repararet. Nihilo ſecius, hauddum completâ foſsâ, quæ XVI in latitudinem, quinûm in altitudinem pedũ intercedebat, invadere locum conſtituunt, trium maxime navium fiduciâ, queis in faſtigio malorum corbes adfixæ erant: Unde deſuper jaculantibus, qui vallum inſtiterant, ad jactus undique patebant. Continuato duabus horis prælio, noſtri, amiſſis militibus ad XXXV, quos inter Hunlingus, centurio Britannus; vulneratis ad centum, referre pedem coguntur. Corbitarum duæ in fundo ſubſederant: eaſque hoſtis tormento campeſtri, teſſeris onerato, ita perforaverat, ut deditionem neceſſario miles faceret. Jamque primi ſe dedituri deſilierant, cum ſubito pondere levatæ naves emergunt, & ut expanſis velis erant, à vento correptæ, ulterius in flumen deferuntur, quo caſu preter exſpectationem & naves & miles hoſtium manibus ereptus. Poſtridie noſtros tormentis denuo obſeſſos laceſſere cupientes, pulvis pyrius defecerat: tamen majoribus, quam pro re, animis ſimulatis, invadere obſeſſos parant. Qua ſpecie fractâ hoſtium conſtantiâ, factâque deditione, ſine ſignis, ſine tympanis cæteroque belli apparatu, abiere. Septima decima Octobris die ijſdem ducibus itum ad caſtellum adſitum moli, quæ Bergenſis dicitur. Jacet ad Rhenum mille paſſuum ſupra Arnhemum itinere. Hic plus de ſalute militum ſolliciti, quinque dies munitionibus factis, ad hoſtium uſque vallum eas protulere, ut jam longioribus contingere haſtis poſſent. Quo viſo obſeſſi, caſtellum, ſimulque præfectum, natalibus Turcam, cum tormentis tribus, cæteriſque bello neceſſarijs, Comiti dediderunt. Ille diſcedentibus arma quoque & impedimenta gratificatus eſt. His confectis ad Noviomagum Lendæ caſtellum extruere Comes cœpit. Exeunte Septembri Guilhelmus Naſſovius poſtulato hæredum Arauſionenſis, Hagam proficiſcitur, curandis quæ ad hæreditatem pertinebant. Quibus expeditis, dum redire in Friſiam parat, à Fœderatis Patribus ſollicitatur ut Mauritium Naſſovium, ac Brederodium comitari in Zelandiam vellet, excipiendo Liceſtrio, qui Decembri menſe Vliſſingam advectus eſt. Intenſum per id tempus gelu ad ſuos properare Naſſovium cogebat. Et aquis glacie paſſim adſtrictis, navigium quo vehebatur Enchusâ Stavriam uſque protractum, non ſine periculo nunc innatabat aquis, nunc glacie ſuſtentabatur. Fortè congruerat, ut pridie ejus diei Taxius & Hermannus Bergenſis Coudemum, Workomum, vicinaque Stavriæ adirent, cum peditum bis mille quingentis, & qnadringentis equitibus. Jamque intetioribus Friſiorum petitis Guilhelmo iter Leovardiam occluſerant. CIↃ IↃ LXXXV.

cIↃ IↃ LXXXV. adeo ut Stenonem Malteſium, Danum, vicarium ſuum, qui mille milites, & turmam equitum coactam habebat, convenire haud poſſet. Hoſtis Septemſylvanæ agros, & humilia loca, dein quicquid Snecam propter camporum jacet, devaſtaverat: ſimulabatque ſpeciem editiora, Biltam verſus, adituri. Steno Oſterlittæ conſederat. Mox quo propior Leovardiæ facilius prohibiturum ſe exiſtimans XVI Kal. Febr. primâ luce Boxumum caſtra movet; qui pagus quartâ horę portione Leovardiâ abſitus. Fuere inter centuriones, qui manendum Hillardi contenderent. Eſſe ibi nobilis arcem naturâ loci munitam, poſſeque militem foſsâ pro munimento uti, donec gnarum, quam ſe in partem hoſtes vertiſſent. Cæterum Stenoni id minime placuit. Taxius, ut deſeruiſſe caſtra Friſios, & patentibus campis incedere intellexit, præmiſſo equitatu, hærere tergis, & noviſſimos premere. Boxumum tamen raptim acto agmine attigerunt; verum incompoſiti, & plerique in itinere arma abjecerant, adeo ut priuſquam diſponere ſuos poſſent præfecti ab hoſtili peditatu opprimerentur; qui celerando itineri, prædæ potiſſima, juſſu Taxij, projecerat. Tormenta (quatuor numero erant) aliquoties in hoſtem diſploſa, & jaculatorum nonnulli impigre ad tempus reſiſtentes, egregiam ſtragem ediderant: ad ultimum tamen multitudini procubuerunt. Steno effugium in arcem nobilis, conſcenſâ portâ tentans, capitur; & cum eo Guilhelmus Guilhelmi, ac Grouſtinius, centuriones: vigilumq; præfectus Michaël Hagius, Frater Stenonis, & Meccama, atque Hiddo Sibrandi, centuriones, ceciderunt: hic dimicans, illi in fugâ, cum militibus admodum quingentis. Inſignem virum, Othonem Klantium ea dies vidit, qui hoſtium venire in manus abnuens, ita ut vexillo ſemet involverat interfectus eſt. Ex hoſtibus Oſwaldus Bergenſis, Friſicum manu vexillum quatiens, transfigitur à commilitonibus, hoſtem, errore ſigni, exſtimantibus. Occubuit quoque Carolus Dekama, & multi è vulgo militum, uti ex literis Verdugi compertum, quîs; repetente captivos Naſſovio, non incruentam ſibi victoriam profeſſus eſt. Medio diei certatum eſt, quum ſubito oborta tenuis pluvia compulit Taxium adeo diſceſſum maturare, ut victi inſtar abiret, omiſſis occiſis & machinis, intactis locorum editioribus, quæ trans amnem, Dockomum, Leovardiam, & Franequeram inter, ab agreſtium ditiſſimis habitabantur. Quippe verebatur ut equitum moli poſtridie glacies ſufficeret. Quod non ſine Numine accidiſſe credendum. Exin illata ab hoſte damna reputantibus, compertum, qui Coudemi, Malquerumi, & Workomi ſedes habebant; & redemtis ab hoſte ſecuritatis literis ſupervacuam fugam putaverant, plurimum cladis accepiſſe; & captivos penè omnes, plures trecentis, iſdem ex locis abductos. Cæteros quibus non id fiduciæ, & ſola ſpes in fuga, conſuluiſſe ſibi, jumentaque, laxatis vinculis, dimiſiſſe, ut conſueta ad præſepia pabula petitum irent. Infandæ tum truculentiæ exempla Hiſpani, Itali, atque Albanenſes edidere. Sævitum in virgines, in infantes. Ne puerperis quidem efferа atque immanis crudelitas pepercit, abjectiſque recens natis captivas traxere matres, quas in itinere fatum occupavit. Hujus expeditionis terrore univerſa Friſia tributum hoſti pependit. Ipſi in urbibus cives ut tutò per agros negotiarentur, atque in civitates commearent, occultò liberæ profectionis codicillos à Verdugo redemere. Ne magiſtratus quidem immunes ea labes habuit. Vix ullæ è Friſia naves ſine tali præſidio ſolvebant, quod recta æſtimatione plus erat, quam ex parte in gratiam cum hoſte redijſſe. Cui licet ſtipendia haud facerent, tamen obnoxij, arma inferre nequibant: ſuoque in conſpectu, vicinos, cives, milites, id genus literis deſtitutos, rapi, vinciri, captivoſque trahi patiebantur. Hinc languore cæteris injecto, ſiqua opportunitas, redeundum cum Rege in gratiam paſſim differebant. Quamobrem comparari tunc Friſia excelſis ædibus poterat, quæ externa contem-

plantibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

plantibus, ſpecie ac firmitudine egregiæ, ſed ſuffoſſis interioribus ruinam cIↄ Iↄ
brevi minantur. Verdugo ſane non impetu aut vi, ſed ſenſim gentē eam ſub- LXXXV.
igere decretū erat. Igitur conciliandis Friſiorum animis horreſcere ad famā
barbaræ adeo crudelitatis. Spargere etiam voces, continenter ſe rogatum à
militibus, Regis vexare hoſtes cupientibus, nunquam conſenſiſſe; quippe
gnarum ſævos illos, & parum temperare iris ſuis. At deinceps eſſe cauſſam
poſtulantibus haud obſequendi. Plus in oratione hâc ſpeciei quam fideī
erat, nec facta congruebant. Ipſe datam agreſtibus fidem violari, eos redi-
mi, poſtremò fortunis omnibus exui patiebatur. Simulatos interea queſtus
profundebat, tanquam diſpretâ apud equites autoritate ſuâ. Stenonem vi-
carium Naſſovij gratis dimiſit. Etenim jam ante hebdomadas aliquot à Da-
niæ Rege domum revocatus, miſſionem à Friſiæ Patribus & Guilhelmo im-
petraverat. Nunc tamen cognitâ hoſtis expeditione, extremum hoc Friſijs
officium denegare noluerat. Per hunc primo, exin per nobilem quendam
captivum Verdugus Naſſovio conditiones obtulit, ut, cavendo incendio,
Friſios ipſe; Comes, Omlandos tributarios haberet. Nec populandi gratia
in alterius ſe ditionem alter effunderet, ſed tempus exſpectarent, donec
abunde virium eſſet, obſidione cingendis urbibus, aut caſtellis. Nam prio-
rem ſe fore rebatur, ut Regis opibus ſubnixum: tum etiam Friſiorum urbes,
corruptis, ut oſtenſum, habitantibus, facile jugum accepturas. Sin utrumque
abnueretur, favorabile nomen ſuum Friſijs, à Naſſovio averti animos, ut qui-
bus nihil perinde gratum, quam ſecuritate induciarum, & remoto hoſtium
metu, agros tutò colere. Recuſavit tamen Naſſovius, neque ſui rem judi-
cij, neque ex uſu Reip. ratus. Imprimis erexerant eum ſpes conceptæ de
Liceſtrio, ac Britannicis auxilijs, decretoque in proximam æſtatem exerci-
tu. Interea hortari cives, monere præſidia, ut in hoſtem verſis ſemper cu-
ris, ſuſpectos etiam obſervarent, & in loca ab hoc bello otioſa, aut agros ſe-
ponerent, & proventus bonorum his promitterent, quorum modeſta vita
comperiretur. Sed parum id proceſſit: neque enim inventus quiſquam tam
pronus in Hiſpanū, aut patrię inimicus, quin haberet inter Reformatos ami-
cum, qui loqui pro eo, & fidem dare paratus eſſet. Leniora quoque Patrum
erant imperia, & plus ſubditis indultum, quam ut ſuſpiciones exilij cauſſa
cuiquam forent. Adeo ut inſequente anno Comes cum de ablegandis ſu-
ſpectis ageretur, contraria ſuaſerit, oſtendi ejectis dictitans quam parum fi-
dei illorum tribueretur; nec remedium id, ſed ſtimulum ad pejora. Mittun-
tur deinde à Naſſovio, qui civium ſcrutarentur ædes, quantum cuique an-
nonæ, & modum ponerent ſingulis, neceſſariò ſemper domi habendum.
Mox, aucto rurſum gelu, aperiri flumina, & perfringi glaciem jubet, Docke-
mo Leovardiam, hinc Snecam, inde Slotenum ac Lemmeram uſque. His
conficiendis poſtulatum à Fœderatis Patribus auxilium, cui Noritius præ-
poſitus. Agreſtium inſuper tertius quiſque convenire juſſi, qui numerus ter-
na millia apud Friſios conficit. Propoſitum etiam à viris primarijs, quo hoſtis
arceatur, poſſe fœcundiſſima Friſiorum inſulam effici, dejectis aggeribus,
qui hinc Kuinderam Lemmeramque, inde Dockemum & Collumum inter-
jacerent, & commiſſo mari per humilia camporum, quæ à Kuindera Lem-
meraque Dockemum uſque pertinerent. Proviſum tamen oportere, ut terrę
ab æſtivo occaſu, quà pelagus admittendum, aggeribus cingerentur. Uſui
hic fore Swettam, Groenenſem, Leppiumque aggeres, & Ewalam. Servari
hâc ratione omnes Friſiæ civitates, exemto Sloteno. Servari totam Weſter-
goam, & Oſtergoæ potiora. Septemſylvanam cum campeſtribus Oſtergoæ
perituram. Cæterum Naſſovio durum pro præſenti neceſſitate remedium
videbatur, integra à corpore membra revellere. Haud multo poſt cladem
Boxumenſem eum qui pro-præfecto caſtellum Lemmeranum obtinebat,

mulier

CIↃ IↃ LXXXV.

mulier acceſſit, & magnis pollicitationibus emercari hominis fidem conatur, ut Stenovicenſi præſidio caſtellum prodat. Ille Præfectum ſuum Dodum Larium, Sloteni morantem, certiorem facit: hic Naſſovium. Suadet is, ut vultum, & conditionem placere ſimulet, detegendis inſidiarum conſcijs. Cæterum cum per uxorem Larius ad Comitem ſcriberet, ejuſque reſponſa non niſi prælegente illâ acciperet (nam legendi ſcribendique ignarus erat) factum ut impotentiâ mulieris re enunciatâ, ſola hæc femina comprehenderetur, quæ virgis Leovardiæ cæſa, pœnas perfidiæ dedit. Erant omnino hac tempeſtate ruricolarum plerique redemtis ab hoſte tutelæ codicillis corrupti. Pontificijs inveteratus amor & fides erga Regem. Mennoniſtæ, quarta ferè pars Friſiorum, noſtra magis quam Romanenſium ſacra averſabantur; quamvis regijs edictis ad flammas damnarentur, Patrum lenitate tuti eſſent. Aſpernatores Numinis, & quibus in religione quod ſentire libitum idem licet, fortuna quocumque inclinâſſet, pertrahebat. Reformatorum nullus penè in agris numerus. Et qui erant, minuti animi, ac perſuaſi, poſſe otium haberi, ſi militē Patres amoverent. Huic malo fovendo Verdugus per Franciſcum Bodimontium, olim à Secretis Arauſionenſi, pòſt, ejus commendatione, ſcribam conſeſſus judicum apud Friſios, ſed ſuperiore anno in exilium actum, curat ſpargi ſeditioſum libellum. Argumentum erat, *Patres, libertatis ac religionis velamine, Fœderatorum bellum alere, & privatum vertere in quæſtum. Eam ad rem ducibus uti Naſſovijs; hominibus non publici egregij ſtudioſis, ſed privata ambitione exſtimulatis, qui ob mortem Adolphi Naſſovij longa in Auſtriacos odia gerant, & vindictam meditentur. Non eſſe in arduo populum Regi conciliare, ſi pauci nebulones* (Patres deſignabat) *tollantur. Sed imprimis fœdus cum Britannis fugerent; & niſi faciant perpetuo bello, æternæ fore obnoxios ſervituti.* Libelli hujus centena aliquot exempla Oſtmahornæ in Emdanâ nave reperta, Naſſovij in manus venere. Sed Bodimontius his potiſſimùm de cauſſis exilio multatus. Anno poſt octogeſimum ſecundo Arauſionenſi demonſtraverat, repertum ſibi dolum pertrahendis in inſidias nonnullis hoſtium centurijs. Et quò fidem faceret, profert miſſam ab hoſte epiſtolam: rogitans, ut porro impellere eum ad deſtinata per literas liceat. Non abnuit Arauſionenſis, cæterum addito, ut conſcio Meroda, & quibuſdam è Patrum legatis, omnia tractaret. Meroda, re comperta, ut facilius premeretur, cum nemine communicandam cenſuit. At intellecto, hoſtem ex Bodimontio quærere, qui primorum conſilijs innexi, qui faventes, an valido ſatis numero ad tradendam portarum unam, & quæ ea foret, reſcribere Bodimontium vetat. Ille juſſa adſpernatus, & Merodam, more ſenectæ, tuta timere dictitans, reſcribit, ac re detecta in carcerem datur. Nullus prudentiorum ambigebat nihil pro ſano molitum. Quippe dolo quem prætendebat nulla ſpecies, & quomodocumque res caderet, damnum noſtrorum ſequebatur. Etenim hoſtis Leovardiam (urbem in intimis Friſiorum) aſtu tentaturus, haud dubiè tria minimum millia militum adduxiſſet, ut quamvis undique ex omnibus hybernis milites convenirent, numero nequaquam vinceretur. Et cæſis unâ, alterâ, tertiâque centurijs, leve damnum, cæteris ſat virium ad vaſtandam Friſiam, & acceptam cladem decuplo majore noſtrorum detrimento vindicandam. Adeo ut Vliſſingæ, Brilæ, ac Gertrudiſbergæ exempla, ubi ſimilia tentata, cum Bodimontij conatu minime ſint conferenda; quando illic quamvis eluſo hoſti nulla ulciſcendi occaſio aut facultas. Hæc tametſi ita ſe habebant, effugit tamen tormenta Bodimontius, & menſes aliquot cuſtodiâ, & paullatim ſegneſcente curâ, ædibus ſuis clauſus, exilio ad extremum multatus eſt. Inſidiæ quas Vliſſinganis ab hoſte ſtructas diximus, tametſi ad priora tempora pertinent, digniores tamen ſunt, quam ut poſterorum effugere notitiam debeant. Igitur in urbe centurio navalis erat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Hoog.
35 A 13

erat, magnâ apud ſuos gratiâ. Is à Bernardino Mendozâ, Philippi ad Eliſabetham legato, clam ſollicitatus, ut egregio aliquo facinore fidem Regi ſuam probaret, dum non detrectat, ſpem obſequij, & hortante Arauſionenſi, prodendæ Vliſſingæ facit. Subinde etiam auri ingentem vim accipit, majora indies ſpondente Mendozâ. Quibus ſe illectum ſimulans, pollicetur naves, regiumque militem in portum Vliſſinganum deducere. & ne injuriæ quidquam inferretur, ſe præceſſurum. His promiſſis, poſtulat coronatorum millia aliquot, parandis ſocijs; etenim adiutoribus egere. Mendoza promtum huc animum multis verbis oſtentat; ſed enim quando ut miniſter Regis, erogati reddere rationem teneatur, rogare ait, ne ſiniſtre accipiat, ſi pignus fidei ab eo poſtulet. Sibi quidem indubitatam illam, cæterum quia miniſter Regis ſit, neceſſario id propoſuiſſe. Ad ea Centurio nihil ſibi in Britannia bonorum eſſe reſpondet, nec ſcire quod firmandæ fidei pignus tradere poſſit. Niſi conatibus intereſſe ipſe deberet, non recuſaturum quin obſidis loco retineretur. Nunc præter fidem dare nihil poſſe. Mendoza filiolum ejus obſidem petit, quem teneræ ætatis habebat. Centurio tametſi prorſus animo abhorrebat, accipere conditionem ait; ſed vereri ut mater puerulum, tenerrimè dilectum, vix à ſe avelli patiatur. Iturum tamen Vliſſingam, ſi fortè perſuadere conjugi, & in Angliam adducere filiolum poſſit. Reverſus, ſine morâ Arauſionenſem adit, & inanes ſpes eſſe denuntiat, quippe filium ſuum à Mendozâ obſidem peti, nec ſe unquam daturum. Arauſionenſis majorem eſſe rem ratus, quàm ut iccirco intermitteretur, perſuadet homini ut morem Mendozæ gerat, poſſe filium ejus favore Eliſabethæ recipi, licet eluſum ſe hoſtis animadvertiſſet. Igitur confectis omnibus, Lamotius Grevelingæ præfectus, neceſſaria intercipiundæ urbi parat, & dies proditioni dicta. Arauſionenſis, ut receperat, Hugenium à ſecretis ſibi Londinum mittit, cum literis ad Walſingamum participem arcanorum Reginę. Qui propinquo legati ædibus hoſpitio divertens, forte eâdem die, quâ prodi Vliſſingam convenerat, ludentem pro foribus Mendozæ puerulum tollit. Sequebantur eminus nonnulli, ſi vim facerent ſervitia Mendozæ, prohibituri. At Hugenius ædes conſultò patefactas ingreſſus, per averſam partem evadit, hinc in alias aliaſque fugam celerat, fruſtrandis, ſiqui inſequerentur. Vix effugerat, cum intellecto dolo Mendoza procedit, & queſtu ac vociferatione omnia complet, tanquam genito ex ſe puerulo. Etiam cauponem adgreditur: ſed ille peregrinum tranſiſſe per ædes ſuas non diffitebatur, at quò abierit ignarum ſibi. Unde indignabundus Mendoza Reginam adit, & exemplum in hominem ſtatui poſtulat. Ita in carcerem caupo abducitur, ubi liberaliter habitus, nec ullâ præterea pœnâ, ad ultimum dimittitur. Hugenius puerulum feliciter reduxit. Non tamen eò magis deſtinata provenerunt. Etenim cum juſſu Arauſionenſis mari apud Zelandos præfectus ſe ſuaque in adventum Lamotij pararet, ſecretò adeo adminiſtrari res nequivit, quin ille expediri bellica ſentiens, ſiniſtra ſuſpicaretur. Itaque ſtato tempore haud acceſſit. Hic Friſiorum geſta finire geſta decretum, ut veniamus ad Liceſtrium, & imperia Anglorum, novi ſtatus originem apud Fœderatos. cIↃIↃ LXXXV.

FINIS LIBRI IV.

EVERARDI REIDANI

ANNALIVM LIBER QVINTVS.

BREVIARIUM LIBRI.

ELISABETHA à Fœderatis Patribus rogata, ut principatum, aut tutelam Belgarum capeſſeret, utrumque abnuit. In auxilia conſenſit, acceptis pignori Vliſſingâ, Rammekâ, & Brilâ. Liceſtrium, Britanno militi præfuturum, in Belgicam mittit. Cui Patres univerſæ ditionis ſuæ præfecturam, & plus poteſtatis congerunt, quam adhuc præfectorum quiſquam habuerat. Reingoutius, Prouningius, Daventriuſque, Patrum nomen ſuſpectum & inviſum Liceſtrio faciunt. Isque Reingoutium ærario præficit, & inquirere jubet in omnes, qui clam commeatu, aut armis, aut alijs neceßitatibus hoſtem juviſſent. Commercia, & ex hoſtico in hoſticum travectiones abrumpit. Agros hoſtilibus oppidis propinquos exuri imperat. Monetam mutat. Gravia à Parmenſi obſeſſa, & ab Hemertæ Toparcha dedita: qui ea de cauſſa gladio percutitur. Venlona in poteſtatem Parmenſis concedit. Mauritius Naſſovius Axelam aſtu capit. Paullus Buiſius, Hollandiæ Advocatus, gnaro, cæterum dißimulante Liceſtrio, Vltrajecti à civium præfectis cuſtodiæ intruditur. Liceſtrij cum Hohenloio ſimultas. Idem ab Mauritio averſus. Movet ex hybernis, Doeſburgo potitur, Zutphaniam obſidet, ubi Sidneius tranſiectus extinguitur. Stephanus Perretus, & Reingoutius capti. Liceſtrius Rolandum Iorckum caſtello Zutphanienſi & Velaviæ præficit. Hibernos Daventriæ, his cum imperio Standlæum imponit. Militum in Germania dilectus impedit. Schenckÿ in Noviomagum irriti conatus. Vltrajecti magiſtratum Northus creat, & contra leges urbis Prouningium, hominem exterum, ad conſulatum evehit. Procerum, & magiſtratu ibidem functorum potiſſimi in carcerem dantur, ac, Liceſtrio nequidquam appellato, Fœderatis Patribus querelas ſuas exponunt. Liceſtrius Harlingam, Heuſdam, & Bommeliam firmare præſidio, atque in poteſtate habere nititur. Borealem Hollandiam ab cætera Hollandiâ divellit. Cleerhagium Gorcomo, Iohannem Baxium Muidæ, præfecti utrumque titulo, imponit. In Angliam remeans, comitem aſſumere Mauritium vult. In vulgus ſpargitur, alienato animo diſcedere Liceſtrium; ſed ipſe datis ad nationes literis, falſo fingi affirmat. Ante abitum regiminis curam Senatui permittit, & Veriæ præſidiarios à Mauritio tentat avertere. Northi filius Webbeſio pupillas oculorum per vim impune exprimit.

IGITUR

IGITUR defunсto, ut ſupra demonſtravimus, Andino, cum Patres Henrico, inter Gallorum Reges id vocabulum tertio, principatum detuliſſent; & ille bonâ primùm ſpe, tandem exactis ſex menſibus, interventu motuum regni ſui; grave adeò bellum adverſus Hiſpanum capeſſere abnuiſſet; legati Martio menſe anni LXXXV domum cum hoc reſponſo reverterant. Quod ubi cognitum Patribus, poſt multam temporis jacturam, ejuſdem Regis voluntate, Eliſabetham legationibus adeunt. Illa, quamvis principatum accipere gravata, primò quoque offenſam oſtentans, quod ſupremam poteſtatem, ſine exceptione, Reformatæ religionis hoſtibus Patres obtuliſſent, nullâ ſui ratione habitâ, licet egregiè de Belgis meritæ; promiſit tamen auxilium, dummodo de reſtitutione caveretur. Addidit, nequaquam cæterorũ more inani ſpe, aut ambiguis reſpõſis ludificari Belgas velle; ſed properè & ſine ſimulatione in cunctis acturã. Rurſum Patribus, ut æternum in clientelam Belgas reciperet, rogantibus, detrectavit illa, eodem & principatum, & perpetuam clientelam pertinere rata, ac inſeparabilem utriuſque nexum. Ergo de auxilijs actum. Recepitque, peditum millia quatuor, equites quadringentos, per tres menſes ſuſtentare, quoad obſidione Antverpia ſolveretur: pignoris loco Sluſam atque Oſtendam fore: ſumtuſque ſexto menſe poſt liberatam Antverpiam reſtituendos: aut, ſi id non ſucceſſiſſet, anno poſt exactos quos diximus menſes tres. In hæc quum menſe Auguſto conveniſſet, captam ab hoſtibus Antverpiam nuncij retulere. Quo comperto, Regina a.d. IV. Septembris peditum millia quinque, equites mille miſſuram ſe ſpopondit, ſi pignori Vliſſingam, Rammekam, ac Brilam Patres traderent: impenſas præfinitis diebus, confecto bello, reſtituendas. Opinio, & quorundam conſilium erat, ſi pervicacius Patres pertendiſſent, potuiſſe Britannis Sluſâ atque Oſtendâ ſatisfieri. Cæterum neceſſitas partim, metuſque, partim ſumma de Britannis opinio, eo liberalitatis Patres adduxere, ut principes Fœderatorum portus facile adeo traderent. His ita peractis; Robertus Dudleius, Liceſtriæ Comes, auxiliarijs Britannorum copijs à Reginâ præfectus, Decembri menſe anno LXXXV in Belgicam venit. Cui Fœderati Patres Belgarum quoque præfecturam contulere: quod poteſtatis Regina, rejecto principatu, dare nequiverat. Tabulæ, quibus id factum, hujuſmodi erant: *Vt jus, ac res domi militiæque Liceſtrius adminiſtraret, ſuetâ Belgarum præfectis poteſtate.* Venientem Liceſtrium, principum, procerum, nobilitatis primariæ ingens numerus comitabatur. Regium prope faſtigium crederes, adeò ſupra præfecti dignitatem. Publice gaudij ſigna paſſim per urbes exhibita, imprimis Reformatas. Quarum nuper animi doloſo Andini auxilio dejecti, novam ſe in ſpem arrexerant; ut præfectum nactæ eadem ſacra palam profitentem, ijſdem innutritum, ipſumque Pontificiorum in adoleſcentiâ tyrannidem expertum, & Reformatæ religionis in Britannia ad ſenectam uſque defenſorem. Quem ſolo religionis ſtudio tantum onus ſuſcepiſſe nemo ambigeret: quippe gratia & opibus cæteros ſuorum ſupergreſſo, nihil minus quàm apud exteros ea quærere opus fuiſſe. Auxit opinionem, ſimulatque Vliſſingam adpulſus cum omni comitatu templum adijt, & rem divinam à miniſtro Britanno peragi juſſit. Poſtea quoque Euchariſtiæ ſacro in Hollandiæ urbibus ſæpius interfuit: majoribus cæremonijs, quam pro Belgarum conſuetudine, omnibus tamen pij devotique animi indicijs. Firmavit ſpes, cum curas à ſacris orſus, cujuſq; gentis miniſtros collegit, & de procurandâ religione ac Numinis cultu conſultavit. Quæ cuncta gratiora, quia & Miſsã frequentaviſſe

cIↄ Iↄ LXXXVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXXXVI. quentaviſſe Andinum, & Pontificiorum collapſa, aut ejecta ſacra, reponere conatum, nullus ignorabat. Itaque tametſi & vulgum, & multos primorum expugnata Antverpia conſternaverat; novæ tamen ſpes, nova omnibus fiducia in Liceſtrio. Et illo dirigente, facilem Belgis Deum, & ſacrorum reditu-rum vigorem, cuncti ominabantur. Adeoque jam de Liceſtrio majora plerique ſentire, quam Arauſionenſi: quem gravibus ſæpe in rebus toleràſſe Reformatorum hoſtes, vitandis offenſis. Adhæc nec vires illi, nec opes cunctis exſequendis. At Liceſtrio nullâ ſimulatione opus. Reginam illi munimentum eſſe, & validum. Auditæ eandem in ſententiam ipſius quoque Liceſtrij voces, nulli in religione parciturum. Arauſionenſem in occultos diſſidiorum ſeminatores nimiâ fuiſſe clementiâ. Sub ipſum Liceſtrij adventum Carolus Mansfeldius cum veteranis Hiſpanorum legionibus, potiſſimò Regij exercitus robore, Bommelianam inſulam irrupit, novo Batavos metu turbaturus. Cùm ſubito magna ſe aquarum vis incitavit. Adjecit ex conſilio periculum Hohenloius, & perfoſſis aggeribus auxit longè lateque reſtagnantem undam. Ipſe ingenti planarum carinarum numero collecto, Sylvæducis latus id occupat, quà humilia camporum majorem aquis altitudinem dabant: ac Sylvæducenſes cum navigijs ad Hiſpanos reducendos egredi urbe prohibebat. Itaque ad extremum illi caſum delapſi fame ſimul ac frigore premebantur: tertiumque jam diem conſcenſis editioribus locis, quæ aquam ſuperarent, igne tamen deſtituebantur. Unum afflictis remedium equi jumentaque, quîs rigentes frigore artus applicabant. Poſtremo graveſcentibus indies miſerijs, exitij aut deditionis manifeſti videbantur. Jam cum Bommelianis de captivorum cuſtodia conſultabat Hohenloius: ſoliſque tantam recipere multitudinem veritis, Gorcomum, Tilam ac Dordrechtum dimiſſi, qui de captivis diſtribuendis nuntiarent. Inter hæc inopinantibus ventus ſuperveniens, aquas diſpellit. quibus dilapſis, & accedente inſuper gelu, Hollandi, metu, ne aut in ſicco ſubſiderent ſcaphę, aut glacie adſtringerentur, juxta periculoſo utroque, remis perniciem effugere contenderunt. Simul datum Sylvæducenſibus ſpatium ſuos reportandi. Nec perfeciſſent tamen, ni centurio, caſtello præpoſitus, ſtatione deſerta, liberum hoſtibus iter patefeciſſet. Ille juſſa Hohenloij obtendebat: quippe oborto ſub auroram gelu movere imperatum: dein flexo ad veſperam die, ac remiſſo frigore, contrarijs mandatis acceptis, quum exſequi moliretur, occupatum ab Hiſpanis caſtellum cognoviſſe. Mansfeldius, imprudentiâ ſuâ in magnum Hiſpanorum contemtum venit, imprimis quod arrogantiâ erraſſet. Etenim cum facili atque expedito itinere, per Vahalim quà Neomagum præterlabitur, intima Hollandorum penetrare poſſet; tamen quod longius id circumduceret, compendia viarum, licet periculoſa prætulerat. Aliàs quoque ſpeculatoris indicio idem ab eo iter tentatum. Fidem is dederat, tranſiecto Moſâ, urbes Aſperam, Heuclomum, ac Leerdamum, redigi in poteſtatem poſſe. His inductus Mansfeldius x militum millia armat. At index, qui integra adverſum nos fide, hoſti quæſtus cauſsâ operam vendebat, cõſilia Mansfeldij ad Hohenloium defert. Ille minus validus erat, quam ut tantas opprimere copias poſſet; ſed ſtato tempore vicinum ſe in locum, multa cum tubicinum turbâ abdit. Jam hoſtium plus minus ducenti flumen ſuperarant, cum ſubito utrimque ex aggere claſſicum cani jubet, ignemque vicino ædificio, faciendo terrori injicit. At hoſtes inopinato clangore inſidias circumſpectantes, & igne militum his qui longius proceſſiſſent ſignum datum arbitrati, effuſo curſu ad amnem ruunt; ubi pars navibus, pars, inopiâ earum, nando amnem emenſi ſunt. Mansfeldius, proditor appellatus, fugere conſpectum ſuorum, atque in occultum ſe abdere neceſſe habuit. Ingentes illæ, quas oſtendimus, de Liceſtrio ſpes, effecerunt, ut

amplius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

amplius ei poteſtatis Patres congererent, quam ſub Cæſare Carolo, aut filio ejus, præfectorum quiſquam habuerat. Ipſa, ut cognovit, Regina, nimiam cenſuit, adjecitque, principatus, quem ipſa rejeciſſet, penè omnem vim ab Legato ſuo teneri. Etenim obtinuerat, ut Senatus, cujus arbitrium publicis in rebus ſequeretur, partem alteram pro ſua deligeret voluntate, alteram ex duplici candidatorum numero. Cumque hujus diſertè nihil cautum foret, ipſe ſic interpretabatur, ſufficere Patribus debere, ſi de ſingulis rebus ad Senatum referret, collectiſque ſuffragijs, quod videretur, ſtatueret. Antea receptum fuerat, non tantum ut cum Senatu cuncta Præfecti expenderent, ſed & potiori ſuffragiorum parti accederent. Magnis hinc malis origo. Extemplo enim in gratiam ejus noxij ſe homines inſinuare, partim privati quæſtus, partim, ut pòſt compertum, ſtudio turbandi in uſum Hiſpani. Nec difficiles aditus ad amicitiam novi Præfecti hauddum gnari, vitam, mores cujuſque diſcernere. Et ſimulac ſuis quoque conatibus opportunum videre, non adſtringi ſuffragijs Liceſtrium: avertere mentem à Senatu, in odium, in ſuſpicionem, in contemtum Patres adducere aggrediuntur. Graves eorum in Rep. quotidie errores diſſerere, pleroſque mercatores eſſe, & publica privatum in quæſtum vertere. Ante Arauſionenſis lenitate abuſos: parem nunc Liceſtrij rationem fore, & ni aliam inſiſtat viam, manerė damnum, manere ignominiam. Nunquam in occulto conſilia fore cum tot hominibus communicata. Hæc ac talia ſi nonnullos è Patribus reſpiceres haud vana, de toto conſeſſu calumniæ erant. Tametſi autē unius alteriuſque ob noxam, non innocentes, non univerſum collegium, aut tota in crimen natio trahi poſſet; illique adulatores hæc paſſim differrent non odio vitiorum, ſed ut prudentes, utileſque Reip. viros ſuâ dejicerent gratiâ, cum integrâ eorum autoritate vota conſequi nequirent; nihilominus, quia, humano ingenio, facilius pravis quibuſque auditionibus fides eſt, quam bonis; proniſque magis auribus obtrectatio, quam laudes accipiuntur, in Liceſtrij quoque, & Britannicæ nobilitatis animos altiſſime hæc penetrarunt. Accedebat, quòd cives, tot damnis proxime acceptis, præſentem pertæſi ſtatum videbantur: qui amiſſas urbes, terras, cætera, non ob hoſtium vires, & exiguas Patrum facultates, non religionum diſſidio, aut ſectarum putabant multitudine, quæ inteſtina fere bella ſemper ſequi conſuevere; ſed ſolâ Patrum negligentiâ, ac ſegni, aut nullâ Reip. curâ; proinde novandi cupidi, an malis prioribus remedium hoc eſſet, non perpendebant. In hoc adulatorum numero principes fuere Jacobus Reingoutius, Gerardus Prouningius, Daventrij cognomento, ac Daniel Burggravius. Reingoutium foro ceſſiſſe, cuivis gnarum. Olim Amurathi, Comiti Egmondano, à ſecretis fuerat, qui ærarij arcana ei committi tam accurate petierat, ut adverſus Granvellanum, quia alium commendabat, ſimultatem indueret. Granvellanus deinde ut hominem ſibi obſtringeret, ulterius provexit, & curatorem ærarij conſtituit; habuitque adiutorem in pervertendo Egmondano. Hinc major illi apud Albanum (à quo tamen gladio percuſſus Egmondanus fuerat) ac Requeſenium gratia, quàm Belgarum cuiquam. Cæterum factâ Gandavi pace, poſt diſceſſum Hiſpanorum multum ea minuta: ita ut Fromondi Toparcha, ſupremus ærarij præfectus, reum egerit, tanquam parum ex fide ærarij re tractatâ; capitiſque ac famæ poſtulârit. Neque ille abſolutus culpâ, ſed opportunè in rem ejus interveniente Fromondi fato pœnam effugit. Ex illo, annis aliquot, incerta illi ſtudia, ac otioſa vita, donec Patrum miſſu abeuntibus ad Henricum tertium legatis, ille quoque ultro Lutetiam venit. Ubi brevi tantum apud nonnullos è Concilio Regis valuit, ut mandata legatorũ, quæ obſignata ipſi acceperant, prohibiti introſpicere priuſquam locum, ubi Regi traderentur, attigiſſent, occultò ille reſciſceret, ejuſque de ſingu-

c I ɔ I ɔ LXXXVI.

CIↃ IↃ LXXXVI. lis judicium audiretur. Et, ut poſtea è ſcriptis ejus compertum, quæ adnotaverat, erant tanquam unicè nitentis, ut re infecta domum legati reverterentur. Pari ratione legatis cum Britanniarum Regina colloquentibus, Londinum, ut ibi quoque innoteſceret, ſecutus eſt. Quique hoſtem ſe Reformatorum hactenus geſſerat, repente acerrimum defenſorem ſimulavit, ita ut poſt Liceſtrij adventum, famulos, niſi Reformata profeſſos ſacra, in ædes haud reciperet: miſitque etiam miniſtrantium nonnullos ad præcones verbi divini, à quibus in religione examinarentur. Gerardus Prouningius, cui Daventrio cognomen, Sylvæducenſis, nec indecori ortus civis, vitam quàm Reingoutius integriùs tranſegerat, & jampridem Reformatorum amplexus ſacra, redactâ in ditionem hoſtium Sylvaducis, cum civium alijs, Ultrajectum ſedem tranſtulerat. Ubi varijs in rebus navatâ Fœderatis operâ, ærario præfectus, immunem ſe à calumnijs præſtitit. Cæterùm poſt adventum Liceſtrij, cum extra terras, communi fœdere junctas, oriundo, nullus ad Remp. aditus pateret, receptâ adſuetudine, ut ſoli nobiles, aut qui magiſtratus ipſi functi erant ad Remp. accederent; ambitione, honorumque ſtimulatus cupidine, cũ haud modicè de ſe ſentiret, quod & inceſſus, & ſermones, morumque cætera præ ſe ferebant, Ultrajecti, (ubi v I ſeptemve annorum ſpatio multos paraverat amicos) res novas molitus videtur: quo contra leges ac urbis inſtituta in magiſtratum (uti ſuo reddemus loco) inreperet; hinc in Senatum à Liceſtrio adoptaretur. Primoque adventu gratiam ejus adeptus eſt per Killegræum, Senatorem Anglum, qui veniente Ultrajectum Liceſtrio, Daventrij in ædibus divertere ſolitus erat. Burggravius ſordidi quæſtus opificibus in Flandria ortus, ſed ingenij magnitudine Procuratoris publici munus patriâ in terrâ adeptus, aliquando etiam, quorundam ſuffragio commendatus fuerat, ut in Senatum adlegeretur. Poſtquam hoſtibus Flandri ceſſere, Senatui ab arcanis eſſe, apud Liceſtrium laborarat. Nec apiſci dabatur niſi Fœderatorum ſuffragio; & hi pro impuro eum homine habebant, cui nihil luxu, comeſſationibus, ac corradendis opibus potius foret. Igitur crimina in Remp. in Proceres ferre, facilius ob Italici ſermonis uſum, qui familiaris illi, & Liceſtrio, quicum verſari non poterant ejus ignari. Quippe ille Belgarum linguæ neſcius, Latinam Gallicamque delibarat, ita tamen ut nunquam ipſe uteretur. His adeò ſibi Comitem devinxit, ut præter receptum numerum eorum, quibus ſecreta Senatus innitebantur, ille extra à ordinem à Liceſtrio adſciſceretur. Et licet ne tum quidem adire in Senatum ei fas eſſet, tamen quotieſcumque Comes introierat, veſtigia præcedentis premens, obtentu ſchedarum quas ferebat irrepere, & ne otioſus videretur, conſeſſuro Comiti ſedem ſupponere ſolitus; quam pone ipſe adſiſtebat; ſæpeque prolatâ ſententiâ à Senatorum quopiam, impudenter Liceſtrium interpellans, longos in aurem ſermones inſuſurrabat. His potiſſimum ſatoribus ortæ lites inter Liceſtrium ac Patres. Hinc origo factioni, quam Reingoudiſtarum nuncupabant. Nec inteſtinis diſſidijs reperire adiutores labor fuit, homines aut novandi avidos, qui orientem adorarent ſolem, ac pro ſimplicitate ſua, qualicumque mutatione meliora ſperarent: aut qui jam dudum in Patres, rectoreſque Reip. (quibus arduum, placere omnibus) privatas ſimultates odiaque exercerent; aut bona profligaſſent; vel denique munera publica captantes, ob repulſam, quamvis æquam, accenſi, iras diſſidiaque ſpargere niterentur, ſpe commodi conceptâ, quemcumque in ſtatum res verterentur. Præ cæteris ſacri ordinis homines in ſe traxere, ſæculi morum ignaros, ſimulatâque Liceſtrij ſanctimoniâ deceptos. Secuti dein primarij è Brabantia Flandriaque viri, qui patriâ ſub hoſtium poteſtatem delapsâ, in Hollandiam Zelandiamque demigrarant. Nunc rati, ſolo Comitis Reginæque auxilio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

auxilio, patrijs ſe reſtitui rebus poſſe, pericula, quæcumque Fœderatis im-
minerent, aſpernabantur. Nec aliàs durante hoc bello, periculoſę adeo diſ- cIↃ IↃ
cordiæ viguere. Illæ contraria in ſtudia ipſos ſciderunt Reformatos, non LXXXVI.
minori inter ſe, quam in eos qui ſeceſſerant odio. Illæ occultis proditori-
bus opportunitatem dedere, immiſcendi ſe, & alendis turbis, concitandis
ad ſeditionem plebi, ac militibus. Quippe nunquam minore metu pecca-
tum: dum apud omnes gratum, & honeſtum, pro Reginæ, pro novi Impera-
toris autoritate certare, eoque obtentu, ſeditiones, diſcordias accendere:
non alijs ſermonibus huc neceſſarijs, quam qui ex ore Eccleſiaſtarum, ac
Reformatæ religionis, amantiſſimiſque patriæ civibus, haurirentur. Cæte-
rum ut conſtet, quibus artibus Comitis gratiam Reingoutius captaverit, de-
deritque contentionibus inter eum ac Patres, originem; ſciendum, geſtâ
ante annos nonnullos ærarij curâ, eum inſigni experientiæ facundiam haud
minorem adjeciſſe in differendis ærarij rebus. Itaque adſiduè ille Comiti
demonſtrare, parum ex fide publicas curari pecunias, autorque eſſe, de re-
ponendo ut quondam, ærarij inſpectorum collegio, quo Patrum Tribuno-
rumque perfidiæ obviam iretur. Jeceratque hæc ſpe adipiſcendi muneris
hujus, tanquam maxime gnarus. Exinde, ut ſtudij ſui in Remp. experimen-
tum daret, alterum quoque conſilium ſubjecit, de colligendis in uſum ex-
ercitus ducenties centenis florenorum millibus ſine plebis onere, aut of-
fenſâ bonorum. Eſſe autem, ut inquireretur in omnes, qui commeatu,
alijſve belli neceſſitatibus hoſtem juviſſent. Fore ut flagitij ejus comperi-
antur florentiſſimi Hollandiæ Zelandiæque mercatores: ipſique adeo Pa-
trum legati, à quibus jure turpem adeò quæſtum repeti atque in publicos
uſus verti poſſe. Promtumque ſe ipſe oſtentabat faciendæ in eos homines
inquiſitioni, dummodo juberet Comes, ſocioſque adjungeret, quorum au-
xilio, mercatores, tabelliones, publicanos, & commeatuum præfectos, co-
geret codices, adverſaria, indices, cæteraque ſcripta tradere. Nec magi-
ſtratus hîc, aut qui ex legibus præeſſent, in partem laboris ſumere voluit,
tanquam eodem in crimine ſuſpectos, aut reorum fautores. Liceſtrio con-
ſilium id impenſe adeo placuit, ut Senatum urgere prius non omiſerit, quam
ærario Reingoutius præficerereretur. Ei quatuor adiutores dantur, Paulus
Buiſius, Guilhelmus Bardeſius, Juſtus Telingius, ac Sebaſtianus Loza.
Quorum hic judex in conſeſſu Hollandico; omnes hactenus dignitate, gra-
tiâ, genere, Reingoutio majores; eoque poſtponi ſine injuria ei haud pote-
rant. Et quamvis primorum multis Comiti demonſtrantibus, quæ ſecum
incommoda res traheret, ille tamen adſpernatus, neminem hactenus ſe
majore cum judicio de pecunijs differentem audiviſſe reſpondit. Proinde
cum ſubtrahere eum ſibi velint, id ex invidia facere. Igitur obſtinato huc
Liceſtrij animo, Reingoutius Tribunatum ærarij adipiſcitur. Id factum
omnium ægerrime Hollandi ac Zelandi tulere, quippe quorum maxime in-
tererat: cum ſoli ex vectigalibus ſuis Hollandi alterâ parte plus, quam cæ-
teræ conjunctim quatuor nationes, duas nimirum tertias, conficerent. Illi
ore, illi ſcriptis oſtendere, non ferendum tantas opes, ægre adeo à plebe col-
lectas, eſſe in manu hominis, quem æs alienum foro cedere coëgiſſet; qui
Albanum, qui Requeſenium, ope, conſilio, adverſus Hollandos, ac Zelan-
dos, in tyrannide juviſſet. Perinde quaſi in univerſo Fœderatorum impe-
rio nec unus egregiâ famâ, curandoque ærario aptus reperiretur. Multò
minus tolerandum, pecuniæ erogandæ inſtrumenta, quibus hactenus à tri-
bus è Senatu, diverſarumque nationum viris ſubſcribi debuerit, ab tam levi
homine pendere, eumque univerſas Fœderatorum ſuſtentare facultates.
Quippe Niuenarium, ut plurimùm abſentem, inane nomen; vim ipſam rei
penes Reingoutium fore, & paucos qui ejus arbitria ſequantur. Mox Ni-

cIↄ Iↄ uenario in præfectura ærarij duo adjunguntur collegæ, Killegræus, ac Rei-
LXXXVI. nerus Aeſwinus, Brakelæ Toparcha. ſed illum, velut exterum, Patres re-
jecere. Apud Liceſtrium tamen & hæc fruſtra, & illa, quòd multi mercaturæ vacarent. Et perſuaſum ei à Reingoutio ejuſque adſeclis, nihil mercatoribus in Rep. credendum. Multoque mox ſuſpectiores eorum queſtus, ubi oſtentavere, nec fas, nec poſſe inquiri in hos, qui neceſſaria hoſti ſummiſiſſent. Quippe rem ad multos pertinere, nec ſolos noxios, ſed inſontes, ſed totas civitates in jus pertrahendas. Novum & periculi plenum, privatos homines tantâ potentiâ armari, ut excluſis magiſtratibus, in quoſcumque luberet inquirere poſſent, etiam in nullius criminis compertos, famæque indubitatæ. Inſolens, inauditum, Reingoutio cum adiutoribus vires dari, compellendi mercatores, ut commentarios ſuos; tabelliones, ut ſcripta; publicanos, commeatibus præfectos, alios, ut indices, ut ipſa tradant adverſaria: quo ſub imagine publicæ utilitatis, conditionem, res, fortunas cujuſque (quas & honeſtiſſimi ſæpe alijs ignaras velint) ſcrutarentur. Adjicere nonnulli, jam olim ante pacem Gandavenſem, ſimilia Requeſenio ſuaſiſſe Reingoutium contra mercatores, qui adverſis in partibus Hollandos aut Zelandos commeatu juviſſent. At illum, cætera multum Reingoutio tribuentem, conſilium haud accepiſſe, tanquam novum, & nimiæ acerbitatis: nedum Liceſtrio decorum; ut aurem hac in re Reingoutio præbeat, cum privati quæſtus ſpe propoſuerit, quippe trigeſimam multarum portionem ſibi pactus. Nec multo pòſt Aprili menſe, iiſdem impulſoribus, Liceſtrius non negotiationē ſolum, & ex hoſtico in hoſticum travectiones, prohibuit; ſed in loca quoque belli expertia, cujuſmodi Emda, Brema, Veſalia, Coloniaque. Subjecit cauſſam, quod mox inde hoſtibus ſummitterentur. Adverſum ea dicere Patres, jam olim navigandi mercandique uſu Belgarum res ſtetiſſe, auctumque eum opportunitate & ingenio locorum. Quippe idoneos terris portus, fluminaque accipiendis ex Oriente atque Occidente mercibus, indeque in diverſa terrarum exportandis. Hinc incolarum multitudinem, majorem quam pro terrarum amplitudine aut fœcundo ſolo, unius navigationis ac mercaturæ commodis illectam confluxiſſe: hinc victum pleriſque parari. Hinc quoque navium tantam facultatem, ut Gallias, ut Britanniam exigua Belgarum tellus exſuperet. At ereptâ navigatione etiam pacis tempore perituram. Etenim migratura tot millia mercatorum, opificum, piſcantium, nautarum, navalium fabrorum, ſociorumque, reſtionum, vela parantium, aliorumque id genus: naves ipſas curſum alias in terras, ubi tuto id liceret, directuras, ſimulque omnia mercaturæ commoda, quæſtum, opes, eodem tranſlatum iri. Quantò minus hâc tempeſtate, dum grave incumbat bellum, pati res Belgarum, ut navigandi interdicatur uſus, unde potiſſima facultatum, ducendo bello, provenirent? Una ſi harengarum piſcatio hoc decreto abrumpatur, Fœderatos jacturam facturos XXX mille familiarum, quæſtum inde victumque parantium. Parem in aſellis, in paſſeribus, in raijs rationem. parem eorum qui ſalē, qui ſaponem coquerent. Inutilia fore cuncta, quìs tantopere felices Belgas eſſe Deus voluiſſet, butyrum, caſeum, piſces: neque ullo hoſtium damno. Nihilominus mercaturam, ut ante proceſſuram, prædictoſque homines, in vicina emporia Emdam, Bremam, Hamburgum, Gedanumque tranſlatâ ſede, hoſti inde ſubvecturos. Ita ut Belgarum terræ mercibus ex Oriente in Occidentem deferendis, horrei tantummodo ac penus vicem præbeant: cujuſmodi facilè vitentur, ſi damni plus quam utilitatis adferant mercaturæ. Butyri verò caſeique, quantum ſatis, hoſti ſuppeditare Groningam, Friſiam Orientalem, totamque Albi fluvio tenus maritimam oram. Animadverſum jam omnino, ex quo publicatum edictum, pleraſque ex Septentrione naves,

imprimis,

cIↄ Iↄ LXXXVI.

imprimis, quæ triticum veherent, curſum aliò tenuiſſe, & minutâ veniendi atque abeundi libertate, Belgarum portus vitare. Hinc ſecutam annonæ caritatem. Imprudenter noxieque Belgis ſubtrahi commoda, quibus locorum naturâ atque opportunitate fortunatos eſſe Numen cupiviſſet: quæque à vicinis, ab ipſo etiam hoſte, licet invito, capere poſſent. Rogare itaque Liceſtrium Patres, ne ad egeſtatem Belgarum recidere terras, neu ab*ruptis tributis, vectigalibus, mutuiſque travectionibus, vires incidi* paterentur, aut hoſti occaſionem opprimendi eas daret. Nihil ei retentâ annonâ noceri poſſe. Utcumque enim butyri, caſei, piſciumque deeſſet copia, non tamen à bello deſtiturum, donec triticum, frumentum, carnes, vinum, ac *cibariorum cætera ſuppeterent: donec ſueta navigari flumina* è Germaniâ, Gallijſque ad ejus oppida decurrerent. Quippe ſi butyro, ſi caſeo, piſcibuſque (qui pro annona urbibus ſufficere diu nequeant; cum mox corrumpantur) carere nullo modo vellet: poſſe ex memoratis terris comparare, nec eſſe ſibi quo prohiberent. Hæ tametſi graves adeo rationes contra ferebantur, Reingoutij tamen conſilium & hic & alibi *prævaluit: niſi quod ob rei* moleſtiam, in eos qui neceſſaria hoſti ſubvexiſſent, haud inquiſitum: alioqui probabat conſilium Liceſtrius. Querebantur Friſij, majori ſibi damno ſtetiſſe butyrum, & caſeum retenta, quam Boxumenſi clade vaſtatas terras, extortaſque agreſtibus ab hoſte captivitatis redemtiones. Butyri vas XL aut XLV vendi florenis ſuetum, jam XX & uno aut duobus venire. Corruptum non alius eſſe uſus, quam ſaponi coquendo, panniſque præparandis. Secutum dehinc alterum quoque Liceſtrij edictum, conſilio quidem hoſtibus nocendi, ſed non minore Fœderatorum detrimento. Nimiæ ſane crudelitatis remedium, ac potius adverſum Turcas, barbaraſque gentes adhibendum, quam inter ejuſdem corporis membra. Erat autem, ut cuncta hoſtilibus oppidis vicina loca, aut quocumque adire ille, & frumentum, pecuniam, aliaque extorquere incolis poſſet, igni pervaſtarentur. Hâc in cauſſâ Brabantia univerſa erat, excepto exiguo angulo, ubi Breda, Bergæque ad Zomam jacent. Erant potiſſima trans Iſalam, Geldria ulterior, Drentanus, atque Omlandorum ager, & Friſia quà Stenovicum vergit. Initium urendi in Brabantiâ: cæterum haud multum nocuere, quibus imperatum erat, contenti exiguum incendiſſe pagum, ut in cæteros metus creſceret, & ruricolarum ditioribus pecuniæ exprimerentur. In Friſia, Drentha, atque Omlandorum agro nihil à Guilhelmo Naſſovio patratum. Quippe verebatur familiarum aliquot millia domibus exturbare, quibus ſedes nullæ reſtarent, nulla ſpes, niſi in emendicandâ ſtipe, & forſan hinc deſperationi materies. Simul acerbum videbatur, totos tractus inani ſolitudine vaſtos facere, quorum habitatores haud pridem Fœderatis junctos, non ſuâ ſponte à communi vinculo ſeceſſiſſe, ſed aut hoſtium vi, aut proditione ſuorum, ignaros, invitos avulſos conſtaret: quique & conſilio bono, & temporis ſpatio recipi paullatim poſſent: & jam ſpes bona erat. Itaque ad extrema duriſſimaque remedia, integra membra à corpore divellendi, nulla neceſſitas recurrere cogebat. Verſa dein ad monetam Liceſtrij cura. Ubi hortantibus nonnullis, Henricos nobiles cudi juſſit, quòd communi errore nummus is ſupra juſtam creviſſet æſtimationem. Et centena aliquot millia florenorum lucri facturus videbatur, ſi cæteris quoque aureis, minoris pretij, idem ſignum imprimeretur. Patres etiam rogavit, ut Nobilium Roſatorum (quos illi VII florenis ac dimidio valere dictitabant) pretium augerent. Sed illi oſtendere, mutato monetæ pretio maximum plebi damnum, & ignaram vectigalibus onerari. Experiendo compertum, poſtquam ſemel valorem juſtum ſuperare nummus cœperit, nunquam in eo ſtetiſſe, ſed perpetuo in majus auctum. Documento eſſe annum poſt mille quadringentos undenonage-

CIↃ IↃ LXXXVI.

ſimum. Etenim bello inter Maximilianum Regem ac Gallos, nummum XX ſeſtertiorum, ad LX creviſſe: medioque belli tempore coërcendum fuiſſe intra limites juſtæ æſtimationis. In Gallia quoque anno ejuſdem ſæculi decimooctavo, Anglis rerum potientibus, marcam argenti puri, novem ante libris Turonenſibus æſtimatam, quod mutationi adverſaretur nemo, paullatim altius provectam, elapſo biennio, duplum ſui pretium habuiſſe. His incommodis vitandis ſemper Patres quæſtum ex mutatione monetæ averſatos: potuiſſe alioqui unius tantum generis nummo ſupra pretium evecto, quæſtum octavæ facultatum ſuarum parti æqualem facere. Quod audirent dandum id honori Reginæ, ut Roſati nobilis æſtimatio extolleretur, non credere ſe Reginam, ſi accurate rem totam cognoverit, ſuum commodum ex gravi adeo miſeræ plebis detrimento petere. Nec ullam utilitatis ſpem oſtendi, niſi vitioſam militi pecuniam dare decretum ſit. Quod anceps Reip. cum gnarum ſit Auguſti Cæſaris temporibus, ſeditionem à legionibus motam, quòd denarium aſſium decem, pòſt XII æſtimatum, priſtino pretio in ſtipendium cedere ſibi vellent. Pari ratione Hiſpanos Antverpiæ coronatos in ſolutum petijſſe, non quo vulgo obtinebant pretio, XL & duûm ſeſtertiûm, ſed magiſtratum adegiſſe quaſi ſeſtertiorum tantum undequadraginta forent. Non tamen acceptæ rationes, duravitque in propoſito Liceſtrius. Interea Graviam, validum ad Moſam oppidum, & quinque millium itinere ſupra Sylvamducis poſitum, hoſtis obſederat. Urbem hæreditatis jure Arauſionenſis progenies habebat. Præerat cum imperio Hemertius, ex Geldrica nobilitate, eique ad defenſionem quatuor centuriæ. Liceſtrius obſeſſis cum Belgarum manu Hohenloium, & Anglos duce Noritio ſubmiſit. Ii Batenburgum arcem, Graviam petentibus objectam, a.d. VIII Aprilis expugnavere, cæſis biduo antè, qui ſubſidio veniebant, hoſtibus ad octingentos. Quo in prælio Philippi Naſſovij, juvenis adhuc, haſtâ dimicantis, egregia virtus eluxit. Poſtridie quam arx capta, illato in urbem commeatu, non tamen caſtris ſuis exturbare hoſtem potuere. Et licet Kal. Maijs pulvere pyrio à milite, quem noſtri ſubornarant, incenſo, caſtelloq; ubi depoſuerant, diſiecto, non tamen cœpta omiſerunt; tormentiſque admotis, valli pars trans foſſam diſiecta. Nondum ſpatij ſatis ruina dabat, accipiendo militum agmini, ad invadendam urbem; nec cives, aut militem animi defecerant: Hemertius tamen præproperus deditionem fecit. Poſt in Senatu bellico accuſatur, præſide Hohenloio, hactenus amicorum illius ſummo. Rogatuſque an frumenti, an militum, an cujuſquam neceſſariæ rei penuriâ urbem dedidiſſet, cum nihil eorum ad purgationem ſui adferret, capitis damnatus, XIV Kal. Quintil. præſente Liceſtrio, Ultrajecti gladio percutitur. Idem exemplum in Centuriones Dubanum ac Cobokemum ſtatutum. Dionyſius Cherretus, ejuſdem ordinis, qui præſidij cauſſa in urbe fuerat, abſolutus: quippe non ab inita obſidione, ſed cum annona inferretur, urbem ingreſſus. Simul monſtrabat, deditionem ſuadentibus ſe non acceſſiſſe. Liceſtrium verò propalam omnes celebrare, tanquam collapſæ diſciplinæ vindicem. Septima & decima Junij die Venlona Parmenſi deditur, potiſſimâ civium culpâ, qui militem non deſtituerant tantum, verum & hoſtilia induerant. Strenue præſidium adminiſtrabat, partemque urbis, quà eductus è lapide murus cingebat, celeriter introrſus multo aggere veſtierat. Necdum opere conſummato, cum paucarum tantum perticarum longitudo reſtaret, tormenta eam in partem ab hoſte diriguntur. Unde milites, ut conſilia ſua enunciari hoſtibus videre, veniam corporibus, armiſque pacti, dediderunt. Equitum conditio eadem, niſi quod equos abducere haud conceſſum. Per idem tempus Mauritius Naſſovius, ac Philippus Sidneius, Axelam, Flandriæ urbem, operâ atque indicio Johannis Pironi, Tri-

buni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

buni militaris, aſtu intercepere. Præſidebant Germani duce Sconhavio, cIↃ IↃ qui captus, ac Parmenſis iram veritus, in Hollandia manſit, Liceſtrioque LXXXVII operam obtulit ſuam. Non tamen ullam adeptus eſt dignitatem. Reticuerat conſilium hoc apud Hohenloium Mauritius, ita poſtulante Sidneio. Quod indigne ab eo acceptum, tanquam diffiderent. Reingoutio, uti ſupra oſtenſum, res novanti, nemo liberius Paullo Buiſio adverſatus eſt. Is Hollandico bello patriæ ſecutus partes, & ab Arauſionenſi, tanquam Hollandię Advocatus, crebro ad conſilia adhibitus, ingenio facundiâque inſigni, experientiam egregiam adeptus erat, indeque gratiæ locum haud exiguum. Et quòd jamdudum auxilia non à Gallis, ſed Britanniæ Regina peti ſuaſiſſet, legatorum in numerum adſcitus Liceſtrio innotuerat. Qui ſuâ ſponte eum in Senatum adlegerat, nullâ nationum commendante, quibus gnarum ſæpius eum autoritate ſua abuſum, nec vitæ, ut homine reformato, ſatis integræ. Ille igitur pertinax primo Liceſtrij per omnia defenſor, ſæpe noxia quoque publico conſuluerat, ſpe ſuum, ſuorumque faſtigium augendi. Cæterum ut non ſoli ſibi Comitis aures patere, alioſque extolli advertit, ſuſceptâ rurſum patriæ cauſsâ libertate ſermonum Liceſtrium offendit. Igitur pervertere Buiſium agitans, nonâ Julij die cum Senatu, omnique ſervitio Ultrajecto Hagam proficiſcens, eum tanquam ignarus, indicta cauſſa in carcerem duci ab oppidanis centurionibus permiſit, palam jubere inconſultum ratus. Frater, conjux, & quicumque Buiſio propinqui, re compertâ, Hagã contendunt, ubi queſtibus effuſis, monſtrare, violatã à centurionibus oppidanis autoritatem Liceſtrij, conjecto in vincula Senatore. Non illorum, ſiquid deliquiſſet, ſed Comitis judicij rem eſſe. Rogare itaque ut cuſtodiâ exemtus audiatur. Liceſtrius, neſcium ſe, & irã fingens, literas amicis ad centuriones urbanos tradit, de argumento tamen conſulto reticet. Unde Ultrajectum venientes ſcriptum cognoſcunt, ut Buiſium oppidani centuriones dimitterent, niſi ſiqua illis juſta retinendi cauſſa. Eumque in modum ductâ re, nec libertatem Buiſio, nec cauſſas captivitatis, ut purgandi eſſet poteſtas, exponi impetrarunt. Quæ ratio bonis omnibus diſplicuit: licet alioqui procerum multi, quîs introſpecti mores, vitaque Buiſij erant, parvâ miſeratione ducerentur. Verùm ſuccurrebat, non vitam illi, ſed ſolam linguæ libertatem hujus mali cauſſam eſſe. Sub hæc ſimultatum quoque initia adverſum Liceſtrium, Anglicamque nobilitatem, erupere à ducum cæteris veteranæ in Belgis militiæ. Cauſſam Alexandri Hautæni mors præbuerat. Is Belgarum peditum Tribunus in Kouwenſtæniano aggere, haud procul Antverpiâ exſtinctus: defunctique dignitatem in Philippum Sidneium, conſobrinum ſuum, præſidioque Vliſſingæ præpoſitum, tranſtulerat Liceſtrius. Hinc Belgarum ira, hinc Germanorum queſtus ardeſcere, interruptam nunc conſuetudinem ſub Arauſionenſi receptam, ut Britanni, ut Galli, Germanique à gentili quiſque duce regerentur: traditâque Britanno in Belgas præfecturâ, nihil deinceps ſpei per virtutem ad militares dignitates contendendi. Igitur ſupplices literas per Hohenloium Liceſtrio offerunt. Quibus peregrinos appellari Britannos ægerrime ille tulit, quando ſola Belgarum ob commoda, ipſe, ac Britannorum cæteri adveniſſent. Acceſſerat ab Hohenloio in Eduardum Noritium, nobilem Anglum, injuria. Quem cum Britrannorum alijs ad epulas invitatum, aureo cratere, dum menſæ accumbitur, vulneraverat. Nec cauſſa aut initium à rixis. Sed Noritium cum Guilhelmo Pelhamo, caſtrorum inter Anglos præfecto, intempeſtive altercantem, ut litibus temperaret rogans Hohenloius, aſperius reſponſum tulerat. Erant ſane in Hohenloio virtutes egregiæ: ſtrenueque exercita per annos XIV in Belgis militia, in prœlijs, in expeditionibus, ingentis animi experimenta, quamvis improſpero ſæpe eventu, dederat. Hinc longinquâ conſuetudine,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ tudine, multus in eum Tribunorum, multus militum favor. cætera vitæ diſ-
LXXXVI. ſolutæ, faſtu immodicus, in iram, in audaciam præceps. Unde quibus comperti mores ejus erant, omnem fere contentionum culpam ei adſcribere. Quippe ſuperſtite Arauſionenſe ſecundum; defuncto, primum militiæ locum tenuiſſe: nunc, ſuperiorem tolerare neſcium, arrogantiâ ſuâ diſſidijs originem dediſſe judicabant. Auxitque opinionem Liceſtrij in eum humanitas, oblato in univerſum exercitum fiduciario regimine, ac ſub nomine Reginæ torque aureo, varijs diſtincto gemmis; privatim de ſuo, ingenti ex auro cratere donato. Vulgata jam, & nulli fere ignara ſimultas Hohenloij cum Liceſtrio erat. Seriùs averſum à Mauritio animum notavere: licet jampridem, & in Anglia, ſuſcepto odio. Pacti inter cætera cum Regina Fœderati erant, ut à Liceſtrio relinquerentur in dignitatibus omnes, quoſcumque in ijs reperiſſet. Et forte dum de conditionibus tractatur, Hollandiæ Zelandiæque proceres, defuncto Arauſionenſi, quia præfectus deerat, ut gratum in ſubolem ejus animum oſtenderent, Mauritium Comitem, octodecim annos natu, terris ſuis præfecere, dum adhuc ipſorum arbitrij ea res erat. Id ubi fama ad Liceſtrium detulit, plenus irâ, queri, nihil ſibi in Belgicâ relictum, quando alium Patres Hollandiæ præpoſuerint: parumque aberat, quin totum everteret negotium, ſeque ſuſcepto munere abdicaret, ni obviam iſſent legati oſtendentes, præter communem Fœderatis gentibus Imperatorem, ſingulis quoque nationibus jam olim ſuos fuiſſe præfectos. Hos tamen illius ſubjectos imperio. Queri etiam Sidneius, Zelandiæ præfecturam à proceribus gentis promiſſam ſibi, nunc alteri datam eſſe. Deliberatum dein in conſeſſu judicum Hollandiæ, quandoquidem indies in decretis, citationibus, mandatiſque nomen præfecti Hollandiæ uſurparent, quis potiſſimum titulis conciperetur. Apud Germanos ſupervacuum id curæ fuiſſet, ubi liberi ad unum omnes paterno uti titulo adſuevere. Apud Hiſpanos, Gallos, Britannos, ac Belgas ſoli maximo natu, qui feudorum hæres, id juris eſt. Minoribus bona perpetuæ poſſeſſionis dantur, unde & vocabulum accipiunt, ac præter dominiorum titulos, inſignium quoque partem immutant. Hîc, licet Mauritij fratre Philippo Guilhelmo viceſimum jam annum apud Hiſpanos in cuſtodia detento, peneque civiliter mortuo, tamen, ſpe reditus, Arauſionenſis illi titulus reſervabatur, tanquam natu majori. Cæterum quum teſtamento ſuo Guilhelmus Arauſionenſis, Mauritium Arauſij adminiſtratorem ſcripſiſſet, donec captivitate Philippus liberaretur: viſum judicibus, natum Arauſij Principem eum appellare. Id quaſi conſultò in diminutionem ſui factum Liceſtrius accipiens, perquam indigne tulit. *Comitem ſe, Mauritium Principis nomen uſurpare: quo alio conſilio, quam quod præponendum ſe exiſtimet?* Sed diſſimulata res, cum Mauritius ac Wilhelmus Naſſovius, cum Walravio Brederodio adventum Liceſtrio gratulaturi Vliſſingam contendere: ubi cuncta venerantium officia ad eum verſa. Ipſe Liceſtrius palam, juſſum ſe ab Regina dixit, Naſſoviam domum reſtituere, damnaque bello accepta ſarcire. Naſſovij grates egere: cæterum, ne privatis commodis avidius inhiare viderentur, partim quoque ut honori ſuo conſulerent, maturandum non cenſuere. Poſt Sidneio, ac Britannis nobilibus, amplectendam occaſionem, ac miraculo ſibi eſſe dictitantibus, quod non ipſi, qui Belgarum perſpectas haberent facultates, rationem compenſandi damna ſua ſuggererent: utile viſum, teſtamentum Arauſionenſis, ſummaque bonorum, deſcripta Liceſtrio tradere: recenſitis, quæ paſſi erant, detrimentis. Plus ducenta florenorum millia annua erant. Cenſuere porro petendum compenſari bona, quæ in fiſcum redacta poſſidebant Belgarum primores, qui pro Hiſpano arma in patriam ſuſtuliſſent. Libellum benigne Liceſtrius accepit, liberali quoque oratione

proſecutus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

proſecutus. Et fortè ſub idem tempus acceſſit Cimacenſis uxor, quæ derelicto marito in Hollandiam ſe contulerat, de jactura bonorum queſta, auxiliumque petens, cui Liceſtrius nefas ſibi reſpondit cuiquam ſuccurrere, priuſquam ex mandato Reginæ Naſſovijs ſubveniſſet. Dein aliorum rationem habiturum. Sed tantundem omnes conſecuti, nec pro hâc, aut Arauſionenſis hæredibus præſtitum quicquam. Quos pigebat paupertatem ſuam illi revelâſſe, cui animus juvandi non erat. Acciderat inter hæc, ut inquieti homines nonnulla de Mauritio ad Liceſtrium deferrent, quæ ille, cum primarijs, qui aderant, viris, ægerrime ferens, plus venerationis ſuo faſtigio deberi jactitabat. Quod ut Mauritio compertum, aperte Liceſtrium rogavit, ut ſiqua in re aut oblitus ſui, aut negligentia peccaſſet, Comes haud ſecus ſe quam filium parens argueret, operam daturum, ut aliud de ſe judicium faciat. Subriſit Liceſtrius, & dexterâ humero Mauritij impoſitâ, filium nuncupans, placere reſpondit: cæterùm intellectum ſibi, nonnullos è Senatu laborare, ut cum Hiſpano in gratiam rediret, & quo facilius procederet negotium, Brilæ ac Vliſſingæ proditionem meditari: ſed nequaquam id creditum ſibi, & aliter de eo ſentire. Hæc ac talia Liceſtrius: quæ ſecuta ſint, ſuo memorabimus loco. Eadem æſtate Franciſcus Dracus, centurio, auxilio multorum Angliæ procerum, ac mercatorum (qui non Reginæ juſſu, verùm ſuopte id motu ac periculo faciebant) claſſem inſtruxit. Hâc Baionam, Gallæciæ urbem, advectus, invadit, civibuſque, omnia igne vaſtaturum minatus, pecuniam extorſit; & proviſo frumento ad Occidentis inſulas contendit. Ubi S. Dominici portum, aliaque in continenti habitata ab Hiſpanis loca, populatus, cùm claſſem peſtilentia invaſiſſet, gravis prædâ, (quadragies centenis florenorum millibus æſtimatâ) in Angliam revertitur, nullis in America præſidijs relictis. Auguſto menſe Liceſtrius, comitantibus, Mauritio, Hohenloio, Guilhelmo Ludovico, ac Philippo Naſſovijs; ex Anglis, Sidneio, Ruſſelo, Bedfortij Comitis filio, Northo, Eſſexio equitum; Pelhamo caſtrorum præfecto, ac Noritio, cui imperium in Anglos pedites; cum VIII millium exercitu Geldriam petit ac Doeſburgum obſidet. Admotis à latere quo aquas reſpicit tormentis, duobus locis vallum diſiectum. Mox ad invadendum oppidum ab Hohenloio Noritioque milites diſponuntur: ſed priuſquam impetus fieret, deditionem obſeſſi fecere. Dux eorum Samſon Beſtelus, cum præfectorum alijs detentus. Præſidium inerme digreſſum, Anglique impoſiti. Et quamvis à maleficio milites temperare juſſi, non tamen injuriâ abſtinuere. Occupato ad Doeſburgum Liceſtrio, Stephanus Perretus, mercator Antverpianus, qui Reingoutij mandata curabat, Roterodami cum optimatibus viris, menſæ adſidens, multa in Fœderatos, acerbiſſima in Hollandiæ Patres probra jecerat, propalam, vitatoque omni ſecreto. Occultò illos, hoſti neceſſaria ſubmittere; hinc inquiſitionem in id genus homines pati nolle. Sed bene conſultum rebus Belgarum, quod regimen ad alium tranſlatum ſit, cui ſubmittere ſe, ac licet inviti, admittere quæſtionem in noxios cogantur. Hæc jactantem inter cæteros Franciſcus Francus, Adſeſſor Goudanus, audiebat. Iſque extemplo de convivio egreſſus, Hagam proficiſcitur, remque ut erat totam Patribus exponit. Ii decrevere, ut datis cuſtodibus, Perreti ſcripta excuterentur, cumque eo tanquam ſeditioſo ageretur. Reperta inter ſchedas arcana nonnulla, Reingoutij propoſitum ſpectantia. Is Ultrajecti per id tempus agens, ſimulatque pro certâ rem habuit, priuſquam reſciret quiſquam, literas, ſchedas omnes, in latrinas projecit, temporis, credo, anguſtijs recognoſcere prohibitus: & flammis exurere veritus, ne odoris indicio proderetur. Ipſe è veſtigio in caſtra Liceſtrij ad Doeſburgum contendit. Secutique ſine mora Hollandiæ Procerum legati, Guilhelmus Zuyle-

N nius

cIↄ Iↄ LXXXVI. nius Nyveltius, Goudanus Adſeſſor, ac Nicolaus Doubletius, ijſdem Patribus à ſecretis, univerſum Liceſtrio negotium aperuêre. Ita comprehenditur Reingoutius, diemque unum in tentorio Comitis adſervatus, rerum capitalium præfecto traditur. Proditionis poſtulandum cenſebant Patres. Cæterum ille, cum & judicum Hollandiæ conſeſſum, qui civium criminumque jus dicit, & adjunctum Liceſtrio Senatum, & Fœderatos æque Proceres vitaret, forum declinando menſes aliquot extraxit. Ad ultimum menſe Decembri à Liceſtrio in Britanniam abeunte (quamquam judicum eum arbitrio permittere promiſiſſet) Ultrajectum miſſus, ad Prouningium Urbis Conſulem pervenit: à quo contra jus faſque Reingoutio parcitum. Qui eâ Liceſtrij gratiâ, judicum manus, ac proditionis pœnas effugit: ſimul & pleraque conſiliorum ejus in occulto manſere. Pòſt Vliſſingam demigrans, ſimulatque imperium Liceſtrius depoſuit, clam ad hoſtem tranſgreſſus, ac Bruxellis æris alieni magnitudine hominum conſpectus fugiens, ſummâ in egeſtate extinctus eſt. Doeſburgo Zutphaniam ductus exercitus, quâ parte cognominem urbs Comitatum ſpectat, caſtra habuit; eminentiore illic ſolo, ſub collem cui à patibulo nomen. Jacuêre aperta primum caſtra, non vallum, non foſſæ, aut ullæ munitiones ductæ, haud citra periculum, ab hoſte, qui cominus, nulloque flumine iter demorante, per patentia camporum adire eo poterat. Cauſſam inquirentibus, compertum Rolandi Jorcki, centurionis Angli impulſu factum. Is ante biennium cum Embiſio conſule Gandavi in vincula conjectus, ac proditionis tormentorum cruciatu convictus erat, cæterum gratia Tribuni Tempelii Bruxellis (ubi diu in cuſtodia fuit) detentus, ad ultimum dedita urbe, nominatim id poſtulante hoſte, libertati reſtitutus erat: ac duobus annis in partibus ejus conſumtis, ad Liceſtrium tranſierat; ubi tantum gratia valuit, ut pro lubitu Comitem, quò viſum, impelleret. Quippe alta ei indoles, vafrum ingenium, ſimulandi ac diſſimulandi juxta peritum, nec minor facundia. Igitur ille apud Liceſtrium, alioſque Britannicæ gentis duces, ſummam in contemtionem Hiſpanos adduxerat; dicereque, biennij militiâ omnes eorum vires, rationem belli, militum arma, mores, cætera ſibi comperta. Nec conferendos cum Britannis. Quippe æquo Marte nunquam aciem Hiſpanos audere. Multum quidem longinqua exercitatione eos valere, ubi procurſu, aut regreſſu expeditè haſtis ſuis uterentur: at ſi cominus pugnandum, impares Britannis. His enim plus in corpore, plus in lacertis virium. Accedere equitandi ſcientiam, equorum pondera, & armis defenſa corpora, imprimis caput. Hiſpanos contra galeam non tolerantes eminus prȩliari, è propinquo metuere. Nec unquam æquis locis pugnaturos. His, licet haud per omnia veris vocibus, Anglorum magnopere animos accenderat, primo quoque caſu hoſtem invaſuros. Jamque injecerat opinionem Liceſtrio, parum ex dignitate ejus caſtra munitionibus firmari. Adeo ut ille, ex itinere quod Daventriam, duum millium à Zutphania abſitam urbem, cum frequenti Britannica nobilitate fecerat, in caſtra reverſus, cum ea Guilhelmi Naſſovij ac Hohenloij diligentiâ munita reperiſſet; quippe nuntij attulerant, Borkeloæ, quinûm millium diſſito loco, hoſtem conſediſſe: quæſierit an non detraheret ea res exiſtimationi ſuæ, timoris enim indicium videri. Satisfactum tamen ſimulavit, ubi à Guilhelmo Comite demonſtratum, nec Carolum Cæſarem ad Ingolſtadium, nec Trajecti ad Moſam Albanum caſtra munire puduiſſe, periti ſſimum quamvis utrumque militiæ ducem, eaque re ab imminente exitio ſervatos. Ducum quicumque longinqua apud Belgas militia, urbis ſitum cognorant, rationem oſtendebant, qua omnes ad urbem aditus præcluderentur, ne commeatum ſupportare hoſtes poſſent. certumque per exploratores habebatur, trium tantum hebdomadarum frumentum hoſti ſupereſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

c Iↄ Iↄ LXXXVI.

pereſſe. Sed ſpretum conſilium. Caſtellum quoque ad Valetudinarium, utiliſſimum hoſti iter, ultro deſertum. Quà ille, captatis, quæ denſæ erant, nocturnis tenebris, ingentem annonæ copiam in urbem devexit. Auditi quoque curruum ſonores, ſed parum ex uſu aut prudentiæ viſum, nocte intempeſtâ, hoſtem, incertarum virium, adoriri, præſertim inſidijs ponendis opportuno tempore. Primâ luce Noritius, Sidneius, Pelerinus Willugbius, ac Ruſſelus, hoſtem ex urbe remeantem cum equitatu animosè aggrediuntur. Oriturque pugna atrox, conſultò hoſte inter præliandum, pedem, cæterum integris ordinibus, referente, ut Anglos in inſidias pertraheret, quas mille jaculatorum in foſſis æſtu ſiccatis, agrorumque limitibus, qui frequentes ibi, locaverat. Prudentiores tamen Britanni maturè ſe recepere, cæſis hoſtium ad CL, centurione, ac ſignifero uno, captis; ex ſuis paucos deſideravere: &, quod caput rerum, hoſti, (aliter hactenus perſuaſo) oſtendêrę, & pares, & audentes prœlio Fœderatorum milites. Ipſe Liceſtrius literis ad Joannem Caſimirum hanc jactans victoriam, ſuo exemplo ſe oſtendiſſe dixit, vinci Hiſpanos poſſe. Noſtris vix ullum eo ex prœlio damnum, niſi quod Sidneius in femore vulnus, & paullo pòſt Arnhemi finem vitæ accepit: ſuperſtes donec arceſſitam Vliſſingâ conjugem compellaſſet. Ingens eo in juvene animus: ætas ad trigeſimum circiter annum proceſſerat: antè linguarum, artiumque liberalium, nunc belli perquam ſtudioſus, altâ indole, facundiâ inſigni, blandis moribus, gratiâ Reginæ validus erat, & hinc ſummarum in ſpe dignitatum. Et haud dubie quæ avunculus pòſt peccavit, (cujus ingenium ne comparandum quidem cum Sidneio erat) aut prudentiâ ſuâ præcaviſſet, aut immatura conſilia de occupando principatu, opprimendiſque proceribus occultiùs agitaſſet. Hâc pugnâ pugnatâ, majus ad urbem caſtellum noſtri adgrediuntur. Extructum primo à Fœderatis erat, prohibendis hoſtium excurſionibus in Velaviam. Quibus, ubi expugnatum erat, magnam ad defenſionem fluminis, liberumque tranſiectum, facultatem dabat. Medio amne, quà modicam circumvenit inſulam, minus caſtellum erat, objectum commeantibus urbem inter & caſtellum majus: quo erepto, ſponte alterum ſecutâ nocte hoſtes deſeruére. Cui impoſito ſine mora præſidio Rolandum Jorckum Liceſtrius præfecit. Nec valuere optimatum hic monitus, rogantium ne dubiæ fidei hominem, recens ab hoſte perfugam, ante proditionis poſtulatum, convictumque, limitaneæ munitioni præponeret, priuſquam ulla aut animi, aut fidei experimenta dediſſet. Nequidquam omnia, nec caſtelli modo, ſed & totius fere Geldriæ, quæ Fœderatorum juris eſt, agri nimirum Velaviani, præfecturam Jorckus obtinuit; contra majorum inſtituta, receptamque apud Belgas regiminis formam: quâ cuique nationi præpoſitus, univerſis militibus, præſidium ea in terra agentibus, præeſt. Et ſiquid facto opus, ſupremus Imperator ſingularum gentium præfectis ſignificare ſolebat. hi per Tribunos, Centuriones, equitum ductores, quos præſidij cauſſa ſua in præfectura habebant, adminiſtrare, ac mandata per maxime idoneos exſequi adſueverant. Hinc eveniebat, ut ſummo Præfecto, in minores Præpoſitos; his in duces præſidiorum ſui, imperijpoteſtas foret. Simul multis quoque erroribus obviam ibatur. Quippe minores Præfecti dum continenter ſua in terra permanent, majorem ducum, militumque in ea præſidentium notitiam habebant; deque rerum circumſtantijs, quid cuique committendum, accuratiùs judicare poterant, quam ſupremus Imperator; qui nec ipſe aliorum ambitioni, aut dolis patet, dum conſilia Legatis aperit, eorumque audit ſententias. Interea dum Zutphaniæ à noſtris adſidetur, Martinus Schenckius (qui cum Truchſeſſio noſtras in partes tranſierat) caſum nactus Noviomagi portarum unam patefaciendi, ut occultiùs deſtinata exſequeretur, cum

cIↃ IↃ militibus,quos ſecum habebat, Anglis pleriſque,Rheno flumine,quà adhuc
LXXXVI. unum eſt, Eltenum contendit, duum millium itinere ſupra Noviomagum. Hic tranſmiſſo milite, ſub veſperum procedit, ut primâ luce urbem attingeret. Semihorâ aberant, quum Angli, ad quos ducendi agminis ordo redierat, quietem concedi poſtulant: ægre id invituſque conceſſit Schenckius. Cæterum dum longius contantur, veritus ne à luce deprehenderentur, cum promovere Britannos ex itinere fatigatos nequiret, cum ſolis Germanis ac Belgis pergere ad urbem parat. Sed ne id quidem paſſi Britanni, obverſis haſtarum mucronibus, retinuere. Ita vanus conatus fuit. Multo antequam Zutphaniam noſtri obſiderent, Adolphus Niuenarius Geldriæ, Zutphaniæ, Ultrajecto, terriſque Tranſiſalam præfectus, colligendis peditum uni, duobus equitum millibus, in Germaniam dimiſſus erat. Jam cum militum præfectis Fœderatis Patribus convenerat, ut militem ſcriberent: coactiſque eos in uſus extra ordinem florenorum millibus quadringentis, nihil in pecunia erat moræ. Nihilominus diu poſt condictum tempus aberat miles. Cauſſa in incerto, donec compertum ab ipſo Liceſtrio, verito ne nimia Germanorum ſtudia in Naſſovios ac Hohenlojum forent, adventum præpeditum: tametſi, ne auxilia, ardenter adeo omnibus expetita, unus ſpernere videretur, Chriſtophorum Iſelſteinium ad Niuenarium miſerit, cum mandatis, feſtinaret iter, certò pecuniam, cæteraſque neceſſitates præfinitâ die paratas reperturos in bellicis navibus, quæ in Ameſi flumine exſpectarent. Iſelſteinius igitur profectus, Germanis ducibus perſuadet, ut unà ad naves contendant. Huc ut ventum, pro pecunia, literas Liceſtrij invenere, poſtulantes, ut Fœderatorum in terras militem Iſelſteinius adduceret, ibi ſtipendia numeranda. ſin facere id gravarentur, in proximam æſtatem Fœderatis ſuam addicèrent operam. Facile Niuenarius Iſelſteiniuſque cepere, haud magnopere deſiderari adventum Germanorum: ac proinde omiſſis illis reverterunt. Sæpeque ex eo Iſelſteinius propalam, ac frequentibus in contubernijs jactare ſolitus, *Duo magna Liceſtrium præſtitiſſe : Martinum Schenckium* (is famulus quondam Iſelſteinij) *Equitem; ſe, mendacem feciſſe.* Secutâ æſtate multo apertius Liceſtrij conſilium eâ in re emanavit. Quippe jam pacta Fœderati Patres cum ducibus ijſdem iterarant, magniſque jacturis damna eorum ſarcierant: nam promti ſemper obſequio, accuſari negligentiæ nequibant: novæ pecuniæ collectæ (priores enim Liceſtrius, & quos de ærarij rebus conſulebat, alios in uſus erogaverant, ita ut ſi veniſſent in Belgicam equites, neceſſario dimittendi fuerint) & tollendis, quæ ante inciderant difficultatibus, Bremam, Germanici Imperij urbem, delatæ èrant. Meppâ, quà iter militi, à Niuenario captâ, omnibus promiſſis, quæ ducibus facta erant, expletis, non tamen acceſſere. Magnaque cum militum præfectis exſtitit controverſia, qui cum equitem ſcribere, ac diebus XIV poſt delata Bremam ſtipendia convenire debuiſſent, datas auctorandis militibus pecunias ipſi retinuerant, ac pars ne renunciato quidem ſacramento, aliorum in verba juraverant. Dein accuſati, afferre ad defenſionem, eminentium in Belgis virorum indicio cognoviſſe, non proceſſuram expeditionem. Atque hunc in modum colligendis Germanicis copijs, bis nequidquam ingentes ſumtus facti, æs, tempus, occaſiones amiſſæ. Etenim ſi anno LXXXVI in caſtris ad Zutphaniam duo hæc millia fuiſſent, validioribus copiarum numero noſtris, in proclivi fuerat commeatus ab urbe arcere: ſimul camporum domini per Brabantiam univerſam, per terrarum alias hoſtium meſſe interceptâ, ad extremam deſperationem omnes eorum urbes compuliſſent. Cæterum in caſtra ut revertamur, Octobri menſe, continentibus imbribus, vaſa conclamari, dimittique in hyberna militem neceſſitas adegit. Id dum agitur, Liceſtrio demonſtratur, haud tutum copias

omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

omnes abduci, relictâ ab tergo ſine præſidio Daventriâ, hoſteque id virium
imminente. Ipſos in urbe Reformatos cenſere, duas aut tres minimum cIↃIↃ
centurias imponendas, tum contra vim externam, tum pravas Pontificio- LXXXVI.
rum artes, quorum tres quatuor in magiſtratu. Igitur per Truchſeſſium ac
Pelhamum cum magiſtratu Daventrienſi agitare de recipiendo præſidio
cœpit. Oblatumque ut ex omni exercitu, quas civitati gratiſſimas puta-
rent, centurias deligerent. Cæterum illis obſtinate detrectantibus, quum
nihilimpetraret, Liceſtrius mille ducentos Hibernos, inopinantibus civi-
bus duci in urbem jubet, præfecto Guilhelmo Standlæo, nobile Britanno.
Ii homines barbari, feriſſimique erant, quos unquam aut his, aut adverſis in
partibus Belgica vidiſſet. Medium corpus nudi, verenda exiguo linteo ve-
labantur, ita ut inclinati, nullam fere partem occultarent. In capiendo cibo
beſtijs quam humano generi propiores: & victus ſæpe crudæ, ſæpe meræ,
ſine pane, carnes. Cultus omniſque humanitas aberat: nec Chriſtiano in
orbe, ſed Americâ educatos crederes. Nulla per ſermonem commercia.
Ea denique vita, ij mores, ut feros Hibernos, haud injuriâ ipſi appellare Bri-
tanni conſueverint. Chriſtianorum ſacra incognita illis, de miſſa fando ali-
quid audierant, ac cærimonijs inhiabant. Præfectus Standlæus Pontificio-
rum ſacra amplexus, paullo poſtquam in urbem venit, Reformatorum quo-
que ac boni publici hoſtibus ſe junxit. In his Petrus Doyſius Decanus,
Petrus Bentingius, alijque. Idem ſub Albano, durante hoc bello, merue-
rat. Iis animadverſis Reformati, qui modicum, modeſtumque præſidium
exoptarant, ſero ſuam imprudentiam deplorare. Quottidiana in cives vis,
protervia, injuriæ. Queſtis apud præfectum nullum auxilium, nihil penſi,
nihil moderati. Imprimis manifeſtis periculis objectam religionem omnes
miſerari. Pro paucis quippe Pontificijs, qui magiſtratu permiſti, tanquam
noti omnibus ſuſpectique, & pluribus bonorum ſuffragijs, nihil dare mali
poterant, jam præfectum habebant diverſæ religionis, cujus in manu urbs,
cui ſpreta bonorum conſilia. Mirari prudentior quiſque, quid Liceſtrium
Reformatorum ſacris, ut fingebat, tam addictum, moviſſet, Pontificium
ducem, & militem civitati imponere, quæ adverſus Romanenſium magi-
ſtratuum conatus, ſecuritati ſuæ conſultum cupiebat. Quonam conſilio ef-
feratum, ac ſævitiâ barbarieque inſigne præſidium, in urbe militum inſueta
locaviſſet; cui & modeſtiſſimi primò graves fuiſſent, eoque flectendi be-
nignâ oratione eſſent, ut oneris hoc admitterent. Nec omittebant Liceſtrio
Patres hæc aliaque oſtentare, præ cæteris quòd Niuenario, Tranſiſalanis,
proindeque & Daventriæ præfecto, ſine injuria, eadem in gente alter con-
ſtitui præfectus haud poſſet. Cæterùm non minus Standlæo, quam ante
Jorcko in vanum adverſabantur, exiſtimante Liceſtrio, ſolâ Britannorum
invidia id fieri: ac falſo diffidere ijs Belgas: licet enim quondam Hiſpanum
ſecuti fuiſſent, nunc tamen eorum fidem erga Reginam in dubium non
devocandam, eique rei ſuum ſe & corpus, & animam opponere. Tum co-
dicillos a. d. XVIII Novembris (annus erat LXXXVI) conſignat, quibus
Standlæo non ſolum imperium Daventriæ datum, & poteſtas adminiſtran-
di quæcumque cuſtodiam urbis ac juriſdictionem ſpectarent: addito, opus
non eſſe, ut ejuſdem gentis Præfecto pareat: ſed inſuper, ut conficiendis
deſtinatis, ex propinquis Geldriæ, ac Tranſiſalanis tractibus, præſidia evo-
care liceret. Juſſaque illa, nullo cujuſcunque ordinis aut gentis excepto
(Liceſtrij ipſa verba exprimo) Standlæi mandatis obtemperare. Quare
ſupra ipſum quoque Niuenarium Standlæi potentia extenſa. Itaque non
Daventriæ modò, verum & Tranſiſalanis imperitabat terris; ut caſtello Zut-
phanienſi præfectus Jorckus, Velavianos agros obtinebat. Traxitque in ſe
omnem Præfecti poteſtatem: quin & indictis vectigalibus, vocatiſque ad

CIↃ IↃ reddendam munerum rationem Quæſitoribus vicinorum locorum, in mul-
LXXXVI. tis ſupergrediebatur. Quippe nulli præfectorum id juris. Kalendis Octobribus creandorum Ultrajecti magiſtratuum dies aderat. Cujus rei hæc ratio. Qui magiſtratu defungebantur, certum idoneorum civium numerum Præfecto commendabant. Huic parem adjiciebat ille, ac digniſſimis conferebat publica munia. Urbis regimen Juſtus Soetius, Villerij Toparcha habuerat. Quo ſuperiori anno ab hoſte capto, Niuenarius quamvis oblatum imperium, fiduciarium tantum receperat, donec captivitate Soetius liberaretur. eumque, ut prædictum, Germania nunc attinebat. Igitur quamvis tuto differri magiſtratuum novatio poſſet, ut antehac factum; & jam imprimis æquitas poſtulabat, ne abſenti Reip. cauſſa Niuenario quidquam in jure ſuo derogaretur: Liceſtrius tamen Northo negotium committit. Is ſordido loco, & avo lanio genitus, ac Liceſtrij favore, dignatione, opibuſque auctus, præfecturam, aut aliam apud Belgas ſperabat dignitatem: & ſuſpiciones invaluerant Ultrajecti præfecturam affectare; ſuſpecto Villerio, ob uxorem, quàm Pontificia domi ſacra exercere vulgabatur. Jamque rumores iban, tne liberatum quidem, priſtino reſtituendum loco: Niuenarium verò, precario tantum pręfectum, facile abrogari. Confirmabat ſuſpiciones, Northi apud ſacrum ordinem, apud cives gratia, ac mirus favor. Certe Hermannum Stryckerum, Modeti cognomento celebratum, principem Paſtorum ejus loci, acceſſiſſe conjugem Niuenarij conveniebat, quæſitum an quicquam de mariti fato cognoviſſet; quem defunctum in Germania nuncij currebant, orti ex periculis, quæ primum mari, dein Brunſvici Niuenarius adierat, ubi ſuſpectus, quaſi conſilia cum Julio Brunſvicenſi Duce ſociaſſet, oppido ejectus erat. Pòſt ubi negavit illa, quidquam de conjugis exitio compertum ſibi, multo acrius inſtitiſſe ne rem premeret; quippe longius vacare urbis imperium haud poſſe. Nec ipſi per id tempus Reformati eadem cupiebant. Nonnulli, Eccleſiæ cenſuram rejicientes, Helveticarum Eccleſiarum laudare libertatem, jamque animi ſui Paſtorem repererant. Adgregabant ſe his multi primorum ac urbis magiſtratuum, experientiâ, autoritate, doctrinâ præcellentes viri: quis, poſt pacem Gandavenſem, cura Reipublicæ, ac in fœdere faciendo, alijſque adverſus Hiſpanum pro patria rebus, egregia utiliſque opera navata. Nihilominus, ut infeſta tunc regentibus plebes erat, (quam ulterius dein exſtimulabant Britanni) tanto vehementius à miniſtris, accuratè ſacra corrigi poſtulantibus, accuſabantur. Ii varijs rumoribus differre, vino deditos pleroſque, & diſſolutæ vitæ, eoque Eccleſiæ cenſuram defugere. Cathedrales quoque Canonicos, & ſacris Romanenſibus initiatos, in ſuum admittere Senatum. Ergo tales omnino Rep. ejiciendos adverſa factio decernit, cæteris regimen committendum, quo controverſiæ inter Jacopinos (ita vulgo nuncupati, quibus rejectâ Eccleſiæ cenſurâ) cæteraſque Eccleſias tollerentur. Facile huic placito acceſſit Northus, cui ſumma votorum, primores gratiâ atque autoritate validos pervertere, quod moram cupitis allaturi videbantur. Unde opportunitate uſus, tanquam Præfecti loco poſitus, cum candidatis à magiſtratu delectis æqualem adjicere numerum poſſet, homines nominat maximè Eccleſiæ miniſtris probatos. In his Gerardum Prouningium, cui Daventrij cognomen, conſulatu extulit, contra leges urbis, quæ nullum niſi decennio civem, eam ad dignitatem admittebant; ille vero nunquam pro cive habitus. Adjunxit alios abjecto loco, ac Reip. inexpertos homines, cæterum miniſtris acceptos. Hic delectus magna in Belgicis motibus mala dedit. Sæpe enim homines imperiti, unum ob religionis ſtudium, ad magiſtratum evecti, rejectis viris præſtantibus, magnique in Rep. uſus, quod non in omnibus eadem cum Reformatis ſentirent; quos non oderant tamen,

tempo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

témporumque forſan ſpatio, mutaturi animum erant: & acceptâ Reip. parte, autoritate, conſilio in multis juvare eam poterant. Contrà Reformati novi regendi, experientiæ exiguæ, nec imperio, nec autoritate valebant. Hinc confuſum regimen, permiſta omnia, ſimul cæteris injecta opinio, intolerabiles Reformatos eſſe, qui ſimulatque à periculis hoſtiumque evaſiſſent metu, neminem æquali ſecum loco paterentur. Simulatque adepto conſulatu Prouningius totus ad Anglorum arbitrium ſtetit, immoderati regiminis exordia fuere. Et videntur modum ibi præfinire Britanni voluiſſe, cujus ad exemplar cæteræ ſe componerent nationes. Oppidani centuriones, nimia ſimplicitate homines, cum frequenter de exigua poteſtate querentem Liceſtrium audiiſſent, perſuaderi ſibi paſſi, ut hujuſmodi ſcriptum ei offerrent. *Cupimus ut excellentia ſua abſolutè imperet, pro ſua diſcretione, ſalvâ religione, & privilegijs ſuam majeſtatem non offendentibus.* Quale imperium nec apud Belgas unquam, nec in toto uſquam Chriſtiano orbe auditum. Vehementer id Fœderatorum cæteros offendit: itaque Prouningium, delectum ab Ultrajectinis ut Patrum Fœderatorum collegio intereſſet, non admiſerunt. *Quid enim? omnia ſe ad libertatem, ad patrias leges conſilia dirigere, eas tueri jurejurando obſtrictos: nec conſilia ſociare cum eo poſſe, priuſquam legibus ſe conſulatum Vltrajecti conſecutum oſtendat.* Graviſſimè id à Prouningio acceptum, multumque & aſpera Patribus interminatus, Ultrajectum revertitur. Ubi mox primorum, & magiſtratu antè functorum præcipui, in exilium aguntur. Fuere ij Nicolaus Suylenius, Prætor Ultrajectinus, Florentius Thinus, proceribus ejuſdem terræ à conſilijs, ſimulque Adſeſſor, Florentius Hermalus, Henricus Buthus Canonicus. atque Albertus Foeckius, cuncti multorum annorum in patriam meritis inſignes. Poſtremò Lanſweertius rei fiſcalis ejuſdem terræ Quæſtor, ac Joannes Roberti Druineus, vir Conſularis. His omnibus publico edicto, (quod Liceſtrij, ac oppidanorum centurionum nomina præferebat) imperatum ante occidentem Solem urbe exire: paucisque diebus ex Fœderatorum imperio, in loca ab hoc bello otioſa demigrare. Horum diſceſſu quæ vacabant dignitates probis quidem idoneiſque viris, ſed exteris collatæ. Prætura Carolo Trilloni, Iacobo Pottero Quæſtura data. Henricus Agileus, fiſci patrocinium obtinuit. Belliſſierius Præſes appellatus. Eâ relegatione non Ultrajecti modò, ubi magnæ pulſis clientelæ ac cognationes; ſed apud cæteras quoque nationes, prudentioris cuiuſque queſtus ardeſcere. Maximeque animos omnium advertit, ubi Northum circuire oppidanos centuriones, ac pro navatâ operâ Liceſtrij nomine gratias agere compertum: novo prorſus exemplo, ut Præfectus, quem prohibere injurias ac leges defendere decuiſſet, jam extraneos ab Ultrajectinis intra urbem receptos, primos civitatis præter jus faſque inauditos atque indefenſos expellere, eorumque inter ſe munera partiri haud tantum pateretur, ſed & probaret. Pulſi, ſine mora Hagam profecti, ad Fœderatos Patres, tanquã & vicinitatis & fœderis nexu illigatos, querelas ſuas detulere: quorum præſidio ac patrocinio impetrato (abſque eo enim ne triduum quidem in Hollandia morari licuiſſet) Liceſtrium adeunt, eique demonſtrant, ejus nomine patria ſe ejectos, ſperare immerentibus id obtigiſſe, ac purgare ſemet velle. Ille neſcio, nedum jubente ſe factum affirmat: exulibuſque poſt gratiarum actionem ut literas eandem in ſententiam ſcriberet, rogantibus, morem gerit. Eæ poſtquam magiſtratui Ultrajectino & centurionibus oppidanis exhibitę, ſimulque objectum, perfidè eos Liceſtrii nomine abuſos, anxii curâ, ad Comitem è veſtigio contendunt, eique oſtendunt, illo jubente prædictos homines à ſe urbe exactos; magnamque facere injuriam, ſi nunc ſubducere ſemet, atque univerſum in illos reijcere onus velit. Motus his Liceſtrius contrarij argu-

menti

cIↄ Iↄ LXXXVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ menti literas conſignat, gnaro ac jubente ſe, quos docuimus, in exilium
LXXXVI. actos. Quæ ut exulibus viſæ lectæque, nihil ſpei reliquum exiſtimantes, omiſsâ re Hagæ, atque alijs in urbibus Hollandiæ manſere. Secuta rem eam compluria acerba ſcripta inter Prouningium, nomine magiſtratus Ultrajectini, ac proceres Hollandiæ. Hunc in modum conſtitutâ Republicâ, præter Anglorum in urbe præſidium, Iulianum quoque Cleerhagium centurionem Sylvæ ducenſem, propinquum ſuum, Prouningius Ultrajectum vocat. Mox canonicos cathedrales, ſacrumque ordinem, quibus hactenus ſuffragiorum pars tertia in conventu, abrogat: conſecrata, ac in fiſcum redacta bona invadit. Vectigalia Ultrajectina, fœderatis Patribus ſubducta, in ſtipendia militum vertit, quos muniendi ſui cauſsâ advocarat. Eccleſiaſticos Ultrajecti non tam religio inviſos fecerat (quippe præterquam quod Pontificia plerique ſacra deſeruerant, nullius ob religionem in Belgica deterior conditio fuit) quam amplæ facultates, quibus nonnulli inhiabant. Iampridem ipſe Reingoutius centuriones oppidanos incitaverat, ut ſupplicibus literis (conceperatque jam ille) à Liceſtrio peterent, de cogendis ſine mora Quæſtoribus rerum fiſcalium, bonorumque ſacris uſibus deſtinatorum, ut ſacramentum Liceſtrio & ærarij curatoribus dicerent, quorum caput erat Reingoutius. Hactenus Eccleſiaſticorum, quibuſcumque reformatæ religionis odium, aut caritas Hiſpani pretium non fuerant patrias ſedes aut partes deſerendi, prima publice ſuffragia, privatim bonorum cuique ſuorum adminiſtratio. Idque Gandavenſi & Trajectino fœdere, & conditionibus iis convenerat, quas de tolerandis quamvis diverſum circa ſacra ſentientibus Patres ſtatuerant: quos contractus nunquam violari paſſus Arauſionenſis, ut Gandavi totius Flandriæ exitio evenerat. Ante omnes magna etiam ſub Albano Eccleſiaſtici pro libertate præſtiterant. Etenim Ultrajecto Albani decreto legibus ſuis orbato, quum Franciſcus Baldezius, Hiſpanorum in urbe præſidio impoſitus, extorquere Albani juſſu magiſtratui urbis acta, Regum, Principumque in eam beneficia conaretur, armatâ manu, vim, ni parerent, intentaturus, non equeſtri ordine, non magiſtratu factam ad regem provocationem perſequi auſis, ſolis Eccleſiaſticis id audentiæ fuerat, ut magnis ſumtibus animiſque negotio incumbentes, irritum apud Regem Albani edictum fecerint. Huius meriti cum recens apud Equites eſſet memoria, partim ſanguinis vinculo, partim proprii commodi ſpe (quando aut ipſi, aut liberi eorum talia conſequi beneficia poterant) pati noluere, ut quidquam in Eccleſiaſticos gravius ſtatueretur. Itaque apud Niuenarium Præfectum terræ ſuæ effecere, ut in priſtinum gratiæ locum Eccleſiaſtici reſtituerentur. Adverſum ea à Prouningio urbiſque magiſtratu perfectum, ut duobus eo ex ordine primarijs viris, præfecti permiſſu, munere dejectis, ſufficerentur totidem quos ipſi cenſuiſſent. Adeoque ea re Eccleſiaſticorum collegium debilitatum eſt, ut fruſtra auxilium Niuenarij fuerit. Quippe è quinis (tot enim erant) duo Prouningio addicti; cęteris metus libertatem loquendi ademerat. Tantâ rerum novatione permoti Equeſtris ordinis plerique, à fœderatis Patribus (nam eorum nonnullis arbitrium rei Liceſtrius permiſerat) accuratis precibus, ac vicinitatis fœderiſque jure petere cœperunt, ut de rebus ſuis cognoſcerent. Querelarum hæ potiſſimæ. Quod conſulatum, contra urbis inſtituta, neminem niſi decennio civem admittentia, exteri, nec unquam pro civibus habiti, conſecuti forent. Geldris ac Brabantis, apud quos nullus Ultrajectinis in Rep. locus ſit, dignitates Vltrajecti datas, contra legem qua cuique utendum eodem jure, quod in alterum ſtatuerit. Adverſus ictum cum Regina fœdus, adverſus mandata quæ Liceſtrio Patres dediſſent, exteros, quin & nothum, quales omnibus muneribus Ultrajecti prohibeantur, ſine ſuffragijs, ſine procerum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cerum conſilio Reip. ingeſtos. Cōtra jus faſque; contra ea, quę quondã egre-
giè Patres ſtatuiſſent, de tolerandis in religione diverſis opinionibus; contra CIↃ IↃ
ipſum Liceſtrij juſiurandum, actos in exilium, qui auditi non eſſent, nec per- LXXXVI.
miſſum ut cauſſam ſuam defenderent, quod ne ſub Albano quidẽ licet cru-
deliſſimo accidiſſet. Itaque rogare ſe, ut quæcumq; legibus ſuis, quęcumq;
pactis Reginæ, ac Liceſtrij adverſarentur mandatis, in integrũ reſtituantur.
His compertis Fœderati Patres, unum ex ſingulis nationibus delegere, qui
cũ Niuenario, ſuper his Liceſtrium compellarent. Quod poſtquam impedi-
tum, Hagâ, ubi Procerum ſedes, Ultrajectum abeunte Liceſtrio, ſex nu-
mero Ultrajectini nobiles, Bartholomæus Walius, Moeſbergæ Toparcha,
Wilhelmus Rijſſenburgius, Fredericus Zuylenius Niveltius, Maximilia-
nus Baexenius, Gerardus Soudenbalgius, ac Theodorus Borrius Ameron-
ganus IV Kal. Octobr. anni LXXXVII, libellum ſupplicem, à ſe, alijſque in-
ſuper duobus ſubſcriptum Liceſtrio obtulere. Moxque eodem veſpere
omnes in cuſtodiam rapiuntur à Trillone, Liceſtrij juſſa obtendente. Cæ-
terum illis, niſi viſâ Comitis manu, ſequi negantibus, promit Trillo manda-
ta Liceſtrij. Negabat tamen ille imperaſſe ſe, & nobiles, poſtulantibus
multum conjugibus, dimiſit. In Trillonem nec animadvertit, nec verbis ar-
guit. Neque captivitatis cauſſam reſciſcere nobiles ipſi potuere, niſi quod
Reinerus Aſwijnus Brakelæ Toparcha, ad ſocietatem ac defenſionem le-
gum ab ijs invitatus, poſtquam detrectaſſet, graviter accepiſſe Liceſtrium
dixerit, quod nullâ ſui ratione habitâ (miſſum tamen illi à præfecto Ultra-
jectino per nobilium unum exemplum literarum erat) ſolum in Fœderatis
Patribus præſidium poſuiſſent: quare velle, ut poſtulata ſua revocent: nam
ſeditionis eam ſpeciem videri. Hæc verba non injuriâ prudentium animos
advertêre, honeſtos homines, de illatis injurijs queſtos, atque ad pacta Re-
ginæ, Liceſtrijque provocantes, velut ſeditioſos abripi in cuſtodiam. Sed
Liceſtrio cauſſam Ultrajectum abeundi dederant propinquæ Kal. Octobr.
ſuetus creandis magiſtratibus dies: quod urbis Præfecto committendum
non putabat, veritus ne Prouningium abdicaret, & ritè à ſe fieri ratus, tan-
quam ceſſante minorum præfectorum poteſtate, ubi ſupremus adeſſet. Igi-
tur ille conſulatum Prouningio propagavit. Quæ, quamvis in ſequentem
annum egreſſa, viſum hoc loco ob hiſtoriæ ſeriem ſubjungere. His ita con-
ſtitutis, quum per Prouningium Ultrajectinos, per Standlæum Daventriam
ac Tranſiſalanos in poteſtate ſe habere Liceſtrius exiſtimaret, ijſdem arti-
bus locorum cætera aggreditur, ac centurias nonnullas è caſtris in Friſiam
dimittit, præſidio Harlingæ: addit literas, quîs urbi Northum præficiebat,
ignaro Senatu, neſcijs Friſiorum Patribus, & urbis magiſtratu, atque ipſo
denique gentis præfecto, cujus multum ea res intererat. At Friſiæ Proce-
res confeſtim Liceſtrio demonſtrare, detrimentoſum terræ ſuæ, contraque
vetera inſtituta eſſe, ſi imperium hactenus unum, in duas ſcindatur præfe-
cturas. Unde ille cœpta intermiſit, maximè quod facultas deeſſet mili-
tem in urbem perducendi. Harlingæ, qui præſidebant, annos nonnullos
Hollandica ſtipendia fecerant: promtis huc Hollandis ob propria commo-
da, ſinuſque Auſtralis ſecuritatem: promtâ civitate, quod certius ex Hol-
landiâ militum ſtipendia procedebant. Ad ultimum urere ea res Friſios cœ-
pit. Quamobrem ut nunc diſcordijs cum Liceſtrio Hollandos occupatos, ob
domeſticas curas de externis commodis minus ſollicitos videre, non cen-
ſuere dimittendam occaſionem, ut ſuas ipſi in poteſtate urbes tenerent. Mi-
nuſque in arduo res fuit ob literas Senatus, de cuſtodiendâ diligenter Har-
lingâ. Itaque Naſſovius cum militum ductoribus egit, ut deinceps Friſiæ
Patribus ſe ſubjicerent, quemadmodum receptâ apud Belgas regiminis for-
mâ, Præfecto gentis, tanquam ſupremo omnium in Friſiâ copiarum impe-

cIↄ Iↄ LXXXVI. ratori, obſequium debebant. Datumque ijs bimeſtre ſtipendium, ac promiſſum à Patribus, certum in menſes ſingulos æs habituros. Juvitque Friſiorum hâc in re conſilium, quod centurionum qui maximâ erat gratiâ, in domo Naſſoviâ educatus, multum Guilhelmo Comiti tribueret. Iidem centuriones paullo pòſt alijs urbibus impoſiti, ac Harlinga Friſiorum milite munita eſt. Pari ratione Liceſtrius nonnullas Anglorum centurias Heuſdam miſerat, datis ad Iſelſteinium Tribunum, qui cum legione ſuâ præſidebat, literis, ut urbe excederet. Iſelſteinius rem aperit Hohenloio tanquam Gertrudenbergæ, Bommeliæ, Heuſdæ, ac nonnullis caſtellis arcibuſque Brabantiæ conterminis ab aliquot annis præfecto. Ille Liceſtrium adit, eique demonſtrat promiſſum ſibi primo Liceſtrij adventu, nihil de imperio aut jure in urbes præſidiaque quibus præeſſet, derogatum iri, omnino autem literas ad Iſelſteinium datæ fidei adverſari. Liceſtrius errore factum reſpondit, animumq; fuiſſe ut miles Heuſdâ Bergas ad Zomã contenderet. Unde quęrente Hohenloio, patereturne moneri à ſe Iſelſteinium, ut in urbe maneret, apertè placere reſpondit. Interea per Danielem Burggravium, qui à ſecretis illi, alteras ad Iſelſteinium literas ſcribit, graviter interminatus, niſi parêret. Eas ſummâ celeritate perferri curat, ſpe prævertendi literis Hohenloij, ac Iſelſteinium, minarum terrore, præſidio abiturum. Sed contrà res cecidit. Inter hæc Bommeliani magiſtratus Liceſtrium adeunt, præſidij ſui ſtipendia poſtulantes. Tum Liceſtrius, quid illis cum Hohenloij milite rei eſſet quærere. Anglos reciperent, fidem ſe interponere, certa quot menſibus ſtipendia habituros. Reſponſum à Bommelianis, præſidium quod haberent, gratum civibus eſſe, vivique in mutuâ caritate, quamobrem non facile mutaturos. Haud diſpari modo in caſtris ad Zutphaniam Guilhelmum Edmondum, natione Scotum, Hohenloij vicarium tentavit, diſſeruitque apud eum, quaſi non ſatis ex dignitate ejus vicaria poteſtas eſſet: proinde ſi vellet, daturum ſe facultatem cunctis ejuſdem gentis militibus, ut etiam non impetrata miſſione, tranſire in ejus centuriam liceret: quâ re Hohenloij centuriam totius pene exercitus lectiſſimam everſurus fuerat: nam militantium in ea plerique Scoti. Cæterùm honeſtior Edmondo animus, quam ut promiſſa acciperet: itaque Hohenloio ſe quodcumque fortunæ adeptus eſſet debere reſpondit: ac abunde ad gloriam ſibi arbitrari, ſi proximum illi locum teneret. Theodorico Sonoio jam pridem mandata Liceſtrius dederat, ejuſque ſacramentum eandem in ſententiam acceperat, ut Borealis Hollandiæ cuſtodiret urbes, nec obſequium cuiquam præter Liceſtrium præſtaret. Quo facto Sonoius, obſequio præfecti Hollandiæ, quo ante tenebatur, ſolutus, unaque præfectura bifariam diviſa eſt. Sic quoque Julianus Cleerhagius, priuſquam Ultrajectum vocaretur, Gorcomio præpoſitus eſt ſummâ poteſtate, ne Hollandiæ præfecti imperijs obnoxius eſſet. Verituſque Liceſtrius, ne huic novationi ſe opponerent magiſtratus, Eccleſiaſtas urbis rogarat Sonoium foverent, atque in cunctis adverſus Pontificiorum, ac turbidorum hominum conatus (hæc verba literarum erant) juvarent. Cæterum miniſtri nequaquam id ſui muneris rati, ad magiſtratum literas detulere. Muidam pari imperio Joannes Baxius obtinebat: quod oppidum premendis Amſtelodamenſibus opportunum. Eumque in modum Hollandia, in complures divulſa præfecturas, quæ cunctę Mauritio Naſſovio, Hollandis præfecto, ſubtractæ: minuendis, ubicumque caſus, viribus ejus, cum dimoveri dignitate haud poſſet. Brilam etenim ac Vliſſingam, ante Mauritio ſubditas, ex pactis Reginę Liceſtrius tenebat. Et quamvis ſtipulato, ut militum duces ſolam diſciplinam, atque urbium cuſtodiam ſuę ducerent curæ, quo cum fide ea oppida Reginę ſervarentur, interea nihil imperij in cives, nihil in Remp. ſibi juris vindicarent, quorum

utrumque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

utrumque penes Hollandiæ Præfectum manſura; Sidneius tamen, & qui cIↃ IↃ
mox ſucceſſit Ruſſelus, totius ſe Walachrię præfectos, ferebant, & Cecilius LXXXVI.
præſidio Brilano impoſitus, quicquid reſtabat imperij de tributis, portorijs, vectigalibus, in ſe traxit. Ea tamen omnia diſſimulanda erant. Inter hæc Hollandiæ proceres prævertendis, quæ ex tantâ imperiorum multitudine imminere videbantur difficultatibus, Novembri menſe anno LXXXVI, obtulere libellum Liceſtrio, quo inter cætera poſtulatum, quandoquidem ita conveniſſet cum Reginâ, ut præfecti omnes, pręcedentibus procerum ſuffragijs crearentur, abdicaret, quicunque ſine ijs irrepſiſſent. Ad ea XX Novembris die ſcripto à Liceſtrio reſponſum, errore talia accidiſſe, ſeque paratum revocare. Sonoio Cleerhagioque nihil à ſę datum imperij, præter conceſſam ab Arauſionenſi poteſtatem. Hic cum Patres accuratiùs adjiciendum fuiſſe dictitarent, jus illis in ſolos milites fore: ille literis teſtatus eſt, ſi proceres cenſerent, id quod dediſſet imperij, Mauritio, tanquam Hollandiæ præfecto, detrahere, aut contra leges eſſe, mutarent pro arbitrio, ſe rata habiturum. Nec tamen quicquam eorum perfectum, variaque hinc incommoda, ut latius infra oſtendetur, provenêre. Relatum ante nobis de navigandi uſu, merciumque exportatione à Liceſtrio interdictis. Adverſum ea ſine intermiſſione Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæque proceres querebantur. Quos ille, conſiliarij ejus, & quod hominum ſimplicius, plebi in ſuſpicionem adducebant, tanquam hoſtium augerent vires, ſuâque avaritiâ patriam venderent. Itaque ille quibuſcumque in oppidis, itineribuſque, præfectos eadem ſecum volentes haberet, rigidè edicta exercebat. Fortè acciderat, ut mercatores nonnulli bubulas pelles ſale maceratas in Cliviam deveherent. Iter illis per Vahalim, qui Gorcomium præterlabitur. Huc venientes à Cleerhagio detinentur: cæterum rogatu quorundam ex Hollandiæ proceribus, cum demonſtrarent, nihil talibus hoſtium firmari vires, dimiſſi, impetratis à Liceſtrio tuti commeatus literis, grave vectigal ſolvunt. Interea alteras diverſi argumenti literas à Liceſtrio accipiens Cleerhagius naves detinet: de epiſtolâ tamen diſſimulat, ne levitatem Liceſtrij proderet, contraria duo eâdem in re jubentis, indeque ejus vileſceret autoritas. Itaque opinionem injicit, tanquam non ſolum Procerum, ſed Liceſtrij quoque mandata ſperneret. Hanc ad formam cum & cætera eſſent, ubi tandem compertum ita deminutos commeatuum proventus, ut nec bellicæ parari naves, nec ſocij nautici ali, nec maris retineri imperium poſſet: puſillo adeo frumento è Septentrione advecto, ut magna annonæ caritas exiſteret: Liceſtrius dum in Britannici itineris (de quo pòſt dicemus) procinctu eſt, poteſtatem proceribus ac Senatui facit, ſi cenſerent, aliter eâ de re ſtatuendi. Igitur ſine morâ novum publicatur edictum, merces, bonaque, poſt promulgationem edicti adportata, tutò in omnia terrarum, Hiſpano non ſubditarum, deferri poſſe; modò vectigalia ſolvant, & ſiquid ultra publici oneris. Cæterùm excipi pulverem pyrium, nitratum ſalem, tormenta, & omne armamentorum genus. Caleto atque Emdæ, quamvis non hoſtilibus, quia tamen vicinæ terris eorum, ſtrictiores paullo conditiones præfinitæ. In hoſticum certas tantum merces tranſvehere permiſſum, gravi vectigali ſoluto; bello neceſſaria, frumentum, aliaque ejus generis omnino interdictum. Dein cum irruptionem in Flandriam hoſtis ſimularet, prohibitum qualiacumque cibaria Scaldim, Dieſam, aut Saſſum verſus, vel in Galliam cis Rothomagum devehere. Sub idem tempus Thomas Wilkeſius, qui Reginæ nomine in Senatu erat, urgere cœpit, ut mercatoribus nonnullis facultas fieret, decem mille vehes frumenti in Britanniam tranſportandi. Oſtendebat quoque commeandi beneficium à Liceſtrio, (tunc in Britannia morante) ac Senatu ſubſcriptum. Patres cum

cIↃ IↃ ob frumenti inopiam, cujus cauſsâ penes edictum Liceſtrij, plebes quere-
LXXXVI. retur, neceſſitate adacti, abnuerunt, adeo indignante Wilkeſio, ut ingratos in Reginam Liceſtriumque appellans, cujus literas atque autoritatem adſpernarentur, ne minis quidem abſtinuerit, dixeritque reddendam facti rationem. Nec multò poſt mercator acceſſit, eandem in ſententiam Reginæ literas afferens, haud dubie inſtinctu Wilkeſij. Quamobrem Hollandiæ Proceres conventu indicto, ſingulas urbium, quantum frumenti haberent, & quo carere poſſent, renuntiare juſſerunt. Compertum limitaneis urbibus ſexcentas vehes providendas, quam copiam ægre repertam, atque impenſo paratam pretio. Frumentum priore anno XL & V florenis emtum, nunc nonaginta & quinque venire: ita ut prævertendæ majori caritati, prohibendum quoque fuerit, vim decem vehium millibus minorem exportari. Novembri menſe Liceſtrius à Reginâ ad conventum regni (parlamentum nuncupant) per literas vocatur. Conventus is univerſalis erat, & ut mos Cancellariorum, qui indices Procerum regni ſequuntur, literæ ad omnes principes dantur, nullâ ægritudinis, abſentiæ, aut cujuſcumque impedimenti ratione habitâ. Licebat (ut pòſt compertum) Liceſtrio præfecturam Belgarum obtendere, quo minus accederet. Et poſtea dum ſecundam in Zelandiâ tempeſtatem præſtolatur, literis Reginæ (uti faſſus eſt, qui à ſecretis illi erat) poteſtas facta ei apud Belgas permanendi. Ille tamen iter parat, ſummoque ſtudio Mauritium pertrahere in Britanniam nitebatur, nunc regni delicias atque amœnitates oſtentando, nunc ſpem honorum apud Reginam ac principes Britannos. Cæterum ut præter ingenia juvenum, parum his moveri eum vidit, infenſus, promiſiſſe Mauritium ſibi ait. Unde metu orto, ne negata res irarum cauſſa foret, ſimulque diffidentiæ in Reginam ac Liceſtrium videretur, aptiſſimum habitum, ut procerum Hollandiæ poſtulata obtenderentur, ne Belgas, periculoſo adeo tempore Mauritius deſereret, quem, niſi veniâ impetratâ, ob juramenti vinculum abire non poſſe. Interea Northus, quique alij Liceſtrio intimi, ipſeque adeo Comes, infenſum ſe à Belgis diſcedere præ ſe fert: addunt indignè adeo ſe à Patribus habitos, ut haud facileredituri ſint. Jamque valeſcentes indies ij ſermones ad primariorum quoque virorum aures volvebantur; quâ de cauſſâ Liceſtrium, quo tempore in Senatu erat, Fœderati Proceres compellavere, dictitantes, haud ſine dolore auditos à ſe rumores illos: primoque fabulam, ac turbidorum hominum figmenta exiſtimaſſe. Cæterùm poſtquam ſimilia à viris primarijs, ipſique intimis hauſiſſent, negligenda non cenſuiſſe. Itaque rogare ſi imprudentes eum offendiſſent, ne diſſimularet, paratos, priuſquam diſcedat, in omnibus ſatisfacere. Quippe ſi vulgi in animos deſcendat, parum illum, parum Anglorum gentem ex dignitate habitam, nec poſtea reverſurum, magnopere multorum animos conſternatum iri. Etenim cum omnes omnium ſpes, poſt Numen, in ſolâ Reginâ Liceſtrioque ſitæ ſint, maximo omnibus dolori fore, ſi ſubito adeo ſuâ ſe ſpe deſtitutos videant. Ad ea in pleno conſeſſu Liceſtrius, adeo non infenſum ſe diſcedere ait, ut ſolam Belgarum utilitatem potiſſimam itineris ſui cauſſam faciat. Experiendo ſe didiciſſe, non ſatis ad Belgarum ſalutem eſſe exigua adeo auxilia: proinde omnino fixum ſibi, majora ab Regina obtinere. In omnibus ſibi à Fœderatis Patribus, à Belgarum populo ſatisfactum. Cætera falſo rumoribus vulgata. Deum ſe conteſtari (ſimul pectori dexteram alliſit) quæcumque nunc dixiſſet, vera eſſe. Grates à Patribus actæ; ſimul rogavere, ut diffuſos jam ubique rumores tollere, literaſque ad ſingulas nationes dare vellet, erigendis in ſpem animis, quîs eadem quæ nunc in conventu firmaſſet profiteretur. Non abnuit ille, deditque literas ad nationum omnium præfectos, magnifica de ſuo adverſum Belgas amore diſſerens.

Adjecit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Adjecit injurios in ſe eſſe, qui diverſum crederent. Proin necui imponatur, cIↄ Iↄ
velle ut præfecti ad ſingulas civitates literarum ſuarum exempla dimittant. LXXXVI.
Se anguſtijs temporis excluſum facere nequiſſe. Eandem in ſententiam
alteras quoque literas ſcripſit ad præpoſitos cuique nationi, dum contrario
vento in Zelandiâ attinetur. Nihilominus Heſſelus Ayſma Friſiorum præ-
ſes, & judicum è conſeſſu unus, Hagæ per id tempus morati, ſimul in Fri-
ſiam reverterunt, ejuſque argumenti literas à Liceſtrio miſſas comperere,
penitus diverſa ex ore ipſius accepiſſe, aſperatoque eum animo abire cui-
vis perſuaſere. Quâ re denuo Reformatorum bonorumque civium que-
relæ de Patribus accenſæ. Ante diſceſſum Liceſtrij diſpiciendum erat,
quis fiduciarium, eo abſente, imperium gereret. Mauritius Naſſovius,
quamvis adoleſcens, princeps Senatus aliquandiu fuerat, militibus ob pa-
ternam memoriam carus, & facilis ad accipienda aliorum conſilia. Hohen-
loium veterem militiæ, in proximo ſibi faſtigio Liceſtrius collocarat. Ni-
uenarius Geldriæ, Zutphaniæ, Tranſiſalanis atque Ultrajecto præfectus
erat, ac plurimum in ejus imperio molis, tanquam univerſo limitaneo, ho-
ſtibuſque contermino. Non erat animus Liceſtrio, quemquam horum de-
ligere, velut ſuæ gentis ducem cupienti: ex qua qui præcipui, ac genere
florentiſſimi (quales ob autoritatem gratiamque majorem cæteris præfe-
rendi) nullum belli uſum habebant. Cæterorum inferior ſors, quam ut ex-
ercitui, tot Principum Comitumque militiâ ſuperbo, præfici poſſent. Jo-
annes Noritius diutino in pedites Anglos imperio, & plurimis apud Belgas
ſtipendijs, tum belli, tum terrarum notitiam ſibi aliquam paraverat. Cæte-
rum averſus ab eo Liceſtrij animus, ut nunquam in caſtris ad Zutphaniam
ſuadentis conſilia admiſerit, in Standlæum atque Jorckum pronior. Poſtre-
mo Patribus Guilhelmum Pelhamum caſtris Anglorum præfectum, ac
Standlæum & Jorckum proponit, è quibus deligerent quem imperium ge-
rere vellent. Pelhamum modeſtia ac mira comitas morumque cultus com-
mendabat, tranſactaque ætas in exteris gentibus, imprimis aulâ Cæſaris, ac
bello Turcico. Nec Belgici ſermonis ignarus erat. Olim Hiberniam loco
Regis obtinuerat. Cæterum obſtabat paupertas tanta, ut compertum ſit
Reginæ uno eodemque tempore centena florenorum millia debuiſſe: à
qua paullo poſt bonis occupatis, præ mœrore, ut ſuſpicio eſt, Vliſſingæ fini-
vit. Standlæo & Jorcko ſors abjecta. Ille inſuper propalam ſacra Romana
profeſſus, & quondam in partibus Albani, tantæque cum Jorcko conſuetu-
dinis, ut ſuſpicione haud vacaret. Ob hæc cum immotum Patribus eſſet,
nulli horum imperium conferre, petiere, ut quemadmodum olim diſce-
dentes præfecti vicarium nullum conſtituere, ſed Senatui Reip. curam
relinquere adſueverant, qui Regis nomen ac ſigillum in omnibus decretis
uſurpabat; ita nunc quoque Senatus Liceſtrij vocabulo ſigilloque in cun-
ctis decretis uteretur. Idque prævaluit, & literas a. d. XXIV Novembris
Liceſtrius dedit, inque iis prædictam Senatui poteſtatem. Alijs Noritio
collatum imperium in Anglos. Paucis ante diſceſſum diebus Fœderatis
Proceribus à Liceſtrio propoſitum, an promti ad pacem forent, ſi Regina
conciliante impetrare poſſent. Cui Patres, deſperare ſe reſponderunt, poſ-
ſe ſuperſtite Philippo tolerabiles conditiones haberi: fraudis, ac periculi
plenum Belgis qualecumque de pace colloquium: eoque potius cogitan-
dum, qua ratione Hiſpani arma repellerent, quàm vana ſpe plebem ſedu-
cendam. Gratum id Liceſtrio, lubenterque audiviſſe affirmavit, quod non-
dum animo defeciſſent. Se nihil non pro Belgis tentaturum. Rogatus dein,
ut Reginam de capeſſendâ ſupremâ poteſtate permoveret, non deſuturum
teſtatus eſt. Simul decretum à Patribus factum, mittendos ad Reginam le-
gatos, in Britannia manſuros, qui ſimulatque promtam huc Reginam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXXVI. cognoviſſent (quod ſignificare legatis Liceſtrius recepit) Patres facerent certiores, quò honorâ legatione, à cunctis ſimul Fœderatis ad Reginam iretur. Ad ſextum & viceſimum Novembris diem Vliſſingam profectus Liceſtrius, duas hebdomadas tempeſtatem ſecundam exſpectavit, ubi dum hæret Veriæ præſidium à Mauritio avertit, cui ex hæreditate urbs ea ceſſerat. Tantum autoritas ac pollicitationes ejus apud militum præfectos valuere, ut perſuaderi ſibi paterentur, ſolius Reginæ ac Liceſtrij ſacramento ſe obſtrictos eſſe. Idemque perſuaſum Sonoio cum ſuis in Hollandia Boreali militibus, qui Gertrudenbergæ (ea urbs hæredum Arauſionenſis erat) dein Gorcomio, Naerdæ, Ultrajecto, Muidę alijſque oppidis præſidebant. Falſò tamen; neque enim in Reginæ verba militum ulli juraverant, cum principatum illa rejeciſſet. Solumque in verbis juramenti Reginæ mentio facta, ob titulum Liceſtrij, qui ſe Reginæ nomine Anglis militibus Præfectum nuncupabat. Per idem tempus Northi filius cum Thomâ Webbeſio, uno nobilium Liceſtrij, magnâque apud eum gratiâ, ſimultates exercebat. Eumque per communes amicos ſeductum, extra Vliſſingam deambulantem, quinque aut ſex famulorum ope comprehendit, ſcamnoque ſupinum alligavit. dein diductis naribus, & pollice utroque oculorum angulis inſerto, pupillas expreſſit. Webbeſius hunc in modum cruore fœdatus Liceſtrium adit, vindictamque poſtulat. Northus comparatâ fugâ, Brilam venit, inde in Britanniam tranſiturus. Cæterum à Dordrechtano prætore comprehenditur, rogatuſque ſuper eo Liceſtrius, dimitti jubet, adjecto, uterque Britannus cum foret, ultionem ad Reginam pertinere. Impune tamen ibi quoque Northus tulit. Webbeſius pupillas, quæ ori imminebant leniter in ſedes ſuas reduxit, viſumque, non tamen ſine diſcrimine, retinuit.

FINIS LIBRI V.

EVERARDI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

EVERARDI REIDANI

ANNALIVM LIBER SEXTVS.

BREVIARIUM LIBRI.

QUERUNTUR *Fœderati Proceres publicas pecunias prodigi: quos ex Angliâ aſperis literis Liceſtrius increpat. Illi ad purgationem ſui Buckenhorſtium Reginæ legatum de re totâ edocent. Standlæus, & Iorckus, hoſtium conſcientiæ impliciti, ille Daventriam, hic Zutphanienſe caſtellum, produnt: unde neceſſitas Patribus allata ordinandi regiminis: aperteque Liceſtrio demonſtrant, in quibus lapſus eſſet. Calumniæ in Patres diſperſæ à factione Liceſtrianâ. Ipſe per literas ſuarum partium hominibus queritur, de graviſſimis Patrum injuriis. Maurity literas effringit. Sonoius Medemblicâ Mauritium arcet. Vltrajecti, in Friſiâ, & paucis Hollandiæ locis, multitudo principatum iteratò Reginæ offerri vult, ac ſine exceptionibus. Quod apud Friſios imprimis Præſes Aiſma urget, quem divini verbi miniſtrorum complures ſequuntur, atque eo fine, ſuâ privatim autoritate, conventus agunt. Factio hæc, ſedem potiſſimum in Oſtergoâ habens, tanquam publicâ autoritate, ſub nomine Oſtergoæ, Weſtergoæ; Septemſylvanæ, atque urbium, legatos ad Reginam mittit, principatum oblaturos. Inſectatur Naſſovium, quòd legationis autor non fuiſſet. Hohenloius, palàm de Liceſtrio queſtus, cum eo redire in gratiam abnuit. Præſes Aiſma, ob literas ad Prouningium ſcriptas, ædibus ſuis coërceri jubetur. Donellus, autor ſeditioſi libelli, munere dimovetur. Parmenſis Fœderatorum diſcordias otioſus adſpectat. Buckenhorſtius, à Reginâ miſſus, contentionum cauſſas accuratè ex Patribus cognoſcit. Sermones de pace. Rantzovius à Daniæ Rege ad Hiſpanum pacis cauſâ miſſus, nec agnitus, à Fœderatorum milite capitur, ac dimittitur. Vnde infenſus Daniæ Rex Belgas in Codano ſinu XXX Imperialium millibus ſpoliat. Herbertus, Reginæ legatus, de pace Patres compellat. Legati à Patribus ad Reginam miſſi, qui eam diſſuaderent: idem Rex Navarræ, & Ioannes Caſimirus, faciunt. Egregiys argumentis comprobatur, pacem cum Hiſpano impiam, cruentam, ac fœdam eſſe. Britannici ac Parmenſis legati Oudenburgum atque Oſtendam inter congrediuntur. Antonius, Luſitaniæ Rex, veritus ne pax procederet, abitum ex Angliâ molitur. Parmenſi ſub colloquiy ſpecie quæſitum; ut ſecuram atque imprudentem Reginam opprimeret.*

Occoe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ LXXX VII.

OCCOEPERAT annus ſæculi decimi ſexti poſt octogeſimum ſeptimus, cum Fœderati Patres, poſtulatis paullo antè à Liceſtrio ac Senatu trecentis octoginta florenorum millibus, quantum ad ſtipendia militum requirebatur; omnino ſegnem ærarij curam, ac profuſe publicas profligari pecunias, demonſtrandum cenſuere. Cujus rei, ſi ſervatas terras ſuas vellent, aliam haberi rationem par erat. Igitur oſtendunt, ſolutas à ſe pecunias non tantùm prioris anni ſtipendijs, ſed inſuper colligendis bis mille Germanis equitibus ſuffeciſſe. Collata ab Hollandis, Zelandis, Ultrajectinis, Friſijſquè undetrigeſies centena florenorum millia: præter commeatuum fructus, præter emolumenta tributorum, quibus incendia ac populationes hoſtilis ager redimeret; præter captarum navium quæſtus, auxiliaque Reginæ. Equites non ſcriptos, tantum abeſſe ut ſtipendia ceperint. Militum cæteris decies centena florenorum millia minùs, quàm pro Patrum rationibus, annumerata. Nihilominus proventus penè omnes inutiliter effuſos. Argumento eſſe, quòd ne promiſſus quidem à Regina militum numerus, plenus haberetur: pro peditum quinque millibus, equitibus mille, numerari vix tria militum, equites ſexcentos. Multas præter hæc fraudes duplicatorum ſtipendiorum in rationibus Angli, ærario præpoſiti, reperiri. Nam ſuper auxilia Reginæ, aliquantum Britannici militis Patres ipſi ſcripſerant; cui dum utrimque in cenſum venit, quæſtui ſtipendia erant. Remediumque malo Patres quæſivere, dimiſſis, quos ipſi conduxerant, Anglis, quò eorum numero auxilia Reginæ ſupplerentur. Britanniam vixdum attigerat Liceſtrius, quum a. d. III Januarij, aſperis Patres literis increpuit. Materiem vagi, vulgoque jactati ſermones præbuerant, ab exploratoribus ad eum delati, cæterum adeo incerti omnes, ut diſcordiæ ſemina ſtudio eum captare, omnes judicarent. Querebatur, *abſentem ſe à Patribus differri, tanquam ſuâ culpâ diſceſſuris à mutuo fœdere Belgis. Quod Quæſtorem Friſijs dediſſet, Vltrajecti conſulatum Prouningio: apud Brabantos Quæſtori munus ſuum propagaſſet.* Eaque accurate ſingula refutabat, haud ſecus, quam ſi objecta à Patribus forent. Adjecerat poſtremò, *non teneri ſe rationem eorum reddere. Sed eſſe in Patrum conſeſſu nonnullos, qui trahere cuncta pro ſuâ lubidine vellent; his omnia, quorum autores ipſi non fuiſſent, improbari; hos alienis ſe curis interponere. Rogare ſe Patres, ne leves adeo ob cauſſas Remp. in caſum dent. Obteſtari ſe miſſas facerent ejuſmodi nugas, curaſque intenderent, miſero populo ex eorum manibus eripiendo, qui non evertere ſolum Remp. ſed facultates etiam, fortunaſque omnes adimere conarentur. Quorum ſub imperio non tantùm abſcedendum à regimine, ſed & poſſeſſiones, & domus, & quicquid talium ultrà, relinquenda forent. Vitarent ingrati animi notam, neu falſo in abſentem eum crimina ferrent, qui ſe, qui omnia ſua, pro commodis eorum periculis objectare haud dubitaſſet. Miſerarentur oppreſſam plebem, nec privatis ſtudijs ac factionibus tantùm tribuerent, ut pernicie ſuâ pœnas luant Fæderati. Supervacue illos à Reginâ, aut legato ejus, libertati ſuæ metuere. Hactenus ſe conſilijs, factis, non alio tetendiſſe, quàm permovendæ Reginæ, ut majora pro Belgarum rebus præſtaret. Nulla eorum, quæcumque obveniſſent ſibi, tanta putaſſe, ut queſtus cieret: non tamen defuiſſe materiem. Eandemque in ſententiam duraturum, niſi eorum inhumanitate ad diverſa conſilia impellatur: neque enim gratas ſibi quorundam obtrectationes, ac vereri ne magna quondam Belgis hinc incommoda proveniant.* Conſternati his literis Patres, fugiendis contentionibus nihil reſponderunt. Quippe ſemper alieni à rixis, quæ pertinere publicè ad terrarum ſalutem videbantur, apertè propoſuerant. Quamobrem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

obrem legatis etiam, haud multò pòſt, alias ob cauſſas, in Britanniam euntibus, imperatum, benignâ ac miti oratione, quàm maxime poſſent, curatè cIↃIↃ
de cunctis Liceſtrium edocere. Etenim Friſiæ Brabantiæque Quæſtorum, LXXX
& Prouningij conſulis negotium, infra contentionum eſſe pretium exiſti- VII.
mabant; tanquam querelarum, ſi huc proni fuiſſent, cauſſis alijs, & gravioribus haud deſtituti. Ut poſt uſu venit, quum novâ indies, atque in majus auctâ talium mole, abruptâ patientiâ rem, ut erat, totam, apertè, omnique ſimulatione depoſitâ, Reginæ ac Liceſtrio per literas expoſuere: metu, ne in Angliâ legatis, offenſæ timore, minus libertatis aut conſtantiæ eſſet. Etenim jam huc deductæ res erant, ut ipſe Liceſtrius aut conſultò lites ſpargere, aut conſcientiâ mali prævertere aliorum querelis velle videretur. Cæterùm hæc priuſquam ulterius perſequamur, viſum pauca de jam dictis Liceſtrij literis præmittere. Quam rem, & quid reſponderent Patres, inſtanter Buckenhorſtius, Reginæ legatus, aperiri petijt. Apud eum igitur Patres, *Liceſtrium, quamvis ſæpius monitum, nimium aſſentatoribus tribuiſſe, nec aurem ab eo proceribus & accuſatis reſervatam, aut ullum cognoſcendi ſpatium relictum. Teſtari ſe famam, teſtari honorem ſuum, nunquam in conventu ſuo, nunquam extra eum, nec publice aut privatim, ullum eam in mentem verbum audiviſſe, unde metus eſſet, Fœderatos à communi vinculo ſive ob allatas à Liceſtrio cauſſas, aut alias quaſcumque, diſceſſuros; multo chariorem ijs ſalutem ſuam. Documento conſtantiam eſſe, cujus invidos nonnullos, poſtquam frangere nequidquam conati ſint, alienare nunc Reginæ animum velle. Miraculo ſibi, dicere Liceſtrium non teneri ſe rationem reddere: gnarum illi, à quibus poteſtatem acceperit. Injuriâ objici, quòd alter ſe alterius muneribus interponerent, tanquam ſuorum neſcij. Paratos rationem reddere omnium quæcumque egiſſent, ſcire etiam probaturos eos, à quibus ſibi imperaretur. Perſuaſum quoque habere honeſtos ſe & ejus experientiæ viros eſſe, ut merito dicere, aut oſtendere nullus poſſit, muneris aut juramenti limites uſquam exuiſſe. Gravem contumeliam hanc, quòd Patrum legatos trahere in ſe publica munia dicat. Pleroſque ex illis ſolo in patriam amore, nonnullos quoque coactos ad Remp. acceſſiſſe. Paratos omnes, ſi Liceſtrio videatur, ob utilitatem publicam à muneribus abſiſtere. Nec ingrati eos animi accuſari poſſe, quando & muneris & juramenti rationem in cunctis habeant.* Hæc ac talia Patres: at poſt diſceſſum Liceſtrij Standlæus & Jorckus magnam cum hoſte conſuetudinem habere cœperant. Quorum hic Johanni Baptiſtæ Taxio, Zutphaniæ præfecto, ſæpius lepores, ac ferinam mittebat dono. Is viciſſim muſto remunerabatur, quod ægrè per hiberna Hiſpanorum ad Fœderatos deferri poterat. Prætextus exiguæ adeo humanitatis, tuto aliàs, ac ſine damno publici inter hoſtes uſurpatæ, occultos quoque nuncios tegebat. Retulitque captivorum unus magiſtratui Arnhemenſi, Zutphaniæ ſe apud Taxium vidiſſe, quem vigilijs Standlæus præfecerat: ij Daventrienſibus ſignificarunt. Ubi monitus à conſulibus Standlæus, vigilibus præpoſitum in vincula dat, paulloque pòſt, non habitâ quæſtione, dimittit. Erantque eandem ad formam cætera. Impune quidvis Hibernis in cives licere. Ita ut animus Standlæo videretur, multiplicatis injurijs ad iram impellere civitatem, quo ſumtis ad defenſionem armis, ortoque inter militem ac cives diſſidio, perſuaſum finitimi haberent, non proditione, ſed caſu urbem in manus hoſtium delapſam. Civibus verò non aliud adverſus ea remedium erat, quam ut Fœderatis Patribus, ac Senatui, intolerabilem eorum violentiam, facinorumque cætera exponerent. Quorum haud è minimis, quòd Pontificiorum amplexi ſacra, Zutphaniam, hoſtilem urbem, celebrandis ijs ſæpius adirent, ubi liberaliter à Taxio habebantur. Multos id civium mutare ſedes compulit, quibus poſtulatum, ut aut præſidio univerſi abirent, aut nonnullæ ſaltem centuriæ avellerentur. Patres cum Noritio, qui Britannis

CIↃ IↃ LXXX VII. præcellebat, re deliberatâ, Standlæo ac Hibernis ex urbe dimovendis operam, ſed nequidquam, dederunt. Quippe ille Noritij literas, quas ut acceptâ in omnes Britannos à Liceſtrio poteſtate, ſcripſerat, ludibrio habuit, protulitque alias à Comite, quæ nullius imperio obnoxium eum teſtabantur. Nec multo ante Gulpinus, Liceſtrio à ſecretis, libellum tradiderat, quem à Liceſtrio, ubi occaſio eſſet, tradere ſe juſſum affirmabat. Eo potiſſima rerum, de mutandis præſidijs, creandis, atque exauctorandis Centurionibus, militumque præfectis, integra ſibi retinuerat Liceſtrius, prohibito Senatu, quicquam eorum movere. Quartâ & viceſimâ Novembris, die eâdem quâ Senatui regiminis curam tradiderat, libellus is à Liceſtrio ſcriptus. Unde mirari ſubijt, datam ante poteſtatem, nunc adimi; imprimis in rerum graviſſimis, maximique ad Remp. momenti: quarum ope perfidum Standlæi propoſitum frangere, ac Daventriam ſervare potuiſſent. Itaque literis ab eodem homine, eâdem die, illis in Senatu, his privatim perſcriptis (poſt compertum à Brakelio Toparcha conceptas) angi Senatus, & quam in partem caperet ambigere. Dumque ita incerti aguntur, jamque imminentia pericula, haud ſine dolore, prævident; ipſi contra tendere invalidi, cognoſcunt Standlæum (quippe ſuſpectum ſe gnarus, conſulendi & occaſionis properus erat) a. d. XIX Januarij, juxta veterem ſupputationem, cum equitum nonnullis, noctu, tanquam inſidijs hoſti ſtruendis, urbe digreſſum, poſtridie, ſub horam ſextam, nondum diſpulsâ nocte, Taxium Zutphaniæ præfectum, militemque hoſtilem, in urbem perduxiſſe. Turrim Norimbergiam, molem amplam, ac rotundâ ſitam formâ, atque atriorum numero opportunam, trecenti, eo jubente, Hiberni inſederant; ſub ſpecie, oneris parte civitatem ſublevandi; cæterùm ut porta eſſet in poteſtate. Senſerantque dolum nonnulli, ſed dementiæ fuiſſet negare ei turrim, qui cogere vi poterat. His tot tantiſque incommodis diverſi circa ſacra civium animi accedebant. Ne ipſis quidem Reformatis mens eadem. Nonnulli, quidvis boni ſperantes, nihil mali rumoris aut ſiniſtræ auditionis accipere: quin ſi proditionem aliqui præſentirent, infenſi eſſe, atque arrogantes appellare, qui in peius omnia raperent, eoq́; & avertere animos, & Standlæum, quamvis bonum, ad iram tamen poſtremo compulſuros. Eâ, quæ proditionem anteceſſit nocte, civium prudentiores, clam domi excubantes, &, ſiquid moveretur, in armis promti ſtetere. Non latere id proditorem potuit, ſi unquam, ſane id tempus, quietis, ſomnique expertem. Igitur poſterâ die appellato magiſtratu, falſo civium nonnullos ſiniſtrum de ſe judicium facere queritur. Simul exquiſitiore oratione, ſuam extollere fidem cœpit. Creditaque à magiſtratus res eſt, qui civium imperitiam excuſatum iere. Dein epulis à Standlæo adhibiti maximam inter pocula voluntatis ſignificationem & promiſſa faciunt, de ejiciendâ ex animis omni ſuſpicione. At ſecutâ nocte omnem magiſtratibus dubitationem Standlæus exemit; inducto in urbem Taxio, ac milite hoſtili. Jamque inſtructo agmine forum urbis majus occuparant, nondum tamen fides facta magiſtratibus, certo perſuaſis, plures Hibernos, muniendi ſui cauſsâ, Standlæum acciviſſe. Manſitque opinio, donec miſſu eorum oppidanus centurio in forum venit. Quo viſo Standlæus, obviam pergit, bonoque eſſe animo hortatur: etenim nulli nocitum iri. Manu dein prehenſum per mediam aciem ad tertium uſque ordinem perducit, appellatoque Taxio, amicum ſuum eſſe monet, & rogare ſe eum, ut ſuæ curæ eſſe velit. At centurio ut nomen Taxij audivit, indignationis plenus, *quid*, inquit, *ergone doloſè adeo proditi ſumus?* Tum Taxius, præſente Standlæo (nec intellexiſſe mentem dubitari poteſt) nequaquam ſuum, ſed autoris eſſe ait, rationem facti reddere. Se Regi, domino ſuo, ſervire. Mox apprehensâ centurionis dexterâ rogat, ut convocare magiſtra-

tus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

tus velit, nemini à ſe damnum fore. Sed eorum nonnulli, ſimulatque de CIↃ IↃ
hoſte compertum, urbe exceſſerant. Cæteri Taxium ac Standlæum priva- LXXX
tis in ædibus adeunt: quis ſuâ ſponte aggregant ſe nonnulli, olim magiſtratu VII.
functi, nunc novarum rerum cupidi. His benignè ſalutatis, Taxius cauſſas conveniendi recenſiturum Standlæum ait. Et ille, per interpretem, defenſionem hunc in modum orditur. *Conſcientiâ impulſum ſe Regi urbem tradidiſſe, cujus divinâ voluntate propria eſſet. Nec munera, aut dignitates, ſed ſola Servatoris verba ſpectaviſſe, jubentis, & Numini, & Cæſari, ſuum cuique tribui.* Hæc cum hæſitabundus, trepidoque ac lapſanti ſermone proferret, manifeſto indicio animi ſibi male conſcij, Taxius, poſtquam munerum ab eo facta mentio eſt, interpellat, agendum de aſſignandis militi hoſpitijs dictitans. Ii inſtructo hactenus agmine in foro conſtiterant, & à præfectis in officio continebantur, licet nullam partem noctis intermiſſo itinere fatigati, accedente inclementiâ cœli, denſiſque imbribus delapſis. Sub meridiem civium in ædes diſtribuuntur, temperatumque ab omni injuriâ: ne vim quidem militum auro redimere opus fuit. Soli Hiberni, urbis defenſioni ſacramento obſtricti, in ædium nonnullas irrumpentes, juſſu Taxij, laqueo protervíæ pœnas dedêre. Adjiciebat purgandi ſui cauſsâ Standlæus, nunquam ſe juraſſe in verba Patrum Fœderatorum (quos nebulones, præſente ac tolerante Liceſtrio, appellare, ſolenne illi & Jorcko erat) nec obſequium ijs, ſed ſoli Liceſtrio debere. Non occurrebat ad animum ei, quoties ſtipendia Patres flagitaſſet, & noviſſimè impetraviſſet: in quos perfidia ejuſmodi, quamvis nullo dicto ſacramento, nonniſi proditionis appellari nomine poterat. Juramento quoque ſolutum ſe à Liceſtrio teſtificatus, promſit literas membranæ ab eo inſcriptas, eodem tempore, quo præfecturam obtinuerat. His gratias illi pro meritis agens Liceſtrius, apertè adſeverabat, ſacramento ſe eum ſolvere, & poteſtatem facere iter, quocunque lubitum, faciendi. Velle etiam, ut pro viribus quiſque ſuis neceſſaria ei ſuppeditet, & quo velit ire liberum patiatur. Hæc quo conſilio ſcripta à Liceſtrio ſint, & perſuaſeritne ei Standlæus, poſſe ſe ob conſuetudinem cum adverſarum partium ducibus communi quondam militiâ contractam, decipere eos, ſi talibus literis transfugium ſimularet, an quid aliud latuerit, haud pro comperto habemus. Illud certum, uſurpatas à Standlæo, excuſando facinori. Hunc in modum Daventria, celebris urbs, & multorum judicio poſt Antverpiam atque Amſtelodamum, potiſſimum totius Belgicæ emporium, in hoſtium poteſtatem venit. Decennium à civibus ſuis, abſque præſidij, abſque militum ope, diligentiùs, quam ulla cæterarum urbium cuſtodita. In uno ſemper infelix, quod nunquam immunem à Pontificijs, & occultè Hiſpano faventibus, magiſtratum habuit. Dederantque malo cauſſam ipſi, dum eximij venerationis adverſum rectores, nunquam in abrogandis nonnullis receptum morem mutavere, ut factum neceſſariò à finitimis civitatibus erat; ſed ſuetum ſequi ordinem, ac dilectus formam voluere, quâ re perpetuo ſequiores aliqui irrepebant. Non tamen civium hæc negligentia cum Liceſtrij errore comparanda, qui, haud excuſandâ culpâ, ut civium ſecuritati adverſus quoſdam in magiſtratu Pontificios conſuleret, præfectum ejuſdem religionis urbi impoſuit, eique univerſam curam. Quippe Pontificij vix damni dare quidquam poterant, ſine autoritate, ob ſuſpicionem, ſine viribus, ob ſuffragia bonorum, qui numero ſuperabant. Pari ratione nulla in Rolando Jorcko excuſatio, quem olim proditorem, celebri adeo caſtello præpoſuit, quod ſub idem tempus hoſtibus ab eo traditum. Fuere & magni quondam duces proditorum perfidiâ circumventi, ſed bis decipi ab eodem inexcuſabile. Hæc, ut exempla ad poſteros, fuſius retulimus. Dignus quoque memoriâ amborum exitus: neque enim diu credita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ LXXXVII. Standlæo Daventria, ſed cum Hibernis urbe excedere juſſus. Pòſt in Hiſpaniâ viventem, & miſerâ ſorte, Belgarum nautæ vidiſſe teſtabantur. Hinc in Belgicam reverſo, vix conceſſum in Hibernos ſuos imperium; qui ſenſim diſtracti, alijs centurijs miſcebantur. Ipſe nonnullis Walonum centurijs præfectus. Jorckus, ut de convivio Daventriæ exierat, in morbum delapſus, extinguitur. Fratrem ejus, qui de veneno, ſeque ulturum aiebat, quidam ex Hermanni Bergenſis domeſticis è medio ſuſtulit. Sæpe Liceſtrius opulentum Standlæum, annuaque decem florenorum millia habere in bonis jactaverat, quo non ambigendum de fide ejus oſtenderet, qui tantarum in Britanniâ facultatum facere jacturam poſſet. Suffeciſſent opes eæ miſeris Daventrienſibus, qui domo, fortunis omnibus, ac mercaturâ exuti, tolerare ijs exilij tempore inopiam potuiſſent. Itaque rati, haudquaquam Reginam, egentium miſericordiâ id auxilij denegaturam, quando nullo ſuo impendio, de proditoris ipſius facultatibus præſtare poterat, duos inſignes pietate viros, è magiſtratu unum, alterum divini verbi præconem, Londinum impetrandis Standlæi bonis misêre. Cæterum ij ne obtento quidem ut audirentur, poſt paucas hebdomadas, re deſperatâ domum reverterunt. Ipſe Walſingamus, qui ab arcanis Reginæ erat, non lectas eorum literas faſſus eſt. Et videbatur, fœdum adeo Britanni flagitium, diſſimulare apud Reginam Senatus velle. Etenim publicè in eo Belgarum legatis objectum, Britannos, qui eorum in terris militarent, Patrum incuriâ ad extremam delapſos famem, ita ut omnis ſpei egenos auxilium ab hoſtibus petere neceſſitas compulerit. Quibus verbis excuſatum quodammodo Standlæi facinus ibant. Sed animosè ab legatis reſponſum eſt, Standlæum non egeſtate (etenim paullo ante à pecuniâ, à veſte illi, à commeatu proſpectum urbi fuiſſe) verum perfidiâ hoſti Daventriam prodidiſſe. Britannos ægros, per oppida à Patribus diſtributos, benigneque habitos, ubi convaluiſſent, dato ære ad ſigna remiſſos eſſe. Cæterùm fuiſſe qui emendicatâ ſtipe, quàm ſub ſignis vivere mallent, taliumque extinctos nonnullos, quos aureos aliquot Anglicos veſtibus inſeruiſſe compertum ſit. Standlæo, priuſquam Daventriam proderet, erat quoque conſcientia cum alijs gentilium. In quîs vicarius Willugbeij Bergis ad Zomam præpoſiti; quo in Angliam profecto, ſumma imperij ille tenebat. Arnhemi quoque implicatus conſilijs ejus Britannorum turmæ vexillarius, abſente in Angliâ præfecto. Pluresne conſpirarint in incerto; hi, quos diximus, duo, detecti ſunt. Bergis ad Zomam adventu ſuo Morganus ſalutem attulit. Signifer Arhemenſis, inferiorem ſe videns, quam ut prodere urbem poſſet, cum turmâ ſuâ digreſſus, Daventriam, eodem mane quo prodita, equites ſuos adduxit, neſcios jam hoſtile oppidum eſſe: cumque in verba Hiſpani adigere vellet, recuſantes ademtis armis & equis dimiſit. At Patres gravi hâc jacturâ triſtes, nec leviorum alijs in urbibus metu, dum invalidos ſe prohibendo advertunt, universâ principatus vi à Liceſtrio magiſtratibus præreptâ (quæ ſola culpa amiſſæ Daventriæ) omnino plus ſibi autoritatis parandum cenſuêre. Nec viſum Liceſtrij reditum exſpectare, haud facilè hyberno mari tantâ celeritate tranſmiſſuri, &, pleriſque amicorum jactantibus, nunquam reverſurum. Tanto id æquiùs fecere, quod non aliorum ex legibus Reip. cura, ac de ſummis rebus pro tempore, pro neceſſitate, ſtatuendi poteſtas. Poſtquam enim deſtituto Rege principatus vacabat, jus omne ad nationes ſingulas, earumque proceres redierat. Igitur decreto ſanciunt, ut cuique nationi præfectis, in majores minoreſque militum duces, qui eidem terræ præſiderent, imperium eſſet. Nec rata mandata, aut codicillos, niſi, quibus juxta veterem regiminis formam, nomen illi ſubſcripſiſſent. Locis nonnullis, ubi ex uſu viſum, curatores militares poſuere, Haſſeleti, & vicinis tractibus Hogeſaxius

gesaxius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

geſaxius Dynaſta adminiſtrare juſſus. Gorcomi Philippus Naſſovius: dimoto Cleerhagio, quod præter leges, vitioque creatus, ſua inſuper à proceribus, præfectoque Hollandiæ alienaret. His confectis, non immemores officij ſui eſſe, hoc rerum ſtatu, apertè ac liberè Liceſtrio (eâ tamen quâ par erat reverentiâ) demonſtrare, in quibus pravorum hominum impulſu, lapſus eſſet, ac depoſito offenſæ metu monere, ut malorum conſiliorum fructum expertus, ad ſaniora deinceps flecteret, quartâ Februarij die anni LXXXVII prolixas ad eum literas dedere: hujus maximè argumenti. *Quâ fiduciâ, quàm ſinceris animis à Belgarum populo exceptus, inque imperio collocatus foret, memoratu ſupervacuum eſſe. Quam poteſtatem etſi ita temperari optaſſent, ut ſimul inde & terrarum ſaluti, & faſtigio ejus conſuleretur, tamen, cùm majora eum petere vidiſſent, conſilia pro lubidine ejus iniiſſe: licet jam tum prudentes, occaſionem hinc ambitioſis, & inquietis hominibus, commodo privatim ſuo, terrarum ſaluti, ejuſque dignitati noxia, conſulendi. Ab his primarios, ab his fidiſſimos patriæ cives, ipſos denique Patres in ſuſpicionem adductos: tanquam nullam viam ad adipiſcenda, quæ molirentur, videntibus, ſi conſilia cum Patribus ſociaret. Horum ſuaſu rerum graviſſima in ſecretiori eum concilio pertractaſſe, ſpretis proceribus, quamvis ſalubria monentibus. Ex eo Conſilio primam originem contentionibus inter eum ac Patres, de cudendo duplici Roſato nobili, pondere juſtâque æſtimatione, duobus florenis deteriore quàm receptus monetæ ordo pateretur. Potuiſſe inde centena aliquot florenorum millia in uſum Reip. verti: cæterùm ea ſe credere privatis ceſſiſſe, & reductâ paullo pòſt ad antiquum pretium monetâ, deceſſiſſe publico. Eodem ex Conſilio exitiabile illud edictum proveniſſe, de intermittendâ navigatione, atque exportatione mercium, unde potiſſima Belgarum ſtarent. Hoſti exiguum illas momentum; terris ſuis tantum adferre utilitatis potuiſſe, ut contractis copijs hoſtem profligare potuerint.* (Ipſeque id verum fatebatur Liceſtrius, ſi ad condictum tempus ſæpius memorata Germanorum duo millia præſto fuiſſent. Et ſcripſerat jam Martio menſe eum ſe in uſum ducenta florenorum millia extra ordinem coacta habuiſſe.) *Igitur paratâ Fœderatorum pecuniâ, promtis itineri equitibus, non occurrere ad animum ſibi, quâ perfidiâ conſumtæ pecuniæ, equites dilapſi, Belgæque inani ſpe lactati forent. Quamdiu imperio ipſe præfuiſſet, nunquam recenſita auxilia Reginæ, equiteſque mille, quorum ſtipendia à duodecimâ Novembris die cœperint, toto trimeſtri poſt imparatos fuiſſe. Aliàs quoque inutiliter profuſa Reginæ ſtipendia, aliàs parum proceſſiſſe, ut militum multi, civibus ac agreſtibus graves, victum ab his neceſſario petierint. Nunquam vitioſè æquè Belgis ſoluta ſtipendia, nunquam graviora tributa ac vectigalia imperata, aut majoribus ſtudijs collata. Fictæ probitatis homines, propenſos in Hiſpanum, contra terrarum leges, ac libertatem, ad maximum autoritatis & gratiæ locum perductos. Ab his magiſtratus, qui legibus præeſſent, non tantum in ſuſpicionem, in contemtum adductos: ſed comprehenſos, ſed indictâ cauſâ, inauditos, atque indefenſos, exilio multatos. Nec puditum eoſdem Remp. & priſtinam regiminis formam in dubium devocare; proceres, magiſtratus, nobiles, atque urbes præſente Liceſtrio onerare calumnijs, tanquam unicè cupidos, nationes atque oppida inter ſe committere, & privatos homines exſtimulare, ut Remp. cujus imperiti ſint, invadant, ac principatum Reginæ deferant. Adverſus pactiones cum Reginâ, quod unum hactenus fuiſſet, divulſum imperium: noviſque præfectis, his qui ex legibus præeſſent, ſuam poteſtatem ſubtrahi, eumque in modum, terras pro paucorum lubidine regi, qui vel neſcij Reip. ſint, vel hoſtes. Vrbes, caſtellaque limitanea eorum credita fidei, qui juſtis de cauſſis & ante proditores habiti fuiſſent, & nunc haberentur. Tantum ijs à Liceſtrio tributum, ut ſuam interponere fidem pro illis non dubitârit. Alios proditionis publicè convictos, judicum ſententiæ ſupplicioque exemtos, ſolùm quia diffideret proceribus: ſeduloque deſignatos ante homines hâc*

CIↃ IↃ LXXXVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ *in opinione eum confirmaſſe, ut ejus à Patribus, Britannorum à cæteris ducibus*
LXXX *animos averterent. Horum impulſu factum, ut placitum de adminiſtrandâ Rep.*
VII. *quod re cum Senatu deliberatâ ratum voluiſſet, quartâque & viceſimâ Novembris die ſuâ manu confirmaſſet, privatim abrogaret, literaſque diverſam in ſententiam ſcriberet. Quarum autoritate Standlæum & Iorckum proditionem molientes, non magiſtratum, non imperia ulla audiviſſe, quamvis Fœderatorum ſtipendijs & commeatu ſuſtentatos. Omnia tamen hæc, licet adverſandi cauſſas haberent juſtiſſimas, & officio adſtringerentur, idemque adverſum Principes indigenas à majoribus, ſuis factitatum memoria tenerent, omiſiſſe, ne autoritatem ejus (maximum rerum ſuarum momentum) deminuerent; ſperantes ſuo monitu, dein experiendo edoctum, tandem ſaniora ſecuturum. Cæterùm quando ſine imperio ſtare res Belgarum non poſſent, cordi negotium habuiſſe, omniaque pro neceſſitate à ſe diſpoſita. Quæ quia præter opinionem ejus geſta ſcirent, ſignificanda putâſſe, ac rogare, ut deinceps Belgarum cauſſam agere apud Reginam velit, quò ſeveriore, quàm hactenus diſciplinâ, auxiliarij coërcerentur, ſtipendiaque certius procederent. Orare etiam, ut pecuniam, ſubſidio rebus ſuis, à Reginâ impetret, quò collapſa reſtitui poſſint. Se quidem in eo quod conveniſſet, ſanctiſſimè manſuros. Ad ultimum petere, ut milites omnes, exceptis præſidijs urbium, quas pignori Regina haberet, parêre ducibus à Senatu Patribuſque delectis juberet.* Literas eas, priuſquam mitterentur in Senatu lectas, præ cæteris Thomas Wilkeſius, qui Reginæ nomine in Senatu erat, & probavit, & neceſſarias autumans, copiam ſibi fieri petijt, atque ad ſupremum fiſci in Anglia præfectum tranſmiſit; cujus viri conſilia, ob ætatem, ſummamque experientiam (alioqui humilis ortu) magni Regina faciebat; unde acris inter eum Liceſtriumque æmulatio. Apud plebem de literis diſſimulatum, ne exiſtimationi Liceſtrij quidquam derogaretur. Cæterùm ipſius adſeclæ tranſmiſſa è Britanniâ exempla in vulgus diſperſere, ſpe odij in Patres. huic perſuaſum, vana tantum mendacia & obtrectationes eſſe, quæcunque de Liceſtrio ferrentur; adeoque ijs acerbatum illum, ut non Belgarum tantùm curam ipſe depoſiturus, ſed forſan quoque animum Reginæ alienaturus ſit. Nocuit utrimque ea res: namque & Liceſtrij negligentia cuivis in ore eſſe, & plebes differendi materiem nacta, ſupra modum fremere; unoquoque pro ſuo judicio rem accipiente; plerique, & imperitior quiſque, Patres incuſare, arroganter eos facere, nec ſuperiorem pati, ſed ſuâ in manu Remp. eſſe velle. Contrà prudentiores omnes, & meliores, omnino neceſſarias cenſere literas, ſeductumque malo conſilio Liceſtrium, non niſi liberè apertèque monitum revocari ad ſaniora potuiſſe. Ille ſanè ex eo propalam Patribus infeſtus, &, occultis antè ſimultatibus, jam publicè plebem in proceres concitare, exitiumque ipſis moliri. Thomas Wilkeſius, cui antè impensè adeo probatæ Patrum literæ, jam rurſus captare favorem Liceſtrij, varijſque rationibus oſtendere nitebatur, nihil imperij aut juris, penes Patres eſſe. Quippe ſi ulla ſit poteſtas, plebem habere. Temere itaque Patres Liceſtrij ſe officio interpoſuiſſe, ac alienâ uſos poteſtate in legendis abſente eo præfectis, & nonnullis edictis ejus abrogandis, in renovando, mutandoque ſacramento militari, denique in decretis de ſummis rebus faciendis. Tradiditque Fœderatis Patribus, ac Senatui, hanc in mentem libellum. Circa idem tempus conventus procerum Angliæ habitus. Qui Reginam ad capeſſendum Belgarum principatum, bellumque adverſus Hiſpanos hortati, præter ſueta onerum ac vectigalium, quæ penderent, duodena peditum, equitum quatuor, tria ſe foſſorum millia alituros recepere, donec finis bello imponeretur. At Regina, gratijs actis, cauſſas graves in morâ eſſe reſpondit, quò minus oblata acciperet. Vix id evenerat, cum illico à Reingoutij factione apud Belgas differtur, Reginam peditum millia XVIII cogere, primoque

vere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

vere ſubmittere Belgis promtam, ob audaces Patrum ad Liceſtrium literas, animum mutaviſſe. Etiam quæ oblata certis legibus, atque ab Reginâ rejecta erant, accepiſſe eam fingunt, adducendis in odium ac pericula Patribus. Adjiciunt deinde, nequaquam, ut ardentibus adeo votis populus exoptaſſet, feriò à Patribus delatum Reginæ imperium, ſed fraudulenter ubique actum. Tot quippe cautiones interpoſitas, ut non conſenſuram certi eſſent. Omnia hæc ambitione facta, quando in regimine ipſi eſſe cupiant. Eam in mentem ſcriptæ quoque literæ a. d. x Martij, tanquam ex aulâ Reginæ, quarum complura exempla, ſuppreſſo autoris nomine, circumferebantur. His, præter memoratas ſuprà calumnias, ingrati in Reginam Liceſtriumque proceres nuncupabantur. Additum, *ſparſam ipſorum artibus famam, ingentem auri vim in Britanniam deportaviſſe Liceſtrium; licet gnaris, proventus menſtruos, ducenta florenorum millia, in belli neceſſitates, erogata. Quin & ipſum Comitem, ſtipendio fraudatum, ducenta quinquaginta florenorum millia de ſuis privatim bonis conſumſiſſe. Quicumque è Belgicâ venirent referre de indignitatibus, quas Angli paterentur, quàm omnibus deſpectui, quàm ſuſpecti inviſique ſint, actumque eſſe de univerſo eorum nomine apud Fœderatos delendo. Miſſa ad Reginam exempla literarum, quîs de Liceſtrio quererentur Patres, tanquam de induſtriâ eum ſuâ apud Reginam gratiâ dejicere niterentur. Deplorandum eſſe Fœderatorum res ab ipſis rectoribus præcipites in caſum dari. Reginam tamen Liceſtriumque in pronâ voluntate perſeverare, ſolâ egenæ plebis miſericordiâ, quam iniquum ſit, luere delicta Patrum. Nec paſſuros eos, ob ingratos paucorum animos, univerſas terras, & ſacra Numinis peſſum dari.* His ac talibus multi antiquâ ſimplicitate homines, plerique Reformati, tantùm doloris, tantùm in Patres iræ conceperunt, ut ad ſeditionem ſolus dux deeſſe videretur. Ipſe Liceſtrius utendum animis, dum irâ æſtuarent, ratus, Ultrajectum ad ſuos ſcripſit: *Quanquam, varijs in ſe Patrum injurijs, ſatis cauſſæ haberet Belgarum à ſe curam rejiciendi, innocentis tamen populi miſertum redire decreviſſe, operamque renovare, eripiendæ exitio jamjam perituræ Eccleſiæ.* Eæ literæ, & quæcumque concitandæ plebi idonea, in vulgus diſperſa. In Hollandiâ duos à ſecretis ſibi tanquam rerum ſuarum actores, reliquerat Liceſtrius Hottomannum, ac Junium, ſignificandis quæcumque apud Belgas gererentur. Ii, quippe juvenes, & Reip. rudes (imprimis Hottomannus, natione Gallus, ac Belgici ſermonis ignarus) cùm nihil de Rep. aut de adminiſtratione ejus certi perſcribere poſſent, jactatos in circulis vulgi vocibus ſermones, aut ſiqua alia improbi homines ſuggeſſerant, mirum in modum aggerata, dum affingunt ipſi quod res poſcere videretur, ad eum deferebant. Paulloque deteriori Anglorum mentione, inter pocula, aut in contubernijs habitâ, confeſtim Londini id conſtabat, fuitque inter cætera objectum Patribus, quòd paſſim apud omnes ſummam in contemtionem, ſummumque ludibrium adducere Britannos contendiſſent. Fortè congruerat, ut Arauſionenſes legatos ad Principem Mauritium mitterent, queſturos de novis oneribus, à Galliarum Regis in Delphinatu præfecto impoſitis. Iis prohibendis datæ à Mauritio ad Galliarum Regem literæ: datæ ejuſdem argumenti aliæ ad Ducem Mompenſierium, cujus ſororem Arauſionenſis in matrimonio habuerat: ac cæteros in Gallicâ aulâ amicos Principes, quorum anniſu à Rege impetraret, ne novis oneribus ſubditi ejus premerentur. Non diu id Liceſtrium latuit: itaque conciliatore Galliarum Rege, fœdus cum Hiſpano Mauritium moliri ratus, naves, quæ nuntij iter obſervarent, diſpoſuit. Eas ut adventantes tabellarius arma expedire, pugnamque ordiri videt, hoſtiles ratus, literarum faſciculum in fluctus projecit. Quibus eductis, atque ad Liceſtrium perlatis, cum nihil præter dictum argumentum in ijs reperiret, ſpargere

tamen

CIↃ IↃ LXXXVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXXVII. tamen crimina apud Reginam, ac ſuſpiciones in Mauritium: neque enim temere in altum abjectas: forſan fuiſſe & alias, quas fluctus hauſerint. Movitque his Reginam, ut miſſo ad Patres legato Buckenhorſtio, etiam hanc querelarum unam faceret. Pridie Kal. Martias Maria Stuarta, Scotiæ quondam Regina, in arce Hamtoniâ gladio percuſſa extinguitur. At in Belgis Martio menſe (annus erat LXXXVII) Mauritius, qui Hollandiæ, militumque in eâ præfectus erat, ut officio ſuo faceret ſatis, circuire hyberna, ordinemque & ſtatum præfecturæ ſuæ luſtrare inſtituit. Is igitur, quocumque adiiſſet, centuriones militeſque in verba Fœderatorum adigebat, ut intemeratam fidem, pro verâ religione promitterent; deinde ut obſequium ſibi, ac Hollandiæ Patribus; ut decretum ſuprà ab ejuſdem gentis proceribus oſtendimus. Viceſimâ Martij die Medemblicam (in Hollandiâ Boreali jacet) veniens, à Theodorico Sonoio, qui cum peditum centuriâ præſidebat, oppido prohibetur: tametſi nullus miles, ſed ſoli domeſtici comitabantur. Sonoius Hohenloium adeſſe obtendebat, quem ante interminatum ſibi, nunc quo minus impleret minas temperaturum haud putaret. Cæterùm hæc ſi vera fuiſſet cauſſa, Mauritium tamen, ut in oppidum veniret, invitari, neque promiſcuè omnes excluſos oportuerat. Sed alia ſuberat ratio, quòd clam à Liceſtrio imperium Hollandiæ Borealis adeptus, contra Patrum voluntatẽ id munus fungebatur; unde nunc ei metus, ne pelleretur. Miſſi à Mauritio Proceribuſque Hollandiæ diverſi è notis quoque ac familiaribus ejus, qui monerent ut ſuperiorem agnoſceret præfectum, quando plures uno Hollandia non pateretur. Juſſi quoque in memoriam revocare, tot à domo Naſſoviâ congeſta in eum beneficia. Quòd privatus antè nobilis, Principis operâ in ſummum gratiæ atque autoritatis locum perductus foret. Æquum eſſe, ut bonam cauſſam, pro quâ ab initio belli ſummâ fide ſtetiſſet, etiam porro defendat; nec initium contentionibus in mediâ præbeat Hollandiâ. Contra ea Sonoius Liceſtrij in verba à ſe juratum clamitare, nec cujuſquam accipere imperia poſſe, priuſquam juramento ſuo ſolveretur. Non veniebat in mentem, ut ante XIV annos Præfecto Patribuſque Hollandiæ jurejurando obſtrictus, nec ejus abſolutus, Liceſtrio quoque juramentum præſtitiſſet. Ob hæc itaque Mauritio viri & numero, & dignitate validi, autores eſſe, ut arrogantem hominem, qui tantos ſibi ſpiritus ſumſiſſet, & obſequium in mediâ Hollandiâ negaret, in ipſis conatuum primordijs opprimeret, priuſquam contactu quoque cæteri invaderentur. Cæterum ille non tantum ſuæ, quamvis juſtæ, tribuit iræ, patientiæ ſingularis adoleſcentibus annis, ac præter opinionem omnium. Gnarus quippe ex minutiſſimâ ſæpe ſcintillâ ingens exiſtere incendium, nullam inteſtino bello cauſſam, nec hoſti eam relinquere lætitiam cupiebat; ſed magnorum virorum auctoritate rem componere tentavit. Cæterùm fruſtra; nec impetratum à Sonoio quidquam, præter promiſsa de ſervandâ cum fide Medemblicâ, adjecitque ipſe, diverſę nationis militem, quamvis petente Liceſtrio, haud admiſſurum. Paratum etiam Mauritio obſequi, quando juramentum ei Liceſtrius remitteret, ſeque operam id daturum. Sed ſecus res cecidit: quippe ſcriptæ à Reginâ Liceſtrioque ad eum literę, quîs uterque pro tam propensâ voluntate cum laudibus ei gratias egere. Hinc confirmatus ille in propoſito; moxque diſſeminata in vulgus literarum exempla, & complures è plebe interpretari, Sonoium ob promtum in Reginam Liceſtriumque animum, Mauritio Proceribuſque inviſum eſſe. Imprimis apud ſacrum ordinem potens gratiâ Sonoius, quod vera profeſſus ſacra, citra culpam ætatem tranſegiſſet, raro in militiâ exemplo. At prudentioribus, quibus gnarum quicquid pacti cum Reginâ erant Belgæ, miraculo eæ literæ eſſe. Sciebant Reginam Belgarum principatum, æquis conditionibus, parique

poteſtate,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

poteſtate, quâ Carolus Cæſar obtinuerat, abnuiſſe: poſt quoque in ſingulis cIↃ IↃ
terris urbe unâ pignori oblatâ, ſolis Brilâ ac Vliſſingâ fuiſſe contentam. LXXX
Neque perſuadere ſibi poterant vi, quam conſenſu populi, adipiſci impe- VII.
rium malle. Scilicet ignorabant ipſum Liceſtrium dominationem capta-
viſſe: cujus poſtea demum fides fuit, quum alia quoque indicia erupere.
Quippe pari poteſtate Muidæ Baxium præfecerat, opportuno premendis
Amſtelodamenſibus oppido. Quare illi propriæ ſalutis cura, ſuo urbem
præſidio munire nitebantur. Abnuebat tamen Baxius, nihilque diſſimu-
lans, magnæ ſimplicitatis argumento, Liceſtrij libellum profert. Eo man-
datum ne ullam gravem ſatis cauſſam judicaret, Muidam relinquendi. Sub-
jecerat Liceſtrius, *Eo capiſtro coërcendum equum.* At Amſtelodamenſes in ſe
dictum rati, & frenum ejuſmodi metuentes (quamvis apud Baxium diſſi-
mularint) nullâ operâ, nullis ſumtibus pepercere, donec præſidio Baxius,
nec invitus, abijt, ſubmiſſuſque in urbem Amſtelodamenſium miles. Falſi,
quorum ſupra meminimus rumores, de imperio nequaquam abſolutè Re-
ginæ delato, in Friſia, Ultrajecti, nonulliſque Hollandiæ locis, materiem
ſermonibus præbuere, de iterandâ oblatione, & ſerio magis. Horum voci-
bus Britanni accedebant differentes, non recuſaturam de imperio Regi-
nam, modo conditiones nullæ præſcribantur. Ipſeque Liceſtrius, quamvis
certus alienum Reginæ animum, errorem tamen ex animis plebis tollen-
dum haud rebatur, ſpe utilitatis è diſſidijs. Itaque & literas dedit ipſe, &
ab Regina impetravit, quibus pro ſummis in eam ſtudijs gratiæ populo
actæ, ſeminandis inter eum ac Patres diſcordijs. Itaque ſuadere nonnulli,
ut principatus ſine legibus, ſine fine offerretur Reginæ, quò cuncta ſuæ fi-
dei credita à Belgis videret. Poſtea ſupplicibus precibus ab ea contenden-
dum, ut leges, & priſca inſtituta ſervarentur. Alijs, quo in numero Ultra-
jectini, viſum addi de privilegijs, alijſque nonnullis. Hinc nova controver-
ſia, quænam adjicienda forent. Præpoſtero cuncta ordine, nec ſecus, quam
diſputare de dote quis velit, priuſquam pronus ad nuptias ſit ſponſæ animus.
Et ſatis oſtendebatur, non conditiones, ſed graviores rejiciendi imperij
cauſſas Reginæ fuiſſe: & haud dubie ſublatis, quæ à Belgarum principatu,
belloque adverſus Hiſpanum deterrere eam viderentur (cæterum id ne-
quaquam in Belgarum manu) facile tranſigi de conditionibus poſſe. Nun-
quam eo deſcenſum, ut examinarentur conditiones: etenim Reginam roga-
tam, ut imperium eodem jure acciperet, quo Carolus Cæſar tenuiſſet, re-
ſpondiſſe, haudquaquam animum ſibi, ſuum cuiquam adimendi, afflictis
ſuccurrere paratam; ut in Gallia Scotiaque oppreſſis ſubveniſſet Eccleſijs,
quas tamen ſuis principibus reliquiſſe; id glorioſum ſibi, dehoneſtamento
alterum fore. Hunc in modum nunquam adhuc impetratum eſſe, ut condi-
tiones à Conſilio Reginæ expenderentur. Nec defuere qui dicerent, non
poſſe abſque injuriâ in poſteros infinitam poteſtatem offerri. Confidere
quidem ſe, nihil juſto & æquo Reginæ potius futurum, ſed regnantium pra-
vos bonis multo plures eſſe: & providendum patriæ adverſus illorum vio-
lentiam: nec mendaci ſpe poſteritatem decipiendam, tanquam bonos ſem-
per principes habituram. Non mutandas ſubitò adeò leges, tot ſæculorum
ſerie in Belgis inveteratas. Eam ab cauſſam pop. Romanum multas quo-
que victarum gentium patrijs moribus vivere permiſiſſe. Ita recenti me-
moriâ Carolum Quintum, paulloque ante Carolum Burgundiæ Ducem
Gelriam ſubjugaſſe; cæterum ſuas ab utroque genti leges relictas. Multo
minus de Reginâ credendum, non admiſſuram conditiones apud Belgas,
ſolâ in eam fiducia, ad deferendum imperium, adductos: quando & in Bri-
tannia legibus, à majoribus conſtitutis, regnet. At imperium, quale Ultra-
jecti oppidani centuriones cupiant, non niſi apud Turcas, Moſcovitas, aliaſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXXVII. que barbaras gentes, in uſu eſſe. Etenim verba, *ſalvis privilegijs majeſtatem ſuam non offendentibus*, inanem prætextum, & invalidum patriæ ſecuritatis auxilium eſſe. Quippe evenire venturis ſæculis poſſe, ut Rex injuſtus, ſiquid adverſum leges moliatur, adverſari eas majeſtati ſuæ dicat; eam verò omnium penè privilegiorum naturam eſſe. Cæterùm fruſtra hæc apud homines privato partim in Patres odio accenſos, ut pericula omnia ſuſque deque haberent; partim à nobilitate Britannicâ (quam leges omnibus dignitatibus prohibebant, ſolis civibus admiſſis; unde nec à Regum prioribus publica unquam munia Hiſpanis collata) eo pervicaciæ exſtimulatos, ut obſtinatis animis, etiam non conſentientibus Fœderatis, miſſuri ad Reginam legatos eſſent. Apud Friſios Doctor Heſſelus Aiſma, judicum Præſes, unus omnium maximè rem urgebat. Is ſub Albano exul, vitæ privatim honeſtæ, in Rep. imprudens erat, uniceque cupidus, ut Fœderatorum res iterum ſub Regiam devolverentur poteſtatem. Cauſſa illi ſua utilitas, quò Friſiorum regimen (ut quondam ſub Carolo ac Philippo) rurſus in manu Præſidis ac judicum conſeſſus foret, qui ſola nunc judicia exercebant. Sequebantur illum ejuſdem ſententiæ ac ſimplicitatis homines, quibus ex quâvis mutatione ſpes meliorum, aut privatum in Patres odium, ſeu quod expetitas dignitates, ob ambientium multitudinem, aut quia inepti, non impetraverant; ſive qui debita à Patribus aut incerta repeterent, aut quæ ob anguſtias ærarij exſolvi ſubito nequirent. Imprimis è ſacro ordine ſimplicior quiſque ei favere, quibuſcum ob communia ſacra, multa ei conſuetudo, qui patriâ, domo, boniſque pulſum noverant, & prudentem in juvandis patriæ rebus arbitrabantur. Eoque proceſſere audaciæ, ut bis in Friſiâ conventibus actis, privatis ſumtibus Eccleſiaſtam in Britanniam miſerint, licet multum improbante Naſſovio, ac monente ne alienis curis, & extra munus ſuum, ſemet ingererent, ſed magiſtratibus rem permitterent, quos externâ hâc pietatis ſpecie, tacitè ab illis, tanquam officij immemores, incuſari. Adeoque Aiſmam partium hæc ſtudia tranſverſum egerant, ut non Eccleſiaſtis modo, alijſque Reformatis, verum & ſeditioſis perditiſque hominibus, indecoro Præſidi conſortio, ſe muniret. Sedes pleriſque horum in Oſtergoâ, ubi præſidis frater, prætor agrarius, & affinis. Igitur privatâ ij autoritate (neque enim nobiles pagorumque domini convenerant, aut tale quid negotij illis dederant) Leovardiæ conventum egere, facilè ex Goarum urbiumque cæteris repertis qui eadem vellent. Mox prælatâ autoritate publicâ, Oſtergoæ, Weſtergoæ, Septemſylvanæ, urbiumque nomine Wibrandum Aluwam, ac Doctorem Dominicum Richæum (diſſolutiſſimæ hominem vitæ, & Reformatorum primarijs inviſum, cæterum Præſidi acceptum, ob odium in Patres, denegatâ fiſcali procuratione) legatos ad Reginam mittunt; ſupremam oblaturos poteſtatem, quamvis nec urbium, nec caſtellorum leviſſimum tradere in eorum poteſtate eſſet. Cæterùm quo majorem legationi ſpeciem adderent, an ſcrutando Præfecti animo, Naſſovium rogant, ut ſcripto probare ſe legationem adfirmet. At ille nec laudato conventu, qui ſine injuriâ Friſiæ Patrum, haberi haud poterat, nec prohibitâ apertè legatione, quod fruſtra, & multas hinc in ſe calumnias prævidebat, hunc maximè in modum reſpondit. Confiderent, nihil gratius ei eſſe, quàm ut Belgas ſub imperium Regina acciperet: quippe gnarum juxta Numinis opem, ſervandis ſacris, patriæque libertati viam aliam non dari, multum quoque Naſſoviæ domui in eo ſitum. Itaque Hagam nuper ijſdem de cauſſis profectum, lubentem cognoviſſe, de ſummo Patrum ſtudio, rogatoque, ut huc laboraret, Liceſtrio, dum itineris in procinctu erat. Miſſos quoque ab ijs in Britanniam legatos, quæſitum an ulla ſolatij ſpes reliqua: itaque certum ſibi, nihil hic à Patribus aut Liceſtrio prætermiſſum:

proinde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXXXVII.

proinde rogare, ut cum Patribus ſua ſociare conſilia velint, quo communi omnium conſenſu adminiſtratâ re, qualemcumque diſſidij cauſſam vitarent. Cogitare eos debere, plus fructus ſperandum imperio ab omnibus ſimul Fœderatis, quam unâ natione oblato. Sed parum his moti Aluwa ac Richæus menſe Januario (anni LXXXVII) in Britanniam abeunt, tametſi collatis inter ſe conditionibus, quas ante biennium, cum Reginæ principatus deferretur, Fœderati proceres ſcripſerant, pauca à ſuis diſcrepantia repeririſſent. Idem ab Ultrajectinis factitatum, quorum conſilia Oſtergoani ſequebantur. Sub idem quoque tempus per literas Naſſovius Liceſtrium monuit, ſpem Ultrajectinis eſſe, ſi remitteretur de prioribus conditionibus, Belgarum principatum Reginam non recuſaturam: eoque rogare ut aperire animum ſuum velit. Sedulò operam apud ſuos daturum, ut Patres ad Reginæ voluntatem ſe componant, quo non à privatis aliquot hominibus, ſed omnibus ſimul Fœderatis populis ad illam eatur. Nihil ad ea à Liceſtrio reſponſum. Ne legatis quidem: ſed grates actæ pro ubere affectu, dimiſſique cum obſignatis literis, quas inſecuto Aprili in frequenti Friſiæ Patrum conventu tradere voluere, ſed repulſam paſſi ſunt, ut qui pro legatis publicis non haberentur. Graviter id acceptum illis, & Reginæ ac Britannorum odio factum diſtulere. Hinc atroces in Guilhelmum Naſſovium calumniæ, partim hanc ob cauſſam, dein quod parum probaviſſe legationem videretur. Cætera Mauritio, Hohenloio, alijſque eo felicior erat, quod nullam adhuc factioſis de ſe querendi materiem præbuiſſet, unde longior ei apud Liceſtrium gratia. Nunc juxta ac cæteri, inviſus. Occultè Præſes juratum Britannorum hoſtem eum nuncupare: quin & jactaſſe, ſub Hiſpano quam Anglis eſſe malle. Multorum auditæ voces, ut Brilam ac Vliſſingam prodere Mauritius (quamvis falſo hæc vulgata) ac pacem cum Hiſpano, excluſâ Reginâ, facere molitus eſſet: ita nunc Guilhelmo occultam cum Verdugo conſuetudinem, clandeſtina conſilia. Nempe ſemel inviſum ſeu bene ſeu malefacta premebant. Villerio, Ultrajecti præfecto, tunc apud Verdugum in captivitate ægrotanti, poſtquam fidem impunè venturum accepiſſet, Medicum Leovardienſem ſubmiſerat. Confeſtim in peius id tractum, tanquam ipſi Verdugo, curandæ valetudini, medicum miſiſſet. quod haut ſane hoſtilis animi indicium. Groningæ quoque per idem tempus inſidias molitus, nautæ, indubitatæ fidei viro, poteſtatem fecerat in caſtra hoſtilia commeandi, iſque panem bis coctum, aurea mala, & quibuſcumque ob raritatem majus pretium, in caſtra deferebat, quò his velut illecebris, animos ineſcaret. Id verò mirum in modum exaggeratum, & in vulgus diſperſum eſt, occultò hoſti commeatus eum ſuppeditare. Etiam famulo Frederici Bergij, cognati ſui (is Dillenburgi ſub eâdem cum Naſſovijs diſciplinâ educatus, abeuntem in hoſtilia patrem ſecutus erat) facultatem dederat canum venaticorum par abducendi, quîs in campis ad Nyenortam ubi præſidebat Bergius, venaretur. Idem à Comite petierat, nec impetrarat, effigiem ejus, quam inter tabularum cæteras ſuſpenderet, veteris amicitię memoriam: cujuſmodi beneficia Romani, Gręci, alięque haud omnino barbaræ gentes, non gravatè etiam hoſtibus pręſtiterant. At in Naſſovio, cuncta ea ſuſpecti infidique animi documenta, vulgoque perſuaſum, haudquaquam ab Hiſpanis animum illi abhorrere. Etiam quicumque redimendis captivis ultro citroque tympaniſtę aut tubicines commeabant, occultas perferre literas dicebantur. Sed Naſſovius mitis ingenij, ſummæ patientiæ, longèque in poſterum prudens, facile rumorum inania aſpernatus eſt, nec publice refellenda cenſuit, gnarus mendacia ſpreta exoleſcere. Diſpar natura Hohenloij, qui impotens ſui, animoque ad iram pręceps, augente vitia ebrietate, non adeo temperare affectibus poterat. Itaque frequentibus in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ LXXXVII. convivijs, ſæpe ejus de injurijs queſtûs, ſæpe aſpera ac contemtè de Liceſtrio loquentem, multi audivere. In caſtris ad Zutphaniam, periculoſo vulnere, adverſum os trajectus, adhuc diſcedente in Angliam Liceſtrio, præ ægritudine cubiculo attinebatur. Et Liceſtrius, quamvis haud ignarus Delphis (quæ urbs tantùm mille paſſuum itinere Haga diſtat) Hohenloium morari, & iter per urbem, aut præter ipſa mœnia haberet, eum tamen nec ipſe, nec per nobilium aut miniſtrorum quenquam compellare dignatus erat. Quod ille, qui hactenus ſueta venerantibus publicè Liceſtrio tribuerat, tanquam averſi palam animi ſignum interpretatus eſt. Acceſſerant & alia irritamenta: nam decumbentem Hohenloium Eduardus Noritius, quem inter epulas percuſſum ab eo memoravimus, ad ſingulare provocaverat certamen, & niſi conditionem acciperet, vindicaturum, quâcumque ratione poſſet, interminatus erat. Certoque Hohenloius credidit, provocationem, inſtigante Liceſtrio factam, quando illicitum ejuſmodi certamen, niſi factâ à magiſtratu poteſtate. Auxit mox ſuſpicionem Liceſtrius, dum Noritium menſæ ſuæ adhibitum quovis honore proſequitur, paucíſque poſt diebus in Equitum ordinem adſcribit: quamvis æquum ſaltem arbitrum ſe præſtare hic debuiſſet, ſi animadvertere in Noritium nollet, quòd, magno periculo ſimultatum inter Britannos ac Germanos duces, privatam vindictam petijſſet. Graviſſimè igitur hoc dolore exarſit Hohenloius, multaque paſſim acerba in Liceſtrium jecit, & palam teſtatus eſt, venerari ſe Reginam, ſed Liceſtrij hoſtem eſſe velle. Nec mitigatus eſt animus, etiam cum Liceſtrius ſcripſit, ſuiſque ei verbis nuntiare Caronum, nobilem Flandrum, juſſit, pœnitere, quòd ejus, quòd aliorum animos avertiſſet: fateri pravo ſeductum conſilio, & dolori ſibi, quod non ante id genus homines diſcernere didiciſſet, longeque aliâ ratione acturum ſimulatque reverſus ad Belgas eſſet, atque illi, cæteriſque quos offendiſſet per omnia facturum ſatis. Haud diſparia Guilhelmo, centurioni Britanno, ſed veterano militiæ apud Belgas, qui familiaris Hohenloio, mandata dederat. Non tenuit tamen iram ille, & apertè Liceſtrium, ſe decipere conatum affirmavit, cæterùm ſuâ ſimplicitate ipſum eluſum: proinde ne honorem aut operam abs ſe ullam exſpectaret: pro Reginâ etiam vitam profundere paratum. Quibus Liceſtrio renuntiatis, vehementer accenſus animus ejus eſt, ob ſpretas jam & preces. Multi quoque alij Hohenloij ſermones ad Liceſtrium delati, & ſæpe, ut ferme in talibus, affictis mendacijs, in majus vero. Nec ſatis quidem Hohenloio cum Joanne Noritio Anglorum peditatui Præfecto conveniebat. Quorum hic Hagam L jaculatorum comitatu veniens, in tranſitu cunctos ſimul tubos explodere pro foribus Hohenloij juſſerat. Illoque id in contemtum ſui accipiente, metu ne ad graviora prorumperent, Mauritius, tanquam Hollandiæ præfectus, communicato cum Patribus conſilio, dimittere milites Noritium juſſit: neque enim hunc ad morem excipi à ſe Præfectos militares adſueviſſe. Itaque obſequente Noritio nihil ultra tentatum. Qui & ipſe pridem Liceſtrio inviſus, multo nunc magis infenſi animum aſperaverat, dum querulis Patrum de Liceſtrio literis ſuas quoque ad Reginam addidit, quibus intolerabile ejus imperium, in magna quondā incōmoda Belgas deducturum dictitabat. Neceſſarium dein Patribus viſum, animadvertere in nonnullos, Liceſtrij fiduciâ, contemtim de magiſtratibus loquentes. Ex quîs Friſiorum Præſes Aiſma, ædibus ſuis clauſus, ob repertas ad Prouningium literas, quîs laudato ejus propoſito, nonnulla de Friſiorum rebus, ac rectoribus eorum deſiderata hoſtis imperia jecerat. Dejicitur munere Hugo Donellus, natione Gallus, & in Academiâ Lugdunenſi Juriſprudentiam profeſſus. Etenim compererant Patres ab eo profectas literas, quæ falſo ex aulâ Londinenſi a. d. x Martij ſcriptæ fingebantur, diſſemina-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

diſſeminatæque in vulgus erant. Nam compluribus examinatis, cum indi- cIↃIↃ
caret quiſque à quo libellum accepiſſet, noviſſimè ad Donellum deventum, LXXX
qui exempla aliquot in vulgum protuliſſe convictus, edere autoris nomen VII.
recuſaverat. Sine morâ in Britanniam id nunciatum ita accipitur, tanquam opprimerentur univerſi quotcumque propenſis in Liceſtrium Reginamque animis, principatum ab eâ capeſſi exoptarent. Ad ultimum, paucis ut expediam, credebat Liceſtrius, duas Belgarum factiones eſſe, unam Britannis addictam, inimicam alteram. Licet Reformatorum prudentiores, quicumque Reip. partem ceperant, imperium ſuſcipi à Reginâ, & ſuccurri Belgarum rebus, flagrantibus votis deſiderarent. Sed eorum adverſabantur temeritati, qui ſine ordine, ſine conſilio, aut Fœderatorum conſenſu, rem tantam ſoli conficere, & commune fœderis vinculum diſſolvere conabantur. Singulari Numinis beneficio ac providentiâ accidit, ut eo rerum ſtatu, ſegnis adeo hoſtis in vexandis Fœderatis eſſet: quippe promtum illi tunc, ingentia dare detrimenta. Etenim non ſoli cum Pontificijs Reformati, ſed & inter ſe ipſi committebantur, unde illis, alijſque publici hoſtibus, optatiſſimus caſus nocendi Reip. Quîs ita conſtitutis, tandem Reginæ viſum legatum Thomam Buckenhorſtium mittere, inquirendis diſſidiorum cauſſis, ac componendis diſcordijs. Is igitur Aprili menſe, Hagam veniens, varia Fœderatis Patribus propoſuit, quîs peccatum in famam, atque exiſtimationem ſuam Regina cognoviſſet. Adjecerat vagos incertorum hominum ſermones, à Patrum nonnullis in contemtum Reginæ Liceſtrijque, ut ferebatur, prolatos. Patres, quò ad liquidum cuncta perducerentur, ſcribi accuſationis capita poſtulabant, ita accuratius ſingula refutari, & referri ad Reginam poſſe dictitantes. Cæterùm abnuit ille, neque enim tale quid mandatum ſibi: inconſultum quoque videri, forſan enim acrius arſuros animos, ſi diuturna rei memoria exiſtat. Reginam verò æternâ oblivione hæc ſepulta malle. Id ubi negatum, Patres ex ore Buckenhorſtij, quantum ſubito fieri poterat, excepta, conſignari à Scribis ſuis juſſere. Summa omnium fere hæc.

Mauritium Brilâ per aſtum potiri molitum, literaſque ejus à tabellario in fluctus projectas; unde ſuſpicandum de inſidijs egiſſe. Incuſatam Reginam quod fœdus, aut occultam pacem cum Hiſpano, adverſus pacta cum Belgis adfectaverit. Fuiſſe inter Adſeſſores qui dixerit, conſciâ Reginâ Standlæum & Iorckum proditionem agitâſſe. Proſcindi paſſim Britannos ut ignavos, eorumque pecuniam non milites expeti. Vulgo ferri multo minus Britannorum quàm Gallica tolerari imperia poſſe; multo quippe illis hos acerbiores, & Belgas, vix excuſſo Hiſpani jugo, ſub tyrannidem Britannorum devolutos. Imperium maris, novam dignitatem, à Proceribus Mauritio collatam, adactumque in verba ejus militem. Non paſſos Patres præſidia ſua in terrâ ſe aut Præfecto invitis, mutari. Amſtelodamenſes atque Enchuſanos, frumenta in Angliam devehere vetitos: & edicto datam cuivis facultatem Britannos Hollandiâ pellendi. Arroganter jactari, imperio ſemet ingeſſiſſe Liceſtrium, & commodùm jam præſinitum tempus exſpiraſſe. Senatorum unius vocem exceptam, conclamatas Belgarum res, ſi dimidium ultra annum imperium Liceſtrius teneat. Illum fœderatas inter ſe nationes commiſiſſe, illum diſcordiarum initium & cauſſam. Inutiliter erogatas ab eo Reginæ pecunias. Standlæum & Iorckum, hunc Zutphanienſi caſtello, illum Daventriæ, non alio conſilio præfectos, quàm ut hoſti proderent. Queſtos ſuper eo apud Reginam Proceres, diſſeminata in vulgus literarum exempla, adducendo in odium cujuſque Liceſtrio. Perditorum hominum conſilio, Senatum, Patres tum cujuſque gentis, tum Fœderatos, in ſuſpicionem ei adductos. Iiſdem impellentibus prohibitum navigandi ac mercaturæ uſum: & hinc tantum damni, ut tria equitum, totidemque peditum millia ſuſtentari potuerint. Simulatæ pietatis hominibus, & in hoſtilia pronis, congeſtos à Liceſtrio honores, multiplicatas dignitates, optimo quoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ LXXX VII. *& fidiſſimo abdicatis.* Non fuit negotium Patribus ad ea reſpondere, tanquam vanis pleriſque & vulgo jactatis; quæ Hottomannus, & aſſentatorum alij, ipſi Reip. neſcij, eoque talibus gratiam Liceſtrij captantes, falſo perſcripſerant: nec minori levitate atque imprudentia credita à Liceſtrio. Erant forſan nonnulla quoque ex ore abjectiſſimorum è plebe hominum excepta; qualium, ubi frequentes conveniunt duæ nationes, nunquam copia deſit. Sed Principum prudentioribus ſuetum aſpernari mendaces populi rumores. Nec ea quaſi probata obiici Patribus poterant, niſi quatenus indicato ubi, quando, & à quo quidque dictum aut actum, (at nequaquam id à Buckenhorſtio factum) oſtendi poſſet, ſegniori Patres curâ fuiſſe in inquirendis noxijs, pœnâque irrogandâ. Adverſum quoque Proceres ipſos nonnulla in deterius detorta. Quippe cum anguſtè Belgis proviſum ab annonâ, nec quicquam alijs ex oris advectum comperiſſent, hordeum, triticum, ſiliginem exportari prohibuerant. Quod edictum, in cunctos, & ab alijs quoq; Rebuſp. pari caſu factum, ita accepere, quaſi ſolam in Britanniam devehi annonam prohibuiſſent. Eadem ratio in novâ Mauritij dignitate, in militum ſacramento, ac mutatione præſidiorum; ſatiſque ex prioribus apertum, nihil in Liceſtrij contemtionem hîc decretum, verùm ut ſuccurreretur neceſſariæ, at collapſæ, ſingularium præfectorũ autoritati. Quæ infracta cauſſam dederat, ut Daventria & caſtellum Zutphanienſe hoſti proderentur, ac loca alia in diſcrimen venirent. Nonnulla etiam vera, & facilè adſtrui poterant, cæterùm tantos ſibi ſpiritus Liceſtriani adulatores, tantam ſumſerant arrogantiam, adeoque Patres aſpernabantur, ut quamvis juſtis querelarum cauſſis, imponere tamen ſilentium vellent, perſuaſumque haberent patienter Belgis ferendum, turbari Remp. novari cuncta, leges everti, ac calumnias ingeri; neque uſpiam adverſandum. unde queſtus de Reginâ Liceſtrioque illis pro crimine. Igitur poſterâ die à Patribus reſponſum; mox ſcripto quoque defenſionem legato obtulere; ſed accipere ſe prohibitum dixit. Libentem quoque cognoviſſe, meliorem Reip. ſtatum, & minores controverſias eſſe, quàm relatum Reginæ fuiſſet. Fateri etiam quæcumque Patribus acta poſt amiſſam Daventriam, ad terrarum ſalutem pertinere. Quamobrem ita ad Reginam relaturum, ut ſatisfactum ſibi ipſa profiteatur. Mauritius quoque peculiari libello, falſo à Liceſtrio accuſatum ſe oſtendit, tanquam nefaria adeo mente volventem. Indignum ſe parente Arauſionenſi, cui tot tantique labores pro patriâ libertate, pro religione exhauſti, ſi unquam cogitationes ejuſmodi animum ſuum inceſſiſſent. Rogare ſe legatum, ut tradere purgationem ſuam Reginæ velit. Rogare ut in vigilum Oſtendæ perfectum animadvertatur, à quo ereptæ tabellario literæ ſuæ forent. Varia dein, memoratu hîc ſupervacua, cum Patribus tractavit Buckenhorſtius, ut omnem rerum ſtatum, acceptorumque damnorum magnitudinem introſpiceret. Præ cæteris poſtulatum ei, ut curatè literarum argumentum exponerent Patres, quas IV Februarij die ad Liceſtrium dederant. Iique prolixe, querelarum ad unam omnes nimis ſane veras eſſe demonſtrarunt. Inter cætera, Buckenhorſtio exhibita Liceſtrij ad Ultrajectinum conſulem epiſtola; manifeſtum documentum, fuiſſe apud Liceſtrium nonnullos contentionum ac diſcordiæ ſeminatores, forſan & qui ſigillo ejus abuterentur. Quamobrem oratus Buckenhorſtius, ut Liceſtrium moneret, exquireretque ejuſne juſſu ſcriptæ forent. Hortaretur quoque, ut Patrum conſilio, quemadmodum convenerat, Remp. deinceps adminiſtraret, neu fidem ijs tribueret, qui privati quæſtus cupiditate, irâ, ſtudio, alijs affectibus, aut imperitiâ, abducere à publico bono, & quiete animum ejus niterentur. Buckenhorſtius his auditis liberali oratione Patrum confirmavit animos, ac meliora deinceps ſperare juſſit, anteactorum modo obliviſcerentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ LXXXVII.

viſcerentur. Liceſtrium qui primò conjectare animos ejuſmodi hominum nequiviſſet, ſaniora deinceps ſecuturum. Etenim uberem in Belgas affectum ejus. His ita peractis, ſuadente Buckenhorſtio publicè Patres extremam in eos pœnam decernunt, qui vel calumnias priores, vel circumlatos vulgò rumores repeterent, aut deterius quidquam in Reginam, in Liceſtrium, in Proceres dicerent. Palam quoque edixerunt Patres, literas quæ ad concitandam plebem diſperſæ, ſuppoſititias eſſe. Eo igitur edicto per cunctas Fœderatas nationes promulgato, paſſim epulę, conviviaque lætitiæ ſigna inſtituta, ubi in Reginæ honorem, & teſtandæ invicem benevolentiæ, ducum præcipui, pocula libavere. Ipſe Hohenloius, qui ob acceptas injurias, primum in irâ ſuum locum putabat, proſpera omnia Liceſtrio apprecatus ſaluti ejus craterem hauſit, ac Eduardo Noritio reconciliatus eſt. Unus omnium Joannes Noritius oblatam in honorem Liceſtrij pateram accipere abnuit, nec unquam cum eo in gratiam reverſus eſt. His ita conſtitutis, ne ſic quidem inquieti in Friſiâ homines turbare deſtiterunt, multiſque falſo ad Buckenhorſtium delatis peſſimum in Friſiâ Reip. ſtatum nuntiant, ardere omnia inteſtino bello: Præfectum ac Patres, quoſcumque paullo in Britannos proniores videant, graviter premere. Illum inſuper renunciato Liceſtrij ſacramento, novum milites juſiurandum adegiſſe. Centurionum nonnullos, ſacramentum redintegrare recuſantes, privatâ autoritate ab eo ordinibus dejectos, nec dignatum ipſum Reginæ literas perlegere. Triſtatus his vocibus Buckenhorſtius adire Friſios ipſe cupidus, componendis ibidem diſſidijs, impeditur. Itaque per literas ad concordiam Patres hortatus, ipſum ſe, ſi neceſſitas exigeret, venturum promiſit; interea petere ne novarum rerum quidquam ordirentur. Etiam miſſo Wilhelmo Bardeſio, conſule Amſtelodamenſe, qui in Senatu erat, de cunctis difficultatibus Naſſovium certiorem fecit: reſpondit ille, per omnem Friſiam, magiſtratuum civiumque congruere animos, militemque bonâ contineri diſciplinâ, nec ſibi de factionibus aut diſcordijs gnarum quidquam. At querimonias privatorum, quorum lubidini perpetuo ſatisfacere arduum ſit, haudquaquam pro publicis contentionibus habendas. Nullam ita terram regi, nullum ita imperium adminiſtrari, quin aliquibus ſaltem diſpliceat. Multo minus turbidis rebus conſummatam undique pacem haberi poſſe. Quod de novato ſacramento, abdicatiſque centurionibus jaciebatur, falſum Bardeſius comperit. At Buckenhorſtius parum hæc ex ſententiâ Liceſtrij tractâſſe viſus: quippe Londinum veniens, Reginæ juſſu, ædibus ſuis clauditur. Hohenloio vero ex eo magnis experimentis affectum ſuum Liceſtrius probavit, ſcripſitque inter cætera, invito ſe hærere in Belgis Eduardum Noritium: proinde omninò ſe quamprimum amoliri eum ſtatuiſſe, ne impedimento in poſterum Hohenloio eſſe poſſet. Sed Hohenloius literas eas Noritio exhibuit, ut qui reconciliatus, non ſpecie, ſed ſincero affectu eſſe amicus vellet. Initæ etiam cum Buckenhorſtio rationes, de minuendis belli ſumtibus, ut terrarum obventiones erogationum neceſſitatibus congruerent. Quod cum nullâ fieri ratione poſſet, receperunt Fœderati decies centena florenorum millia ſe extra ordinem collaturos: quîs quingenta millia, præter ſolita ſubſidia, adjecturam Reginam Buckenhorſtius promiſit. Idem quoque priuſquam diſcederet, Fœderatorum & Hollandiæ Procerum præcipuis, cum ante juſiurandum adegiſſet, occulta habituros, quæ promeret, aperuit, apud Hiſpanum, apud omnes Principes Chriſtiani orbis, imprimis Daniæ Regem, ac Germanos Reginam incuſari, velut cauſſam diuturni ac noxij hujus belli, quodque ſubditas Hiſpano terras in ſua trahere moliatur: ob hæc compulſam æquas pacis conditiones proponere, quo rejicientibus eas Hiſpanis, cunctis gentibus manifeſta innocentiæ eſſet.

Rogare

cIↄ Iↄ LXXX VII. Rogare ut eodem quoque Belgæ legationem mittant. Accidit id Junio menſe anni LXXXVII. Cumque integrum annum ad Junium uſque menſem anni LXXXVIII Regina Liceſtriuſque, literis ac legationibus huc incubuerint, priuſquam conſentirent Belgæ, viſum paucis cuncta eodem pertinentia exponere, ne cæterorum poſtea ſeries nobis ſit interrumpenda. Et Liceſtrius quidem anno LXXXVI menſe Novembri in Britanniam contendens, quid reſponſi à Proceribus acceperit, ſupra memoravimus. Eodem anno crebris rumoribus jactata res, ſed incertis: ac paucis ante adventum Buckenhorſtij menſibus, præmoniti Patres, fore ut ea de re ageretur. Auguſtinum quendam Graffignam, pronum ad pacem Reginæ animum, ejus nomine Parmenſi denuntiaſſe conveniebat. Qui ſine mora dimiſſo Guilhelmo Bodenhamo, nobili, non minus ſe huc promptum oſtendit. Quamobrem ſi ſerio id peteret Regina, perfecturum ſe apud Regem, ut facultatem ſibi det eâ de re tractandi. Ad ea Regina, perperam ſua mandata exſecutum Graffignam: neque adeo abjecti ſe animi, ut pacem ab Hiſpano, toties læſa, petere velit. Nec invitis quoque Belgis vicinis ſuis facturam, quorum miſeratione hoc bellum ſuſcepiſſet. Hæc geſta anno MDLXXXVI. Eodem Andreas Loëus, mercator, crebro ultro citroque commeans, modo Reginæ ad Parmenſem mandata, modo hujus ad illam literas pertulit. Quamvis autem rei momentum non pro humilitate ejuſmodi hominum foret, hoſti tamen ſua hinc utilitas. Quippe rumores paſſim ab eo aucti, ut principes Brabantiæ Flandriæque civitates aut pacem fore, aut ſaltem moram in eo nequaquam eſſe, certo crederent. Ita ex hoſtilibus oppidis celeriter fama ad Hollandos ac Zelandos mercatores defertur, ijque vulgo, ut ferme in talibus, de pacis ſucceſſu certare pignoribus. Reperti qui, millibus florenorum compluribus depoſitis, pacem fore contenderent. Et, ut nulla alia argumenta accederent, ſola hæc res ſuffecit ad perſuadendum plebi, id quod unice cupiebat. Neque cogitabant, tantum hoſti hanc pacis opinionem prodeſſe, ut puſillum ob argentum deſtrui eam nollet, facileque mercatores qui ejus periculo deponerent, ſubornaret. Novembri menſe compellatis de pace Fœderatis Proceribus, animoſum eorum reſponſum ad Reginam retulerat Liceſtrius. Et illa comperto, non dolum tantum præſcriptione pacis tegi, verùm in nudis ſermonibus periculum, ac plebem concitari, tanquam penitus depoſitis de pace cogitationibus, bellum repetituram ſimulavit, ut menſe Decembri anni LXXXVI, ad Patres ſcripſerant legati Fœderatorum. Eo qui ſecutus eſt menſe Januario nonnullæ Hiſpanorum turmæ Namurcum ac Bruxellas inter à Bergozomanis equitibus cæſæ. Captivorum in numere Cajus Ranzovius fuit, nobilis Danus, & gentilis Regis legatus. Is, diſſimulato quinam foret, Bergas ad Zomam à noſtris abducitur; ubi ſcrutantibus ſarcinas ejus equitibus, dum grande pretium ſperant, ex repertis literis patuit quis qualiſque veniſſet. Erant eæ Hiſpaniarum Regis ad Parmenſem, quîs de pace cum Reginâ colloqui jubebatur. Ferebat quoque alteras ad Daniæ Regem, gratias pro ſollicitudine, ac pacis ſtudio agentes. Affirmabatque Philippus nunquam per ſe ſtetiſſe quominus pax fieret, ſed ſolam in rebellibus ſubditis ſuis moram. Quos tamen nunc quoque paratum, parentis inſtar, priſtinum in gratiæ locum recipere; ſi demittant animos, quo honos atque exiſtimatio ſua in integrum reſtituantur. Ad ſacrorum libertatem quod attineret, iniquè id à ſe peti, cum Daniæ Rex, cum infimi Germaniæ Principum, poteſtatem habeant, non alia ſubditis ſacra permittendi, quam quæ ipſi probarent. At præfectus Bergis ad Zomam his compertis liberum Ranzovium Hagam ad Mauritium ac Patres dimittit, ubi liberaliter ac hoſpitis more habitus, quæcumque ex ademtis recuperari poterant, recepit. Etiam animadvertendum in equites

Patres

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Patres conclamabant, cæterum interceſſit conſilio Ranzovius, plus laudis CIↃ IↃ
quam pœnæ promeritos dictitans. Itaque acceptis in excuſationem patra- LXXX
torum literis, dimittitur. Non tamen Daniæ Regi eâ humanitate ſatisfa- VII.
ctum, ſed ingentem Belgicarum navium numerum, in quîs hominum, qui arma geſtare poſſent, ad millia quinque erant, in ſinu Balthico primò indictâ cauſsâ detinuit, ac navigatione prohibuit; dein militũ robore, ac numero penſitato, nec ſatis ſibi potentię ad reſiſtendum, ſi vim facerent; cum non incompoſitæ multitudinis inſtar agitare videret, ſed ducem, Senatumque delegiſſe, quorum juſſa ſequerentur, de legati captivitate tandem propoſuit; ac in pœnã xxx imperialium millia poſtulat, quo pretio appenſo, mercatores abiêre. Pòſt queſti ſuper his apud Regem Fœderati Patres, pecuniam per vim nautis mercatoribuſque extortam repetiere, etiam Ranzovio aurea catena, in deperditæ locum miſſa. At Rex, Belgarum, vicinæ gentis amore, paci operam dediſſe; pro quo beneficio hanc ſibi relatam gratiam, quòd legatus, ſanctum atque inviolabile apud omnes gentes nomen, captus ac ſine cauſsâ bonis ſuis ſpoliatus eſſet. Effractas Hiſpaniæ Regis ad ſe literas, callideque rurſus obſignatas, nonniſi in contemtum ſuum. Et in hos, qui commune gentium jus violaſſent, non tantùm non animadverſum, ſed ne inquiſitum quidem. Ob hæc vindicaſſe ſe, damnumque ejus, qui accepiſſet, ſarciiſſe. Hâc in ſententiâ Rex perſeveravit, neque contra tendere legati poterant: quippe eæ per id tempus Belgarum res, ut injurias, verbaque aſpera patienter concoquere deberent. Hæc cum colloquium de pace præceſſiſſent, primus Buckenhorſtius ſolenni more in frequenti Patrum conventu eâ de re verba fecit. Illi magnitudine ac mole rei ſe excuſarunt, nec poteſtatem ſibi quidquam ſuper eo ſtatuendi; ſed cujuſque gentis proceres faciendos certiores; illos, actis conventibus, deliberaturos. Interea oſtendere non omittebant, multo Belgarum magis uſibus, & ſecuritati conſuli, ſi penitus negotium intermitteretur. Unde, parum urgente Buckenhorſtio, nonnihil de pace ſilentij. Maximè cum literis ad Junium, à ſecretis ſibi, decimâ Junij die perſcriptis, Liceſtrius affirmavit, injuſſu Reginæ præparare Fœderatorum ad pacem animos niſum Buckenhorſtium. Tantùm introſpicere eam voluntatem hoſtis voluiſſe, ut ſi quondam ad pacis colloquium veniretur, ſciret quales ab eo conditiones ſperare poſſet. Quin & Willugbeius Dynaſta Kal. Julijs Reginæ literas Patribus afferens, nuntiabat, Reginam intellectis de pace rumoribus, oſtendere voluiſſe, nihil inſcijs Fœderatis tranſigere ſibi propoſitum, & alienam à pace ſatis geſta oſtendere. Quippe & remitti ab eâ Liceſtrium, & continuari augerique ſubſidia. Jam vero ſollicitudinem de urbibus Sluſâ atque Oſtendâ, expeditiones Franciſci Draci, parataſque in auxilium ejus claſſes, manifeſta teſtimonia animi ejus eſſe. Eandem in ſententiam Liceſtrius Junio menſe anni LXXXVII ex Angliâ reverſus, verba fecit, dictitans Buckenhorſtium exiguam officij ſui rationem habuiſſe, & in proponendâ pace mandatorum limites egreſſum: etenim juſſum tantummodo Patrum præcipuis indicare, ſi Belgarum vires junctis Reginæ auxilijs impares ducendo bello viderentur, pacem à Parmenſi Hiſpaniarum Regis nomine petitam. At ſi ſufficere eas tantæ moli exiſtimarent, confiderent, nihil minus Reginam, quàm de pace cogitare. Itaque & offenſam ejus Buckenhorſtium, atque alios nonnullos incurriſſe, & partim carcere, partim ædibus ſuis clauſos eſſe. Hæc tametſi ita ſe habebant, nihilominus indies augeri de pace rumores: jamque ferebatur, datam à Parmenſi fidem, Anglorum legatos, ſi venirent, Bruxellas impune acceſſuros. Quibus compulſi Procerum nonnulli, & cum his eminentes aliquot viri appellandum ſuper his Liceſtrium cenſuere. Ille aperte quicquam gnarum ſibi negavit, nec mandata ab Regina habere. Cæterum haud multo

cIↄ Iↄ LXXXVII. poſt (fortaſſis acceptis interea Reginæ juſſis) duos è judicum conſeſſu, ac Jacobum Valckium Zelandum, Juſtumque Meninium Adſeſſorem Dordrechtanum, ad Hollandiæ Proceres mittit, multiſque demonſtrare jubet, Belgarum facultates bello adverſus Hiſpanum, potentem adeò hoſtem, defendendo, perexiguas eſſe: proinde ſatius videri, ut conciliatu Reginæ, ad pacem nitantur: aut ſi prorſus eam abominarentur, plus opum, ampliora ſubſidia requiri. Hæc poſtrid. Kal. Novembres (novam Ephemerin ſequor) propoſita, optimum & prudentiſſimum quemque haud injuriâ perculere. Mirabantur Liceſtrium oratione ſuâ terribiles hoſtium vires facere; Fœderatorum, ut à bello eos deterreret, imminuere. Hærebant adhuc in animis verba Guilhelmi Arauſionenſis, ad mortem uſque ſuam Belgarum animos erigentis, & juſtiorem Belgarum cauſſam dictitantis, quam ut, licet invalidos, unquam ſubigi ab Hiſpano Numen paſſurum eſſet. Itaque ſemper illum ad conſtantiam & concordiam ſuos adhortatum. Quæ ut Liceſtrio comperta, non modò cœptis abſtitit, verum & Valckio aut Meninio tale quid imperaſſe negavit. Illi juſſa codicillis ejus tametſi adſtruere nequirent, eâ tamen opinione inter Belgas erant, ut temerè ac ſuâ ſponte gravibus in rebus quidpiam dicturos eſſe nullus crederet. Etiam libello (infra nobis memorando) qui Septembris menſe in publicum emiſſus eſt, eam rem attigit Liceſtrius, graviter queſtus, falſò à nonnullis (Patres deſignabat) objectum ſibi, atque in vulgus diſperſum, jam pacem inter Reginam Principemque Parmenſem ſancitam; ſe autem reverſum, ut occupato imperio, Belgarum, terras Hiſpano reſtitueret. Sed velle eos, Reginæ mentem avertere, quò ab eâ, & ab omni ſolatio deſtitutâ plebe, Belgicam hoſtibus proderent. Nec Patrum aut magiſtratuum id ullus unquam dixerat; aut ſi temere forſan ab imprudentiore aliquo prolatum, non eo magiſtratus incuſari, aut populi odijs onerari debuerant. Quamobrem è ſupremo judicum conſeſſu Præſes, ex Hollandico judices duo, cum fiſci curatore, Liceſtrium Roterodami (etenim Dordraco huc contenderat) adiere, certo cognituri, quid de pace foret. Ibi ille graviſſimo jurejurando canam barbam ſuam, coronam Reginæ, ac ſolis lumen obteſtatus, vana cuncta eſſe affirmavit. Illiſque petentibus, ut Hagam excurrere, eademque ibi confirmandis bonorum animis profiteri vellet, morem geſſit. Ubi conſumto biduo, Lugdunum, indeque Ultrajectum abijt: & palam hic, omnique vitato ſecreto, rurſum ad pacem vertit, adeo properus, ut vix conſulendi ſpatium daret. Nam Octobri menſe Killegræum Senatorem ad Patres miſit, qui nomine Reginæ ſolenniter aperteque de pace propoſuit: expoſitiſque ore mandatis, ut ſcripta traderet, permoveri nequivit, non id juſſum ſe adjiciens, ac premendam rem, quando periculi haud expers ſit. Querentibus Patribus, an & nationis cujuſque legatis referre ad eos, à quibus miſſi fuerant, liceret, non impedire ſe reſpondit. Cæterùm cum id niſi ſcripto fieri haud poſſe Patres oſtenderent, ad ultimum conceſſit, ut ſcriba publicus potiſſima eorum, quæ rem ſpectabant, ex Liceſtrij ad ſe literis deſcriberet. Reginæ juſſa continebantur de urgendo pacis negotio, quam infenſam ſibi Liceſtrius dictitabat, quod nihil dum reſponſi à Patribus impetrâſſet. Sed nequaquam ſe negligentiæ accuſandum, qui ſedulò Senatus & Fœderatorum Patrum ſententiâ exquiſitâ, nihil reſponſi acceperit. Nunc ludibrio diutiùs haberi Reginam, aut Patrum exſpectare reſponſum nolle, quando fama & exiſtimatio ejus hâc re minuantur. Hactenus vanâ ſpe Parmenſem Principem ab eâ eluſum; nec reſponſi quicquam ad capita neceſſaria datum. Itaque nunc quærere an pariter de pace cum Farneſio colloquij Patribus placeat. Si velint, mittendos ſine morâ legatos, ſpondere Reginam, non minori fide, quàm pro ſubditis proprijs omnia exſequi paratam. Sin pacem ob iniqua condi-

conditionum procedere haud contingeret, nunquam auxilio Belgis defuturam, ubicumque ſine rerum ſuarum diſpendio poſſit. Sed enim ſi moras à Patribus necti, ac longiùs rem trahi videat, ex uſu quod ſibi ſit conſilium capturam. Exquirente ſuper his Killegræo, an intra duas hebdomadas reddere reſponſa poſſent, minimùm quinas intercedere debere affirmarunt, agendis apud omnes nationes conventibus. Ille his auditis certiorem fieri Liceſtrium petivit. Quo facto, ſimul Patres rogavere, ut ſuâ ipſe manu formam præſcriberet, quâ de pace ad nationum ſingulas referri vellet. Liceſtrius præſtitis quæcumque petebantur, & in propoſito perſeverans, monuit Proceres circumſpectè omnia ac prudenter adminiſtrarent, ne plebi ſeditionis materies, aut cauſſa daretur in peius trahendi, quæ bono fine Regina agitaret. Nec multò pòſt ex Angliâ adfuit Joachimus Ortelius, Patrum negotia ibidem curare ſolitus. Mandata Reginæ afferebat, ut reſponſa Patres celerarent, ac legatos mitterent colloquio cum Britannis legatis interfuturos. Venit etiam ad Patres Herbertus, ſupplicum libellorum magiſter in aulâ Eliſabethæ: qui orationem ineunte Decembri Gallico ſermone habitam, die ejuſdem menſis undecimo ſcriptam tradidit. Verba iſtiuſmodi erant. *Nequit P. C. vobis ignarum eſſe, ut jamdudum Daniæ Rex, ut complures Germaniæ, ſocijque Reginæ principes, multum hortentur eam, ad pacem cum Hiſpano ineundam. Cæterùm illa, opportunitatem colloquendi vobiſcum exſpectans, negotium diſtulit, quo cognoſceret, pareſne vires veſtræ, & ejus auxilia defenſioni Belgarum forent. Quibus inſpiciendis, ut rectè atque ordine cuncta agerentur, Dynaſtam Buckenhorſtium, à conſilijs ſibi, ad vos miſit. Iſque poſt diverſos vobiſcum ſermones, poſt varia colloquia in tributorum vectigaliumque negotio comperit, & confuſa omnia, atque indies in peius labi; nec veſtras facultates tutandis Belgis ſufficere. His de rebus edocta Regina Buckenhorſtium cum præcipuis veſtri ordinis de pace à Parmenſi oblatâ colloqui juſſerat, ad introſpiciendas voluntates veſtras, & utrum afflictis Belgarum rebus hoc pacto ſuccurri poſſe putaretis. Exinde cum impigre bellum ab Hiſpano parari, eumque ſimulato Oſtendæ obſidio Sluſam circumſediſſe Regina cognoviſſet, Liceſtrium Comitem, dilectum ſibi cognatum, & procerum Britanniæ Principem, quem unice Belgis cupere ſciebat, ad vos miſit, additâ haud aſpernandâ manu, ut hoſtium cœpta perverteret. Nec dubium ſibi reliquerat, quin præſtitis quæcumque promiſſa Buckenhorſtio, junctoque viribus veſtris auxilio ſuo, & Liceſtrio conceſſâ poteſtate, quam ex pactis, & veſtro beneficio obtinebat, liberaturus urbem ab hoſte fuerit. Cæterùm ut contra opinionem eveniſſe cuncta, ut quotidie turbata magis omnia, hinc ſecutas cum probro calamitates, & privatim factiones & ſimultates acrius ardeſcere, non ſine veſtro detrimento, ac ſuo dolore intellexit, bonæ Principis exiſtimans perperam geſta omittere, & in poſterum profutura conſulere, juſſit Liceſtrium Comitem proponere vobis, quæ de pace iteratò Parmenſis obtulerat: quò viros Reip. gnaros deligeretis, qui cum legatis ejus paci operam navarent. Interea dat fidem, ſi æquas & utiles vobis conditiones impetrare non detur, nuſquam ſe Belgarum rebus defuturam. Idque denuo me nomine ſuo aperire vobis juſſit. Et quia ob dictas jam cauſſas, ob datam fidem, immotum illi eſt de pace cum Parmenſi agere, veſtrum hactenus reſponſum, non ſine damno ſuo, exſpectavit. Nec ſegni adeò moræ ſatis acquieſcens, imperavit mihi, orarem, ut quod ex uſu vobis, decerneretis: ne diviſis ab eâ periculum, quod impendere haud dubiè videtur, ingruat. Etenim quomodocunque res cadat, intelligit Regina commodi plus vobis, quàm damni exſpectandum. Interea poſtulat, ut de conditionibus dum diſceptatur, concordes domi, veſtriſque rebus intenti agatis, limitaneas urbes munimentis, cæteriſque neceſſitatibus firmetis: denique cuncta veſtra componatis, tanquam bellum repetituri, ſi fortè ſupremo Numini viſum haud fuerit, finem optatum huic negotio dare. Quod ſi contingat, præſidio ſe vobis futuram promittit, meque*

CIↃ IↃ LXXXVII.

in hoc

cIↃIↃ LXXX VII.

in hoc conventu regiâ id fide polliceri, & reſponſum quàm maturrimè referre voluit. Poſtquam finiverat Herbertus, reſpondent Patres, haud abſimilia Killegræum dixiſſe, cæterùm ut ſcripta traderet rogatum, abnuiſſe: ſeſe autem gentili adſuetudine rerum graviora non niſi ſcripto pertrectare ſolitos. Tandem tamen ijs ab Liceſtrio impetratis, literas ad nationum ſingulas dimiſiſſe. Liceſtrius per idem tempus Vliſſingæ agitans Reginæ literis ſuas addiderat, ac Patres hortabatur, ne Reginam, ægrè alioqui laturam, diutius ſuſpenſam tenerent, ſed poſtulata ejus, & conſilium ſequerentur. Illi igitur ut undique ſe urgeri vident, quamvis mœrentes & inviti, tamen quia recuſare non licebat, literas ad nationis cujuſque rectores mittunt, quò publicis in conventibus negotium diſceptaretur. Monebant interea, ut communi conſilio, concordibus animis, rem expenderent: plebem in otio & obſequio; cæteros intra officij quemque ſui limites continerent: ne quis ſuam hanc faceret curam, niſi quorum ex legibus foret. Rogavere etiam, nequid ſtatuerent, niſi prius communicato ſecum conſilio: ut pariter ab omnibus fieret, quod ex uſu Reip. ne experirentur fortunam, quam recenti memoriâ vicinos ſuos, Artheſios, Hannonios, ac Flandros ſubijſſe ſcirent. At Hollandiæ Proceres, quo majori autoritate plebem, dulci pacis nomine admodum illectam, coërcerent, ſententiam utriuſque judicum conſeſſus exquiſivere. In Hollandico pacem multi ſuadebant; ne tamen ſententiæ ſcriberentur Præſes obſtitit. In ſupremo conſeſſu eodem nonnulli inclinare, ſed qui contra tendebant, duabus ſententijs vicere. Adeo Reformatæ quoque religionis & Patriæ amantes viros, Reginæ ac Liceſtij faſtigium ſeduxerat, ut parum ſalubria publico conſulerent. Ad ultimum diu deliberatâ re, nationum pars major, non mittendos ad Parmenſem legatos cenſuit. Sed à Fœderatis Patribus Leonardus Caſembrotius ac Sebaſtianus Loſa, judex uterque in Hollandico conſeſſu, legati ad Reginam dilecti, ineunte Februario in Britanniam contendunt. Mandatum illis, monſtrare Reginæ, quanta hinc Belgis pericula oſtenderentur. Semper præſcriptione pacis tectum ab Hiſpano dolum. Rogarent, ne incertam ob pacis ſpem, imò certo, nullas tolerabiles conditiones impetratum iri, Fœderatos in tantum diſcrimen immitteret. Experiendo ſe edoctos, plerumque Principes urbes, quarum per vim potiri hoſtis nequiviſſet, ſubdolæ pacis imagine, à communi vinculo avulſas. Sed fruſtra hæc apud Reginam: illaque immotum ſibi de pace colloqui affirmavit: optaſſe, ut ſimul ſuos quoq; Belgæ legatos adjungerent: cæterùm quando huc perducere eos nequeat, certum ſibi, non intermittere. Simul hæc: Derbium Comitem, Cobhamum cuſtodem, ac Jacobum Krachtium Senatorem, adjectis viris nonnullis doctrinâ egregijs, legatos dimittit, ijque a. d. v Martij, Oſtendam Flandriæ urbem advehuntur. Caſembrotius & Loſa v i Kal. Mart. ex Angliâ reverſi nuntiavere, jam in Flandriâ Reginæ legatos eſſe, ut de pace colloquantur: ſi Belgarum accedant legati, una acturos; ſin minus, ſolis progredi decretum. Duodecimo Martij die Killegreius vehementi rurſum oratione ad pacem Fœderatos Proceres hortatus eſt. *Serio per literas* (ſcriptæ erant Kal. Januarijs, verum ſerius tranſmiſſæ, ut aiebat, ob adverſa tempeſtatum) *à Reginâ imperatum ſibi, monere Patres, ne oblatam pacis opportunitatem dimitterent: ſeram poſtea pœnitentiam fore. Reginam longius trahere negotium nequiviſſe. Et jam ſuſpectam Parmenſi fidem ejus. At ſupramodum indignari illam, quòd rumoribus apud Fœderatos differatur, jam omnino cum Farneſio tranſactum ei, & quaſcumque Britanni inſediſſent urbes tradere pollicitam. Graviſſimam hanc injuriam, ingratum pro ingentibus beneficiis animum, juſtiſſimam Reginæ cauſſam dare, ut abiectâ Belgarum curâ ſoli ſibi conſulat. Cæterùm quia non publicè id genti, verum privatis quibuſdam averſi à ſe animi imputet;*

nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

nihil intentatum relinquere voluiſſe, quod ſervandis Belgis eſſe videretur. Verùm cIↄ Iↄ LXXXVII.
enimvero quòd poſt ſeptem menſium moram, nec reſponſum, neque ullam accepiſſet excuſationem, quatenus integrâ famâ exſpectare longius nequiverit, legatos dimiſiſſe, quorum jam multò ante ſpem factam Parmenſi: alioqui illum, ſi ludibrium ſe eſſe videat, totum facilè negotium, & ſpem omnem abrupturum. Si nunc quoque legatos mittant Fœderati, poſſe interea dum de conditionibus legati diſputent, iter conficere, & proponere quæ ad ſalutem publicam pertinere videantur. Ea Reginam quidem, licet nequaquam pro dignitate à Belgis habitam, legatis ſuis imperaſſe, uti anteactorum æternam oblivionem urgerent. Deinde ut Reſp. juxta priſtinas leges regatur, abductoque externo milite liberum cuique ſit, circa divina, quod libitum, ſentire. Publica pax & otium, quo ante hos motus creviſſent Belgarum res, reponeretur. Quod ſi durius quidquam ſuperveniat Belgis, Reginam & apud Numen, & homines purgatam fore, quæ Chriſtianum, & regium propoſitum habuiſſet. Illud tamen dicere, non ſine dolore comperiſſe eam, Belgas, pro quibus tot tantoſque labores exhauſiſſet, præfractâ mente ſalubria quævis conſilia adſpernari. Hæc pari quam diximus vehementiâ Killegreius: mox & ſcripta exhibuit. Quoniam autem infrequenti Patrum conventu peroraverat, Friſijs & nationum alijs, quarum legati abſuerant, exempla a. d. XX Maij miſit, ad Præfectos, ad Proceres, etiam ad privatos, ne res, quamtumvis premente magiſtratu, plebem lateret. Itaque antè à privatis circumlata ſcripti ejus exempla, quàm aut Præfecto, aut Patribus literæ redderentur. Id compertum, Reformatis maximum dolorem attulit, exceptis paucis, quorum hâc in re parum ſanum judicium, & Reginæ autoritate ſeductis, quam neque errare, aut perperam gerere quidquam poſſe, perſuaſum habebant. At cæteris cruda adhuc memoria, quæ fraudes ſub pacis ſpecie anno LXXVII latuiſſent, quando cum Joanne Auſtriaco, ac Terræ Novæ Duce agebatur. Eoque magis omnium eorum ardeſcere queſtus, eò nunc invitos compelli, unde paullo ante vix perniciem effugiſſent. Singulari Numinis irâ, Belgas bello tot annos cum ſanguinis, cum facultatum jacturâ, pro patriâ libertate ac religione geſto, impiam nunc ad pacem adigi, cum eo, qui ſacri Fœderis caput ſit, princepſque abolere eorum juraverit nomen, qui verum profeſſi Deum, Romanum Antichriſtum abnegarent. Præſertim hâc tempeſtate, quâ nulla commodior bene gerendis rebus affulſiſſet. Contrà conjuratis Sacri Fœderis diverſa pericula imminere. Turcicum Imperatorem grave in Auſtriacos bellum moliri. priſtino domum eam faſtigio dejectam improſperâ in Polonos expeditione, & Maximiliano Archiduce capto: jamque vilem Germanis Principibus, inviſam ſubditis eſſe. qui Sacrorum libertatem à Maximiliano Cæſare, id nomen ſecundo, multo redemtam auro, nunc à filio ejus Rodolpho ereptam doleant. Adeo ut ruinæ manifeſtus ſit, niſi labantem auro Hiſpaniarum Rex ſuſtentet. Gallorum Regi hinc ereptas à Navarro urbes imminere, inde parum fidentes Guiſianos Hiſpani auxilijs nixos. Hinc primum hoſtilia, mox bellum inter Hiſpaniam Galliaſque, potiſſima Sacri Fœderis munimenta. Accedere famam, Hiſpaniarum Regis filium tenui & improſperâ valetudine affectum, nec ſpem longioris vitæ. Regem ipſum neceſſitati ſupremæ proximum: quippe (ſi verè vulgetur) apoplexiâ correptum. Ex morte ejus magna certamina ob ſucceſſionem regni. Univerſum penè orbem Chriſtianum mutationis manifeſtum, Cæſare, Hiſpano, Gallo, ac Scotiæ Rege, prolis exſortibus. Et facilè unius ex his fatum motuum alibi cauſſam fore, cum Belgarum levamento. Rationem non eſſe, cur abjectâ omni ſpe, pacem impiam, pacem cruentam, denique & ignominioſam facerent. Impiam fore everſo Dei cultu, diſpretis ejus mandatis. Cruentam, quòd ejuſmodi pace, (documento Galliam eſſe) decuplo plus innoxij ſanguinis, quàm bello profundatur. Tur-

pem,

cIↄ Iↄ LXXXVII. pem, quando ij qui fortunas, priſtinaſque ſedes deſerere præferant, quàm Numinis cultu abjecto, mortalibus materijs factas imagines venerari, omnium futuri ſint ludibria, fœdè adeo patrijs rebus, ac religione deſtitutâ. Nam & ſacrorum libertatem & Patriam à Rege obtinendi ſpem nullam eſſe. Oſtenderantque id reſponſa Hiſpani, quæ nuperrimè Danorum Regi, ante annos XIV Carolo Auſtriæ Archiduci à Maximiliano II ac Germanis Principibus in Hiſpaniam ad mitigandum ejus animum miſſo, dederat: *Malle hominum ſe ac terrarum facere jacturam, quàm leviſſimum in religionis negotio remittere*. Neque in mollius ex eo flexus animus illius, ſed multo gravius aſperatus, dejectis inſignibus, ejurato nomine, & novis ad Imperium Principibus vocatis. Quibus non alia apud Reges graviora crimina, aut deſperatæ magis veniæ. Notabatur quoque in mandatis legatorum Reginæ, ſacrorum mentionem poſtremum in locum rejici; exemplo Richardoti, qui de pace cum Brabantis Flandriſque acturus, cætera omnia præmitti poſtulaverat, non longam poſtea ſuper ſacris controverſiam fore dictitans. Cæterùm cum in omnibus, quæ facultates, jura, atque immunitates ſpectabant, poſtulatis annuiſſet, ineſcati oppidani haud gravatè eripi reliqua paſſi erant. Advertebatur inſuper, nihil certi in ſacris præfiniri, & Pontificijs tantundem libertatis ac Reformatis. Quorum illi ubi parem locum habuiſſent, facile ſuperiorem adepturi erant, tanquam inclinato in illos Rege, nec paſſuro ut idem virium utrique parti eſſet. Eundem ad modum cætera de oblivione anteactorum, de extranei militis abductione, de ſervandis legibus, non Hiſpanorum minus quam Belgarum commoda ſpectabant. Quippe & Fœderati ſuos dimittere milites, & quod tali caſu neceſſarium, carere præſidio cogebantur. Ante omnia Præfecti penè omnes, quos ob defectionem & perfidiam plerorumque Belgarum, vicinis ex gentibus evocarant, abdicandi erant: nec tunc in arduo, gregem cuſtodibus deſtitutum opprimere. Etiam de legibus ſervandis promiſſa vana pleraque & incerta: nec cautio ulla ſatis firma interponi poterat, quando terras, urbes, locaque omnia, impoſitis pro arbitrio ſuo Præfectis, Hiſpaniarum Rex teneret. Hæc penſitantes, mirari omnes, nec reperire, cur obſtinatè adeo pacem Regina urgeret. Quod purgatam ſe Daniæ Regi ac Germanis Principibus eſſe velle obtenderet, digna ratio haud erat, religionem, ac gentem univerſam, tanto diſcrimini objectandi. Dabatur ſane alijs experimentis approbare & innocentiam ejus, & ſolam Hiſpani crudelitatem diuturno huic bello originem præbuiſſe. Imprimis faciliùs illa exoleturas brevi calumnias ſuſtinebat, ſeque recti conſcientiâ ſolari poterat, quàm Fœderati extremum ſubire diſcrimen. Etenim quod Belgas attendere rebus ſuis, & bello ſemper paratos cuperet, ſi forte ob iniqua conditionum pacis ſpes everteretur, id vanum. Plebes quippe illecta dulci pacis nomine, omnes de bello cogitationes, animumque ad pendenda vectigalia & tributa abjiciebat, & forſan cœpto ſemel colloquio vel invitos progredi adactura erat. Quod prohibere, & nihilominus interea tractare de pace velle, non alterius erat, quam incaſſum ſemet fatigantis. Sub idem tempus Navarræ Rex Fayum, Johannes Caſimirus, Comes Palatinus, idem Electoratus rector, legatum quoque ſuo nomine ad Eliſabetham mittit, oratum ut prorſus quodvis cum Hiſpano de pace colloquium abrumperet, ac ſacro fœderi fortiter cum illis ſemet opponeret. Summam ſibi injuriam alioqui fieri, imminentibus undique Guiſianis: & occaſionem inde Hiſpano, vires cum illis conjungendi, atque in Galliâ nomen ac ſacra Reformatorum abolendi. Quibus oppreſſis, non diu Britanniam, aut Belgas ſuſtinere vim eorum poſſe. Sed fruſtra fuere. Caſimirus equitum millia, octo, Helvetiorum parem numerum, ac Germanicam legionem ſubſidio Navarræ Regi

ræ Regi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ræ Regi ducebat. His copijs iter ſe per Belgas, & quantum in tranſitu inferre damni Hiſpanis poſſet, facturum, obtulit, ſi coronatorum millia LX in CIↃ IↃ LXXXVII.
ſtipendium exercitus daret Regina. Sed abnuit illa, incertum avaritiâ, an quòd Belgas non ſubitò, ſed paullatim liberari Hiſpanorum violentiâ vellet, quò libertatis interea obliti, jugum ejus induere aſſueſcerent. ſive ut Navarro quemvis ad Belgas aditum præcluderet, quos faciliùs deinceps Gallica auxilia quæſituros rebatur, & ægre id ferre eam conveniebat. Quippe non modo, ob diverſa ſacra, ſuſpectus illi Galliarum Rex, ſed & Navarrus, & tota Gallorum gens, manentibus priſtinis adhuc odijs, & bellorum memoriâ. Sane dixiſſe Liceſtrium conſtat, utiliùs Belgas Hiſpanica, quàm Gallorum imperia accepturos. Horum quid Reginam oblata ſpernere impulerit, an ſingula attulerint aliquid momenti, alijs judicandum relinquimus. Nec Regina abnuiſſe contenta, etiam obſtitit, ne ſimilia Fœderatis Patribus Caſimirus proponeret. Quibus tam optata occaſio pretium fuiſſet promtè tantum æris numerandi. Sed hæc primarijs tantùm viris nota premebantur, ne exſtimulato dolore plebs, indigniùs quidquam de Reginâ loqueretur, aut ſentiret. Cæterùm ad pacem ut revertamur, gnarum cunctis erat, Hiſpanum Occidentis opibus ſubnixum, facilè in omnibus Chriſtianorum Principum aulis, quin & inter Turcas, parare amicos poſſe: unde ambigebant nonnulli, an & in Britannico Senatu quorundam fidem auro emercatus eſſet. Etenim commodi ſpes nulla, quæ Reginam ad pacem hortaretur; pericula haud levia reperiebantur. Quippe tutæ Britannis res, quamdiu Belgarum non potiretur Hiſpanus. His ſuperatis, promtum illi, quantum judicare mens humana poſſit, inceſſere Britanniam, ut æſtate anni LXXXVIII comprobatum. Quod pace, & interpoſitâ Regis fide, abundè in tuto poſitas res ſuas putaret Eliſabetha, inanis ea fiducia. Etenim juxta illi ac Belgis, tantundem in eâ ſecuritatis, quantùm in Regis ſui fide Galli invenerant. Pervulgatum, & ubique jam receptum Pontificijs dictum erat, non ſervandam hæreticis fidem. Jam verò Regina ipſa ab eo proſcripta: jam infenſi Guiſiani, ſupplicio Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ. Abundabat quoque Hiſpani, & Pontificis aula, nobilibus Anglis, ac Jeſuitis, patrio ſolo ab Eliſabethâ ejectis, qui inſtigare utrumque, & bellum in Britannos ſuadere haud intermittebant. Nec bellum volenti in arduo cauſſam reperire, & poſt annum unum alterum (qualis exigua apud Principes mora) alium obtentum ſumere, quo ſervata ſanctè fides videretur. Erant & qui diffiderent, Reginam, ſui prodigam, cordi Belgarum pericula habituram; aut ad extremam uſque curam religionis. Recenti multorum memoriæ obverſari verba ejus ante annos XII ad Aldegondium & Paullum Buyſium, Arauſionenſis Patrumq; legatos prolata: *immeritò Hollandos unum ob Miſſæ ſacrum tantos motus ciere, nec decoram ijs præfractam adeo adverſus Regem contumaciam: quando fidem divinitati Miſſæ habere non adſtringantur, adſpectarent, tanquam fabulam.* *Quid*, inquit, (& erat candido amicta veſtimento) *vobiſne pro flagitio foret, me hoc habitu, ſi hiſtrioniã ordirer, intueri?* Quibuſdam perſuaſum, (nec negabant primores Britannorum, quibus aditus in Senatum Reginæ erat) non cum Hiſpano eam, ſed cum Parmenſi de pace tractare, eumque ſpe imperij Belgarum ad defectionem impellere adniſam. Addebatur, præreptum conjugi Parmenſis jus in Luſitaniam, & juſtam nunc illi cauſſam, occupatâ Belgicâ prius detrimentum ſarciendi. Sed haud vero ſimile erat, Parmenſem incertam ob ſpem paternas hæreditates, Parmam ac Placentiam, in diſcrimen inducturum. tum & celebrem famam, quam Regis militiâ adeptus erat. Et, quantumvis prono, nullæ vires erant deſtinata adſequendi, cum publica omnia conſilio veteranorum Hiſpanicæ gentis Ducum, ac Senatus adminiſtraret, qui defectio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ LXXXVII. defectionem ſuam ei haud erant gratificaturi. Conſtabat inſuper, talia agitantem, nullos amicos, nullos obſequio promtos habiturum in præcipuis Brabantiæ, Flandriæ, ac Hannoniæ civitatibus, quæ, præſidio deſtitutæ, facile arcere Parmenſem, & fidem pro Rege retinere poterant. His aliæ quoque ſe difficultates adjiciebant, an pare, an cupiente Parmenſi; cæteræ, nec Hiſpano ſubditæ nationes, quæ diverſa ſacra ſequerentur, eſſent accepturæ imperia Itali, & religione, & ſanguinis nexu, Pontifici adſtricti, & denique participis ſacri fœderis. Ob hæc Reformatorum prudentioribus eæ rationes, deridiculo eſſe, & prorſus inconſultum viſum de pace colloqui. Patres tamen, quando ob autoritatem Reginæ omittere omnino negotium haud dabatur, trahere in longum induxere. Unde novæ in rectores calumniæ, imprimis Naſſovios, tanquam Eliſabethæ conſilium aſpernati, diuturnum paci præferrent bellum. Nec præter hanc res ulla fuit, in quâ Reginæ obſecuti non ſint. Præ cæteris tamen mirandum, eos, qui convitia ante menſes paucos in Patres, ac Naſſovios jecerant, quaſi odio Britannorum pacem cum Hiſpano molirentur, nunc contra ſpargere, pacem ab his impediri. Ipſis Kal. Aprilibus, ſecutiſque diebus, juxta veterem ſupputationem, anno LXXXVIII, Eliſabethæ ac Parmenſis legati in Flandria, Oſtendam atque Oudenburgum inter, ſub tentorijs, eo fine expanſis, convenere. Belgarum legati abierant: & quæcunque inter eos acta, in occulto manſere. Duabus ante hebdomadis Caſembrotius ac Loſa ex Angliâ reverterant: ex quibus cum omnino promoveri negotium cognoviſſent, conſilium ſibi ſine mora Hollandi cepere, nec vulgarunt. Geldri ac Tranſiſalani poteſtatem Hollandis fecere, ſuo quoque nomine, quod ex uſu videretur, ſtatuendi. Apud Friſios diſputatum, an, quamvis abnuentibus Hollandis, ſoli legatos mitterent. Eâdem tempeſtate Antonius, pulſus Luſitaniæ regno, honeſtè ac liberaliter à Regina habebatur. Spes illi, poſſe Reginam ac Belgas permoveri, ad redintegrandum Luſitaniæ bellum, ac turbandas Hiſpanias, exemplo Scipionis, qui eum in modum Italiam liberaverat. Cæterùm ut tantis urgeri pacem ſtudijs videt, veritus ne in manus hoſtium traderetur, fugam ex Angliâ molitur, inſciâ Reginâ: quæ miſſis repente, qui ex itinere eum retraherent, detineri jubet. Antonius ſemet excuſans, nihil de fuga cogitantem, cauſſas habuiſſe Londino Doveram abeundi adfirmavit. Manebat tamen certa Britannis de fugâ opinio, nec dimittere eum voluere. Inter hæc dum de pace deliberatur, aut ambigitur, Parmenſis ipſe diem ex die ducere, petitaſque primo adventu ab Anglis inducias detrectare, ne Regis quidem literas, quibus facultatem accepiſſet de pace agendi oſtendere, nec legatos ſuos in urbes Reginæ aut Fœderatis ſubditas mittere velle, neque Anglis fidem tutam ſatis dare impune accedendi. Quîs omnibus poſthabitis, Derbius Comes tandem ad illum contendit, manſitque donec Hiſpanica claſſis ſolveret, quæ manifeſto declaravit, pacis præſcriptione quæſitum Hiſpano, ut Eliſabetham ſui ſecuram, & imparatam opprimeret. Mox reditum ad ſuos parante Derbio, moram injecit Parmenſis, eumque dimittere aliquandiu gravatus eſt. Ægre acceptum à Reginâ ferunt, quòd injuſſu ejus hoſtium ſe manibus credidiſſet. Pari ratione Jacobus Krachtius, Reginæ à conſilijs, & honoris ſæpe legationibus functus, ubi revertit, in cuſtodiam datus, quòd in conditionibus ferendis, Reginæ mandata liberalitate exceſſiſſet. Atque hunc in modum Belgis metu ſimul & cura de pace conſultandi liberatis, nova moles incubuit, adverſus ſtupendam illam Hiſpanorum claſſem, validiorem cunctis, quas ullæ ſæculorum omnium memoriæ prodiderunt. Multoque hic major Belgarum alacritas, promtiora ſtudia. Et Anglorum Belgarumque navale robur ea

demum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

demum tempeſtas docuit, juxtaque utriſque opportunum accidit, quod continenter mercatoriarum vaſtæ magnitudinis navium copiâ inſtructæ, regiam brevi ſpatio claſſem cogere poſſent: abſque ea, vix erat, quod Hiſpanis opponeretur. Cæterum hæc in loco reddenda: nos eò, unde digreſſi eramus, revertimur.

cIↃIↃ LXXXVII.

FINIS LIBRI VI.

EVERARDI REIDANI ANNALIVM LIBER SEPTIMVS.

BREVIARIUM LIBRI.

PATRIBUS de educendo exercitu conſultantibus, in Belgicam redit Liceſtrius, agitatque cum iïs de liberandâ Sluſâ, quam Parmenſis obſederat. De Patrum in ſe injuriïs queritur: qui prolixâ oratione ſe purgatum eunt. Ille reſpondet: poſtea & Patres. Interea capitur Sluſa, cladis culpam quoque in alterum rejiciente. Hohenloius, quamquam à Patribus monitus, parêre Liceſtrio abnuit. Patres Liceſtrio reconciliati, mox diſcordes. Meppam capit Nivenarius: quà iter habituræ copiæ Germanicæ, ſed earum acceſſus impeditus. Lauterbekus à Verdugo ſubmiſſus ad trajiciendum Guilhelmum Naſſovium, in membra diſcerpitur. Hollandiæ Proceres fuſe Liceſtrio oſtendunt ſtatum ditionis ſuæ, veterem regiminis formam, ſibique ſupremum in eam jus eſſe. Liceſtrius edito libello de Patribus queritur: quam ob cauſſam ſuum quoque ſcriptum illi vulgant, additâ expoſitione, Liceſtriïque libello reſpondent. Edunt inſuper libellum de veteri Reip. forma apud Hollandos. Etiam Hohenloius defenſionem ſuam publici juris facit. Liceſtrius plebem concitat, ac Lugduno inſidias ſtruit, quæ detectæ Coſmo, Maudeo, ac Volmario perniciem attulere, iïq; gladio feriuntur. Mox iter in Friſiam parat, conventumque indicit, Præſidis Aiſmæ impulſu, qui eam ob cauſſam munere dejicitur. Liceſtrius à Guilhelmo Naſſovio ac Patribus monitus ne in Friſiam veniret, in Zelandiam trajicit, ac Fœderatos Proceres diſceſſus ſui certiores facit: cæteris abſentibus, Hollandiæ Patres ei reſpondent. In Britanniam regreſſus præfecturâ ſe abdicat: ſed hoc tres integros menſes occultè habitum, extremis periculis Remp. objecit, ob ſeditiones Medemblicæ, Gertrudenbergæ, Heuſdæ, & aliïs locis ortas. Medemblica obſeſſa. Sonoius, poſtquam depoſitam à Liceſtrio Belgarum præfecturam videt, cum Mauritio paciſcitur. Proditores Reginæ ac Liceſtriï nomine in uſum Hiſpani abutuntur.

cIↃ IↃ LXXXVII.

INCERTO adhuc Liceſtrij reditu, Patres de educendo ex hybernis exercitu cum Buckenhorſtio conſultare cœperant. Quod fuſius memorandum nobis, ut conſtet quàm malè cuncta procedant, ubi rectorum ſibi quiſque tendit, nec ſuis ſed alienis Reſp. conſilijs ac facultatibus innititur. Amiſsâ per Standlæi ſcelus Daventriâ, Patres quà literis, quà legatis Reginam ſæpius ſollicitaverant, ut ſarciendæ tam gravi jacturæ, ſubſidij nonnihil extra ordinem mitteret. Quæ poſtulata improviſo adeo caſu, cujus culpa penes Britannos, æquiſſima videbantur. Unde bona primùm à Buckenhorſtio ſpes. Cæterùm ut ſuper ſolita auxilia quindecies centena millia florenorum requiri videt; cujus ſummæ tertiam tantummodo partem à Reginâ poſtulabant Patres, reliqua ipſi collaturi: ad velandam Reginæ avaritiam arguere Proceres occœpit, quaſi non tantum pecuniæ deſideraretur. Infirmum enim hoſtem, nec, attrito ærario, reparare vires poſſe. Itaque pro peditum XII millibus, quinis equitum, ac foſſoribus mille, qui exercitus decretus ſit, ſatis eſſe dena peditum millia, quaterna equitum, ac foſſores mille. Numerum hunc confici ex Fœderatorum hybernis poſſe, quando ſuetum Reginæ accedat auxilium: nec gravioribus illam onerandam, præſertim cum ſerum ſit militem in Britanniâ ſcribere. Petere itaque ut Patres decies ac ter centena, & quinquaginta florenorum millia conferant, Reginam CCL millia adjecturam. Pecunia hæc Quæſtori militari traderetur, à Liceſtrio ex indigenis legendo, cujus pro arbitrio, & gnaro Senatu, in uſus publicos erogaretur. Reſponderunt Patres', decretum copiarum numerum nefas ſibi minuere neſcijs illis à quibus mandata ſua acciperent. Perpetuo ſuſtentata ſibi peditum XXIV, equitum duo millia. Ex his militum quaterna educi millia, equitatum omnem, & auxiliarios Reginæ, pedites quinque mille, & mille equites. Præterea peditum terna, bina equitum millia noviſſime in Germaniâ Liceſtrij ſuaſu conducta. Cunctos hoſce, etſi nihil novi militis ſcribatur, conficere memoratum ſupra numerum duodena peditum millia, & quina equitum. Nunc vero quando hybernis digreſſus hoſtis ſpeciem ſimulet urbem quampiam obſeſſuri, ægerrimè laturam plebem, ſi miles dimittatur, foreque alimentum id noxijs de pace rumoribus. Quamobrem orare ſe, ut quingenta florenorum millia ab Regina legatus impetret. At dum apud Belgas perſuadere Patribus ſtudet Buckenhorſtius, ut copiarum partem dimittant; diverſum in Anglia Liceſtrij ſtudium erat, nitentis, ut quinque militum millia ſubſidio Fœderatis duceret, quorum mille quingenti Patrum facerent ſtipendia, reliqui pro ſupplemento auxiliorum Reginæ forent: quam novorum ſumtuum quicquam facere haud neceſſarium rebatur. His compertis Patres IV Kal. Quintil. Buckenhorſtio demonſtrant, quantum hinc Reip. periculum. Nam, jubente Liceſtrio, Niuenarium ſacramento Germanos rogaviſſe. Itaque licet ſperata florenorum millia quingenta mutuo Regina daret, tamen dimittenda poſt trimeſtre aliquot millia: quippe imparem tantis erogationibus Remp. Petere igitur ſe, ne novus miles, præter ſupplementum auxiliorum Reginæ, ex Angliâ adducatur. Et hæc ac talia quidem de exercitu diſſerebantur: interea non educi miles, non neceſſaria comparari, aut provideri quicquam, omnibus in adventum Liceſtrij ſuſpenſis. Ad ultimum Patres, ubi jam occupata ab hoſte loca patentia, campoſque, nec ſine damno Reip. longiùs incertum in reditum differri cuncta intelligunt; monendum, præſente Buckenhorſtio, Senatum cenſuere, ut de exercitu, deque cunctis eo pertinentibus diſpiceret, dignitates imperiaque, quîs videretur,

retur, mandaret, ſaltem precariâ poteſtate, & ſine diminutione Liceſtrij. Etiam denuntiavere, ex uſu videri, ut, donec Liceſtrius reverteretur, Mauritius ſummam imperij teneat, cujus imperia ducum cæteros haud gravatè accepturos exiſtimarent. (cIↄ Iↄ LXXXVII.) Hohenloio, Niuenario, Guilhelmo Naſſovio, ac Noritio, Schenckioque aliæ dignitates conferrentur. De Quæſtore bellico, cujus mentio injecta à Buckenhorſtio, reſponderunt Patres, delectum à Liceſtrio, priuſquam diſcederet, cui ærarij incumberet cura. Is ſi reverſus militarem inſuper Quæſtorem requiri putaret, morem libentes geſturos, cæterùm ne ad exemplũ res traheretur: & qui adminiſtraret, ex Hollandiâ, Zelandiâ, Friſiâ, aut Ultrajectino territorio oriundus foret. Inter hæc Walachriam Zelandorum inſulam cum quinque Anglorum millibus Liceſtrius advehitur: ſpreto Patrum monitu, ſalubribuſque conſilijs. Nec tantis rebus gerendis plus quàm centum quinquaginta florenorum millia mutuo Regina dederat. Quâ neceſſitate compulſi Patres mutare conſilia, ac rationes. Igitur decretum, ut his copijs pedeſtria auxilia Reginæ ſuppleret Liceſtrius, & quantùm infra debitum numerum (is mille erat) equites Reginæ invenirentur, horum loco pedites aleret, quot ſuſtentari eorum ſtipendijs poſſent. Cæteri Patribus mererent, qui novas præterea copias è Germaniâ exſpectantes, adhuc in ſententiâ perſeverabant, de educendo ex hybernis milite. Igitur omnibus perluſtratis, compererunt ſufficere ærarium prædicto exercitui ad menſes duos alendo, quo non modo liberare obſidio Sluſam, verùm & hoc patrato alibi hoſtem laceſſere decretum erat. Sluſam nuper Hiſpani obſederant: quare Liceſtrius, è propinquo neceſſaria curaturus, Middelburgi reſtitit. Eò gratantes Patres, & Mauritius, militumque nonnullorum cœtus convenere. Vicina Sylvæducis inſederat Hohenloius, tutandis limitibus adverſum hoſtes, qui Boxtelam frequentes confluxerant. Duodecimo Kal. Auguſt. de liberandâ Slusâ, ſociandis in bello conſilijs, militum ſtipendijs, armamentis, commeatu, de inſtituendo Senatu, & quæ alia ſalutem Reip. ſpectarent, Liceſtrius apud Patres diſſeruit. Etenim Belgarum utilitates reditus cauſſam ſibi: quîs & læſam famam, illataſque injurias ſe poſthabuiſſe. Itaque rogare, ut duobus Reginæ Senatoribus totidem è ſuo Senatu adjungant Patres, qui contentiones omnemque tollant diffidentiam. Se quidem conditiones qualeſcumque, modò æquæ ſint, haud gravatè accepturum. Quippe gnarum ſibi tali certamine perditam Græciam, collapſam rem Romanam, & recenti memoriâ nonnullos in Germaniâ Principes ac Reſpublicas à Carolo Quinto ſubactas. Non aliàs majorem Hiſpano ſpem Fœderatos ſubjugandi, quàm quando diffidеant. Ita liberandæ Sluſæ cuncta celerantur, ſummo Mauritij, ac Patrum ſtudio, qui nihil, quòd temporis ratio pateretur, prætermisêre. Cæterùm ut nihilominus de indiligentiâ ſuâ queri Liceſtrium, & ſpeciem ad Britannos redituri ſimulare intellexerunt, Vliſſingam eunt, ubi hunc maxime in modum verba ad eum fecêre. *Duobus, potentiſſime Princeps, munimentis Belgarum inſiſtit ſalus; quæ inter potiſſimum Reginæ favor, cui præſidium in tuâ cum Patribus concordiâ: dein rectus ordo in adminiſtrando bello, pro facultatibus Belgarum, atque auxilijs Reginæ. Quantum ad prius, æternum illud Numen teſtamur, Fœderatos Patres, imprimis verò Hollandos, Zelandos, ac Friſios, potiſſima Fœderatorum corporis membra, omnia acta, omnia conſilia direxiſſe ad honorem Reginæ, ad gloriam Britannorum, & autoritatis ac faſtigij tui incrementum, denique ad publicam Belgarum utilitatem. Ab his qui diverſa aut ſenſerint, aut Reginæ tibique perſuadere conati ſint, ut Deus male perdat optamus. Etenim quis Regum, quis Principum, in quo plus confidere Belgarum rectores poſſint, quam Britanniæ Reginâ? Cujus tot in Remp. noſtram beneficia. Cui tutius, quam tibi, ſe ſuaque credant Fœderati? Qui ab in-*

cIↃIↃ LXXXVII.

cunabulis rectis innutritus ſacris: qui eorum precibus ad ſuſcipiendum Præfecturam, diu, multùmque es ſollicitatus? Rurſum illi ullamne majorem voluntatis ſuæ ſignificationem facere potuere, quàm ultro oblatis, traditiſque Brilâ, Vliſſingâ, ac Rammekenſi caſtello, quæ claves, qui potiſſimi Fœderatorum portus; opportuni, ſi Reginæ lubitum ſit, adducendis in exitium Belgis. Quod animi ſui inſignius dare documentum Hollandiæ, Zelandiæ, FriſiæqueProceres valuere, quam graviſſima vectigalium ac tributorum onera, non pro ſuâ modò, ſed & vicinorum ſociorumque commodis tot annorum ſerie collata? Igitur obnixè rogamus, ne de ſincero affectu, neu de Fœderatorum Patrum fiduciâ in Reginam aut te ambigas: aut denique, ne plus vanis jactatoribus credas, qui ex magnâ ſpe nihil quidquam perficiunt, quam his, qui per varia experimenta voluntatem ſuam approbavere. Secundum rerum noſtrarum columen eſt rectus ordo. in quo facile tu Princeps, quo rerum uſu, quâ es prudentiâ, intelligis, nihil perinde detrimentoſum, quàm magnitudine ſumtuum juſtos reditus anteire. Occurrit ad animum nobis, quod in ſecretiori ac celebri illo Reginæ Conſilio quondam prolatum, plus decem millium exercitu præſtari, qui ſtipendia acceperit, quam XX *millibus ære fraudatis. Etenim ſeu invadere hoſtem, ſeu circumvallare urbem ſtatueris, quis uſus militis ſtipendiorum indigi? quâ diſciplinâ invitos coërceas? quid hinc ſperandum, niſi propriæ vaſtitas terræ, fuga ruricolarum, & pernicies omnium facultatum, quîs bella ſuſtinentur? His de cauſſis te rogatum volumus, ut colloqui nobiſcum Senatores Reginæ & nonnullos è Senatu jubeas, qui exponant, quid Reginam, quid te malè habeat, & belli ſumtus coërceant intra modum redituum noſtrorum, atque eorum quæ à Reginâ ſubmittuntur. Comperies Princeps, quicquid ſine Reip. diſpendio, & per initas conditiones liceat, Patres facturos. Sic neque nos dubitamus, quin promtum te præſtiturus ſis collapſis reſtituendis, abolendis controverſijs, & communicandis nobiſcum conſilijs.* Contra ea Liceſtrius prolixâ oratione calumnias, & quicquid à turbidis hominibus aut adulatoribus hauſiſſet, Patribus exprobravit. *Equidem*, inquit, *bonum de cujuſque gentis rectoribus judicium facio, à quibus collata mihi præfectura. Alioqui rediturus haud fueram, juvandis rebus Belgarum, ut diſertim à Reginâ juſſus ſum. At nequaquam ut par erat, egêre mecum legati Patrum. Fecerat jampridem Buckenhorſtius per literas ſpem, reperturum me parata in adventum meum decies centena florenorum millia. Reverſo nec pecunia, nec miles, nec ullus belli apparatus, neque ipſi Patrum Delegati præſto fuêre. Non idem mihi qui ante honos, non autoritas, non eadem ſtudia hominum, aut promti, ut quondam, animi adventantem excepere. Nunc demum centena florenorum millia liberandæ Sluſæ decreta.* Querebatur porrò, indignè comprehenſum Delphis eum, cui arcana ſua committeret, literas ſuas interceptas, atque ad Reginam miſſas eſſe, haud ſecus ac ſi affectatæ dominationis ſe accuſarent, quæ nunquam cogitatio animum ſuum inceſſiſſet. Magnam ſibi injuriam factam literis a. d. IV Februarij ſcriptis, & Buckenhorſtio expoſitis, tanquam nòvare Remp. & evertere leges moliretur. Incuſatum ſe, quòd quinquagies centena florenorum millia, dum præfuerit, aut conſumſiſſet, aut privatos ad uſus retinuiſſet. Supremum Numen, univerſum ſe terrarum orbem conteſtari, ducenta ac ſeptuaginta florenorum millia privatim ex proprijs bonis è Britanniâ à ſe adportata, & præter jacturam propinquorum, amiſſamque apud Belgas ſpem generis, magnam ejus ſummæ partem, in nobiles, centurioneſque, ſtipendio defraudatos, erogaſſe, ita ut revertens in Angliam, vix debitam nautis mercedem exſolvere potuerit. Scire hominem ſe, ac erroribus obnoxium eſſe, imprimis novum imperandi. Cæterùm cunctis ante diſceſſum compoſitis, ſincerâ integrâque amicitiâ diſcedere ſe, & ob res bene geſtas plures in Belgicâ amicos, quàm apud Anglos

ſpera-

ſperaviſſe. At longè jam diverſa comperiſſe. Paratam Germanicis copijs pecuniam, militi ad Sylvamducis ſine ratione, ſine fructu impenſam. Buckenhorſtium legatum, alioſque inferioris ordinis homines, qui per ſe creviſſent, nimio apud Patres honore habitos. Non ſe munerum aut quæſtus ſpe ad Belgas veniſſe (quippe nec cupita ſibi, nec accepta ea, præter ſtipendium & craterem aureum à Proceribus, qui alios quoque immerentes hâc liberalitate proſecuti eſſent) ſed compulſum Reginæ mandatis, ut ruentibus ſacris & accifis Belgarum rebus ſubveniret. Idque immotum ſibi manſurum, quamdiu Patres ſatis ſubſidiorum conferant ad repellendum hoſtem. Alioqui nequaquam ſe exſpectare velle, donec retrolapſis rebus cum dedecore ipſe diſcedere, Regina mutare conſilia adigatur; quàm ut ſubditus, ut miniſter, de omnibus facere certiorem ex officio adſtrictus ſit. Eam ob cauſſam apertè ſe omnia proponere voluiſſe, & rogare, ne judicium aliud de ſe, quàm ipſe de Proceribus faciat. Patres, his auditis, calumniarum nonnullas ſubito refutarunt. Buckenhorſtium ſe veneratos tanquam conſiliarium in arcano Reginæ Conſilio, & legatum: & illo inſtante literas, quas dictum, expoſuiſſe. Vehementer falli, qui Liceſtrium quinquagies centena florenorum millia conſumſiſſe affirment. Illud verum, ex quo Remp. adminiſtraverit, plerumque ſumtus belli ſupergreſſos vectigalia & proventus Belgarum. Eos eſſe vicies quater centena florenorum millia annua, ſuper tributa quæ incendij ac populationis metu hoſtiles ruſtici pendant: præterea quingenta millia extra ordinem collata, ter aut quater decies centena millia ab Reginâ ſubmiſſa, denique decies aut duodecies centena, quæ militi deberentur. Ne dubitaret, inter Belgas plures ſe amicos habere, quàm pro opinione. De cætero, quod prolatum, ſcriptum, factumve in hujus aut illius injuriam ſit Reip. remittendum, & laborandum denuo eſſe, ut de bello hoc, & Numini honor, & Eccleſijs ſalus paretur. *Sed*, inquit Liceſtrius, *multis religio pro obtentu eſt, quorum conſilia aliò tendant.* Fiunt tamen promiſſa de abolendâ diffidentiâ ſociandiſque conſilijs: & Patres ut proſperè evenirent, quæ liberandæ Sluſæ moliretur, precati, diſceſſerunt. Parmenſis ut celerari cuncta juvandis obſeſſis intelligit, ſummâ vi urbem aggreditur, & tormentis acriùs quàm antè fatigat; non laboris, non militum parcus; quorum millia quatuor cecidiſſe vulgavit fama. Obſeſſi tandem deditionem faciunt conditionibus æquiſſimis, & VII Kal. Quintil. ſi veterem ſupputationem ſequimur, præſidio digrediuntur. Deditionem ſequutæ rurſum calumniæ & obtrectationes, dum culpæ autorem quiſque alterum facit. Querebatur Liceſtrius, Hohenloium, diverſa agitantem, cum milite ad ſe venire, quamvis vocatum, abnuiſſe. Ille, tutari ſe limites juſſum (ut ſupra oſtendimus) nec ſibi fas deſerere, dictitabat: captiſque per idem tempus prope Sylvamducis Loonâ ac Boxtelâ arcibus, caſtello Eggelâ, atque Helmondâ oppidulo, quin & victor prælio adverſus Altipennium, qui ipſe occubuerat, cauſam cepit haut levius Liceſtrium incuſandi. Ab æmulis ſuis, & Liceſtrianâ factione impeditum, ne deſtinatus miles è Gelriâ, Ultrajecto, Friſiâque ad ſe conveniret. Potuiſſe extremis anguſtijs ipſam Sylvamducis premi: quando incitatæ aquæ negarent iter hoſti, ſuis conatibus exſequendis opportunitatem darent. Adeoque ſpem ſibi fuiſſe Sylvæducenſium anguſtijs Sluſâ hoſtem avellendi. Adverſum ea dictitare Liceſtrius, Hohenloium intempeſtivè multa conantem, ſpes ſuas, & longinquam cum oppidanis conſcientiam pervertiſſe. Palam ex aulâ Liceſtrij vir primarius & conſiliorum ei intimus arbiter, ſcripſit, de induſtriâ Liceſtrio non militem modò, verùm & publicas machinas, aliaſque belli neceſſitates ab Hohenloio negatas; ut à Mauritio naves atque annonam. Utrum-

CIƆ IƆ LXXXVII.

CIↃ IↃ LXXXVII. que mandata Patrum obtendere, quos conſpirare cum ijs ſuſpicandum ſit: quippe perfidiam & his & illis parem: jamque vulgatum eſſe, Patres ſeque & ditionem ſuam in exitium tracturos. Metuendum prorſus eſſe, ut temerè Parmenſis jactaverit, jam emtas ſibi omnes Zelandiæ civitates, & injuriam fieri niſi traderentur. Ita rejectâ in alterum culpâ, ſuam quiſque honeſtâ ſpecie velabat. Cæterùm potiſſima malorum & origo & cauſſa erat diffidentia, altè omnium animos obſidens. Hinc multa privatim factiones egere, neutrâ in parte excuſanda. Sed haud falsò primus diffidendi autor, omnis culpæ reus dici poterat. Interea Pattonus, Tribunus militaris, natione Scotus, Geldram oppidum hoſti prodidit: cauſſam vindictæ cupido dederat, ob acceptam à Schenckio alapam, qui ſerò poſtea validiori urbem præſidio firmare tentaverat. Sub idem tempus Vliſſinganorum ad Patres querelæ deferuntur. Aiebant, pactos ſe, cum præſidium Reginæ acciperent, ne plures ſeptingentis in oppido milites collocarentur, quò inoffenſa procederet mercatura. Habere nunc impoſitas à Liceſtrio cohortes XII, alias ducentorum, minimas centum quinquaginta capitum: non ſine gravi civium onere. At Patres poſtquam ex ducum ſimultatibus potiſſimùm, Reip. damnum eſſe adverterunt, VIII Auguſti die, juxta novam ſupputationem, præſtantes viros ad Hohenloium, Veriæ morantem, mittunt, rogaturos ut Middelburgi Liceſtrium convenire, atque iras ſuas Reip. remittere vellet: neu Reginæ aut Liceſtrij averteret animos, ſed exemplo Mauritij, cujus vicarius foret, ſacramento ſemet illi obſtringeret: quò ductoribus idem ſentientibus major Reip. cura eſſet. Hohenloius ijs auditis rectè quemvis honorem à Fœderatis Reginæ Liceſtrioque offerri reſpondit, quorum auxilio ſalus paranda ipſis eſſet. Se peregrinum, & natum Romani Imperij Comitem eſſe, atque ad ſuos reverti poſſe. Nec Archiduci Matthiæ parêre, nec ſub Arauſionenſi quidquam præter vicariam poteſtatem cupiviſſe, ut Hollandis ac Zelandis utilem operam navaret. Sic neque Liceſtrij imperia accepturum. Diverſam in Mauritio rationem, qui cliens Belgarum ſit. Miſſum ſe facerent Patres, & pro defuncto haberent. Urbes, caſtellaque ſuæ credita fidei, Mauritio & Hollandiæ Zelandiæque Proceribus lubentem redditurum eſſe, ſimulac illi in priſtinum dignitatis locum; Reſp. in formam, quam ſub Auraſionenſi habuiſſet, reſtituta; & exemplum in ſeditioſos nonnullos è ſacro ordine ſtatutum ſit, qui Proceribus & legitimis ſe magiſtratibus opponentes indies ad pejora prolaberentur. His confectis, & terris, quarum in defenſionem ac ſalutem ipſe juraviſſet, in integrum redditis, paratum ſe advolvi genua Liceſtrij, cunctaque illi officia venerantium, & obſequia deferre. Exin libellum Liceſtrio Patres offerunt, hujus maximè argumenti. *Quandoquidem familiare inchoantibus imperijs eſſet intervenire nonnulla haudquaquam priſtinis legibus atque inſtitutis congruentia; Belgarum rectores jam ab antiquiſſimis temporibus ea ſuis aut Principibus, aut Præfectis ſine formidine demonſtrare adſueviſſe. Eundem morem ſecutos nunc Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæque Proceres nullâ mali ſuſpicione Liceſtrium admonuiſſe, ſeque ſperare id eum partim gentis moribus adſcripturum, partim crudo adhuc dolori ex irreparabili amiſſæ Daventriæ jacturâ; quæ tanta ſit, ut conſtantiſſimi quoque Principis animum impellere ad iram poſſit. Itaque rogare ſe Liceſtrium, ut pro ſuâ prudentiâ, ejus rei abolere memoriam, & quicquid peccatum ſit æternâ oblivione ſepelire velit. Nihil minus ſe in animum induxiſſe, quàm exiſtimationem ejus lædere, aut collatam deſtruere poteſtatem. Deum ſe hominesque conteſtari, perinde nunc carum ipſum Proceribus atque olim fuerit. Honorem ſe habere illi & obſequi velle, quantum collatum ſupremi Præfecti faſtigium poſtulet. Viciſſim confidere ſe, eum, quicquid juris ex legibus Patribus deberetur, integrum illis ſervaturum. Se quidem in*

cunctis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXXVII.

cunctis illi auxilio pro viribus futuros, petere etiam ne diverſum de Patribus ſentiat, conſiliaque cum illis communiet, qui non X *aut* XII *homines ſint, ut falſo creditum nonnullis, ſed Equeſtris ordo, nobilitas, atque urbium & nationum omnium rectores, quorum loco ſint legati, quos in conventum Fœderatorum mittant: & niſi cum his in commune conſulat, nequaquam ſalvas eſſe poſſe res Belgarum; horumque perniciem eundem in caſum vicina & regna & nationes tracturam.* Scriptum id ubi Liceſtrio traditum, Middelburgi Patribus reconciliatur, multum gaudentibus nonnullis; alij ne ſimulatio ſubeſſet verebantur. Poſtea a. d. xxv Auguſti Fœderatorum Patrum conventus Dordrechtum indicitur, quò Liceſtrius, Mauritius, Niuenarius, & præfectorum ducumque alij convenere. Hohenloius abfuit. Tardius Hollandorum legati acceſſerant; unde ſtatim arreptâ criminandi occaſione dicere Liceſtrius, Patrum ſegnitie, & tardis conſultis, perire Rempublicam; cæterùm purgatū ſe ejus culpæ eſſe, ac Reginæ cuncta ſignificare velle. Quin & nonnulla jecit, quaſi depoſitâ Belgarum curâ in Britanniam rediturus. Quibus in vulgus elatis, nova veteribus turbis materies & incrementum. Nonnulli Dordrechtanis ſuadere auſi, ut juſto ſuorum numero delecto libellum ſupplicem hujus argumenti Liceſtrio traderent: *Doloris ſibi cauſſam non unam præbere ea, quæ publicè agi videant. Primùm quòd à quibuſdam, interque eos ipſis Patribus audire cogantur, Reginam & Liceſtrium cum Parmenſi de pace colloqui, eoque nihil ultrà fidendum Britannis. Dein quòd confuſum regimen, & conſulentium ſocordiâ, negligi egregium publicum animadvertant. Ob hæc licet Reginæ Liceſtrijque fidem ne in minimo quidem ſuſpectam habeant, rogare tamen, ut apertè declaret Liceſtrius, an non publicè edici velit, capital fore, ſi quis de pace ſermones habeat. Præterea, ſi verè feratur Proceres, more ſuo, in decretis, & pecunijs conferendis, moras nectere, ac Liceſtrij diminuere autoritatem velle, rogare ſe uti contra tendat, & quam à Numine poteſtatem accepiſſet, tanquam legitimus magiſtratus, adverſum eos uſurpet. Se quidem pro eo vitam fortunaſque ad extremum uſque ſpiritum retenturos: quippe ad pedes illius animam effundere malle, quàm in Reginam atque illum ingratos ac perjuros eſſe, quæ graviſſima ſceleratorum hominum ſint flagitia: quamvis nonnulli qui ſummum ſibi imperium arrogent, alium rerum ſtatum malint. Suppliciter ſe pro humilitate ſuâ orare, monere Liceſtrium per honorem ac faſtigium ejus, ut autoritate ſuâ utatur, neu preces atque oblata ſupplicum contemnat: ſe ſane ſummum capturos dolorem, niſi confeſtim occurrat, & occultis proditoribus ſpatium eripiat perfidos conatus patrandi. Neque enim alio fine rumores de pace diſperſos ab illis videri.* Is libellus clam circumlatus & expenſus à quibuſdam: ſed Dordrechtanis, quamvis cætera ſatis infeſti Patribus erant, plus prudentiæ fuit, quàm ut tradendum putarent. Pòſt inquirendo compertum, autorem ſcripti Prouningium, nonnullis popularium, qui Sylvâducis exules Dordrechti ſedem poſuerant, tradidiſſe, ſeduloque adniſum, ut à civibus Liceſtrio offerretur. Interea Niuenarius pecuniâ, commeatu, & milite quantum ſatis inſtructus, Dordrechto Swollam proficiſcitur, paucíſque poſt diebus Meppam, Weſtphaliæ oppidulum, aſtu capit, ac præſidio firmat, ut tuto in Belgicam venirent Germanorum equitum duo millia & peditum legio; quibus id promiſſum, & pecunia Bremam in occurſum miſſa erat. Sed equeſtres præfecti, in his Juſtus Werderus, alijque, datam auctorandis militibus pecuniam in privatum verterant compendium, nec equitum quidquam ſcripſerant. Nonnulli eorum, accepto ab alijs Principibus ære, eorum in verba juraverant, ruptâ ſacramenti quod Belgis dixerant reverentiâ. Adferebant ij ad excuſationem ſuam, monitos ſe ab eminentibus in Belgicâ viris, non proceſſuram expeditionem. Hunc in modum & hoc & ſuperiore anno ſcribundis Germanicis copijs fruſtra æs impenſum, haud dubie artibus illorum, qui hoc

acceſſu

cIↃIↃ LXXXVII. acceſſu Germanorum ducum partes apud Belgas firmari nolebant. Meppam poſtea Verdugus obſidio cinxit. Et quia retinendi nulla cauſa, nec Belgis uſui erat, jubente Senatu, Guilhelmus Dorpius, qui præſidebat, Octobri menſe deditionem fecit. Julio menſe Michaël Lauterbekus Germanus (qui olim Georgij Lalænij Comitis Rennæbergij tubicen, illum in hoſtilia euntem, dein ubi fato hic abreptus Verdugum ſecutus erat) Leovardiæ gladio percutitur, & in membra diſcerpitur. Fatebatur, ſe Verdugi impulſu in militiam Naſſovij tranſijſſe, ut eum datâ opportunitate tolleret. Hoc fine conductas à ſe ædes, propinquas urbis mœnibus, ex quîs properantem ad ſacra Comitem configere poſſet. Spem evadendi habuiſſe in aquæductu, qui modico ſpatio vallum ſtringens in foſſam decurrebat. Ad ſupplicium cum raperetur, veniam ſceleris à Naſſovio poſtulans, monuit eum, caveret ſibi à 'duobus (alter frater ejus erat) quos idem facinus tentaturos dictitabat. Etiam vultum, ſtaturam, omnemque habitum corporis accuratè adeò deſcripſit, ut promtum cuivis eſſet à cæteris eos dignoſcere. At Verdugus, ubi emanâſſe dolum, pœnâque affectum Lauterbekum, intellexit, literis ad Comitem anxiè ſe purgans, ſemper averſatum id genus ſcelera, & mentis impotem Lauterbekum fuiſſe adfirmavit. Malle indicem ſe talium inſidiarum, quàm autorem eſſe. Et ne temere id dixiſſe videatur, monere Naſſovium, uti à Liceſtrio ſibi caveat, quem inſidias ei machinari à primario viro comperiſſet. Hæc verba procul dubio ab Jorcko profecta erant, cui gnaræ Liceſtrij & Germanorum ducum ſimultates, & in augendis ijs ſummum ſtudium. Itaque objecit hoc Verdugo Naſſovius, & quo notior Jorcki perfidia eſſet, literas eas ad Liceſtrium miſit. Ille, gratijs actis, ſedulo ſe ſuſpicione criminis purgavit. Interea dum Dordrechti Liceſtrius moratur, Hollandiæ Proceres cum turbarum in Rep. hanc maximè cauſſam viderent, quòd ille ab hominibus privato quæſtui, aut Hiſpano addictis falsò de terarum ſtatu, & priſtinâ regiminis formâ edoctus, nec ſui, nec Patrum officij limites intelligeret, libellum, quo jampridem rem totam deſcripſerant, ei offerendum cenſuere. Perpulerunt huc eos literæ Liceſtrij decimâ Junij die ad Junium, qui arcana ejus curabat, Grenovico ſcriptæ; quîs circuire illum urbes ſuarum partium juſſerat, & properi reditus promiſſa facere: *ſed venturum ſpe impetrandæ poteſtatis, quanta ad dirigendam Remp. requireretur; nec adverſas Patrum voces, ut hactenus, audire velle. Contentos illos eſſe debere juris eo, quod ſub Carolo Cæſare habuiſſent. Etenim imperatum ſibi à Reginâ, niſi debitam poteſtatem adipiſcatur, confeſtim in Britanniam reverti. Nequaquam inane Præfecti nomen ſibi ſatis eſſe. De his Iunius faceret certiores, quos cupere ſibi ſciret, quò rebus conſulant ſuis, priuſquam in exitium adducantur.* Hæc verba manifeſtò declarabant, Liceſtrium acceptâ poteſtate non contentum, principatum petere. Quamobrem Hollandiæ Patres, varijs teſtimonijs proni in Reginam animi præmiſſis, cujus beneficia ſummis laudibus efferebant, dein addito, non alio hæc fine à ſe facta, quàm ut debita Liceſtrio poteſtas tribuatur, & Belgarum conſulatur ſaluti, libello ei demonſtrarunt: *Magno ſibi dolori fuiſſe diſſidia & contentiones, ab inquietis hominibus inter illum ac Patres alitas, eâque re laudabilem illam ac receptam apud Belgas Reip. formam turbatam, confuſis inter ſe Patrum, Liceſtrij, quatenus ſupremus præfectus ſit, ac ſingularium cujuſque nationis præfectorum officijs atque imperio. Itaque rogare ſe, uti hæc cognoſcat. Supremam poteſtatem, deſtitutis Principe Belgis, ad ipſas nationes redire. In his omnem imperij vim penes Patres, ijſque jus eſſe fœdera, aliaque cum exteris Principibus pacta ineundi. Hâc poteſtate everſâ, neceſſariò ſequi, ut quæcunque acta cum Reginâ ſint, irrita habeantur. Autoritatem Procerum nequaquam à privatis ſuſtineri, ut turbidi ac ſeditioſi homines vulgarint, qui ut totum hunc ordinem inviſum redderent, privato*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ LXXXVII.

vato eos compendio ſervire, & rectam odiſſe religionem, diſtulerint; ſed ab Equeſtri ordine, ab nobilitate, ab urbibus. Neque imputanda his delicta privatorum, in quos ad exemplum aliorum ſeverè animadverti, & Patrum interea poteſtatem integram ſervari par ſit. Itaque rogare ſe ut indicet, quorum culpâ erratum in conventu Patrum arbitretur. Porro de Patrum jure collatâ Liceſtrio præfecturâ nihil decedere: quippe non illi autoritatem, quâ Carolus præfuiſſet, datam, ſed ſolum quam Cæſaris præfecti habuiſſent. Et quemadmodum belli, pacis, novorum fœderum, aliorumque id genus, illibatum ſibi arbitrium retinuiſſet Cæſar, nec eorum quidquam in manu Præfectorum fuiſſet; ita nunc quoque Belgis Principis exſortibus, cuncta ea penes Patres eſſe. Cætera de quibus olim Præfecti conſtituere potuiſſent, in manu Liceſtrij, ac Senatus: ut in libello quo præfectura ei tradita ſit, adjunctiſque mandatis demonſtraſſent. Secundùm eum teneri Præfectos cuique nationi, ductores, alijſque dignitatibus fungentes, ſacramentum dicere Fœderatis Patribus, Liceſtrio, dein genti, atque urbi cui imponantur. Singularum porro nationum Præpoſitos ſubeſſe Liceſtrio. Duces, Centuriones, Tribunos, milites in quâque terrâ, Præfectis obſequium debere. Poteſtatem Liceſtrij in exercitu hactenus extendi, ut cunctis tam Reginæ auxiliarijs, quam Fœderatorum militibus præſit; ijs adverſum hoſtem utatur, eoſque coërceat; non ut novum ei militem ſcribere liceat, cui ſuſtentando terrarum proventus haud ſufficiant. Petere porro, ut maritimas res claſſium præfectis adminiſtrandas relinqueret. De mutandis præſidijs, cujuſque gentis, quam ea res tangeret Præfecti ſtatuerent. Ipſe quoſcumque malorum impulſu, aut Reip. inſcientiâ, contra priſcas leges & inſtituta Præfectos duceſve delegiſſet, aut ad magnas perduxiſſet dignitates, abdicaret: & ea exſequeretur, quæcumque in pactionibus cum Regina Patres decreviſſent. Poſtremo cunctos ſive indigenas, ſeu extraneos, qui diſſidia ſeminarent inter eum ac Patres, pelleret, neu quidquam deinceps ijs fidei haberet.
Libellus hic, quo Patres, definito cujuſque officio, omnes contentionum cauſſas præcidere ſe poſſe exiſtimaverant, pro ſperatis fructibus, priora denuo mala irritavit, graviſſimeque Liceſtrium offendit. Qui non modo adverſum Hollandiæ Proceres obteſtatus eſt, quæcumque hinc incommoda orirentur, illis imputanda; ſed & contrarij argumenti ſcripto publice reſpondit; nullis, quæ rem ipſam tangerent, rationibus ſubnixo, nec ullis cujuſquam officio limitibus poſitis, ſed calumniarum in Patres, quales jam ante retulimus, pleno, ne ſermonum plebi deeſſet materies. Summa omnium hæc erant. *Vniverſo terrarum orbi conſtare, quemadmodum Belgæ, nequidquam tentatis ad auxilium alijs Principibus, ſupplicibus verbis, ac miſeratione ſui Reginam, ut ſubveniret afflictis rebus, permoviſſent. Nec minoribus effectum precibus, ut ad eos ipſe veniret. Quod laboris partim à ſe honore Numinis ſuſceptum, & quò utilem Reginæ operam navaret, partim Belgarum caritate, nullâ ætatis, nullâ honorum, gratiæ, ac facultatum, quas in Anglia haberet ampliſſimas, ratione habitâ. Imperium à Patribus, cum ita ex uſu Reip. cenſerent, ultro ſibi oblatum. Velaviam ſe, Betuam ſe recuperaſſe. Dein graviſſimis de cauſſis in Britanniam profectum, ad Reginam literas detuliſſe, quibus ob res bene geſtas, ſummis laudibus à Patribus tolleretur. Haud multo poſt amiſſam proditione Daventriam, caſu non ſibi minus, quam Fœderatis gravi. Cæterum non primum ſe proditorum perfidiâ eluſum, reperiri inter ipſos quoque Belgas haud exiguum talium numerum. Quæ cum ita ſint, famam tamen ac poteſtatem ſuam in dubium vocatam, multaque in eam perpetrata. Hinc ne gratiâ tantum apud plebem, ſed & Reginam dejiceretur, literas, citra communem Fœderatorum conſenſum, falſis differtas criminibus, ad Reginam dimiſſas eſſe. Gravem ſatis hanc injuriam fuiſſe, ut deſertâ Belgarum curâ, ad privatam denuo vitam reverteretur cæterum*

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ LXXXVII. cum & religionis & Belgarum id periculo facturum ſe videret, ſecundò eaſdem curas ac labores ſubeuntem, nihil intentatum reliquiſſe, ut Reginæ in Belgas amorem accenderet. Reverſum publica privatis rebus ante habuiſſe, ſedulo liberandæ Sluſæ intentum. Sed nequaquam exemplum ſuum Patres imitatos. Promiſſos ter mille milites, aut ſaltem bis mille quingentos. Commeatum, cætera neceſſaria ſummittere diſtuliſſe. Pro centenis florenorum millibus, non plura quàm tredecim annumerata. Amicitiam ſe, ſtabilemque concordiam, ac omnium anteactorum oblivionem ſperantem, quamvis graviter offenſam Reginam perpuliſſe, ut mollius Patrum acta acciperet, ſuaque in eos beneficia amplificaret. Eundem ad modum autoritatem ſuam commodâſſe in coërcendis quibuſdam, qui indignè de Patribus locuti forent. Satis id oſtendere, an plebem in Patres concitare, ut acceptas injurias ultum iret, an dominationem invadere tentârit. Gnarum ijs, ut nihil contra ſe adferre Hohenloius potuerit, præter mendacem Danckarti relationem, quem ipſum poſt adfirmaſſe, vi coactum ab Hubenloio, quæcumque illi placerent, prolocutum. Eundem Hohenloium in Daniam abitum ſimulaſſe, ne Reginæ aut ſibi deinceps obſtaret; cæterùm verbis facta haud congruere. Quippe qui poſt parêre codicillis à ſe miſſis, ac pulverem pyrium, cæteraque bello neceſſaria, ſubmittere recuſârit. In Zelandiâ pollicitos ſibi Patres, pecuniam collecturos ſe, quâ non arcere modò bellum, ſed inferre per duos menſes poſſent. Cæterùm ſe ubi Bergæ, Oſtendæ, & Axelæ neceſſarijs proviſis, Dordrechtum redijſſet, ſperatum æs haud reperiſſe. Itaque ſerio Patres hortatum, ut de pecuniâ ac milite decernerent. Etiam demonſtraſſe, quantâ omnium inopiâ Arnhemenſes, & quæ aliæ in Geldricis limitibus urbes laborarent. Pari ratione monuiſſe de affectis mari rebus, quaſſatis navibus, transfugijs ſociorum navalium, catervatim ad hoſtes euntium. Ad ea reſponſum in dies ſingulos exſpectantem, tandem nonnullos Hollandorum legatos acceſſiſſe, nova quædam afferentes, de Belgarum imperio, ac supremâ poteſtate, in diminutionem faſtigij ſui, & contra leges quîs imperium accepiſſet. Mirum ſibi hunc agendi modum videri, cum non aliam unquam poteſtatem ipſe voluiſſet, præterquam debitam ex conditionibus, ac Procerum pactis. Maximè cùm reverſo ſe majora quàm antè ſubſidia Fœderatis miſerit Regina, ſatis mirari haud poſſe, malam adeo gratiam pro novo rependi beneficio, quod Legato Reginæ ſubducere velint datam ſemel poteſtatem. Proinde ſiquid in Geldriâ detrimenti accipiatur, illis, non ſibi vitio vertendum, qui jamdudum navare Belgis operam voluiſſet, niſi promiſſæ Middelburgi pecuniæ deſideratæ forent. Nunc intelligere, cauſſam Belgarum alios in paupertatem rejicere, alios quod de pace cum Parmenſi Reginâ colloquatur. Ob hæc Hollandiæ ſe rectoribus, ac Middelburgi Fœderatis Patribus denuntiâſſe, ſi bello conficiendo Belgarum ſufficerent facultates, atque id non inania verba, ſed reipſâ verum comperiret, perſeveraturam in auxilio Reginam. Sin ſecus ſe res habeat, quare illam plus quam teneatur facturam? quam ob cauſſam verbis minores facerent facultates ſuas, atque univerſum onus in Reginam rejicerent? Incumbere illi alia, & graviora: Angliam & Hiberniam, propria regna, tutanda. In Galliâ opprimi atque affligi ſubditos ejus, ob ſola Fœderatorum edicta. Impenſas majores facere eam haud poſſe. Itaque ſi Belgarum vires, adjuncto auxilio Reginæ, bello ducendo nequaquam ſufficerent, mandatum ſibi ab eâ, aperire, denuo poſt expugnatam Sluſam pacis ſpem factam à Parmenſi Principe. Sed enim quando ſola ordiri rem eam nolit, invitare Belgas ad ſocietatem colloquij. Igitur falſiſſimè in vulgus elatum eſſe, jam tranſactum Reginæ cum Farneſio: licet ob pactiones cum Belgis haud adeo reſtricta ejus ſit poteſtas quin facere, ſi videatur, poſſit. Satis eſſe quando in his, quæ Belgas ſpectent, nihil ſine Patribus moliatur: eamque ob cauſſam ſignificationem illis facere voluiſſe. Tamen cum adhuc

de bonâ

de bonâ pace deſperaverint Patres, oſtenſum illis, haudquaquam Reginam falle-
re eos in animum induxiſſe. teſtem eſſe Draci in Hiſpanias expeditionem; teſtem CIↃ IↃ
ſuum ad belligerandum reditum, ſi facultates, quantis opus, conferant Patres. Id LXXX
ſi nequeant, aut nolint, quid tandem à ſe aut Reginâ eos petere? Si ex pactis im- VII.
perio ſe præeſſe velint; ſi facultates ſuo & Senatus arbitrio permittant; ſi oſten-
dant cum Reginæ auxilio, quod peditum quinque mille, & mille ſit equitum,
cæteris ſe ſumtibus ſufficere, paratum ſe quidvis laboris ſubire. Sin & ſibi
priſtina ſubtrahatur poteſtas, & terrarum facultates bello impares ſint: ut Re-
ginæ ſuoque nomini conſulat, teſtari, quæcumque acciperentur detrimenta, non
Reginæ, non ſibi adſcribenda, ſed his, qui ingrato adeò in eam animo fuiſſent.
Etiam ſi novas rurſus conditiones ſtipulari Patres velint, in conferendis quot-
menſibus ducentis florenorum millibus, certo decretum ſibi non acquieſcere.
Sæpius à ſe demonſtratum, ac legato Bückenhorſtio compertum eſſe, vix eam ſum-
mam ſtipendijs præſidiorum ſufficere, deſiderari inſuper millia VI & L. *Vnde er-*
go exercitum cogi, aut ſuſtentari poſſe? Vt navales impenſas, ut ſcriptas no-
viſſime civicas centurias omittat. Quamobrem niſi plus æris in commune adfe-
ratur, haud perſpicere ſe, quâ in re utilis ſua eſſe poſſit opera. Ad hæc itaque
Patrum ſe petere reſponſum, quò certiorem ipſe Reginam facere, illa ſuis conſu-
lere rebus poſſit. Poſtremò paratam illam veteribus pactis ſtare, ac amicitiam
inter majores ſuos ac Belgas cultam ſervare: denique & contractus cum ſingulis
urbibus mercaturæ cauſſâ ſancitos, dummodo Belgæ, eorumque urbes, pari in
Reginam ſint fide, debitumque ſtudium oſtendant, ſervandis pactionibus tantiſ-
que rebus conficiendis. Dordrechti a. d. VI. *Septembris vetere dierum nu-*
mero, anni MDLXXXVII. Is libellus ubi vulgatus, in bonorum juxta ma-
lorumque pervenit manus, gravem prudentioribus quibuſque dolorem at-
tulit. Quippe nihil hinc boni exſpectandum, prævidebant. Etenim ut
conſilia aut citius aut meliora darentur (quod requirere Liceſtrius videba-
tur) nequaquam à diſſolutâ multitudine petendum erat. Eveniebat inſu-
per, ut primorum plerique, quorum hactenus conſilijs Reſp. regebatur,
quoſque huic malo occurrere par erat, in propoſito à concitatâ plebe præ-
pedirentur; & tempus conſilijs pro Rep. dandum, coërcendâ multitudine
periret. Principum certe ſiqui prudentiores, difficultates, communicato
cum fidis ac ſapientibus viris conſilio, conficere, & interea apud vulgus
ſpem ac vultum fingere, adſuevere. diverſa prorſus Liceſtrij facta. Arauſio-
nenſis nunquam tantis vectigalibus, nunquam validis adeo exterorum
Principum auxilijs ſuſtentatus, plebem tamen extremis in anguſtijs, cauſſæ
bonitate, atque inſuperabili locorum ſitu ſolatus erat. Contra libellus hic,
deſperationis plenus, ita contemtas reddiderat res Belgarum, quaſi nulla
reſtaret ne in Deo quidem fiducia. Contingebat præterea, quod productis
in publicum hujuſmodi libellis accidere neceſſe erat, ut omnem terrarum
ſtatum hoſtis cognoſceret, ac Fœderatorum diſſidijs, atque egeſtate læta-
retur. Adeoque ſi ob facultatum tenuitatem de pace, ex conſilio Liceſtrij
tractandum foret, totum hâc re negotium corrumpebatur: quippe ſimile
vero duras hoſtem conditiones iis poſiturum, quorum jam conclamatas res
putaret. Adeò ut nihil inde utilitatis (quo tamen omnia populorum re-
ctoribus dirigenda ſunt) damna complura exſpectari poſſent. Secutumque,
ut Hollãdiæ Proceres qui modeſtè hactenus & comiter conſilijs eius reſtite-
rant, famæque pepercerant, ſuum quoque libellum publici juris facerent:
cui prolixam expoſitionem adjecere, ut nuda veritas & univerſum rei fun-
damentum plebi pateret, priuſquam falſæ opiniones occuparent mobiles
animos. Summa omnium hæc erant: *Hollandiæ Patribus ſententia ſemper*
fuit, & adhuc ſtat, Liceſtrio poteſtatem, quam à Reginâ ac Fœderatis Proceribus
accepit, aſſerere: viciſſim poſtulatum eorum eſt, ut ſecundum promiſſa ac jura-

mentum;

cIↃIↃ LXXXVII.

mentum, Patribus dignationem, Belgarum populo inſtituta ſua integra relinquat, quemadmodum initis cum Reginâ conditionibus convenit. Sèd quia literis, quas ad Iunium arcanorum ſuorum curatorem ex Angliâ ſcripſit, Procerum poteſtas ab eo in dubium devocata; accuratius hanc rem diſſerere neceſſarium judicavimus; cum Equites, Nobilitas, atque Vrbes, patrias defendere leges juramento obſtringantur, & niſi id fiat, graviſſima immineant pericula. Etenim ſi principatus nequaquam penes Patres eſt; ſequitur ut quæcumque illi cenſuerunt, de abdicando Rege, inſtaurandis ſacris, de patriâ, & afflictis ſubditis liberandis; poſtremò, bellum univerſum, firmatumque cum Reginâ fœdus, vana, irritaque habeantur. Multoque minus Principum cuiquam tradere id juris valeant. Liceſtrio Fœderati Patres domi militiæque eandem poteſtatem congeſſere, quam ſub Carolo olim Cæſare Præfecti tenebant. Hæc nunquam illi à Patribus negata. Cæterùm quæcumque ſub nomine Liceſtrij extra eam geſta, antiquanda, reſtituendaque ſunt, ſi ſervatas velimus terras noſtras. Manent in Patrum poteſtate cuncta, quorum maxime Reip. intereſt. Manet arbitrium pacis, induciarum, bellorum, fœderum cum exteris Principibus; edictorum quæ aut ad terrarum ſtatum pertineant, aut vicinos offendere Principes poſſint. Nec alijs poteſtas monetam mutandi; mercaturam ac negotiationẽ in loca à bello vacantia ſuſpendendi, aut interdicendi; leges, ac conſuetudines novandi; belli ſumtus intendendi; quæ cuncta ſibi retinuit Cæſar, quò communicata cum Proceribus, partim quoque eorum ex ſententia, adminiſtraret. Cætera à Præfectis curari ſolita, penes Liceſtrium ac Senatum ſunt. In quo ſuffragia tam Britannis, quam Belgis ferre licet, quando id pactionibus cum Regina, ac Patrum codicillis, quibus Præfecturam Liceſtrio dedere, minime adverſatur. Militibus ſacramentum Hollandiæ rectores præſcripſere, ut cum Reginâ Liceſtrioque pacti ſunt. Iuramenti verba vetere & recepto apud Belgas more concipiuntur: ut incorruptam fidem Fœderatis, obſequium Liceſtrio, & cujuſque gentis, in quâ ſunt, præfecto, polliceantur. Ii Præfecti ab antiquiſſimis temporibus imperium in ſuæ terræ milites habuere, ac rationem reddere coguntur omnium, quæ ad cuſtodiam munitorum locorum pertinent. Quod munus ſine imperio in militem adminiſtrari nequit. Quem ſi ordinem Liceſtrius obſervaſſet, non Daventria, non caſtellum Zutphanienſe proditione amiſſæ forent. Quò æquius à Patribus minorum præfectorum poteſtas defenditur tam in ſacramento, quàm mutatione præſidiorum. Neque eâ re Liceſtrij faſtigium diminuitur, quum juramento imperioque ejus contineantur, per quos mandata ſua curare adſueverit: idque non ſupremis modò Belgarum præfectis, ſed & ipſis uſurpatum Principibus. Quamobrem æquum ſingularum nationum Præpoſitis fidere Liceſtrium. Tutius quippe præſidia ab his mutantur, qui urbium caſtellorumque ſitum, qui habitantium militumque animos perſpectos habent, quàm privatis hominibus, quos ſola ambitio ad expoſcendas dignitates exſtimulat. Tanta pro libertate & geſſere, & perpeſſi ſunt Hollandi, ac Zelandi, ut quicquam de jure ſuo deperdere haud debeant. Eximia Arauſionenſis ac Naſſoviæ domus in nos merita majorem mercedem poſtulant, quam ut Mauritio ſua juſta poteſtas, quam ante Liceſtrij adventum habuit, ſubtrahatur, ac pro meritis inſignibus indigna adeo referatur gratia. Neceſſario Hollandiæ Proceres cum vectigalia in commune conferunt, primam gentis ſuæ rationem in ſtipendijs haberi poſtulant. Idque eo juſtius, quòd præteritis annis peccatum hâc parte animadvertunt. Etenim ſub diſceſſum Liceſtrij compertum, belli ſumtus ac neceſſitates, vectigalibus, & quicquid in ærarium colligitur, alterâ parte majores fuiſſe. Nec minus apud quemquam, quam Hollandos, ſtipendia proceſſere. Nihilominus non æris modò quicquid in promtu foret conſumtum, ſed & ſequentium aliquot menſium pecuniæ præceptæ fuerunt. Quamvis autem impenſæ, ex quo abierit Liceſtrius, in ſingulos menſes centenis florenorum millibus deminutæ ſint; pluraque parcendo, niſi proditio Daventriæ interveniſſet, corradi potuerint: verentur tamen Patres, ne denuo

ſumtus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſumtus, & ſupra auxilia Reginæ, & Belgarum reditus intendantur, unde certum terris exitium. Tamen accuratè confectis rationibus, ſi onera fructibus æquentur, meliori cuncta ordine, & majori Reginæ, Liceſtrijque, & Belgarum commodò adminiſtrari poſſunt: imprimis ceſſantibus noxijs de pace rumoribus. Poſtremò poſtulatum nobis, ut quæcumque præterito anno aut malorum, & inquieti animi hominum impulſu, aut errore contra pacta atque inſtituta Liceſtrius perpetravit, in integrum reſtituantur. Exin ne quidquam talibus deinceps tribuat. Quorum illud petere & juramenti officijque ratio impulit, & Vltrajectini Proceres ex communis fœderis lege id poſtulantes: hoc Anglorum partim, dein Belgarum quoque cauſſâ factum, qui aut neſcij Reip. aut privato dediti compendio publicis ſe rebus miſcent, ac Liceſtrio abutuntur: quod ſi impune cuivis liceat, fruſtra poſtulanti Reginæ ac Senatui ejus negavimus Brilæ & Vliſſingæ præfectos in Senatum admittere. His itaque de cauſſis rogatum te obnixè volumus, ut ſcriptum hoc (quod accuratè expenſis rebus, ad tuam, Comes, utilitatem, non diminuendæ, ſed aſſerendæ poteſtati tuæ; longoque tempore ante pactionem Middelburgenſem; nec irritandis, ſed præcidendis, quæ præceſſerunt, contentionibus, compoſuimus) æquo animo accipias, & bonâ nobiſcum fide agas, Remp. concors Patribus adminiſtres: auxilia Reginæ, vectigalia, & quæ alia publicum ſpectant, ex conſilio Senatus bono ordine cures, ac facultatibus ijs contentus ſis, quas ſupremum Numen, terrarum felicitate atque ingenio dedit, ad communem hoſtem propulſandum. Quæ ſi fiant, haud dubiè quoque noſtra cordi Numen hebebit; cujus gratiam jam ante ſumus experti, cum virium, quæ nunc ſunt, nec dimidium haberemus. Actum Hagæ a. d. IV. Octobr. novâ ephemeride, decretumque ut Liceſtrio Harlemi offerretur a. d. ejuſdem menſis ſextum decimum. Exinde etiam libello Liceſtrij, quem publicarat, hunc in modum ab ijſdem Proceribus reſponſum eſt.

CIↃIↃ LXXXVII.

Etſi cunctas ſimul Fœderatas nationes ei occurrere par eſſet; ſe tamen, cum ,,
ſociorum legatos nihil tale à patriæ ſuæ rectoribus juſſos viderent, & offi- ,,
cio ſuo, & poſtulatis Liceſtrij ſatisfacere voluiſſe. Quamobrem hæc cogno- ,,
ſceret. Hollandiæ Zelandiæque Proceres anno MDLXXII bello juſtis de- ,,
cauſſis adverſus Hiſpanum pro religione ac libertate ſuſcepto, præfectoque ,,
Reip. Arauſionenſi, primùm à Britanniæ Reginâ auxilium & opem petiiſ- ,,
ſe. Pòſt à Fœderatis pariter omnibus delatum Andino imperium, & illo ,,
humanis rebus exemto, eadem cum Galliarum Rege nequidquam tentata. ,,
Poſtremo motam Reginam, ut Belgis laborantibus auxilia ſubmitteret, quo ,,
nomine, immortales ſe ei gratias debere. Debere & Liceſtrio, quòd onus ,,
ſuſcepiſſet non modò auxiliarios Reginæ, ſed ipſos quoque Belgas, atque ,,
univerſam adeò Reip. molem ſuo conſilio, ſuâ autoritate dirigendi. Nec ,,
ſe eorum, quæ fœderis legibus, aut codicillis de collatâ ei præfecturâ, pro- ,,
miſiſſent, in conferendis vectigalibus ac tributis, in deferendo ei quovis ho- ,,
nore & obſequio, pro terrarum conſuetudine quicquam omiſiſſe. Quippe ,,
quòd ipſi, quod Zelandorum quoque & Friſiæ Patrum legati, nonnulla re- ,,
ſtitui in integrum poſtularint, quæ pactionibus ac Belgarum libertati adver- ,,
ſarentur; id factum ob uſum Reginæ, ob Liceſtrij, & ſimul Fœderatarum ,,
gentium commoda. Nec tramittere id potuiſſe, ſeu officium ſuum, ſeu ju- ,,
ramenti neceſſitatem ſpectarent. Diſceſſum ejus in Britanniam nequaquam ,,
probatum ſibi, & ut noxium primò dehortatos, poſtea tamen aſſenſiſſe, ,,
dummodo ſpem faceret poſt duos aut ſummum tres menſes ſe rediturum: ,,
& dum, abſente eo, regiminis cura Senatui; nationis cujuſque Præfectis, de- ,,
bita ex legibus poteſtas concederetur. Nonnullis poſt abitum ejus hebdo- ,,
madis, cum anguſtam admodum Senatui poteſtatem, eâque re inter incom- ,,
modorum cætera, Daventriæ proditionem prohibere nequiviſſe viderent: ,,
neceſſitate adductos alijs in locis occurriſſe, ſalvâ tamen exiſtimatione ac ,,
poteſtate ejus: nec aliud actum ſibi, quàm reſtitutam, quæ indignè collapſa ,,

CIↃ IↃ fuiſſet, minoribus Præfectis poteſtatem. Pari ratione literas de Daventriâ,
LXXX ac caſtello Zutphanienſi proditione amiſſo, deque afflicto rerum ſtatu, ne-
VII. quaquam ſcriptas, ut quicquam aut famæ, aut dignitati ejus derogatum
,, irent: cæterùm in magnâ animorum conſternatione fieri aliter nequiviſſe,
,, quin Reginæ, & illi pericula demonſtrarent, inde orta, quòd rerum graviſſi-
,, ma, non relicto cognoſcendi ſpatio, nec conſilio cum Senatu communica-
,, to, adminiſtraſſet. Itaque remedium in poſterum erroribus fuiſſe. Solos
,, autem ſociorum legatos literarum in conſcientiam adhibitos. Argumento
,, id eſſe, quàm famæ ejus conſultum apud multitudinem voluerint. Reginæ
,, earum exemplar miſſum, ut damni gnara, legatos maturato reſponſo, ac ſo-
,, latio majore dimitteret. Cæterùm quando Reginam & illum perinde of-
,, fenſos videant, rogaſſe, ſiquid duriùs dictum videretur, id juramento at-
,, que officio imputarent ſuo: denique & gentis moribus. Semper quippe
,, Hollandiæ Proceres audacter aperteque Principes aut Præfectos ſuos mo-
,, nere conſueviſſe. Plurimùm vero omnium timorem potuiſſe, ex recen-
,, ti calamitate. Itaque ſummas ſe illi grates agere, quòd excelſo invictoque
,, animo, adverſus quævis improſpera imperij ſui, immotam conſtantiam re-
,, tinuiſſet: quòd depoſitâ ante actorum memoriâ Reginam denuo Belgis
,, conciliaſſet; quòd amorem ejus animumque in auxilijs ſubmittendis accen-
,, dere, omneſque in obſeſſam Sluſam curas intendere haud omiſiſſet. Que-
,, relas de Hohenloio ſui judicij non eſſe: tamen credere Hohenloium, cui
,, maxime res cognita ſit, Liceſtrio facturum ſatis. Sibi has ſimultates dolori
,, eſſe, ac ſopire adnixos, quò concordiâ, maximo rerum ſuarum momento,
,, cuncta creſcerent. Cæterùm arbitrari, originem traxiſſe eas ex certamine
,, de minorum præfectorum potentiâ. Porro liberandæ obſidio Sluſæ, ab ſo-
,, lis Hollandis ac Zelandis pluſquam centum quinquaginta florenorum mil-
,, lia collata, partim parato ære, partim coëmtis eo armis, pyrio pulvere, com-
,, meatu, alijſque quorum in bello uſus: licet deſtinatus huic negotio miles,
,, omnis fere impenſis Reginæ ſuſtentaretur. Ignarum ſibi quâ ſocordiâ, quaſ-
,, ve ob neceſſitates, præſidium hoſti urbem dedidiſſet. At centena floreno-
,, rum quæ Liceſtrius dicat millia, à Patribus XXIII Julij die promiſſa, non
,, ſubito, ſed exacto menſis ſpatio fuiſſe numeranda. Quòd Patrum rogatu
,, edictum feciſſet, in factioſos homines, Reip. turbatores, quorum plerique
,, exteri, ijſdem artibus, patriam antè ſuam ſub hoſtium perduxiſſent jugum;
,, agnoſcere Patres glorioſum id Reginæ, atque ipſi; Belgis ſalutare eſſe. ac
,, proinde rogare, ut ſevere edictum hoc in quoſcumque ſeditioſos exerceat.
,, Quippe durante hoc bello, nunquam ſibi id malum incubuiſſe; nec ulli gen-
,, tium ſaluti, multis exitio fuiſſe. Verè quidem adfirmari, decretum ineunte
,, Auguſto à Fœderatis Patribus factum de educendo ex hybernis exercitu,
,, ac per duos menſes ſuſtentando: ſed viciſſim probatu facile, imo manifeſtũ
,, eſſe, data ab ijs Niuenario Comiti florenorum millia XL, ut equitum mille,
,, ac neceſſario peditum comitatu, obviam Germanis pergeret. Eodem quo-
,, que conſilio alijs militaribus Præfectis pluſquam centena millia tranſdita.
,, Martinum Schenckium à Maio menſe LXX habuiſſe. Arnhemo proſpe-
,, ctum à frumento integrum annum ſuffecturo, ac mille ducentis militibus:
,, ſola cibaria, & cæteras belli neceſſitates XX millibus ſtetiſſe. Etiam Mauri-
,, tium, mari præpoſitum, omnia huc pertinentia ita diſpoſuiſſe, ut certo con-
,, fidant, nihil hoſtem, ſi tentet, claſſe effecturum. Itaque in nullo eorum, quæ
,, Liceſtrius poſtulaſſet, accuſari negligentiæ poſſe, ac injuriâ obteſtari Lice-
,, ſtrium, ſiquid acciperetur detrimenti, Procerum culpam fore. Gravibus de
,, cauſſis ſupremi ſe Præfecti munus, à ſingularium officio diſtinxiſſe: ipſum-
,, que à ſe monitum, ne impenſas proventibus majores faceret, turbidos ho-
,, mines à ſe arceret, quicquid adverſus pacta perpetratum, reſtitueret, quò
concor-

concordibus deinceps animis ſtudijſque cuncta gererentur. Hæc ſe lega- cIↃ IↃ
tos ſuos Middelburgum euntes, poſtquam cum Zelandiæ Proceribus col- LXXX
locuti forent, demonſtrare Liceſtrio juſſiſſe: illos tamen, cauſſas habuiſſe VII.
cur differrent: itaque, repetitis mandatis, Dordrechti demum Liceſtrio ,,
libellum oblatum. Eo an injuſti quidquam, an aliena à ratione demon- ,,
ſtrentur aut petantur, ſcrutantibus manifeſtum eſſe. Nec miraculo eſſe ,,
debere, ſi Patres novis & improviſis oneribus propoſitis, vix pares terras ,,
ſuas querantur. Eo id facere æquius, quod decimumquintum jam annum ,,
cum potenti adeo hoſte belligerantes, oſtendere poſſent, rerum potiente ,,
Liceſtrio, quadragies, minus uno, centena ſe florenorum millia contuliſſe. ,,
Nunquam in mercatura, aut navigatione plus damni acceptum: & tamen ,,
pecuniæ vim multo majorem coactam, quam in Britanniâ legati ſui poſſe ,,
fieri profeſſi eſſent. Eoque mirari ſe, quòd rogetur, an facultates, juncto ,,
Reginæ auxilio, bello ducendo pares ſint. Arauſionenſem, Numini innixum, ,,
Hollandorum ac Zelandorum res tutatum, ſine auxilio Reginæ, quo nunc ,,
fruerentur: ne facultatum quidem, quæ nunc ſint, dimidium habuiſſe, non ,,
munitas urbes, non integras terras: quum principes urbes ſub hoſte fo- ,,
rent: quum frequentes Hiſpanorum copiæ in viſceribus Belgarum hære- ,,
rent: quum varijs claſſibus maria obſiderentur. Omnia tamen hæc, fiduciâ ,,
in Deum, ſuperaviſſe Arauſionenſem, nec tale quidquam unquam ab eo ,,
quæſitum. Proinde nullâ nunc ratione id rogari, cum inſignis alterum ar- ,,
rogantiæ, alterum animi Deo diffidentis argumentum ſit. Et quandoqui- ,,
dem Reginæ nequaquam ſummum capeſſere imperium, ſed auxiliari tan- ,,
tum viſum ſit, ſupereſſe, ut Numinis opem implorent; pro auxilio Regi- ,,
næ, ac Belgarum vectigalibus, accuratè rationes ſuas conficiant: nec majo- ,,
res copias ſcribant, quam quibus ſatisfieri facile poſſit. Concordiam, & ,,
amicitiam inter primores, duces, terras, urbes, atque ipſam plebem colen- ,,
dam. Nationum urbiumque juvandas res: agros à militum injurijs prohi- ,,
bendos: denique eventum proſperum à ſupremo humani generis Modera- ,,
tore exſpectandum. De cætero, ignaros ſe edictorum, quîs damni quid- ,,
quam illatum ſit Britannis in Galliâ degentibus. Semper tamen veritos, ,,
ne edictum, quod ſuperiore anno Ultrajecti promulgatum, ſe ignaris & ,,
inconſultis foret, magnum quondam terris ſuis, magnum vicinis gen- ,,
tibus allaturum eſſet detrimentum. Ad pacem quod attineret, intelle- ,,
ctum ſibi quid præterito anno menſe Majo à Daniæ Rege propoſitum, ,,
quidque à Reginâ reſponſum ſit. Etiam ex Andreæ Loëi actis, atque ore ,,
legati Buckenhorſtij, Reginæ animum cognoviſſe. Sæpe quoque nonnullâ ,,
ab his monitos, quorum non ſpernendi prorſus ſermones viderentur; pauca ,,
tamen eorum ſciviſſe multitudinem. Non credere Patres, Reginam aut ,,
Liceſtrium invitis Fœderatis de pace acturos. At poſtquam per Valckium, ,,
Meniniumque, Hollandiæ Proceres interrogâſſet Liceſtrius, an Reginæ au- ,,
xilijs juti pares ſe ducendo bello exiſtimarent; eoque id quæſitum adjeciſ- ,,
ſet, ut quia Belgarum vires perexiguas judicaret, viderent Patres, an non ,,
tolerandis conditionibus pacem fieri ſatius eſſet: tum dictos ſupra viros, ,,
qui licet ſæpius moniti in Patrum tamen conſeſſu reticuerant, longiùs ,,
premendam rem non putaviſſe. Viſum quoque tunc perneceſſarium ,,
cum nonnullis Nationum conventibus negotium communicare: ubi non- ,,
niſi honeſtiſſimam Reginæ ac Liceſtrij mentionem habitam. Unde men- ,,
dacij illos manifeſtos, qui vana adeo ad eum detuliſſent: ſimul cognoſci, ,,
quam temerè ijs fidem habuerit Liceſtrius. Procerum Hollandiæ in perfi- ,,
ciendo fœdere nationum, proſperis adverſiſque rebus, fidem ac pietatem ,,
egregiam fuiſſe; quicquid contrà inquieti turbidique homines ſpargant: ,,
adeo ut nunquam quiſquam vel terræ, vel urbis amiſſæ culpam illis jure ſit ,,
adſcri-

cIↄ Iↄ LXXXVII. adſcripturus. Semper quoque paratos illos poteſtatem Liceſtrio ex pactis, àc præfecturæ nomine debitam, concedere atque aſſerere. Id tantum petere, ne muneris ſui limites ipſe egrediatur, ſed ſuam poteſtatem à minorum
,, præfectorum officijs diſcernat. Promtos quoque ducenta florenorum mil-
,, lia quotmenſibus collata, & quicquid æris extra ordinem decerneretur,
,, ejus & Senatus arbitrio permittere: dummodo exemplum reliquæ ſequan-
,, tur nationes, & Hollandorum pecuniâ ante omnia eorum præſidijs ſatisfiat,
,, dein vicinis nonnullis, pro quibus id facere teneantur. Nec ſe novi tum
,, quicquam petere, cùm compertum ſit Fœderatos, ac cujuſque nationis
,, Proceres, in pendendis vectigalibus eandem viam inſtitiſſe: quin & longe
,, plura ſtipulatos, quæ ſine repulſa à Principibus ſuis obtinuiſſent. Ita anno
,, currentis ſæculi ſextò & quinquageſimo imperante Philippo, decretis no-
,, vennalibus precibus (quo tempore annua Hollandorum tributa menſtruis
,, hujus temporis haud majora fuiſſent) pactos eos, ut pecunias ipſi tractarent,
,, erogarent, ac Cenſores militares deligerent: ut Princeps, ejuſve legatus,
,, populationem maleficiaque omnia prohiberet: ut denique navigationem
,, ac tuta in Orientem & Occidentem commercia concederet, quæ cuncta
,, fide optima Patribus promiſſa. Hinc liquere, quam Reip. ignari ſint, aut
,, male cupiant, qui ſuadere Liceſtrio conentur, ut anguſtis adeo terminis
,, Patres coërceat. Quippe iniquum, ut collatæ ab Hollandis pecuniæ, ſocio-
,, rum militi in ſtipendium cedant: ipſi interea, indigo æris milite ſuo, in peri-
,, culo verſentur. Rationes belli cũ Buckenhorſtio confectas haud uſque adeò
,, graves eſſe, quin & ſubſidia Reginæ, & Belgarum facultates ſufficiant. Imo
,, ſi auxilia Britannica (peditum videlicet millia quinque, equites mille) pleno
,, habeantur numero, ac in limitaneas urbes diſtribuantur, non modo præſi-
,, diorum cæteris, & magnæ equitum parti, paratas fore duas ſtipendiorum
,, tertias, ſed & juſtum ex hybernis exercitum educi, caſtelliſque, aut alijs
,, obſeſſis locis, ſubſidio teneri poſſe: dummodo pleno centuriarum numero
,, omnis à cenſu fraus abſit. Etiam cuſtodias oppidanas ſcribi poſſe. Navali-
,, bus impenſis, & maris oneribus ſufficere commeatus, prædam maritimam,
,, ac vectigalia quæ ex travectis in hoſticum mercibus colligerentur: dum,
,, uti par ſit, non impediantur ea, ſed publicos in uſus vertantur. Quòd proxi-
,, mo biennio maritimo militi malè adeò ſtipendia proceſſiſſent, his impu-
,, tandum, qui, (cauſſarum ipſos ſibi conſcios) diſſuasâ navigatione, univerſas
,, Belgarum terras, quibus fœcundiſſimæ Europæ regiones paterent, fame
,, enecare agitaſſent. Porrò quam id ex uſu fuerit, elapſum noviſſime trien-
,, nium docuiſſe, quo ne minimum quidem oppidulum ſubjugatum; urbes ce-
,, lebris famæ triplo plures amiſſæ ſint, quàm quatuor annorum ſpatio hoſtis,
,, oppugnatis totis viribus Hollandis ac Zelandis, & non alibi occupatus, ex-
,, pugnare potuiſſet. Non putare ſe, ullam nationum aut urbium, ſi oppidanas
,, cuſtodias ſuo ære ſuſtentet, ideo de conſuetis quicquam oneribus remiſſu-
,, ram. Itaque ob hæc omnia rogare ſe, ut recte reſponſum hoc ſuum inter-
,, pretetur Liceſtrius, Numinis præſidium imploret, & in generoſo propoſito
,, de Belgis adverſus Hiſpanos, & implacabilis Chriſtianæ religionis hoſtes
,, defendendis, perſeveret: Nobilitati atque urbium ſe potiſſimis adjungat;
,, ac confidat, juvante Numine, plenis Reginæ auxilijs, omni à cenſu exclu-
,, ſo dolo, cæteris belli ſumtibus, ad ducenta florenorum millia redactis, adie-
,, cto quod incendij metu hoſtiles agri penderent, & curato ut plenus mili-
,, tum numerus, ut ſevera diſciplina ſit; dein commeatibus, quæque ex mer-
,, cium travectionibus colligerentur, in publicos uſus erogatis; ſubſidia præ-
,, dictaſque facultates abunde ſuffecturas defendendis cum Reginæ ejuſque
,, gloriâ, & hoſtium calamitate Belgis; ita ut incertam ſubdolamque adire pa-
,, cem, aut de rerum ſtatu deſperare nulla ratio cogat. Se quidem ſanctè ac
conſtan-

conſtanter in eo, quod cum Reginâ conveniſſet, manſuros. Datam ei pote- CIↃ IↃ
ſtatem tueri, promiſſa vectigalia cum fide exſolvere, denique præſtare LXXX
quidvis paratos, quod ad ſalutem terrarum ac firmandam concordiam per- VII.
tineat. Ad ultimum tales ſe præſtare decreviſſe, ut & Regina, & ipſe expe- „
riendo diſcat, non aliud æque votum Patribus, quam pro meritis Reginæ, „
pro affectu Liceſtrij, gratum perpetuò animum retinere, ipſique honorum „
genus omne deferre, quod ſine religionis, aut legum diſpendio poſſint. „
Ad ultimum gratias quoque Reginæ ſummas agere pro conſtantiâ in ſer- „
vandis, quæcumque ad uſum mercaturæ pacta eſſet. Et parem rependere „
gratiam velle, quo univerſæ Anglorum genti conſtet, ſinceram à ſe amici- „
tiam, ac ſocietatem cum vicinis populis expetitam. Actum Hagæ-Co- „
mitum a. d. IV. Octobr. decretumque ut Liceſtrio ſextâdecima ejuſdem „
menſis die offerretur. Iidem quoque Hollandiæ Proceres libellum edi- „
dere de priſtinâ imperii apud Hollandos formâ, de poteſtate Principis, „
Procerum officio; ut de præſentibus judicare in proclivi cuivis foret. Nos tantum ſumma rerum trademus. *Hollandiam, Weſt-Friſiam, ac Zelandiam, octingentis abhinc annis ſexus utriuſque Comites habuere, quibus imperium ex legibus Equeſtris ordo, Nobilitas, atque Vrbes offerebant. Ipſique ita moderati ſunt, ut bellum, pacem, tributa, aut alia magni momenti nunquam decernerent, niſi adhibitis in conſilium, ac conſentientibus, Nobilitate, atque Vrbibus. His promti aditus, & ſiqua publicum ſpectantia proponerent, nunquam fides negata. Hunc in modum temperato imperio, multum terræ, multum ipſi Comites crevere. Etenim, quamvis anguſtæ domini terræ, apud omnes penè Chriſtiani orbis Principes exiſtimatione ſummâ, & magnis Regum domibus innexi fuere. Hoſtes victi, aut quamvis præpotentes, depulſi: adeò ut ab octo ſæculis Hollandia Zelandiaque ſeu externo, ſive inteſtino bello, nullius unquam armis fuerint ſubjugatæ: rarâ aliis regnis, aut Rebuſp. laude; neque illa alijs quæſitâ artibus, quam concordiâ mutuâque inter Principem ac Patres caritate. Quippe potentiæ Principibus parum: ne reditus quidem ulli, niſi quod è fiſci ſui rebus acceptum aulæ miniſterijs, & tuendæ principali fortunæ inſumebant. Compertum quoque, poteſtatem Patribus fuiſſe non pravo tantùm conſilio ſeductum Principem ad ſalubria revocandi, ſed &, ſi minus audirentur, exemplum in malos conſultores ſtatuendi. Principibus, qui nec ætate nec mente valent, tutores ab ijſdem dantur. Denique & plenum regimen capeſſunt, ſi aut abſentiâ, aut impubertate, mentis impotentiâ, errore, aliove caſu intermiſſa Reip. ſit adminiſtratio. Eam ob cauſſam ſæpius caput ſibi, Tutoris ſive (ut nuncupabant) Ruwardi nomine, delegere quod factum imperitante domo Burgundicâ, quando Carolo Duce, filiâque ejus Mariâ, extinctis, Maximilianus vi diverſum inducere morem conatus, in extremum terras periculum conjecerat. Etiam ipſi Carolo, donec juſtam ætatem attingeret, tutores, terris rectores à Patribus dati. Idem Carolus (& erat tamen libertas Belgarum ſub domo Burgundicâ pluribus modis infracta) Patrum autoritatem ſemper fecit maximi; gnarus tutiſſimum id rebus ſuis munimentum, Filium quoque ſerio monuit, ne viles unquam Proceres ei forent: magna enim hinc diſcrimina impendêre. Veraque prædixiſſe, exitus comprobavit. Nec enim alia huic bello cauſſa, niſi quod extraneo milite per vim ſubditos impellere ad ea Rex conatus ſit, quæ tanquam noxia, injuſtaque, Patres diſſuaſerant. Vnde magna illorum eſt iniquitas, quibus Proceres æſtimantur pro dignitate eorum, qui conventui interſunt: perinde ac ſi, quibus hoc muneris à Nobilitate atque Vrbibus imponitur, ſemet pro Ordinibus venditent, ſibique jus ſummum & liberrimum vindicent, eoque pro lubidine, favore, aut odio, rapiant cuncta agantqne. Facile hæc qui expenderit, maxime quæ à XV abhinc annis in Hollandiâ Zelandiaque geſta ſunt, animadvertet, haud ſitam Patrum poteſtatem in XXX aut XL hominum manu. Ipſi Hiſpaniarum Regis Oratores, qui id genus argumentis, evertere terrarum ſtatum, atque in contemtum*

cIↃIↃ LXXXVII. adducere conati ſunt, quam falſa diſſeruerint, experiendo dedicere. Porro ut ratio conſtet, unde tanta Patrum poteſtas originem traxerit, obſervandum, Principes, quotcumque ex legibus præfuere, non tantum populi deferentis conſenſu placitoque imperium habuiſſe, ſed & adminiſtraſſe, ita ut cuncta corporis (cujus caput ipſi ſint) membra integra, & intemerata permanſerint. Nec durare in longum id poterat (cum facile Principem vafri atque ambitioſi homines tranſverſum agant) niſi vires indigenis fuiſſent, adverſandi pernicioſis Principum conatibus. Qui eam ob cauſſam duos in ordines diſtributi ſunt, Nobilium alterum, alterum Vrbium. Nobilitati datus ordo ob dignationem generis, quo (quod pace aliorum dicere liceat) de antiquitate cum quâvis natione contendunt. Ii in poſſeſſionibus ſuis jus & de criminibus, & de civilibus negotiis dicunt: & conventibus, quotieſcumque tranſiguntur, interſunt, atque cum legatis urbium in commune conſulunt. Regiminis forma urbium pleriſque eadem eſt: videlicet Collegium Senatorum ex præcipuis gente ac cenſu lectorum. Sed numerus non ubique idem: eſt quippe ubi XL aut XXXVI: eſt ubi XXXII, XXVIII, XXIV, aut denique homines non plures, vicenis numerentur. Nec antiquitate urbibus ea cedunt collegia; ſaltem vetuſtas exordia abolevit. In ea qui adlecti ſemel fuerint, locum cum vitâ, aut jure, civitatis, nec ante, amittunt. Defunctis, aut aliò migrantibus, collegæ pariter omnes, delectos ex totâ civitate ſufficiunt. Iis collegiis poteſtas eſt deliberandi, ac ſtatuendi quicquid communem patriæ aut proprium ſuæ civitatis ſtatum ſpectet. Eorum decreto ſtant civium cæteri, nec quiſquam tranſgreditur. Etiam magiſtratus creant conſules IV, tres aut binos: judices ſeptem, qui annuos funguntur magiſtratus. Is delectus in urbium nonnullis ſimplex eſt: in alijs, è duplici nominatorum numero, Præfectus gentis, quos videtur, recepto numero deligit. Conſulibus curæ Reſp. reditus urbis, cuſtodia, ac ſalus. Iudices criminale ac civile jus, reddunt. Nec urbium ſe regimini unquam Principes interpoſuere; ſolùm Prætorem urbanum mittere ſoliti, qui eorum nomine noxios legibus interroget, judicium poſcat. Hæc vera Reip. apud Hollandos, apud Zelandos, forma. Vnde apertum cuique, prædicta collegia, cum nobilitate, haud dubie univerſæ Reip. ac terrarum ordines compendio complecti. Nec reperire ullam Reip. formam licet, quâ accuratius de omnibus cognoſcatur, ac ſtatuatur, aut decreta majori concordiâ atque, autoritate perficiantur. Vnde mirari haud convenit, ſtabilem eum Reip. ſtatum, & ſi perennis ullus, hunc fuiſſe. Iam verò quia interventu negotiorum, quæ totam ex æquo nationem tangunt, non facile cuncta hæc collegia coguntur, conſuetudinis eſt, ut potiſſima rerum momenta deſcribantur, ſuper his ubi diſceptatum in collegijs decretumque eſt, legatos ad conventum mittunt, cum mandatis, quæ maximè ex uſu publico eſſe videantur. Sed durante hoc bello, ijs, qui ad conventum miſſi, perpetua mandata fuere, ut quemvis ad caſum occurrerent; maxime tamen jura, libertatem, ac terrarum inſtituta defenderent, ac violari prohiberent. Hi poſtquam convenere, Ordinum præ ſe autoritatem ferunt: non tanquam ſuo nomine, Ordines ipſi ſint, ſed à collegis ad id munus delecti. Nec ſuſpicandum, ambitione quemquam irrepere: etenim præterquam quod à naturâ Belgis inſitum ambitionis odium, ne cadere quidem in liberam electionem poteſt. Multo minus turbidis & improſperis rebus, Remp. captabit ullus, ubi laboris ac triſtitiæ plena omnia, nec ſpes, niſi calumniarum, & odij ab hoſtibus Reip. Hinc inter munera neceſſaria reponenda ea dignitas fuit. Et quicumque Reip. partem ipſi cepere, teſtari valent, qua labore permovendi, ac propemodum adigendi fuerint, qui deſignati, ut munera ea ſuſciperent. Hæc illa imperij forma, quâ, poſt Deum Opt. Max. anguſtiſſimis rebus, validum hoſtem, ingentibus animis, ſummâque, concordiâ Fœderati ſuſtinuere. Hinc factum, ut membrorum ne unum quidem, niſi ſummâ vi, à communi corpore avelleretur. Numquam civium, nunquam militum ſeditione, dum bellum hoc fuit, in Hollandiâ, Zelandiave laboratum. Cujus rei, ſecundum Numinis providentiam non alia ratio, quàm quòd bona fide,

& ſine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

& ſine dolo malo, cuncta adminiſtrata ſint. Exiguis etiam minimiſque oppidulis, CIƆIƆ
ſuffragij jus, quo ante carebant, datum, eo conſilio, ut quicumque neceſſitatem LXXX
Reip. inſpicerent, onera, alioqui intoleranda, promtius ferrent. Nobilium aut VII.
legatorum ſi malâ fide quemquam egiſſe oſtendatur, ei rationem reddendi, aut, ſi nequeat, pœnæ neceſſitas incumbit. Talium delatores pro bonis civibus ſunt. Sed quibus ludibrium Patres, quibus eorum facta calumnijs inſectari lubido eſt, admodum ſe fallunt, ſi rem ſibi cum ſolis nobilibus aut urbium legatis eſſe arbitrantur: niſi quatenns mandatorum limites exiviſſe eos probent. At qui pervertere hunc Reip. ſtatum moliuntur, paria illis ſtudent, qui ut præcipitem domum in ruinam dent, ejus ſubruunt fundamenta. Quod Principis juxta ac ſubditorum intereſt. Etenim quæ Principi vires, niſi mutuâ inter eum ſubditoſque concordiâ, mutuo amore nitantur? Quomodo autem conſpiret, quomodo auxilio eorum utatur, ſi Proceribus adverſari, ſi plebem opprimere velit, aut in ſubditos ſe concitari ſuos patiatur? Quomodo firmus Reip. ſtatus ſit, ſi in Patres multitudo inſtigetur? Si in defenſores, ac magiſtratus ſuos inſurgat, qui ſæpius pro commodis ejus offenſam Principis aut Præfecti incurrunt? Liquidò hinc conſtat, eos, qui ſupremam Patribus adſcribunt poteſtatem, non privatim legatos, ſed nobiles atque urbes, à quibus ij mittuntur, intelligere. Ita alij Principes, ita Britanniæ Regina, quando cum Fœderatis Proceribus pactiones initæ; ita denique ipſe Liceſtrius, cum præfectura traderetur, accepere. Nec probare quiſquam juſtis rationibus poſſit, Nobiles, magiſtratus, urbiumque Senatores, nunc poteſtate eâ deſtitui, quam antè habuere, cum fœdus initum cum Reginâ, ac præfectura Liceſtrio congeſta: niſi pariter & hæc, & quæcumque proximis quindecim annis acta Proceribus ſunt, in dubium devocentur. Hinc cognoſcitur, quam neceſſarium ſit integram Patribus relinqui poteſtatem ſuam: quippe cui munimento univerſæ Belgarum res inſiſtant. Nec liberum minus imperium nunc ijs eſt, atque ſub principibus olim habuere. Statutum Hagæ Comit. a.d. XVI. *Iulij anno* MDLXXXVII. *factumque decretum, ut* XVI. *Octobris die Harlemi Liceſtrio offerretur.*

Exinde ſuam quoque defenſionem Hohenloius vulgavit, tanquam publicè accuſatus, cujus facta dictis parũ congruerent. Quod ille crimen hunc maxime in modum refutavit.
Immotum ſibi fuiſſe Daniam petere: cæterùm ,,
iter ſuſpendiſſe, quòd continenti annorum XIV apud Belgas militiâ, nun- ,,
quam majori in diſcrimine eorum res vidiſſet. Concitatam in magiſtratus ,,
plebem; diſtractam partium ſtudijs Rempublicã; aſſentatorum, ex gentibus ,,
exteris, qui ne teruncium quidẽ in Belgicâ haberent, cujus facere jacturam ,,
poſſent, maximam fuiſſe gratiam; denique intempeſtive adeo ſermones de ,,
pace cum Hiſpano habitos. Ob hæc citra probrum, aut nominis ſui deho- ,,
neſtamentum, diſcedere à Fœderatis nequiviſſe. Nec ideo inconſtantiæ ,,
argui poſſe, aut levitatis. Sæpius ipſum Liceſtrium, ſimulato in Britanniam ,,
itinere, fidem haud impleviſſe. Excuſatum hinc ibat, quod Liceſtrij man- ,,
datis haud obtemperaſſet, quòd non ſine cauſsâ abs re factum. Primò quip- ,,
pe legati titulo ſub Arauſionenſi Hollandiæ Zelandiæque præſidijs præfuiſ- ,,
ſe. Mox à Mauritio Proceribuſque gentis idem ſibi imperium prorogatum. ,,
Liceſtrij vicarium eſſe noluiſſe: proinde nec accuſandum, quod jubentis ,,
imperia non accepiſſet. Nihilominus quando Brilam, Vliſſingam, Bergam, ,,
ac caſtellum Rammekanum, deductis præſidiarijs ſuis, ei tradidiſſet; quan- ,,
do militem ſuum in verba Liceſtrij adegiſſet, nullâ mercede pro diuturnis ,,
adeò laboribus promiſsâ, nedum datâ; quando complura id genus alia per- ,,
feciſſet: non minora in eum merita ſua, quam ſi jurejurando obſtrictus fo- ,,
ret. Experimentum à ſe datum illato Graviæ commeatu, caſtelliſque ad ,,
Noviomagum, & Bergenſem molem expugnatis. Poſtremò in caſtris ad ,,
Doeſburgum, Zutphaniamque. Non poſſe inobſequentem appellari, ſi- ,,
quis minus morem gerat, ſed rationibus contra tendat mandatis aut à malo ,,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ LXXXVII. conſilio, aut arrogantiâ profectis, quæ adverſum leges, & in diminutionem
ſingularium præfectorum, aut damno patriæ, vel denique gentium urbium-
ve unius fierent. Ipſum Albanum, quamvis efferæ truculentiæ, non ita ſub
jugum Belgas mittere valuiſſe, ut ſimulac jubere ſe velleque dictitaſſet,
,, mandata exſequerentur. Nunquam ſe Matthiæ Archiduci, nunquam An-
,, dino obſecutum, ſiqua de Hollandiæ Zelandiæve præſidijs imperaſſent; niſi
,, viſis Arauſionenſis codicillis, tanquam ijs gentibus Præfecti. Jurare in ver-
,, ba Liceſtrij abnuiſſe, ne vilem ſe propinquis faceret, merendo ſub Comi-
,, te, à quo nec gratiæ quidquam ſperaret, nec progreſſum in ſcientiâ militari:
,, præſertim Comes ipſe, nec humilis ortus, non cliens cujuſquam Principis,
,, ſed Romano ſubditus imperio, & facultatibus ad tuendum faſtigium haud
,, deſtitutus. Veniſſe ad Belgas motum famâ Arauſionenſis, ducis toto orbe
,, ob prudentiam celeberrimi; ab eo in militiâ erudiri expetiſſe. Nunc quod
,, à novo & incipienti Principe diſcat, nihil reſtare. Tamen ſi ſupremam po-
,, teſtatem capeſſere Regina, Liceſtriumque ſuum eſſe Legatum voluiſſet,
,, obſequium omniaque venerantium officia, honore Reginæ, ad eum verſu-
,, rum fuiſſe. Scire ſe, arduum Belgis, ni tantæ Principis auxilijs ſuſtententur,
,, bellum Hiſpaniarum Regi inferre. At illatum facile defendere, etiam ſuo
,, exemplo Arauſionenſem comprobaſſe; & ſine externis ſubſidijs, ſine vecti-
,, galibus, quanta nunc conferantur, tueri aggreſſum, ad extremum vitæ ſuæ
,, ſpiritum perſeverâſſe. Hactenus ſe defendebat Hohenloius, ſubjecerat pro-
bra in Liceſtrium: contra fidem, datam præſente Colonienſi Electore,
,, molitum eum præſidia ſua Bommelâ, Gertrudiſbergâ, Heuſdâ, Worco-
,, mo, inſcio ſe abducere, imperioque in prædicta loca exuere. Turmæ ſuæ
,, Subcenturionem avertere, illamque diſſipare conatum. Eduardum Nori-
,, tium, qui ægrum ſe ad certamen ſingulare provocâſſet, ejus juſſu & impulſu
,, id feciſſe, moxque Equeſtri ordine donatum. Pari ratione præfractam So-
,, noij in Mauritium, cui ſubeſſet, contumaciam, auxiſſe eum, ac vanis de ſe
,, auditionibus fidem habuiſſe, queſtumque apud Fœderatos Patres, & alium
,, quemvis, quod Anglos Maſelant-Sluſâ ejicere agitaſſet. Pòſt, quæſtionem
,, haberi ſe petente, ſuppreſſa delatorum nomina. Sic quoque poſtulari ſe
,, parricidij poſſe, quod Hemertium, amicorum intimum, capitis damnâſſet,
,, jubente Liceſtrio, cui obſecutum, quòd eâdem æquitate aliorum quoque
,, crimina judicaturũ eum confideret. Cæterùm quando pòſt Welſtium Cen-
,, turionem Anglum, & Aloſti proditorem, haud procul Bredâ comprehen-
,, ſum, ei tradidiſſet, adeò pœnæ nihil illi à Liceſtrio irrogatum, ut gratiâ ſuâ
,, auctum in caſtris ad Zutphaniam quoque lateri adequitantem toleraverit.
,, Rolandum Jorckum, bis perfugam, in Senatum bellicum ab eo adſcitum, &
,, excubijs præfectum. Cæterùm his morari lectoris tempora ſupervacuum,
,, maximè cum ſuis pleraque locis Hiſtoriæ inſerta reperiantur. His libellis
publicè poſtea non reſpondit Liceſtrius; ſed huc multus incubuit, ut ur-
bium nonnullas novis conditionibus ſuæ poteſtatis faceret. Itaque nunc
hanc, nunc illam Hollandiæ civitatem ingreſſus, ſociabat conſilia non tam
cum legitimis magiſtratibus, quam centurionibus oppidanis, ac ignaris
Reip. Eccleſiaſticis, aut ſi qui alij ex privatis horum ſimplicitatem haud ex-
cedebant. Inſolens ea agendi ratio viris quoque prudentibus, qui innocen-
tem antea Liceſtrium putaverant, diſplicere cœpit: itaque de animo ejus
ambigere, dum nihil hinc boni exſpectandum vident. Etenim ut urbium
unâ alterâque potitus foret, nihil niſi ad diſcordiæ incrementa profecturum
id erat. Neque eo cæteræ exemplum ſecuturæ; ſed facilè huc deducta res
fuiſſet, ut hoſti, cui haud arduum turbis ſe miſcere, in prædam cederent.
Decimo Kal. Novembr. vetere dierum numero, Patrum conventus Dor-
drechti ſolutus a. d. XVI Novembr. Lugdunũ aut Delphos indicitur. Legati
cujuſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cujuſque gentis ad eos, quorum miſſu venerant, referre juſſi, quæcunque
egiſſent, glorioſa Numini, ſalutaria legibus, Reginæ ex uſu, & Liceſtrio cIↄ Iↄ
honori fuiſſe. Ne illa quidem, quæ ab Hollandiæ Proceribus Liceſtrio de- LXXX
monſtrata ſuprà oſtendimus, aliò tetendiſſe, quâm ut diſcreto ſupremi Im- VII.
peratoris & minorum præfectorum atque imperiorum officijs, omni in poſterum confuſioni obviaretur. idque facere Liceſtrij ad Junium literis compulſos. Singulas quoque nationes monere juſſi, ut prudenter pacis negotium tractarent. Sed hæc ſuperius memorata: nos tranſimus ad ea, quæ Lugduni per idem tempus geſta maximè omnium animos arrexere. Præ cæteris Hollandorum civitatibus Lugdunenſes, ac Dordrechtani, Patribus infeſti erant. Plurimùmque apud eos literæ a. d. x. Martij, incerto autore, tanquam Londino ſcriptæ, valuerant. Dordrechti quorundam è magiſtratu etiam infecta mens; Lugduni ſola multitudo ſummo ardore obſequium Reginę, & ſupremam Liceſtrio poteſtatem deferendam, clamitabat. Præ cæteris inclinati huc, qui Brabantiâ Flandriâque pulſi, aliquot mille homines eo demigraverant. Magiſtratus manebant in eo, quod cum Reginâ convenerat. Igitur Liceſtrius, ne opportunam adeo occaſionem dimitteret, ineunte Octobri anni LXXXVII Coſinum Peſcarengium, gente Pedemontanum ad ſe evocat; quem olim Lugduni fœneratorem, peditum legioni (ante annum exauctoratæ) præfecerat. Apud hunc, *Sæpe Lugdunenſium indicio comperiſſe*, ait, *Reginæ, ſibique, urbem eos ſervare; eſſeque in explorato rationem patrandi, modo dux daretur. Itaque votum ſuum eſſe, ut Lugdunum contendat, comite Henrico Soeſtio cive, quoſque ille appellaſſet conveniret, & neceſſaria expediret. Cautè tamen agendum, & quantùm fieri poſſit, præcavendum ſeditioni pariter & cædi, ne ad urbium cæteras terror perveniat.* Coſmo codicillos poſtulante, quibus mandare ſe Liceſtrius profiteretur, haud opus reſpondit, præſidio ſe illis fore, nec quamvis in graviſſimo diſcrimine deſerturum, ſed auxilium etiam cum periculo dignitatis, omniumque fortunarum laturum. Addit, legionem, quam ante Coſmus habuiſſet, implere velle, ut mille ducentorum capitum ſit. His verbis confirmatum dimittit. Illi deſtinata hâc potiſſimum viâ aggreſſi. Peditum in urbe centuriæ Nicolaus Maudæus præſidebat. Decernunt, ut is literas, quibus urbe exire à Liceſtrio juberetur, a. d. x Octobris, qui, ſecundum novam ſupputationem, in Sabbathum inciderat, magiſtratibus tradat: ſimul gratijs actis pro hoſpitalitate ſub horam ſextam Dominicæ diei, plateâ, cui nomen à latitudine, ad portam contendat. Ibique pro curiâ conſcia civium agmina armata exſpectaret, eâque manu occupatâ curiâ, tympani pulſu ſignificaret, ut quicumque Reginæ obſequium, Liceſtrio poteſtatem auctam vellent, ſe armatis jungerent; diverſa volentes ædium ſe limitibus continerent. Heraugerium cum peditum centuriâ, quæ Delphis, juſſu Liceſtrij, abitura, ac Lugdunum prope reſtitura erat, in urbem acciperent. E magiſtratibus Petrum Adriani Wervium, virum conſularem, comprehenderent: dein Johannem Houtenum urbi à ſecretis, Joannem Nicolai Roſam, ac Theodorum Joannis Bekium municipibus, Adamum vigilibus, præfectos, qui urbem ante annos XIII ab Hiſpanis obſeſſam fortiter defenderant: quibus perfectis, Liceſtrium ad res componendas advocarent. Super his dum conſultatur, Coſmo privatum ob debitum, deferente civium uno, manus injiciuntur. Hinc metus conjuratis, detectæque rei ſuſpicio. Cæterùm, compertâ cauſsâ, Jacobum Volmarium, adjuncto comite uno, ad Liceſtrium mittunt. Iſque denuo rem jubere, & increpitare, quòd longè adeò deſtinata diſtuliſſent. In conſcientiam doli adhibitus erat Jacobus Scotus, qui malum exitum præmetuens, indicium magiſtratibus facit. E veſtigio Jacobus Volmarus, Eccleſiæ Senior, natione Flander, & Nicolans Maudæus comprehenduntur.

cIↄIↄLXXXVII. Coſmus quoque acribus ſeptus cuſtodijs. Cæteri evaſere: in his Chriſtianus Wouwerius, Franciſcus Lanſcroonius, armatorum municipum Decanus, Hobbius Florentij aurifaber, Henricus Soeſtius, Gerardus Joannis Dubinius, Joannes Cabeliavius, Adrianus Saravia in Academia Lugdunenſi Sacrarum literarum Doctor, & Wilhelmus Wegius. Captivi poſtquam adhibitis cruciatibus, quæcumque jam narravimus fatebantur, VII Kalend. Novembr. publicè ſupplicio capitis affecti. At Killegræus, Senator Anglus, ut maturari noxiorum pœnas à magiſtratu Lugdunenſi, abſente Liceſtrio, videt, minas denuntiat, ne durius quidquam in captivos ſtatueretur: quippe Liceſtrio conſcio, quæ acta erant, tentaviſſe. Ille Alcmariæ per idem tempus agens quicquam juſſiſſe negabat. Sed contraria & captivi diſſeruerant, & teſtabatur vox Coſmi inter cruciatus tormentorum conquerentis, qualia miniſteria ſuis Liceſtrius imponeret. Ipſum audito Coſmi & cæterorum fato, dixiſſe ferunt, *eſſe tempus, ut ſuo capiti conſuleret.* Ultrajectum deinde contendit, neque ex eo in ullâ urbium Hollandiæ, præterquam Dordrechti, ſtabilis illi ſedes. Mauritius, Patrum & urbis magiſtratuum conſilio, lapſis ignovit, exemtis, qui conſultatum in ædes Coſmi convenerant. Medembliccæ cum Sonoio priſtino res ſtatu: offerebatque ille obſequium Mauritio, ſimulatque Liceſtrij ſacramento exſolveretur: cæterùm impetrari id nequibat. Etenim licet perſæpe & ore, & literis affirmaviſſet Liceſtrius, Sonoij poteſtatem à ſe neque mutatam in ullo, neque amplificatam, ſed veteri tantum jure redintegrato nihil de poteſtate ſuâ Mauritium amittere; permoveri tamen nequibat, ut ſacramento eum liberaret, quo uno vinculo illi adſtringebatur Sonoius. Suberat etiam fraus, cum poteſtatem, quam ſub Arauſionenſi habuiſſet, à ſe propagatam illi Liceſtrius dictitabat. Quippe quantum ad verba, codicilli ijdem qui ante erant: ſed priores Arauſionenſis dederat, tanquam Hollandiæ præfectus, cujus proinde obſequio Sonoius tenebatur. Hi quia à Liceſtrio, ſupremo Fœderatorum Imperatore profecti, Sonoius imperio Hollandiæ præpoſiti ſubductus, & Weſt-Friſia (Borealem alij Hollandiam nuncupant) ab Hollandis avulſa, non ſine magnâ mutatione ſub alterius imperium trahebatur. Enchuſæ Jacobus Chriſtallus adjutor Sonoij cum peditum centuriâ præſidebat. Sed invalidus hic cogendis magiſtratibus aut urbi in Patres pronæ: quare ſedulo laboratum in augendo præſidio: ipſeque eo Liceſtrius profectus eſt: nam per id tempus principes Hollandiæ urbes circuibat, autoritate ſuâ nonnullas earum in partes tracturum ſperans. At magiſtratus veriti, ne ſatellitibus ac frequenti ſtipatus aulâ, hinc quoque Chriſtallo adiutore, vim faceret, in occurſum miſere, qui rogarent, ne hâc tempeſtate iter perſequeretur, quando ſeditionem plebis ob novum præſidium metuant. Ergo Hornæ reſtitit, ubi ſplendidè exceptus; magiſtratus tamen pro Patribus manſere, licet contra tendente multitudine. Et Sonoius, qui paucos è legione ſua impoſuerat urbi, ſedulo augere numerum tentabat: jamque delectos militum induxerat Centurio Roſwinkelius; cæterùm magiſtratus, re compertâ, exire eos urbe juſſere, omniaque ſine tumultu, ſine cæde tranſacta, cujus ingens apud omnes metus. Non tamen eò ſpem Enchuſæ potiundi Sonoius abjecerat, ſed Campis, Bloczilâ, alijſque locis, ubi præſidia ſua habebat, militibus evocatis, ſemet muniebat; quemvis ſubitum ad conatum centurias nonnullas Medembliccæ paratas habiturus. Incuſſit hoc metum Enchuſanis: quippe præterquam quod duûm tantùm millium itinere abſiti, vicarium Sonoij cum militum centuriâ in urbe ſuâ agitantem ſuſpectabant. Itaque ſollicitare Mauritium non deſtiterunt, ut præſidio Chriſtallus abiret; cujus metu excubias interdiu, noctu, agere ſe dictitabant. Nec repulſam tulere juſta poſtulantes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXX VII.

Itaque ſexta, & decima Novembris die miſſus A a centurio cum ſuis, cuſtodiæ oppidi. Morantem Hornæ Liceſtrium Aiſma Friſiorum Præſes, Richæus, ac Sanneſius Petri, alijque ejuſdem factionis homines, ſine intermiſſione rogarunt, ut in Friſiam iter ſuſciperet. Quidvis eum præſentiâ ſuâ efficere, ac Patrum autoritatem pervertere poſſe. His motus Liceſtrius, literis ad omnes præturas agrarias urbeſque dimiſſis, inſcio Præfecto, ignaris Patribus (contra majorum inſtituta) Franequeram convenire frequentes jubet; ipſum quoque ſe adfuturum, conſultandis quæ ex uſu publico viderentur. Guilhelmum Naſſovium, Friſijs Præfectum, deſponſatâ per idem tempus Arauſionenſis filiâ, nuptiales curæ deſtinebant; quò ob triſtia Reip. tempora non niſi paucos propinquorum, ac nobiles, imperiaque ſuæ præfecturæ invitavetat: Liceſtrio, per nobilium unum denunciarat, rogare non auſum, ut nuptijs intereſſet, ob hyberni maris, & graviſſima occupationum, quas incumbere ei ſciret. Cæterum ut nihilominus ultro venire eum velle, imò non conſultis, nedum annuentibus, quorum ex legibus ea cura, ſed Præſidis aliorumque Reip. hoſtium impulſu, conventum intempeſtivè indixiſſe cognovit, idque poſthabitis periculis, quæ ſecum crebri conventus trahunt, eoque ſemel tantum in annos ſingulos à Friſijs tranſigi ſoliti: facile & ille, & Patres intellexere, magnas adventu ſuo turbas daturum, ſi conſilia cum ſupradictis hominibus communicaſſet. Itaque Præſidem domum non multò antè reverſum ponere dignitatem, & ædibus ſe continere, jubent. Mox illius ſociorumque ingenia Liceſtrio exponunt, additis precibus, ne talium conſilijs ad iter moveretur, qui non commodis, non honori ejus, ſed ambitioni compendioque privatim ſuo dediti, odijs omnia ciere, ac Friſiorum evertere Remp. niterentur. Quibus occurrere Præfectum ac Patres juramento & officij ratione teneri. Tamen ſi commodiori caſu in Friſiam tranſmittat, libentes ſe eum, & cum honore excepturos. Hæc inteſtina tunc Friſiam diſſidia agitabant: cui cætera hoc anno nonnulla ab hoſte quies, providâ Naſſovij curâ. Is in conventu Friſiorum Patribus demonſtrârat, arceri hoſtem exiguis adeò copijs nequaquam poſſe, ac proinde tributa intendenda. Id Patres, acceptæ præterito anno calamitatis haud immemores, libentes conceſſere. Eoque ære novus miles ſcriptus. At è nobilitate nonnulli id factum Comitis arguere: quippe non ejus eſſe majora rogare tributa. Plures tamen, perſpecto rei uſu, probare: nam non majoribus tantum copijs defenſam nunc Friſiam, ſed & quanto gravioribus oneribus preſſi agreſtes, hoſti tributum, quod incendij hactenus metu penderint, minus deinceps daturos. Mox rogatu quoque Naſſovij, eques, quem adhuc ſuſtentaverant, à Patribus dimiſſus: ſcriptique eorum loco pedites, quorum nullo non anni tempore utilis ac neceſſaria opera, cum illorum, ut in terrâ æſtuarijs conciſâ, hyeme tantùm uſus foret. Etiam ſiqua publico neceſſitas incubuerat, more Friſiorum receptum, ut agreſtium tertius quiſque ad edictum præſtò ſit. Ii, cum undique convenere, tria hominum millia conficiunt. Gravibus ea res impenſis ſtabat. Quippe haud aſſueti armis ruricolæ magnis jacturis alios, qui ſuum locum ſupplerent, emercabantur, ſingulis capitibus xv aut xx in diem ſeſtertijs numeratis. Et remedium novus miles erat, oſtendente Comite triplicata aut quadruplicia eos ſtipendia facere, quos agreſtes conduxiſſent: contra militem & ordine cuncta meliori adminiſtrare, & dicto magis audientem eſſe. Hoc perfecto itinera & acceſſus omnes ita firmati, ut hoſtis expeditione, quamvis invitante gelu, abſtinuerit. Niſi quod Hermannus Bergius (is enim ejuſmodi expeditionibus ſuetus, unde extra prædam, agreſtiumque populationem, nulla utilitas) ſubito cum equitatu, Eâ flumine tranſmiſſo, Halmam pagum diripuit. Tractuſque inter captivos Schelto ab Ebbinga, nobilis Friſius, quamvis Hiſpa-

norum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXX VII.

norum ſacris, & rebus addictus, ejuſque ſpoliatæ ædes. Ipſe libertatem pecuniâ redemit, domumque reverſus, cum multus eſſet in referendis injurijs ab Hiſpano milite acceptis, haud inutilem apud Pontificios noſtrarũ partium operam navavit. Hermanno Comiti ad ſuos eadẽ nocte remeanti, miles ex receptu, qui Eam flumen propter excitatus, in tranſitu brachium excuſsâ glande trajecit, occiſuſque Villerius turmæ equitum Præfectus. Recenti hoc militum augmento tantum firmatæ Guilhelmi Naſſovij vires, ut jam in hoſtiles agros ipſe excurſiones faceret, quorum ab eo tempore pagos, incendij terrore, tributarios fecit. Poſtea Septembri menſe Groningam aſtu petiturus, exploratores emittit, cognituros, quantum ſpatij inter ſingulas urbis ſtationes intereſſet. Ii mœnium partem adeo ſegniter cuſtoditam reperere, ut ſæpius tranſiectâ foſsâ vallum, nullo ſentiente, conſcenderent. Eo comperto, Naſſovius centum ex totâ legione milites peritiſſimum quemque natandi deligit, iiſque tubos, & inſtrumenta effringendis portarum clauſtris (quæ pyxidibus incluſa per aquas trahebantur) tradit, ut patefactis portis, ſuorum agmen acciperent. Poſtquam ſtata dies aderat, acribus cuſtodijs itinera Groningam ferentia Comes clauſit, detineri juſſis quicumque eò ex Friſiâ contenderent. Ipſe Nienzilæ tranſiecturus, centurionem, ejus loci præſidio impoſitum, parare pontem jubet. Quem & aquarum altitudinem, & æſtuum vices noviſſe par erat; quando & ante eundem locum ponte conſtraviſſet, & fabrilem artem calleret. Cæterùm ille parum providit adverſus inundationem; quâ, maximè cum validus Boreas aquas immenſum extolleret, totum opus diſiicitur: ita accedens cum milite Naſſovius, tranſitu prohibitus, deſtinata exſequi nequivit. Biduo demum pòſt Groningani, quanto periculo evaſiſſent, intellecto, ſudes imo valli præfixere, prohibendo adſcenſu: caſtellum quoque ad eam partem urbis jactum. At Liceſtrius, lectis Naſſovij & Patrum literis conſilium mutat, & poſtquam neque Enchuſæ, neque Hornæ aut Amſtelodami (ubi fœde multitudinem in magiſtratus concitare tentaverat) denique ne in Friſia quidem efficere quidquam poſſe intelligit: & quamvis frementem plebem non tamen in magiſtratus inſurgere, ſed à civium melioribus in officio contineri videt: Hornâ Amſtelodamum profectus Ultrajectum, & hinc Dordrechtum abit: & in urbium quâque duobus aut tribus diebus conſumtis Bergam, cui metus ab hoſte, iter ſimulans, rectà Zelandiam petit, nullo ex Senatu comite; cui negotium dederat Fœderatorum Procerum de pace reſponſum urgere. Vliſſingam veniens queritur apud Zelandiæ Proceres, indigne ſe ab Hollandis habitum: etiam ſedem, ſaltem ad menſes aliquot, poſiturum in Zelandiâ fingens: degentem Vliſſingæ Arauſionenſis viduam rogat, ut cedere ædibus ſuis velit. Mox evocatis ad ſe Conſulibus, Centurionibuſque Veriæ (quæ urbs hæreditatis jure Mauritio ceſſerat) magnum ab hoſtium inſidijs diſcrimen oppido imminere ait. Itaque rogare, utrum urgente neceſſitate ſuum recipere præſidium velint: velle quoque, ſi gratum illis animadvertat, ipſum eo venire. De præſidio, humaniter, ut mos vulgo; adventum ejus gratiſſimum ſibi fore, Conſules reſponderunt. Sed quid agitatum ſit, duobus poſt menſibus compertum eſt, cum obſequium Mauritio à Centurionibus negatum, qui ſolius in verba Liceſtrij juraſſe, nec ullum præterea imperium agnoſcere adfirmabant. Paucis diebus antequam Vliſſingam Liceſtrius veniſſet, Ruſſelus, urbi Præfectus, occultò Petrum Villerium obſervari juſſerat. Is domo Gallus, & Arauſionenſi à conſilijs, ob prudentiam, rerum uſum, & fidem egregiam, multâ floruerat gratiâ; & nunc apud Mauritium veterem retinebat locum. Domicilium illi Weſthovæ horæ itinere à Vliſſingâ. Itaque Middelburgum tendentem comprehendi in itinere, & Vliſſingam perduci Ruſſelus jubet. Villerius ut dolum

ſenſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ LXXXVII.

ſenſit, flexo in lætitiam ore, lubentem una ire dum ſimulat, Anglos ſpecie deceptos permovet, ut prius poteſtatem faciant curandi negotia, quorum cauſſa exiiſſet. Ut portam attigit, nec tantillum gratificari illis velle adfirmat. Hoc comperto Ruſſelus, qui & ipſe, ſed diverſo à cæteris itinere, ſi forte illac tranſiret, Villerium excepturus exiverat, à magiſtratu Middelburgenſi tranſdi ſibi eum per literas petijt, habere privata negotia de quibus convenire eum velit. Sed Middelburgenſes innoxiorum deditione ducum captare gratiam haud adſueverant; proinde nihil Ruſſelo effectum. Quarto Kal. Decembres Liceſtrius literas ad Fœderatos Proceres ac nationum ſingulas dedit. Quibus commendato Doctoris Herberti negotio, Senatoris ejuſdẽ, ac legati Reginæ, pacis cauſsâ miſſi, ſubjiciebat, *Reginæ juſſis, quibus in Britanniam revocaretur, parendum ſibi. Cæterum ſperare utiliorem ibi Belgis operam navaturum, quam hactenus ob factiones ac diffidentiam potuiſſet. Tamen confidere agnituros illos ſumma Reginæ beneficia, anguſtiſſimis rebus in Belgas collata, præſertim cum nullâ ſuâ neceſſitate fecerit. Confidere quoque eam Reip. rationem habituros, ut nulla cauſſa Reginæ ſit, remittendi de ope aut ſtudio in Belgas. Maximum ſe dolorem capere, quod præſentes ante diſceſſum ſalutare prohibeatur, ut in votis habuiſſet. Potiſſimum, quando perſuaſum habeat, ægre paſſuram Reginam ad Belgas ut revertatur, niſi in cunctis animo ejus ſatisfiat. Sed pro excuſatione fore itineris longinquitatem, temporis anguſtias. Rogare etiam ne incuſetur, ſi navatæ operæ utilitas, haud æquaſſet affectus magnitudinem. Rogare ne facta ſua (quæ ſincero animo ad egregium publicum direxiſſet) in deterius acciperent, ſed contra obtrectantium voces ſe defenderent. Se quidem ubicumque deinceps eorum res juvare poſſit, promtum fore, ut ſemper hactenus ſummis viribus, oppreſſas Numinis Eccleſias, afflictum populum, eripere exitio, eaque re omnium demereri animos conatus ſit.* Eæ literæ cum afferrentur Fœderati Patres nequaquam convenerant. Quamobrem Hollandiæ Zelandiæque Proceres excuſato , quòd ſalutandi cauſsâ diſceſſurum nullus conveniſſet, per Senatum ſignificavere, optatum quidem ſibi ut ante abitum Fœderatos Patres alloqueretur, cæterum ſe, abſentibus cæteris, nihil hâc in re potuiſſe. Petere tamen ut Reginæ commendare Belgarum res velit. Brevi fortè legatos pacis aut Reip. cauſsâ ad eam ituros. Orare etiam ut protinus agatur de collapſis reſtituendis. Libellum, quem de regiminis formâ, & diſcernendâ cujuſque poteſtate compoſuiſſent, ad ſalutem Reip. neceſſarium fuiſſe: ſeque ab his, quibus miſſi eſſent, vetitos quicquã remittere. Sperare, ubi accurate rem omnem cognoviſſet, ſatisfactum illi ac Reginæ fore. Octavo Id. Decemb. juxta veterem ſupputationem, iteravit literas Liceſtrius ad omnes Fœderatas nationes. Prolixæ erant & prioribus acriores, quîs primo triſtem Reip. ſtatum diſſerebat, qui ante adventum ſuum, & miſſa ab Reginâ auxilia fuiſſet. *Se benignitate Numinis, favore Reginæ affluentem tantis opibus, ut ſplendide inter ſuos & in otio tranſigere vitam poſſet, omnibus ijs poſtpoſitis caritate ſacrorum, oppreſſorum miſeratione, hunc laborem, & ſimul pericula maxima ſubijſſe. Tamen rebus parum ex voto fluentibus, & tenui meliorum ſpe, quo honori, & conſcientiæ privatim ſuæ, quo denique Fœderatorum conſuleret terris, ante ultimum diſceſſum, oſtendere Patribus voluiſſe, quanta eos pericula circumſiſtant: proin maturè occurrerent malo exitiabili.* Breviter hinc percurſis quæ geſſiſſet, proſpera ſummis evehebat laudibus, adverſa aut minuebat verbis, aut ſilentio prætermittebat. Addebatque *huc à ſe perductas res Belgarum, ut qui bellum ante propulſaſſent, quod diuturni inſtar morbi eos conſumeret, nunc inferre arma, & laceſſere hoſtem auderent. Primâ æſtate eductum à ſe exercitum liberandæ obſidio Graviæ, cæterùm quorundam timore celeratam deditionem. Pari ratione anguſtijs frumenti impeditâ expeditione, quam ſervandæ Rhenobercæ ſuſcepiſſet, diligenter enixum ut Doeſ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIƆIƆ burgo, & Zutphanienſi caſtello potiretur. Hîc & congreſſum cum hoſte, & ſub
LXXX oculis ejus caſtellum expugnâſſe: nec dubium relictum, quin trans Rhenum ac
VII. Moſam eum pulſurus fuerit, ſi ſcriptus in Germaniâ miles affuiſſet. Poſt hæc gra-
vibus de cauſſis in Britanniam profectum, partim quoque, ut Reginæ in Belgas
gratiam amplificaret. Interea quæ abſente ſe patrata ſint, malle tacitis Patrum
cogitationibus relinquere, quàm memorando quorundam alienare animos, qui
olim forſan operam haud inutilem Belgis navaturi ſint. Se tamen quàmvis aver-
ſas mentes videret, reverſum, ſolâ Belgarum caritate, ut innumeræ bonorum ci-
vium multitudini, & à factionum crimine immuni, ſuccurreret, obſidioque Sluſam
eriperet. Neque eam ſervare in arduo fuiſſe, ſi tanto huc Patres ſtudio incubuiſſent,
quanto ipſe, qui ex Britannia regreſſus, ſe ſuaque pro commodis Belgarum objicere
periculis non dubitaſſet. Sed cunctatos illos adeoque deſides fuiſſe, ac ſi in Ame-
ricano ſolo Sluſa jacuiſſet. Exinde campos apertoſque locos hoſti ceſſiſſe, nec
Germanum adventâſſe militem. Patrum conventus in urbes alias atque alias
tranſlatos; poteſtatem ſuam novis controverſijs oppugnatam, diminutam: ita ut
quicquid ante largiti, jam revocarent, haud ſecus quam ſi frigidum, & calidum
eodem ex ore Patres ſpirarent. Et ſibi quidem pro ſolatio antecedentium Prin-
cipum Præfectorumque exempla fuiſſe, quorum eadem, aut certe non melior condi-
tio fuerit. Sed ingratum adeo in Reginam animum nullis oblitterari ſæculis
poſſe. Quam, cum voluntatis, an virium defectu, Patres perſequendo bello impa-
res videret, eoque viam impetrandæ pacis oſtendiſſet, tot calumnias, tot probra
tuliſſe, ut juſtiſſimam cauſſam haberet, Belgarum à ſe curam rejiciendi, niſi ſacra
Numinis, & innoxium populum miſerata perſeveraſſet. Serio animum Patres
præſenti Reip. ſtatui adverterent; potentiorem hoſtem eſſe, quam antehac un-
quam, & terrâ marique maximos apparatus facere. At apud Patres deſidiæ ple-
na omnia: limitaneis urbibus non provideri; inteſtina diſſidia creſcere, adeoque
videri ſpernere eos Britannorum auxilia, priuſquam alia reperiſſent. Imperia
militaria ab ipſis accîdi: poſtremo eos nec bellum parare, nec de pace vocem tole-
rare. Potiſſimam turbarum culpam penes eos eſſe, qui Reip. admoti privatos
quæſtus publicis utilitatibus præponerent. Hinc terrarum urbiumque factiones,
quas inani nomine, non re Fœderatas: quippe adeò diverſa earum conſilia, adeo ſibi
quamque tendere, quaſi diuturni hujus belli incendium non ad omnes, non ad vi-
tam, ſacra, ac libertatem cujuſque pertineat. Itaque monere ut remedium ante
perniciem quærant. Se quidem donec ſtudium ac præſentiam ſuam gratam co-
gnoviſſet, conſilio, operâ juviſſe. Nunc ademtâ poteſtate conſulere & monere
tantum poſſe. Idque eò facere ut conſcientiam ſuam coram Deo, hominibuſque
purget. Eſſe autem conſilium ſuum, ut ſi nullâ ratione admittere pacem velint
(quam tamen rectâ æſtimatione haud perinde inutilem eſſe, atque nonnulli cen-
ſeant) ſaltem de contrahendo exercitu, de componendis nationum urbiumque diſ-
ſidijs, de retinendo favore Reginæ cogitarent: nec ſe ipſi fallerent, dum arcendo
bello ſtare res ſuas poſſe arbitrentur, aut fallaci ſpe de Hiſpaniarum Regis pro-
pinquo fato. Se quidem corpore non animo Belgas relinquere; ſed ubicumque
poſſet, quà precibus apud Reginam, quà alijs, quas reperire poſſet, rationibus,
utilem operam navaturum. Et ubi nihil ultra reliquum, ubi exhauſta omnia vi-
deat, ſupplicem pro Belgis res proſperas à Deo immortali petiturum: quem ſe te-
ſtem velle, quam ſincero animo imperij ſui tempore Remp. adminiſtraverit.
Hæ poſtremæ Liceſtrij literæ, qui ſimulatque Britanniam advectus Londi-
ni XVI Kal. Januar. jubente Reginâ (dubium ipſa eo uti voluerit, an magis
ex vero de Belgarum rebus edoctâ) Fœderatarum nationum præfecturâ
ſemet abdicavit, ut omnem quam à Patribus acceperat poteſtatem, ab eo
tempore (ipſius verba exprimo) exercere aut ſuâ ſponte, aut per alios ſuper-
ſederet. Itaque facultatem Patribus fecit, ut ex conſilio Reginæ in poſte-
rum rebus ipſi ſuis providerent: ejuſque in teſtimonium rei codicillos manu

ac

ac ſigillo ſuo ipſe ſignavit. Sed tardè abdicationem Fœderati reſcivere, quæ CIↃ IↃ
trîs integros menſes ſuppreſſa. Demum Kal. Aprilib. anni LXXXVIII LXXX
Killegræus Senator ejus argumenti literas Patribus obtulit, varia cauſſatus; VII.
primùm adversâ tempeſtate, mox à ſe retentas, quòd infrequentes Patres conveniſſent, eoque plenum exſpectaſſe conventum. Nunquam aliàs majori in diſcrimine Belgarum res fuere, quam tribus his menſibus. Paſſim quippe diſperſas in vulgus ſuſpiciones, ac deſperationem intendebant Liceſtrianæ factiones. Et quamdiu abdicatum haud conſtabat ingentes ſub illius nomine turbas dederunt, non jam occulte, ſed palàm, vitatoque omni ſecreto. Igitur frequenter illi diſſerere: *Scilicet egregiè nunc à Patribus actum: abiiſſe in Britanniam aſperatum eorum contentionibus Liceſtrium; & niſi demittere animos videat, Reginæ qnoque gratiâ eos dejecturum. Aliter ſi eveniat egenam omnis auxilij plebem, & exitio proximam eſſe*. Hæc ac talia ipſius Liceſtrij literis firmabantur, quîs etiam poſt depoſitam præfecturam ipſe, vel per Reginam, ſuæ ſectæ homines compellabat. Nec Reginæ literis, rectè interpretantibus mali quidquam continebatur, unde facile Liceſtrio ad talia ſcribenda eam permovere. Sed quando Sonoio, quando alijs id genus hominibus, pro ſummâ in ſe voluntate grates ageret, eæque literæ, ut tum fiebat, vulgo circumferrentur, arbitrari plebes, tacitè eam Patres arguere, ac contraria probare. Indeque pluribus in oppidis ſeditionum metus: quîs nunc monendo hortandoque, nunc comi oratione, ac mitibus verbis magiſtratus occurrere neceſſe erat; nam acria remedia parum apud eos expedire videbantur, quos error, non odium Reip. tranſverſos egerat: ne ij quidem quos vindictæ & honorum cupido, aut privatum compendium exſtimulabat, durius tractandi erant, ob Reginæ reverentiam, quæ parùm ex fide de rerum ſtatu edocta, pro fideliſſimis eos miniſtris habebat. Inter hæc dum Liceſtrij premitur abdicatio, indies Sonoij, aliorumque Centurionum præfracta in minores Præfectos contumacia, & rebellio gliſcere: Liceſtrijque ſacramentum cauſſati, nullius accipere imperia. Ita nullum Fœderatis caput; nullum imperium, vel autoritas. Hinc palam tumultuari præſidia, maximè validiora. Patres, quamquem inviti, ſolvere militibus ſtipendia, eorumque ad arbitrium rationes ſuas componere cogebantur. Jamque annumeratâ, defectionis metu, pecuniâ (quam miſero anguſtoque Reip. tempore conficere arduum erat) obſequium miles detrectans, veteres iras retinebat. Honeſta tamen omnibus præſcriptio obſequij adverſum Reginam ac Liceſtrium. Initium tumultus à Sonoio fuit. Is opprimendæ Enchuſæ, & muniendi ſui cauſſâ, contra Mauritium, Hollandiæque Proceres, ex omnibus legionis ſuæ hybernaculis, quæ trans Iſalam, in Geldriâ, ac Friſia ad Auſtralem ſinum erant, magno milites numero convocaverat. Hi donec ſpatijs diſcreti & invalidi, facile in fide continebantur. Poſtquam collecti numerum & vires cognovere, non differendam occaſionem rati, feroces ſtipendia flagitant. Jam pridem Belgarum miles in hanc adductus conſuetudinem erat, ut ſtipendij duabus tertijs contentus, pro reliquo tabellas acciperet, cautionem ſolutionis, certis temporibus, & opulentiore ærario faciendæ. Eum abrumpere morem primus omnium Sonoij miles aggreſſus, debita à XIII menſibus ſtipendia, uno eodemque tempore annumerari poſtulat. quippe longam militiam duraverant. Adjiciunt minas, ſi repulſam patiantur, molium, quis aquæ coërcentur, oſtijs laxatis, fluctibuſque admiſſis, univerſam Borealem Hollandiam inundatione hauſturos. Hanc effuſam adeo licentiam Sonojus, Chriſtallus, & ducum alij nequidquam reprimere niſi. Quippe, ſolutâ diſciplinâ, imperia miles abnuebat. Ipſe Sonojus cum præfectis tumultuantium fugere conſpectum, & violentis ſemet eripere manibus adactus, in arcem Medembliccæ confugit: eâdem à militibus ſuis

CIↃ IↃ LXXXVII.

reverentiâ habitus, quâ ſuperiores habuerat. Interea poſtquam ad cæteros pervaſit fama, ſeditionem Medembliccæ motam, paſſim ubi prȩſidia prævalebant civitatibus (erant eæ, Gertrudenberga, Heuſda, Worcomum, Veria, Armuida, Bergæ ad Zomam, ac Naerda) pecuniam expoſcunt, nam multò minus his ſtipendia proceſſerant, quam Medembliccenſibus, & ne duas quidem tertias, imperante Liceſtrio, perceperant. Igitur plerique, pulſis centurionibus, duces ſibi deligunt. Patres tametſi uno tempore tantæ multitudini ſtipendia à longo adeò tempore debita, nullâ ratione perſolvere poterant, ſedulo tamen incumbebant ne ullam hinc utilitatem hoſtis caperet. Ingens quippe perditorum hominum numerus ea in hyberna confluxerat, licentiâ impunè quidvis patrandi illectus. Nec in arduo fuit hoſti, diſſolutæ multitudini proditores miſcere. Primi tamen Gorcomenſes & Heuſdani, ſemeſtri ſtipendio pacati. Eadem accepturos Gertrudenbergenſes ſpes erat. Cæterùm inquieti homines, prono in Liceſtrium, an in hoſtem favore, quicquid id ſpei diſturbarunt. Seditioſorum unus, Vierſlotus, ex gregario milite Hohenloij beneficio turmæ equitum vicario jure præfectus, datâ veniendi impunitate, ad colloquium ex urbe prodierat: moxque regreſſus, quæcumque largiter à Patribus promiſſa erant occultans, nullam veniæ ſpem, ſed paratam omnibus perniciem, ſi in manus Hohenloij venirent, ad ſuos retulerat. Nimium huic Vierſloto fidens Hohenloius, eoque incautior, & ſemiſomnis, placandos pollicitationibus milites, poſt exemplum in autores motuum ſtatui poſſe dictitaverat. Unde veritus forſan Vierſlotus ne pœnæ & ipſe ſubderetur, audita multò deterius in vulgus militum enunciaverat. Adeoque omnium adverſus Hohenloium animos accendit, ut univerſa ſimul ſpes præcideretur. Interea nihil cum hoſte commune illis, & ſuorum nonnullos conſpirationis cum eo compertos ſupplicio affecere, literis hoſtium patibulo affixis, ac exitio tympaniſtæ, ſi rediret, denuntiato. Ferebant nonnulli, Liceſtrium ut per literas Sonoium incitârat, ita Vierſloto quoque promiſiſſe, venturum è Britanniâ novum Præfectum, ſedemque Gertrudenbergæ poſiturum. Cæterùm id affirmare nolim. Manebant interea infenſi Medembliccenſes, nec perduci ad colloquium poterant. Ter ad eos è Patrum conventu primarij viri profecti, magna obtulere: ſed ne ſic quidem victa pertinacia nihil de priſtinis poſtulatis remittentium. Sonoius ut periculum inde à Mauritio Patribuſque, hinc à proprio milite metuit, cum ſuis in gratiam reverſus, quamvis injuſta petentibus accedit, & alienæ fit comes petulantiæ. Unde hoc rerum ſtatu nullum coërcendæ ſeditioni remedium utilius obſidio videbatur. Igitur Mauritius Februario menſe circumſidere oppidum aggreſſus, caſtella utrimque ad aggerem jacit, bellicas in portu naves collocat. Seditioſi nonnullas eruptiones fecere: minati quoque ſæpius ſunt, omnium ſeptorum laxatis repagulis longè lateque univerſam regionem inundaturos. Cæterùm cùm iniquiſſimis poſtulatis neutiquam ſatisfieri poſſet, tentanda fortuna erat. Nec temere eo audaciæ prorupturos opinio obtinebat, quando non rem hinc, ſed nocentiores tantum ſe, & gratiæ nullam ſpem reliquam facturi erant. Commodùm quoque is oppidi ſitus, ut propinquare hoſtis, diſcordiaſque inteſtinas in ſuam vertere utilitatem nequiret. Valde rebellium animos Liceſtrij, ac Ruſſeli, Vliſſingæ præfecti, literæ confirmabant, quamvis non pronâ in Liceſtrium mente, ſed ſeditione obſidium provocaverant: iniquè etiam, depoſitâ jam præfecturâ, Belgarum ſe rebus interponebat Liceſtrius. At apud Reginam de ſeditione diſſimulatum, tantùm retulere, Sonoium, quod addictiore in eam animo foret, graviter à Mauritio ac Patribus premi; adeoque metuendum ne omnes rurſum Belgæ ad Hiſpanum deficiant. His vocibus mota Elizabetha, Britannici maris Præfectum validâ

cum

cum claſſe in Zelandiam mittit, cum mandatis, Brilæ ac Vliſſingæ conſu-
leret. Ut acceſſit, Sonoium bono eſſe animo Ruſſelus jubet: quippe ſubſi- cIↄ Iↄ
dio ei Reginæ claſſem veniſſe. Cæterùm ut legati Zelandorum claſſis præ- LXXX
fecto demonſtravere, coërcendam Sonoij rebellionem, militumque tu- VII.
multum; cætera nec periculi quidquam eſſe, nec urbium ullam de defe-
ctione ad Hiſpanum cogitare, malleque cunctos, ut omnes de pace ſermo-
nes intermittantur; in Angliam revertitur. Vix abierat, cum Sonoium ite-
ratò Ruſſelus monet, Mauritium, promiſſis de obſidio deſerendo, perpuliſſe
claſſis præfectum ut diſcederet: qui ſi eluſum ſe animadverterit, haud dubiè
validiore militum naviumq; numero rediturũ. Conſtantiam modò & oppi-
dũ retineret Sonoius. Inter hæc Senator Killegręus ſeriò hortari Fœderatos
Proceres, ut legatos ad colloquium cum Parmenſi mittant, de pace acturos.
Etiam Hollandiæ Patres moneri jubet, premere Sonoium deſiſterent: ni
pareant omninò revocaturam auxilia ſua Reginam. Neque ore tantum hæc
adfirmata Killegræo, miſſæ eandem in ſententiam literæ ad nationum non-
nullas, quæ à conventu Fœderatorum Procerum abfuerant. Et ante à pri-
vatis circumlata earum exempla, quam in manus magiſtratuum perveniſ-
ſent. Factum id à turbidis hominibus, quorum unus metus, ne ſuppreſſis
à magiſtratu literis, nulla in plebe mutatio exiſteret, cujus cupidiſſimi erant.
Cæterùm ut hæc ſpreta Patribus, & quamquam ad fremitus ſubinde prola-
pſa plebes nihil tamen in magiſtratus audebat; quòd plerique, non plane à
prudentiâ deſerti, parum probarent ſub ſpecie obſequendi Reginæ Lice-
ſtrioque, ſeditioſis militibus morem geri: Killegræus literas de præfecturâ
à Liceſtrio depoſitâ, Fœderatis Proceribus exhibet: longius forſan con-
taturus, niſi Liceſtrius ipſe à Caſembrotio Loſâque, Patrum legatis, appel-
latus, ut juvare apud Reginam Belgarum res vellet, nihil ſe depoſitâ præfe-
cturâ eorum in rebus poſſe reſpondiſſet. Quæ verba è veſtigio à legatis ad
Patres perſcripta, & interrogatus ab his Killegræus literas neceſſariò pro-
tulit. Non tamen creditum id Sonoio, iſque plus fidei habere literis, quas à
factionis ſuæ hominibus de ſolvendâ obſidione acceperat. Cæterùm con-
ſpectâ manu, ſignoque Liceſtrij, paciſcitur cum Patribus, ut impetratâ ante-
actorum veniâ, trimeſtre ſtipendium militi numeraretur, de reliquo tabellis
Patres caverunt. Etiam poſtulavere, ut militiæ pertæſis honeſtæ miſſionis
literæ darentur. Ita ad diem XXV Aprilis digrediuntur, relictumque So-
noio regimen præſidij, quantum Mauritius cenſuiſſet. Martio menſe Ho-
henloius, ob damna Belgarum navibus in mari Balthico illata, legatus à Fœ-
deratis Proceribus ad Daniæ Regem mittitur. Hinc nova Britanni conje-
ctare, præſcriptione maris Balthici diverſa tegi ſuſpicantes. Quippe per id
tempus æmuli inter ſe Reges Principeſque erant, cum nullus regnum alte-
rius Belgarum acceſſu creſcere vellet. At Hohenloius in Daniam veniens
quarto Aprilis die, juxta veterem ſupputationem, Regem mortalitate ex-
pletâ defunctum cognoſcit, & infectâ re ad Belgas revertitur. Sedatâ Me-
demblicæ militum ſeditione, dubium ſibi nemo reliquerat, ſecuturos ex-
emplum Gertrudenbergenſes. Augebat ſpem oblatæ pecuniæ magnitudo,
nam ducenta florenorum millia ſoli urbis ejus præſidio Hollandiæ Proceres
deſtinaverant. Una difficultas reſtabat, dum pecuniam, non imperia Pa-
trum aut Mauritij accipere miles paratus eſt, ſoliuſque Reginæ ac Liceſtrij
in verba ſe juraturum dictitat. Adhæc ſuæ quoque urbem cuſtodiæ, & du-
ces, quos ſeditionis tempore ipſi delegerant, relinqui poſtulabant. Provoca-
tio ad Reginam inanis tantum & quæſita ſpecies, tegendæ militari petulan-
tiæ. Etenim illam, quæ recuſato omnium Belgarum principatu, duo tan-
tum oppida pignoris vicem petiviſſet, credendum haud erat per militum
ſeditionem, ſuæ poteſtatis urbem ullam facere velle. Itaque ſatis appare-

bat id

CIↃ IↃ LXXXVII. bat id agere turbidos, ut ſub nomine Reginæ ſoluti imperiorum legumque reverentiâ viverent; aut à Liceſtrianis factionibus incitari eos, ut ſenſim urbes in ſuam ipſi poteſtatem redigerent. Quod ſuæ, & ducum quos delegerant fidei committi Gertrudenbergam poſtulabant, id anceps, pariterque & æris multi, & oppidi diſpendio obnoxium. Quippe milites exutâ diſciplinâ, eademque cuncti volentes, turbas quando videretur redintegrare poterant: & obſidio urbem cogere, propinquus hoſtis prohibebat. Ob hæc Proceres Hollandię, conciliatore Pelerino Willugbeio, qui imperium in auxiliarios Reginę poſt abitũ Liceſtrij obtinebat, quamvis iniquas conditiones neceſſario amplexi, ſolis Gertrudenbergenſibus florenorum ducenta & ſedecim millia annumeravere. Parebatque ducibus à ſe delectis miles, ſolum Willugbeium ſuperiorem agnoſcens. Patribus pro immenſis ſumtibus nihil certę ſpei, præter nuda Pelerini promiſſa. Qui cum adverſum pactiones à milite ad Reginam provocari videret, fidem dedit, paullatim ſe flexurum animos, & oppidum, ferocioribus per expeditionis ſpeciem avulſis, Mauritio traditurum. Non tamen eò perfecit. Nam quem oppido impoſuerat Johannes Winckeveltius, affinis ejus, proditâ Gertrudenbergâ à ſeditioſis captus libertatem pretio redemit. Dum paſſim turbatur, ne Parmenſis quidem ullo labori parcere in augendis ſeditionibus. Miſſi ab eo circumquaque in hyberna verſuti homines, qui militum ſe cœtibus inſerentes, varijs ſermonibus turbidos incenderent. *Quid ſibi cum vafris Patribus rei eſſe? ſolam pro Principe Reginam habere.* Ita ſenſim audacia crevit. Nec tuto tantum hæc licuere, ſed & pronis auribus à Britannis accepta, qui collaudare affectum fidiſſimoſque habere eos, qui & Reginam, & Patres prodere nitebantur. Prima doli indicia per Sucquetum erupere. Is quondam apud Fœderatos centuriam ſecundus imperio obtinuerat: & poſtquam Gertrudenbergæ ſatis in rabiem exſtimulaſſe militum animos viſus eſt, Guilhelmopolin contendit. Ubi motâ occultis ejus artibus ſeditione, à præfecto oppidi Emmerio Lierano comprehenſus, ſolliciteque cuſtoditus, Hagam mittitur. In itinere pręceps de navi in fluctus ruens, exitium quęſiverat, haud levi malę conſcientię indicio. Sed extractus, & Hagam deductus, cum aperte fateretur ſub nomine Reginę, utilitates Hiſpani quęſiviſſe, & huc à Parmenſi auro illectum, gladio percutitur: cadaver in quatuor membra diſcerptum. Firmabat Sucquetus etiam Jacobi Renchij conſcientiâ ſe uſum in abutendo Reginę nomine. Ille centurio pręſidij Naerdenſis, & Prouningij Conſulis Ultrajectini intimus erat, ut ſępe intempeſtâ nocte conſilia miſcuiſſe conſtaret. Tamen comprehendi eum Prouningius jubet. Mox à Senatu appellatus, ut Hagam, cauſę dicendę mitteret, vetare privilegia Ultrajectina dixit, ut quiſquam extra eorum ditionem mitteretur. Sed, ſiquid deliquiſſet, Ultrajecti puniendum. Ad ea Senatus nequaquam ſupplicium de Renchio ſumturum ſe reſpondit, tantum utriuſque captivi verba audire, & quid pro ſe quiſque afferret cognoſcere velle, indagandæ veritati: fidem etiam dare de Renchio, ſimulatque quæſtionem habuiſſent, Ultrajectum remittendo, ac de totâ eum re certiorem facturos. Poſſe quoque ſi ita videatur nonnullos à magiſtratu Ultrajectino adeſſe, quippe non in factiones veteres, ſed ſolam conjurationem inquiſituros. Perſeveravit tamen in ſententiâ Prouningius, unde primarijs viris & ipſe in ſuſpicione. Mirabantur hi ab illo privilegia obtendi, qui ea palam ipſe violaſſet, conſulatum prius, quam civitatis jus adeptus: qui poſt quoque indigenas muneribus dejectos, inauditos atque indefenſos urbe expuliſſet, ſuffectis exteris, qui legibus à Rep. prohibebantur. Mirabantur nunc illum proditionis accuſatum hominem judicum ſententiæ ſubducere, ac legum præſcriptione uti. Itaque Patres veriti Sucquetum Ultrajectum mittere, ut ibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

crimen dilueret Renchius, Hagæ-Comitum ſupplicio affecere. Quo ſub- cIↄ Iↄ
lato audacter culpam negans Renchius, parum ſeveris judicibus, Ultrajecto LXXX
profugit. Veriæ & Armuidæ non palam, ut Gertrudenbergæ, ſeditionem VII.
præſidiarij induerunt, ſed de ſacramento diſputatum, & donec depoſitum à Liceſtrio imperium ignorabant, obſequium Mauritio denegarunt. Quippe tota hinc lis pendebat. Itaque longum tempus pertinaciam retinuere. Tandem ortâ, ut alijs in locis, ſeditione, Willugbeius ac Killegræus componendis turbis eo contendunt, qui Medembliccæ quoque & Gertrudenbergæ militem Patribus conciliaverant. Sed promtius concitari militares animos, quam reduci ad ſanitatem compererunt: nam præterquam quod nihil apud tumidos effectum, parum ab exitio abfuere. Unde metus Anglos inceſſit, ne ut ante Patres ac Mauritium excludere Liceſtrius tentaverat, ita nunc quoque & ipſis excluſis, in hoſtilia iretur; itaque omiſiſſe ab eo tempore factiones ſuas videntur. Quîs ceſſantibus, Mauritij ac Zelandiæ Procerum ſtudio ſeditioſi pacati, acceptiſque aliquot menſium ſtipendijs digreſſi præſidio, locum fecere militi ſeverioris diſciplinæ. Hunc in modum ſeditiones, dum præerat Liceſtrius partim ob non ſoluta ſtipendia, partim de induſtriâ ab ipſo motæ, tandem conquievere, ſolo pecuniæ impendio, quam ægre, hâc tempeſtate, Fœderati conferre poterant.

FINIS LIBRI VII.

EVERARDI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Hoog.
35 A 13

EVERARDI REIDANI

ANNALIVM LIBER OCTAVVS.

BREVIARIUM LIBRI.

REIPUBLICÆ *miſerabilis ſtatus ob Liceſtrianas factiones : quo tempore viſum Numini hoſtium cogitationes diſtinere apparatu claſſis ad opprimendam Britanniam. Crebri de eâ rumores, & monitus ab Reginâ diſpreti, & tandem crediti : quâ re omnes de pace ſermones prorſus abrumpuntur; & Eliſabetha verſo ad bellum animo ſubſidium à Patribus petit. Valida Hiſpanorum claſſis Caletum venit ; cui juncturum ſe Parmenſem Belgicæ naves obſident, retinentque. Britanni incendiarijs navibus abeundi neceſſitatem Hiſpanicæ claſſi afferunt ; quæ Britanniam Scotiamque prætervecta, naufragium ſub Hiberniam patitur, & ex* CXXXV *navibus, una tantùm & triginta, incolumes in Hiſpaniam remeant. Liceſtrij fatum, ingenium, mores. Parmenſis Tholanam inſulam irrumpit. Bergas ad Zomam improſpere obſidet. Bonna circumvallata & dedita. Guilhelmus Naſſovius Ementillam capit: Delfſilam aſtu, ſed incaſſum tentat. Gertrudenberga à ſeditioſis præſidiarijs hoſti vendita. Parmenſis Heuſdam obſidet. Guilhelmus Naſſovius Iouerам communit. Parmenſis & Hiſpanorum primores ac duces diſcordes. Warenbonnius Blienbeccâ potitur. Schenckius commeatum Bercæ infert ; Pattonum in Luppienſi campo vincit: Noviomagum inſidijs petit, ſed infelix ipſe ſubmergitur, doteſque & ingenium ejus memorantur. Warenbonnium Verius Eques prælio ſuperat. Meurſæ Comes pyrio pulvere ambuſtus extinguitur. Bercam deliberatò Patres in hoſtium venire manus patiuntur. Verdugus Opſlagum munitionibus firmat. Guilhelmus Naſſovius duo caſtella Reidæ ſita ſubigit, & pro utroque unum, ſed majus caſtellum extruit. Allerus Clantius novam legionem conquirit. Sex & triginta prædones Leovardiæ gladio percuſſi. Hogelkij in Sednitzkium calumniæ. Hedela, Brakelaque amiſſæ. Vorena munitur. Guilhelmus Naſſovius Soltcampum impetu capit. Antonius, Noritij & Draci ope, recipere Luſitaniam tentat. Hiſpaniarum Rex bellum in Galliâ gerit cum levamento Belgarum. Quâ occaſione utendum ratus Guilhelmus Naſſovius egregijs rationibus ſuadet Patribus, ut ultro hoſtem laceſſant. Idem artes militares veteribus uſurpatas, & temporum injuriâ penè òbliteratas, ad uſum revocat. Mauritius Bredâ per inſidias potitur. Verdugus Ementillam capit, & percuſſores Guilhelmo Naſſovio immittit. Parmenſis Lutetiam obſidio ſolvit. Mauritius Hedelam, Hemertam, aliaque loca in ditionem redigit.*

SIC DEO

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ LXXX VIII.

SIc Deo Opt. Max. viſum fuit, ne quidquam in Fœderatos Hiſpanus per id tempus moveret, quo ab annis XX haud aliud perinde ſibi periculoſum habuerant. Deerant caput, & conſilia; regimen penes proditores, corruptoſque homines. Miles ad defenſionem contractus pleriſque in locis turbabat, non in limitaneis modò urbibus, ſed mediâ quoque Hollandiâ. Omnium par indignatio: quique occurrere debuerant, occultis artibus malum fovebant. His, qui egregio publico cuperent magiſtratibus, ita diſtentus inteſtino hoc incendio animus, ut nihil cogitationibus adverſus hoſtem temporis ſupereſſet. Nec jam, ut quondam, certamen cum Malecontentis aut Pontificijs erat, ſed eorundum ſacrorum, & Eccleſiaſticis hominibus. Acceſſerat ad hæc mala Reginæ quoque ira, quæ aſperis ad Patres literis, militem revocare, auxilioque ſuperſedere minabatur, quia falſo de Belgarum rebus edocta à ſuis erat. Etenim credendum haud videbatur, illâ conſciâ, multa adeo Liceſtrium ejuſque factionem adverſum pacta patraviſſe. Et quamvis meliora plerique credebant, incertum tamen id, ac utcumque ſciente aut ignarâ gererentur, utrimque mala certa. Quippe ſi conſentiente eâ, Liceſtrius Medembliccam, Gertrudenbergam, Veriam, aliaſque urbes imperio Præfecti Hollandiæ ſubtrahere conatus; relinquebatur, ut Regina, quæ poteſtate, quam Carolus habuerat, Belgarum regimen abnuiſſet, per vim occupare principatum, ac nullis conditionibus, nullis legibus jugum imponere Fœderatis vellet, quo ingeſtis ſuæ gentis hominibus, ut lubitum cuncta gereret. Sin illa omnium neſcia, haud minùs deplorandum erat, ſub nomine ejus, clientum ac miniſtrorum illi fidiſſimos, tanta in diſcrimina Belgarum res conjicere, nec locum dari, Reip. ſtatum Reginæ exponendi, quo malè conſulta aut acta corrigerentur, quæ terrarum exitium neceſſariò ſecum traherent. Nam cuivis occurrebat, majora paullatim ab his perferenda, qui in ipſis primordijs parum adeo ſibi temperaſſent. Quæ cogitatio conſilia omnia corrumpebat, ſpem tollebat. Quidam animi minuti, tametſi ita novari cuncta improbabant, patienter tamen ferenda hæc dictitare; nec contendendum cum his, à quibus terrarum ſalus penderet. Si enim nullâ ratione leges ac libertatem priſtinam retinere Belgis liceat, Anglorum profectò imperia Hiſpanicis præferenda. Quippe illis rerum potientibus, ſaltem integra haberi ſacra. Contrà, qui altiùs rem inſpectabant, arbitrari, ſi nefandis conatibus ſilentio prætermiſſis, Reip. ordo tolleretur, haud diu in tuto ſacra fore. Exterum enim populum, ſub Principe, ubi nullus peccantibus metus, ſub Præfecto conſilia parum ſana accipiente, ſimulac cuncta Belgarum in ſe traxerit, ſuaque nec ad leges, nec majorum inſtituta, aut civium animos componat, neceſſariò eas in miſerias Remp. deducturum, ut quicumque conſilio & operâ hactenus patriam juviſſent, languentes aliò demigrarent; plebes autem, animi impatientiâ, expeteret Hiſpani denuo jugum. Gnaram quippe, eum, & majores, ſi religio, turbataque tempora exciperentur, benignius Belgas habuiſſe, quàm Regum aut Principum quenquam. Nec ſolos Anglos abſque indigenarum auxilio ſufficere illi poſſe, quando primarij plerique viri, autoritate ac gratiâ ſuâ dejecti, mentem avertiſſent, aut alias ſedes multi quæſiviſſent. At in plebe pro uno, qui religionis amore bellum Britannicaque durare imperia vellet, quaternos Pontificios, vel impios, aut fractos animi, aut denique belli pertæſos reperiri. Quamobrem præſtare ut veterem regiminis formam defendant, eamque perverti, aut cum publico damno mutari, prohibeant, quàm ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ LXXXVIII. ignaviâ ac metu ſuo, & ſacra, & patriam trahi in perniciem patiantur. Adſpiravit ſanè Numen conſtanti propoſito. Ipſi egregium poſteris documentum fuere, nunquam, dummodo bonâ cauſsâ, ſummis in periculis, ac penè conclamatis rebus, deſperandum, ſed potiùs fidendum Numini, ac glorioſo occumbendum fato. Parum quippe virilis ſunt animi, qui ſecundis tantùm rebus fortes; parum Chriſtiani, qui nonniſi proſperâ fortunâ Numini confidunt. Nihil enim per id tempus virium in Belgis erat, quæ ſpem facere boni poſſent, niſi quòd alijs hoſtem molitionibus diſtinuerit Deus, ut occaſionem tam opportunam dimitteret. Illi, ex quo Sluſam ceperat, nihil geſtum, quo memoraretur: claſſe comparatâ, ſocios navales collegerat, rumores ſpargens, in Zelandos hæc ſe moliri. Sed deſtinata conatibus Anglia, quam occupare nitebatur: & agitata ante ſexennium eâ de re Hiſpano cum Parmenſi conſilia, pòſt compertum eſt. Jamque neceſſarijs omnibus proviſis, de ſucceſſu nulli ambigebant, jam ſubactæ Britanniæ victoriam mente præceperant, arbitrati, nullo adverſante orbi ſe tum Chriſtiano leges poſituros. Quâ ſpe ita repletus uterque, ut de Hollandis ac Zelandis haud cogitarent; tanquam devictâ Britanniâ ſponte ſecuturis. Hinc pro lucro habita illis Patrum ac Liceſtrij diſſidia: & lætabantur, Reginam de pace colloquentem turbas augere, nec quidquam tentare interpellandis apparatibus ſuis: qui majores fuere, quàm adhuc, durante hoc bello, Belgæ viderant. Antverpiæ, Sluſæ, ac Duinquercæ, tanto ſtudio fabricatæ naves, ut ne noctu quidem, aut ſacratis diebus labos intermitteretur. Miſſi Hamburgum ac Gedanum conquiſitores emendis navibus, magnumque ij ſociorum navalium numerum duplicato auctoramento illexere. Ita ut major ſolito diligentia, majores ſumtus, grandia hoſtem moliri ſatis arguerent. Non tamen creditum cuiquam, id animi Hiſpano fore, ut Angliam, regnum ſummâ firmitudine, & opibus viriſque validum, impetere auderet. Eam ob cauſſam plurimùm Zelandis metuebatur, ubi ſubſidiorum quicquid poſſent Patres comparabant. Initur numerus mercatoriarum, quæ bello aptæ, & recenſitæ naves ejus generis cui à Flevo nomen, & majores pluſquam bis mille. Sociorum navalium ad millia XXX diebus XIV cogere ſe quire adfirmabat, qui ſecundus imperio claſſibus Hollandicis præerat. Sed his ad extremam neceſſitatem reſervatis, ſupra jam dictas naves modicum Patres numerum collegere, & grauiſſimis impenſis maximâ anni parte claſſem habuerunt in procinctu, ſemper obverſam & imminentem locis, quîs hoſtium naves conſtiterant: quæ nunc Antverpiâ, aliàs Slusâ, aut Brugis prorumpere in Oceanum conabantur. Occipiente brumâ anni LXXXVII ex Hiſpania nuncij adferebant, non ſegniùs ibi Regem naves, ſocioſque navales conquirere. Verùm id tutandæ in Indias navigationi plerique fieri credebant. Nam uſitatum Regi, quotannis eum in uſum claſſem inſtruere; cujus nunc major cura habenda, infeſtante maria Draco, & Britannorum alijs. Sub idem tempus Italus ex Colomnarum familiâ, captivus ad Mauritium adducitur. Patriâ ſe annos nonnullos exulare juſſum referebat, tranſactoque in Hiſpaniâ aliquanto tempore, perluſtrandæ Belgicæ deſiderio acceſſiſſe. Addebat, certò in aulâ Regis adfirmatum ſibi, claſſem (& quo plus fidei eſſet, memorabat non pauca ad eam pertinentia) adverſum Anglos inſtrui. Mauritius non adſpernandum indicium ratus, Colomnam ad Reginam mittit, ut ejus tandem adfirmationi crederet. Nihil tamen mota illa hominem remittit, addito, vana omnia & incerta eſſe, quæ ab eo cognoviſſet; creditumque ſibi impoſtorem eſſe: nec multùm abfuiſſe, quin pro tali pœnas dederit, niſi Mauritij cauſsâ parcitum ei foret: grates tamen agere, quod monendam ſe putâſſet. Ad ultimum cùm quaquavorſum pervaſiſſet fama de ſtupendo illo navium numero, quarum pleræque tantæ

molis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

molis ferebantur, ut Belgarum portibus capi nequirent: cùm inſuper nuncij CIↃ IↃ
retuliſſent, Parmenſem ſupra relatos apparatus, copias auxiſſe, ac coacta ha- LXXX
bere militum millia XL, quorum jaculatores major pars, duplicatis ſtipen- VIII.
dijs mererent, nec tantâ manu quidquam tentare; fidem habere Eliſabetha cœpit, contra ſe hæc fieri: & Hiſpanicam claſſem à Parmenſi exſpectari, ut junctis viribus in Angliam invaderent. Juvit opinionem ingens navium plano alveo apud hoſtes copia, quæ utilesexponendo in terram militi. Obſervatum inſuper, cum univerſis eum viribus in Flandriâ, Anglorum litoribus oppoſitâ, conſediſſe, ibique proprijs ſubditis gravem, noxiumque, omnes rei bene gerendæ opportunitates negligere. Ille immenſis ſumtibus foſſam per medios Flandrorum fines duxerat, quà naves ejus, internâ navigatione Duinquercam convenere; quia maximè idoneus hic portus ſolvendæ claſſi, ob breviſſimum tranſiectum; an ut Guiſianis ſe jungeret in oppugnando Caleto, quâ urbe communibus armis conſilijſque potiri diu tentavere, quo validiores adverſa Britannis litora tenerent. Huc pertinuerat, quod defuncto Joieuſæ Duce, Normannorum præfecto, ſedulo Guiſiani laboraverant, ut extincti frater Meduanius obtineret ditionem contra Anglorum litora ſitam, graviſſimoque exarſerant dolore, ubi præ latum Ducem Eſpernonium à Rege viderunt. Multa jam pridem Guiſianis cum Hiſpano ob ſacrum fœdus conſuetudo, & nunc nova in Eliſabetham ira, ob decollatam Mariam Stuartam, quæ Guiſianæ domui annexa. Hæc cuncta reputans Regina, ſe peti pro certo habuit, magno Belgarum commodo. Illico enim noxiæ inter eam ac Patres de pace contentiones ceſſavere. Tum & Angli duces concordiæ plu ſquam antè ſtudere: unde tantâ diligentiâ adverſus communem hoſtem utrimque adlaboratum, ut menſium duorum aut trium ſpatio, navium numerus par Hiſpanicæ claſſi collectus haberetur, cui apparandæ quadriennium, aut circiter, Hiſpani incubuerant. Hactenus Britanni, ſi fortè ſermo inciderat de auxilijs, quæ Fœderatis à Reginâ ferebantur, nunquam audire ſuſtinuerant, ſuis quoque rebus interea conſuli, ſolâque miſeratione afflictorum ſuccurrere Reginam dictitaverant: quippe quamvis ſubactis Belgis, prohibere vim Hiſpani Angliam poſſe. At nunc hoc honore dignata Belgas Regina eſt, ut XX bellicas naves, & pecuniam inſuper auxilio mitti peteret. Patres non hunc modò, ſed majorem quoque numerum collegere: quo effectum, ut Parmenſis, Duinquercæ cum ſuis omnibus obſeſſus, jungere naves & arma cum Hiſpanorum claſſe nequiverit. Rogavit etiam Regina, ut hâc rerum ſuarum neceſſitate Britanni militis partem Fœderati remitterent. Grave Patribus viſum conſentire juxta & abnuere. Quippe extremæ illud impudentiæ, hoc multorum calumnijs ſubjectum; quîs opinio, libenter id facturos Patres, quo Britanno milite liberarentur. Accedebant domeſtica etiam pericula; & dimittere militem anceps, quia pronum Parmenſi expeditionem in Zelandos ſuſcipere, ubi ſucceſſu deſtitui vidiſſet, quæ adverſum Britannos moliebatur. Hanc ob cauſſam petierunt ab Eliſabetha Patres, ut priùs limitanearum urbium nonnullas firmare præſidijs liceret: id duobus militum millibus confieri poſſe, reliqua peditum millia tria, & equitum quod ſupereſſet, in Angliam revocaret. Cæterùm ut mille tantum milites in oppida diſtributi fuere, reliquorum paucitas abducere quenquam prohibebat: unde apertum Reginæ, quàm & illa, & Belgæ ab Anglis centurionibus fallerentur, qui cùm non dimidiam juſti numeri partem ſub ſignis haberent, fraude tamen, & ſuppoſitis aliunde militibus, dum plenum in tranſvectione numerum exhibent, pro eo quoque ſtipendia capiebant. Neque ignarum id Patribus: & literis ad Reginam, quîs malè adminiſtratam à Liceſtrio Remp. demonſtraverant, inter cætera ſuper hoc quoque, quamvis juſta queſti, graviter adeò offende-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ LXXXVIII. rant. Majo menſe cucurrit fama, adpulſam in Gallias Hiſpanorum claſſem Brovagiam cepiſſe, & junctam Guiſianis. Quod cum vero perſimile foret, nautæ inde venientes pro certo firmabant. Hinc omnibus opinio, decretum Hiſpano, aut Galliarum cogere Regem, ut ſacro fœderi ſe innecteret, adjunctiſque Guiſianis Reformatos in regno ſuo aboleret; aut pro filiâ ſuâ, quæ ex ſorore Gallorum Regis nata, ſucceſſionem invadere, quando prolem Rex non ſuſtulerat. Id rumoris ab ipſis haud dubiè Hiſpanis manaverat, fallendis, & à Britanniâ avertendis omnium animis. Tandem III. Kal. Junias Olyſſipone claſſis ſolvit: & adverſis tempeſtatibus XX dies in alto jactata, nonnullis quoque navibus aliò delatis, Gallæciam advehitur. Hîc conſumtis in portu Coronenſi IV hebdomadibus, poſtquam navium, quæ diſtractæ erant, convenere, ſecundâ & viceſimâ Julij die, curſum rectâ verſus Britanniam dirigunt. Militum, tormentorum, & quæcumque bello uſui, tanta inerat copia, ut ſola ea claſſis approbare potuerit, eſſe tantas Hiſpano vires, ut præſtare valeat, quæ potentiſſimis omnium ſæculorum regibus ardua fuiſſent. Naves quinque & quadraginta ſupra centenas erant. Eo ex numero centum & decem armatæ, nonnullæ ſeptingentarum eoque amplius vehium. Cæteræ commeatus, ac neceſſitatum alia ſubvehebant. Hominum aliæ octingentos, millenos aliæ, tormenta XL aut L vectitabant, quorum in univerſum millia duo & quingenta promiſcuæ magnitudinis. Militum millia XX, plerique Hiſpani è præſidijs Italiæ, Siciliæ, ac Mediolano arceſſiti, aut ſcripti noviſſimè in Hiſpania. Nautarum, ſociorumque navalium millia XII, mixtum genus ex Hiſpanis, Luſitanis, Cantabris, Gallo-Britannis, Hollandis, ex Septentrione, totâque adeo Europâ, maximis ſumtibus conquiſitum. Quippe nullâ ratione in Hiſpania tot gnaros rei navalis reperire erat. Naves ipſæ & altitudine, & robore caſtellis pares. Ligna quinûm in craſſitudinem palmorum, contra quamvis communium tormentorum vim atque injuriam. Aderat flos omnis nobilitatis Hiſpanicæ, Duces, Comites, Dynaſtæ, Equites ordinis S. Jacobi, alijque, nemine inſignem adeò opportunitatem dimittendam rato, quâ fidem ſuam egregio aliquo facinore Regi probaret: & ob notabilem aliquam operam honoribus opibuſque extolleretur. Ita ut jam omnibus dignitatibus in Duces, centuriones, præfectos, ac præcipuam nobilitatem collatis, multi tamen domo nobiles, ſuâ ſponte, ac privatis impenſis comitarentur, honorum ſibi arbitrati, impetrare à Rege, ut celebri huic expeditioni intereſſent, qualem in exteras gentes Hiſpani nunquam ſuſceperant. Igitur de ſubjugandâ Britanniâ vix quiſquam ambigere. Quippe longinquâ populum pace, diuturno eneruatum otio, & belli inſuetum, nequaquam ſuſtentaturum vim ſexagies mille veteranorum, & exercitatiſſimorum militum, qui plurimis ſub Parmenſi ſtipendijs, & victorijs inclyti forent. Emiſſus Madriti in publicum libellus, quo accuratè rationes confectæ erant, qui militum numerus Hiſpaniâ exiſſet, quot ſocij navales, qui præfecti marium, centuriones, ſigniferi; quod prædę quærendę ſuo periculo & ære profecti. Adjunctus quoque navium index, quîs ſua ſingulis nomina. Fuere ea D. Virginis, S. Joannis, Matthæi, Annæ, Jacobi, S. Conceptionis, Trinitatis, Adſcenſus, Magdalenæ, Catharinæ, aliaque id genus. Recenſita quoq; tormentorum copia, & pulveris pyrij, commeatus, bis cocti panis, laridi, caſei, orizæ, fabarum, piſorum, olei, aceti, vini, recentis aquæ, ſimiliumque accuratè adeò cujuſque menſurâ adſcriptâ, ut non ab alijs, quàm qui commeatus, armamentarij, aut talium ipſi curam habuerant, proficiſci poſſent. Unde conſtabat, libellum permiſſu Regis editum, tanquam materiam præbere cupientis admirandi vaſtas adeò opes, immenſas vires. Sic plura apud autores exempla Regum invenire eſt, qui invictam rati potentiam ſuam, deprehenſos in caſtris exploratores

tores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

tores, non antequam circumduxiſſent, & properè cuncta oſtentaſſent, illæ- CIↃ IↃ
ſos ad ſuos remiſere. Is libellus à quodam Hiſpano nomini cupiente, Belgarũ LXXX
in ſermonem tranſlatus, & Coloniæ excuſus, hos in titulo verſus præferebat. VIII.

Ad Anglam.

Tu quæ Romanas voluiſti ſpernere leges,
Diſces Hiſpano ſubdere colla jugo.

Eo ex indice ut pauca repetamus, fuere in claſſe ad XIV mille centum & ſeptuaginta cados vini. quæ menſura culeos Rhenanos VII mille & LXXXV facit. Cætera hinc conjectare in arduo non eſt. Senûm menſium annona univerſæ claſſi proviſa. Armorum quoque, præter quæ miles quiſque geſtabat, ingens vis, ad quemvis caſum, ſi fortè novæ copiæ ſcribendæ: tuborum longiorum millia ſeptem, & quæcumque ad eos pertinebant, breviores mille, haſtæ altiores, & bipennes totidem, ligones, & quodvis inſtrumentum pro foſſoribus ſeptingentis congeſta erant. Hinc convellendis aut oppugnandis urbibus terebræ XII, vaſtâ magnitudine, currus, carri, funes, & quæcumque neceſſaria aut erant, aut videri poterant, collecta: nec quidquam, præter ducem maris & navigandi gnarum, requirebatur. Fatis conceſſerat Marchio S. Crucis, cujus in mari frequens uſurpata Regi opera. Ita Medinæ Sidoniæ Dux claſſi præficitur, militiæ rudis, ſed ſplendidus generis, potens opibus. Eidem decretum in Belgas imperium; Parmenſi in Anglos. Tertio Kal. Auguſt. pro Plemuthenſi portu conſpecta claſſis, obvium habuit Franciſcum Dracum, exiguo cum navium numero, quę Hiſpanicis multò minores faciliùs impelli, in quamcumque partem vertere, & vento ſe dare poterant. His Hiſpanicam navem à Prætoriâ ſecundam, ſed lentiùs ſuos ſubſecutam expugnavit, atque in Angliam adduxit. Homines octingenti vehebantur, quorum multos tormenta abſtulerant. Ex captivis Petrus Baldezius pro Rege Andaluziam obtinuerat. Eâdem die Belga jaculator, ab Hiſpano centurione proditor appellatus, quòd parum accuratè tela libràſſet, igne in pyrium pulverem injecto, ipſe in fluctus deſilijt; navem incendium in ſublime abripuit. Kalendis Auguſt. Houwardus, ſupremus apud Britannos maris Præfectus, acri prælio cum Hiſpanis conflixit, quo tormentorum globi grandinis inſtar effuſi. Pugnatum horis continuis octo: neutri tamen navium ullam amiſere. Poſtea Hiſpanicarum una, eximiâ magnitudine, rimis fatiſcens, haud procul Caleto littori illiſa perijt. Univerſa dein claſſis, quantum altitudo navium permittebat, Caletano litori proxima in anchoris ſtetit, & creberrimi inter Medinæ Ducem ac Parmenſem nuncij cucurrere, conſilia de conjungendis viribus perferentes. Parmenſis imparatum ſe, & obſeſſum Hollandicâ claſſe portum dictitabat. Jam univerſæ rei cardinem in eo verti, ut vires conjungerent, cuivis conſtabat; unde & facile Hiſpani, quamvis ardua & ſupra vires, tentaturi credebantur. Cæterùm Britanni nihil ſpatij conſilijs hoſtium relinquendum rati, noctu navium ſuarum octonas incenſas, vento & æſtu ſecundo in claſſem Hiſpanicam immiſere. Ubi tantopere trepidatum, ut maturandæ fugæ rudentes & funes, quîs naves attinebantur, Hiſpani præciderent. Inſignis profectò aſtus ille, nec è poſtremis victoriæ cauſſis. Tum vehemens rurſum pugna, & tormentorum vis, horas decem duravere. Et globis perforata vaſtiſſimarum navium una (galeonem appellant) alteraque Cantabrica, rimas agentes, quò fluctus impulerant delatæ, à Vliſſinganis capiuntur. Plurimi in his occiſi, vulnerati gratis ad amicos Antverpiam remittuntur, cùm curandis Vliſſingani ſumtus facere nollent. Didacus tamen Pimentellus, frater Marchionis Taverani, Didacus Velaſcius, Alphonſus Vargas, Marchio Olyſſiponenſis, alijque complures, captivi in Hollandiam abducti. Navis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ LXXXVIII. ipſa commeatu uinoque abundabat, quo ita ſe Vliſſingani aliquot ſocij navales oneravere, ut ſentinam exhaurire obliti, cum ipsâ navi XXV ad modum homines deprimerentur. Sub idem tempus actuariam vaſtiſſimæ formæ (galeaſſam nuncupant) Angli cepere, occiſo Hugone Moncadâ. Ex illo claſſis utraque Hollandiæ Zelandiæque litora legebat. Hiſpanis maximarum navium geminæ à fronte, totidem à tergo erant, & ſiqua in curſu deficeret, negligebatur. Noctu ſine velis fluctibus propellebãtur, interdiu ſolo dolone expanſo navigabant. Sequebantur à tormenti jactu Britanni, inhiantes navibus, ſi quæ reliquarum æquare curſum nequiviſſent, ſed tandem pyrius pulvis defecit, nec cominus congredi ob Hiſpanicarum altitudinem navium poterant. Omnium interea animos metus inceſſerat, ne Ameſin, aut Codanum ſinum Hiſpani occuparent, & alterutro potiti navali bello continenter Belgas premerent. Ei rei prævertendæ Guilhelmus Naſſovius ſine morâ ſpeculas, vaſa, & quæcumque faciendis ſignificationibus, aut navibus monendis inſtituta, litore Ameſino diſiici curat. Id factum graves adeò Emdanorum querelas concivit, ut parum formidatus eorum nonnullis acceſſus Hiſpanorum videretur. Pòſt compertum, adeò eâ tempeſtate Medinæ ac Præfectorum cæteris infractos animos fuiſſe, ut non modò nihil novis conatibus cogitationis darent, verùm & de tradẽdâ claſſe, quo veniam corporibus impetrarent, agitaverint. Ceſſavit tamen is metus, poſtquam iter ab ijs Britanni avertêre. Exinde in occaſum æſtivum euntes Hiſpani XIV dies Jarmutham, Scharbergum, vicinaque litora contra ſtetere. Unde compertum, reſumſiſſe animos ac ſpem cum Parmenſi ſe jungendi. Et ille quidem impigrè omnia adminiſtrabat, militemque conſcendere naves, & in Hollandorum irruere claſſem compellebat. Nonnullos centurionum, quòd fieri id poſſe negaviſſent, propriâ eum manu peremiſſe, rumores diſtulerant. Eo modo minis aut præmio lectiſſimos jaculatores mille, ut prælium cum Belgis tentarent, adduxit. Hi animosè noſtros aggreſſi, damna haud perfunctoria intulere: poſtremò tamen ad unum omnes trucidantur. Quamobrem Medinæ Dux, penitus deſperatâ re, claſſem Hiberniam & Orcades circum reducere in Hiſpaniam parat; placido primùm mari, & ſecundâ tempeſtate; cæterùm cùm vaſtæ naves, & tormentis pars convulſæ, tardè ac ſegniter procederent, eodem vento conficere iter nequivere. Tertiâ Septembris die immanis tempeſtas claſſem univerſam diſſipavit, naviumque nonnullæ in Hiberniam adpulſæ, ubi intra XVII & XXVII ejuſdem menſis dies, triginta & duæ periere, hauſtæ fluctibus, aut ab Hibernis captæ. Amiſſa hominum millia ad decem. Cæteræ naves in Norvegiam, aliæ aliò delatæ, quædam longè adeò provectæ, ut ne fama quidem unquam quidquam de ijs compertum ſit. Una tantum bellica, XXX onerariæ, incolumes in Hiſpaniam revertêre, cum ipſo Medinæ Duce. At in Britanniâ, dum litora ejus claſſis prævehitur, maximi toto regno motus fuere. Eliſabetha Pontificios omnes, quibus aut opes, aut animi vis, quæ patriæ nocere poſſet, deportari in Angbaſiam inſulam juſſerat, omnem quoque maritimam oram valido præſidio occupârat, promtis omnibus, maximâq; nobilitatis & ignobilium alacritate. Ducenta circiter hominum millia fuere, ſummaque regiminis penes Liceſtrium; ſecundus locus Noritij, quicum nunc demum redierat in gratiam Liceſtrius, apertè profeſſus, pravo ſe conſilio ſeductum, omnem in Belgicâ exiſtimationem deperdidiſſe, eamque recuperare auxilio Noritij velle. Milites Angli, quocumque claſſis proceſſerat, huc ſe vertebant, donec tandem finito metu, publicè per Eccleſias ſupplicationes Numini factæ, & ludi, feſti dies, variaque gaudij ſigna in aula, in urbibus, exhibita fuere. At Hiſpaniâ universâ diverſus dolor, plurimaque conſternatio, omnium animos perculerant, dum communem alij regni fortunam, alij

propin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

propinquos, aut neceſſariorum fata miſerantur, ac deplorant. Nulla enim
familia nobilis, nullus in dignitate vir repertus, quin parentem ille, hic li- CIↄ Iↄ
beros, fratres, aut conſanguineos deſideraret. Gnarum id Regi fuit: ita- LXXX
que premendis vocibus, & cujuſque privato luctu, ne mali indies memoria VIII.
recrudeſceret, breviſſimum edicto ſpatium poſuit atratâ veſte ſuos lugendi. Olyſſipone, quæ civitas in Hiſpanorum nuper ditionem redacta, ægrè imperia eorum ferebat, magnoque in Hiſpanos erat odio, mercatorem tantâ Hiſpanorum clade exultantem, Regis juſſu ſublatum in patibulum ferebatur. Galliarum Regi non ingrata hæc accidêre; cui ludibrio habitus Bernardinus Mendoza, Hiſpani legatus. Namque ei Rex certò compertum ſibi adfirmavit, Hiſpanos, nullo reſiſtente, Britanniâ potitos; adjecit etiam circumſtantias, ut magis fidem faceret. Nec credere Mendoza dubitavit, quæ ex ore Regis accepiſſet. Itaque miſſis ſine mora Madritum veredarijs, excuſum quoque de victoriâ libellum Pariſijs circumferri fecit: ſed ſubitò effuſa adeò lætitia in luctum non minorem verſa eſt. Inter hæc Liceſtrius violentâ correptus febre a.d. XIV Septembris, properè extinguitur, anno ætatis quarto ſupra quinquageſimum. Vir fuit omni honorum genere cumulatus, opum magnitudine cæteros Britanniæ primores principeſque ſupergreſſus, validus gratiâ Reginæ ad extremum uſque vitæ diem; raro in aulis principum exemplo. Hâc æmulos in Britanniâ omnes ſuperavit, dignitates ſupremas adeptus eſt. Statura illi excelſa, venerandus cum formâ vultus, ſed præmatura canities. Reginæ tam flagrans in eum amor fuit, ut de conjugio vix quiſquam dubitaret, ſi animi ſui motum ipſa ſequi potuiſſet, neque reliquorum Procerum obſtitiſſet æmulatio. Fatum ejus non gentilium Principum cuiquam, ſed ſoli Reginæ deploratum. Illa lugubri veſte, illa lachrymis dolorem ſuum teſtata eſt. Anno LXXXI appellatus ab Andino, an matrimonium Reginæ affectaret, negaverat. Mira illi comitas, promti aditus, humana reſponſa, maxima in eum vulgi ſtudia accenderant. Adeoque prudentis & felicis Principis nomen habiturus fuerat, nec alteri ullus diuturnum XXVII annorum apud Britannos otium (quod à ſæculis aliquot eâ in gente inauditum) acceptum tuliſſet, niſi Belgarum functus eſſet præfecturâ. Ibi quippe compertum, nequaquam felicem Britanniæ ſtatum prudentiæ ejus innixum fuiſſe: quippe noxia conſilia ab utilibus ſegregare neſcius, quæſitis in ſpeciem verbis ac fallacibus adulatorum blanditijs ſeductus erat. Ibi cognitum, nequaquam fortunâ ſuâ contentum eum, parum penſi habuiſſe, utrùm perverteret alios cum ſuo incremento; & comitatem, facilitatem, verborumque lenocinia, externam tantùm virtutis umbram fuiſſe, quicũ facta non congruerent. Tranſverſum illum aſſentatores egerant, Arauſionenſis faſtigium jactantes; nec minorem eo Liceſtrium, & principatu perinde dignum atque illum, cui imperium Hollandi Zelandique contuliſſent. Proin, quia ſummam poteſtatem capeſſere Regina abnuiſſet, nulli æquius, quàm Liceſtrio, offerri, qui faſtigio Reginæ proximus, gratiâ primus, eâ decedente, cùm juſtus deſit hæres, potiri regno poſſit, quando Belgarum pro ſe vires habeat. Poſſe ejus operâ Britanniam ac Belgas copulari, quod nequidquam tantis ſumtibus Fœderati tentaviſſent. Sed enim non primo, aut altero imperij anno, tanta præmia, ſed probatis virtutibus adipiſci datur. Non pompâ, non externâ ſpecie, aut phaleratis verbis, ſed ſtrenuè factis, præclarè de terris, urbibuſque merendo. Non malis artibus, aut honorum cupidine, ſed populi conſenſu, quem modeſtiâ, & gloriæ contemtu magis, quàm cupidine adſequaris. Denique non ambitione & favore mobilis vulgi, (qui ut properè quæſitus, non minori celeritate perit) ſed conſtanti judicio prudentum, & maximorum dignitate inter ſuos virorum. Verùm ad hæc ani-

mum

cIↄIↄ LXXXVIII.

mum adulatores advertere nolebant, pars humanum ingenium ſecuti, quòd his potiſſimùm artibus gratia Principum adquiritur: alij, (ut Reingoutius, Standlæus, Jorckus) quod ab Hiſpano corrupti, ſeducere Liceſtrium, ipſumque pariter & Belgas trahere in perniciem molirentur. Nec arduum id putabant, ob cæcam & inſatiabilem in Liceſtrio potentiæ cupiditatem; quam ſatis ipſe prodiderat; quippe cum primo in Belgicam veniſſet, apud Delphenſes conſules adventum gratantes, multùm jactatâ Dudlejani nominis celebritate, adſeverare non dubitavit, *Quo tempore fratri ſuo Wilforto Dudleio, conjugique ejus Ioannæ Graiæ Suffolciæ, cervices præciſæ forent, ereptam Anglis progeniem, cui jure hæreditatis Regnum deberetur.* Stolidè ſatis; & mirantibus, qui adſtabant, plus juris fratri ſuo, quàm Eliſabethæ Reginæ, eum tribuere. His igitur de cauſſis facilè Hiſpano addicti avarum gloriæ animum inflare poterant, & in altũ tollere, ut lapſu graviore rueret. Ergo inanem ei ſpem facere eorum, quæ fieri haud poſſe, quibuſque neceſſariò Patres adverſaturos providebant. Hinc odium, diſcordiamque ſpargere; unde ſecutum, ut Liceſtrius cum bonis artibus, ac legitimo vocatu principatus apiſcendi viam non cerneret, ad periculoſa animum adjecerit. Eo conſilio circumciſa ab eo ſingularium Præfectorum poteſtas; Patrum autoritas oppugnata; primorum, qui bono plebi exemplo præibant, gratia deminuta, inque eos concitata multitudo. Huc pertinebat, quòd adſcitis ad ſe, quibus aut odium in Patres, aut mobilitate animus rerum novarum cupidus, diſcordiam inter terras & urbes, earumque membra aleret, plebem & cives in magiſtratus incitaret, ſuos in uſus, ut utramque ſubjugaret partem. Semperque eo caſu nonnullos faventes reperiebat; quos, licet Hiſpano inimicos, privati quæſtus, & gloriæ ſpes abduxerant: alios patrię & religioni cupientes, ſed ignaros à bonis noxia conſilia diſtinguere, & neſcios, calumnijs in Patres, plus hoſti opportunitatis dari occupandi Fœderatas terras, quàm Liceſtrio retinendi. Cæterum probra & majora detrimenta, quæ ſequi hinc potuiſſent, ſimul à Liceſtrio Patribuſque ſupremum Numen avertit. Documentum id, ſi vetera exempla haud ſufficiant, Principibus ſit, ut accuratè miniſtrorum conſilia expendere, ac vitare aſſentatorum fraudes diſcant. De cauſſis fati variabant rumores, cùm naturali morte haud extinctum varia arguerent. Erant è popularibus qui Britanniæ regnum affectaſſe eum dicerent, & enunciatâ re, deſperantem venenum ſumſiſſe. Cæterum id fortaſſis malevoli aut inimici ejus, quorum ingens in Britannia numerus, invidiâ diſtulere, poſtquam loquendi libertatem mors Liceſtrij fecerat. Conjugem alij criminabantur. Id certum, veniſſe Hagâ Comitis ad eam Blondi literas, indices adulterij, quæ interceptę forſan ipſius Liceſtrij in manus pervenere. Blondus pòſt Hagam ac Delphos inter deambulans, ſeu caſu orto jurgio, ſeu machinatore doli Liceſtrio, propè letali vulnere adfectus erat. Unde valida ſuſpicio conjugẽ Liceſtrij, memorem veneno per eum ſublati Eſſexiæ Comitis, mariti quondam ſui, & parem caſum ſuo capiti metuentem, prævertere maturâſſe. Illa ſane defuncto Liceſtrio propalam Blondo nupſit, à quo temerata ante fuerat. At apud Belgas ubi Medinæ Dux cum Hiſpanicâ claſſe diſceſſit, Parmenſis, omni ſpe Britanniæ potiundi abjectâ, quò attritam longa quiete famam recuperaret, in Tholanam inſulam irruit, ut, ſi deſtinata proveniſſent, medius Hollandiam Zelandiamque inter, Bergas ad Zomam navigantes excluderet. Cæterum ſucceſſus abfuit, ac repulſi à noſtris milites ejus; quo prælio Georgij Everhardi Comitis Solmenſis ſpectata virtus fuit. Non tamen Parmenſem animus defecit, qui auctis copijs impetum redintegravit. Sed ſedulo Hollandi ac Zelandi occurrêre, gnari quantum ſua intereſſet. Contendit eo Mauritius, & flumẽ, quà perrumpere hoſtis conabatur, munitionibus,

tormen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

tormentis, multoque milite firmavit. Quamobrem Parmenſis, ut nequid-
quam omnia ſe tentaſſe videt, obſidione Bergas ad Zomam cingit. Op- cIↃ IↃ
pidani ſimulatque hoſtem ſenſere, animoſe factâ eruptione magnam ſtra- LXXX
gem ediderunt. Medio inter urbem ac Scaldim ſpatio gemina caſtella tu- VIII.
tam obſeſſis navigationem præſtabant. Intelligebat, Parmenſis, niſi in po-
teſtate ea haberet, fruſtra ſe urbem aggredi, cui militum & commeatus
abunde ſubvehi poterat. Caſtellis vero hinc urbs ipſa, inde reciprocę flu-
minis vices præſidio erant, nec tormentis ob longinquitatem adigi quibant
globi, ut nullâ in vi ſpes eſſet. Igitur ad dolum verſo, talis ſe occaſio obtu-
lit. In oppido Anglus, qui ſecundus imperio centuriam obtinebat, quon-
dam Hiſpanorum in terrâ degens, familiarem ſibi gentis ſermonem fece-
rat, cujus uſu cum Hiſpanico vigilum præfecto, quem ceperant oppidani,
multam habebat conſuetudinem. Huic perſuadet, paratum ſe egregio
aliquo facinore Parmenſem ſibi devincire. Itaque ubi ſoluto pretio Hiſpa-
nus libertatem ad ſuos remeandi habuit, denuntiare eum Parmenſi jubet,
Drurium, olim Willugbeij Dynaſtę vicarium, ſummo imperio eandem te-
nuiſſe centuriam, cujus nunc Adiutor ipſe foret; nunc loco motum illum,
& alium ſurrogatum eſſe. Seque prælatum ſibi illum adeo indignè acce-
piſſe, ut haud gravate permoveri poſſit, ad prodendum Parmenſi caſtello-
rum alterum, cujus ipſe cuſtodiam habeat, ac deinceps ſtipendia ſub eo fa-
cturum. Parmenſi impenſe adeo id placuit, ut nullis ſumtibus, aut pollici-
tationibus exſtimulare hominem omitteret. Ille interea rem omnem Mau-
ritio ac Willugbeio aperit, qui illiciendum porro hoſtem cenſuere. Poſtre-
mo varijs colloquijs huc deducta res, ut quę viceſimam Octobris diem nox
excipiebat, prodendo caſtello diceretur. Sub veſperum igitur Subcenturio
occulto Parmenſis caſtra ingreſſus adeſſe tempus nuntiat; etiam conjuratis
fidem jurejurando addicit, acceptoque à ſacerdote Euchariſtię ſacramen-
to confirmat. His peractis confeſtim ei, parato auro, ducatorum aliquot
millia offeruntur. At ille, quò majorem ſincerę fidei ſpeciem oſtentaret,
præmium abnuit, neque enim ejus ſpe hæc molitum, & mercedem niſi con-
fectâ re, nullam velle. Unde nihil Parmenſis de fide ambigens, torquem
aureum collo ejus injicit. Adduntur comites, IV delectorum militum mil-
lia, in quibus mille quingentorum numerum ſoli Hiſpani impleverant. An-
glus, ne vel minimam dubiæ fidei ſuſpicionem incurreret, etiam vinculis ſe
conſtringi patitur. Ita ligatum Hiſpanorum nonnulli ducunt, minantes, ſi
dolum in eo comperiſſent, primum moriturum. Quę ille immobili & con-
ſtanti adeo vultu audivit, ut caſtello ejus juſſu patefacto, ſimul introire non
dubitarent. Tum Anglus diſruptis, quis adſtrictus erat, loris, evadit: ſimul
Hiſpanis graviores curæ, & inſtans vis, omnem vindictæ cogitationem
ademere. Primo ex agmine præcipui Hiſpanorum duces ad XXX caſtellum
ingreſſi capiuntur. E reliqua multitudine octingenti trucidati. Ii ut ſe de-
luſos advertere, magnis animis facto impetu, præfixas vallo ſudes convel-
lunt, & cominus præliantur. Ita acriter utrimque horâ integrâ pugnatum.
Cæterum ut comparata miſſilia ignita, & grandinis inſtar tranſverſim per
agmen globos tormenta effudere, pedem referre compelluntur. In capti-
vis Mendoza, & tres Hiſpani Comites fuere. Mendoza alter, & Sancius
Læva, atque Ajala, occubuere. Hâc calamitate acceptâ amolitur Parmenſis
exercitum, quem gravis peſtilentia, ſummaque aquationis anguſtia preme-
bat, atque in Brabantiæ pagos diſtribuit: qui, ut ante Flandrorum agri, fun-
ditus corrupti. Nec ulla præter hæc Parmenſi eo anno geſta, quîs memo-
raretur. In itinere dum Diliam flumen haud procul Machlinia tranſmit-
tit, rupto ponte in aquas devolutus, ægreque extractus eſt. Pari caſu An-
dinus irritis, quæ adverſum Antverpianos illi meditata, eundem in amnem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ delapſus, nunquam ex eo proſpera valetudine fuerat. Eâdem æſtate Bon-
LXXX nam hoſtes obſedere, quam ſuperiore hyeme à Cimacenſi Principe cuſto-
VIII. ditam, Martinus Schenckius, portis pylorectæ violentiâ diſiectis intercepe-
rat: Podlitſiumque Dynaſtam præfecerat, ex Marcâ Brandeburgenſi oriun-
dum, in quem ſumma militum erant ſtudia. Sub veſperum Joannes Bapti-
ſta Taxius ignotus, nec ullo comitante, ſpeculandi cauſsâ digreſſus, dum
propiùs murum ſuccedit, à pueris, caſu oppido excluſis, trajicitur. Cadaver
in urbem delatum poſtea ad ſepulturam hoſtes redemere. Ad ultimum cum
alius ſemper ex alio labor Fœderatis ingrueret, primo adverſus claſſem Hi-
ſpanicam, mox Parmenſis irruptionem in Tholam inſulam, nec pluribus ſuf-
ficere, aut ſubvenire Bonnenſibus poſſent; reverſo poſt diuturnam abſen-
tiam è Britanniâ Schenckio, neque impetrato, cujus cauſsâ profectus erat,
auxilio; Podlitzius deditionem fecit, ipſeque & milites cum armis, impedi-
mentis, & omni inſtrumento abiere incolumes. Per idem tempus Berkam
ad Rhenum excitatis circum caſtellis hoſtes arctaverant. Urbi anguſtè à
frumento proviſum erat. Ita Schenckius ex Britanniâ reverſus, nonnullâ
militum manu ex hybernis evocatâ, ſenûm menſium annonam obſeſſis at-
tulit, expugnatis duobus hoſtilium caſtellorum. Accidit id paullò ante de-
cIↄ Iↄ ditionem Bonnæ. At in Friſiâ aſſiduè Guilhelmus Naſſovius, quomodo
LXXXIX. Groningam in poteſtatẽ redigeret, meditabatur. Cumque deſperaret, fle-
cti Fœderatos Patres poſſe, ut huc vires ſuas converterent, tanquam bellum
arcere non inferre ſuetos, in animum inducit ſolis Friſiorum copijs, ac le-
gionis ſuæ auxilio tentare aliquid, & quantum poſſet, avertere ſubvectio-
nes Groninganorum, paſcua jumentorum prohibere, & tributa agrorum,
aliaſque urbis utilitates aut quæſtus intercipere; Parmenſis exemplo, qui
his artibus principes Brabantiæ Flandriæque civitates ad deditionem ade-
gerat. Delfſila potiſſimus erat locus, quà Emdam commeare, ac mercatu-
ram exercere Groninganorum naves conſueverant. Nec tantum hinc an-
nona illis, ſed & Friſiorum naves Emdam, & quæ ad Albim ac mare Balthi-
cum ſita ſunt oppida adeuntes infeſtabant. Eo conſilio per delectos mili-
tum, quorum & virtutem & fidem indubitatam rebatur, explorato ſæpius
loci ſitu, cognoſcit, vadum eſſe, quà per ſicca ad portarum unam acceſſus
daretur, eamque admoto pylorecte (petardum vulgò nuncupant) diſiici
poſſe. Naſſovius quo faciliùs tutiuſque agitata perficeret, hoſtiumque à
Delfſilâ diſtraheret animos, Ementillam (quod minus caſtellum Groningæ
ad occaſum, quà Friſiam ſpectat, poſitum eſt) aggredi ſtatuit; ibique pri-
mùm fallendis hoſtibus, dein & ſeriò ad arma militem vocare, quò hoſtem
à Delfſilâ eam in partem traheret. Ementilla ipſa flumini adjecta eſt, quo
frequentes quotidie naves cum annonâ alijſque è Friſiâ mercibus com-
meabant, clam & per furta à mercatoribus, lucri avaritiâ, hoſti ſubmiſſæ.
Igitur Naſſovius navi corbem imponit, eamq; loricâ, contra quamvis jacula-
torũ vim impenetrabili circumdat. Regimen ejus Gerardo Cornelij Schaio
datum, qui ante quadriennium vitioſo ponte flumini ad Nienſilam im-
poſito, ſtructas Groningæ inſidias corruperat. Is nunc novâ gloriâ veterem
ignominiam obliteraturus, decimâ Martij die primâ luce, permittentibus
præſidiarijs, qui clam ſubmiſſas è Friſiâ merces advehi ſuſpicabantur, ca-
ſtellum propè ſatis ſubit. Mox præfectis, ut dolum intellexere, multum vo-
ciferantibus, invitis ijs navem applicat, miſſiliaque deſuper & inferne in-
gerit. Sine morâ Michaël Hogelkius, ſucceſſui cum militum manu immi-
nens, caſtellum invadit, ac vi expugnat. Acceſſitque ſtatim cum majori-
bus copijs Naſſovius, tanquam perſequendæ victoriȩ. Id ubi hoſtibus rela-
tum, præſidia quæcumque ad orientem Groningæ habebant, Reidâ, Fe-
merſumo, occidentali caſtello, ac Delfſilâ evocant, hâc manu Ementillam
petituri.

petituri. Una ſuper difficultas erat, quomodo occultè, & quo duce Delffi- cIↄ Iↄ
lam miles duceretur. Operæ Naſſovius putabat ut ipſe adeſſet, ſed clam LXXXIX.
hoſtes abire nequibat, quippe inſuetum illi id iter. Proponebatur, ut pro-
fectione in Germaniam, aut ægritudine ſimulatâ, naves noctu conſcende-
ret; ſed neutrum utile fruſtrando pariter & hoſti, & Friſium agrum colenti-
bus: nam & horum vitari ſuſpiciones non minoris intererat. Etenim prohi-
beri haud poterat, ne ſimulatq; abduci militem vidiſſent, odio alij aut amo-
re Reipublicæ, alij curâ humani ingenij, & rumorum aviditate, ſuper hâc re
pro ſuo quiſque captu differerent; facileque in tantâ multitudine vel unus
conſilij finem conjectaviſſet, qualia à ruſticis utrimque tributarijs Gronin-
gam illicò deferebantur. Id prævidens Naſſovius, Michaëli Hagio, vete-
rano duci, negotium commendat, adjunctis militum centurijs tribus. Hi,
priuſquam caperetur Ementilla, è Friſiâ Delffilam prætervecti, Otterde-
mum contendunt, tanquam præſidio, quod hactenus locum ſervarat, ſuc-
ceſſuri. Duplex itaque Otterdemi militum numerus, centuriæ videlicet
ſenæ, unde Hagius è præſidio caſtelli nonnullos ſibi jungit. Ita Delffilam
iteratò prætergreſſus, horæ itinere infrà, cum tenebræ forent jactis ancho-
ris, ſubſtitit: & ſimulatque è mari reverſa claſſis, properè regreſſus militem
occultè in terram exponit, ſummoque ſilentio portis caſtelli appropinquat.
Erat in agmine Pirolus miles, natione Gallus, is ſuſcepto in ſe munere ad-
movendi pylorectæ, dum ſolus gloriam cum nemine communicatam cupit,
rejectis qui adjungebantur comitibus, opus unus aggreditur. Sed jactantiâ &
oſtentatione experientiã ſuam anteiſſe eum, exitus oſtendit. Duabus quippe
horis & dimidiâ negotium vixdum expedivit. Diſcedentes ſerio Naſſovius
prohibuerat portam interiorem invadere, antequam prima diſiecta: nam ne
inſidias hoſtis detegeret, metuebat. Sed Pirolus, immemor præcepti, ut
priorem ad portam ſecretò ſe confeciſſe rem videt, idem in ſecundâ tentat;
quam, convulsâ illâ, inſtrumentis quibuſdam, & admoto incenſoque pylo-
recte, pervertere in arduo haud erat. Senſere dolum vigiles, & immenſum
clamorem tollunt. Milites noſtri, qui ſummo ſe hactenus ſilentio tenuerant,
algentes frigore, ut detectas inſidias cognovere, ſudetum convellere mani-
bus, atque in vallum eniti contendunt. Sed Hagius ubi fruſtra machinam
portæ alligatam videt, reducere ſuos ſatius habuit. Poſt ex Abelo Thomæ
perfugâ compertum eſt, VII tantum & XL viros armis idoneos caſtello præ-
ſediſſe, jamque agitata ijs de petendâ ſalute conſilia. Adeò nuſquam Naſ-
ſovium ſua fefellerat opinio, qui, petitâ Ementillâ, Verdugum Delffilã præ-
ſidio nudaturum exiſtimaverat. Ementilla invalida erat ſuſtinendis hoſtium
viribus: quare Guilhelmus Comes novum eo loco aggerere caſtellum cœ-
pit. Nam Groningæ locus imminebat, opportunus ad prohibendum, ne
armenta, quorum ingentem multitudinem in agris Groningani habebant,
paſtum educerentur. Ipſe operi quinque hebdomadas interfuit, donec
conſummaretur; continenter interea deterrendis laboribus copiarum ali-
quid oſtentante Verdugo; cujus haud æque quam illo tempore infirmitas
Naſſovio comperta. Igitur animadverſo, loci naturam, ei qui præcepiſſet,
magnam ad ducendum bellum præbere facultatem, certiores de cunctis
Fœderatos Patres facit, ijſque demonſtrat; exiguis copijs (ut concisâ æſtua-
rijs terrâ) ſi ratio & prudentia adſint, quantumvis numeroſo exercitu
Rhenum hoſtis tranſiiceret, extra pericula aut incerta fortunę, omnia Om-
landorum caſtella redigi in poteſtatem poſſe. Quîs expugnatis, Groninga-
norum commeatus intercludi, ipsâque hâc æſtate univerſam ad Ameſin
oram ſubjugari, & urbem in tantas rei frumentariæ anguſtias conjici poſſe,
ut proximo anno, ſeu vi, ſeu conditionibus tranſigere malint, faciliora omnia
ſint futura. Adjecit, ſi gravioribus Patres diſtinerentur; tamen cum legione

cIↄ Iↄ LXXXIX. ſuâ efficere aliquid poſſe, & oſtenſurum, quàm cætera patrare nullum ſit negotium. Sed Patres pro eo ut auxilia mitterent, ipſi militem à Friſijs poſtulavere. Redintegrarant enim turbas Gertrudenbergani; quos, cum remedium non reperiretur, obſidione Mauritius cinxit; mox abſiſtere coactus interventu Parmenſis; cui præſidiarij, ineunte Aprili, urbem vendidere, annumerato XV menſium ſtipendio. Miſerat eo Guilhelmus legatum ſuum Sednitzkium cum ſubſidio aliquanto: dein rogatus, ut plus copiarum ſubmitteret, liberandę Heuſdę, à Parmenſi circumvallatę, legionis ſe infrequentiâ excuſavit. Quippe militem in hyberna diverſe diſtribuerat; & imminebat hoſtis; quem Jouerę flumini, haud procul Snecâ, caſtellum imponere agitantem, ut facilius per univerſam Friſiam tributa, quę incendij metu ruricolę pendebant, procederent, ſimul quo cunctas civitates in arctum redigeret, Naſſovius prævertit, & Joueram munitionibus firmat. Videbantur hæc tempora opportuna hoſti vexandis Fœderatis: cæterùm diſturbata omnia intempeſtivo inter Parmenſem ac Hiſpanos duces diſſidio. Ii jam dudum tot victoriarum, partæque ex proſperis gloriæ æmuli, ſimulatque non eâdem quâ ante felicitate Parmenſem res gerere vident, cauſſam ſumſere, criminandi quæ adverſa illi in claſſe Hiſpanica, Bergæque obſidio, totoque Reip. regimine eveniſſent. Aperte Moreus, omnes ejus in Rep. errores furtivis notis ad Regem perſcripſerat: quæ literæ, caſu interceptæ, Mauritio offeruntur: iſque, explicatas ab Aldegondio, Parmenſi miſit. Qui nullis gratijs actis, nec dato reſponſo, ad epulas Moreũ vocat; unde digreſſus paullò pòſt veneno exſtinguitur. Et in illo quidẽ iram ſuam ultus Parmenſis; non tamen ſine dolore cognoverat, quale de ſe judicium Hiſpanorum potiſſimi facerent. Acceſſit cæterorum querelis centurio Hiſpanus, qui Madritum profectus, fusè Regi cuncta expoſuit, & quo fidem veri faceret, *Exiſtimare*, inquit, *Rex debes, ſolum tui amo rem hæc expreſſiſſe. Honores, munera, aut ullam mercedem nec exſpecto, nec volo. Quippe hominum deinceps commercia fugere, & quod ætatis reliquum habeo, ſacrare Numini immotum mihi, ac ſatis eſt, conſcientiam exoneraſſe, tibi, quod debebam officij præſtitiſſe.* Ob hæc Parmenſis, ſimulatâ valetudine, imperium deponit, & Spadanas ipſe aquas petens, Richardotum purgandi cauſsâ ad Regem mittit. Arbitrium belli Petro Erneſto, ejuſque filio Carolo, Mansfeldiæ Comitibus, tradit: ipſe omnium otioſus eſſe, nec ante Reip. curam reſumere conſtituit, quam novas confirmatæ poteſtatis literas ab Rege Richardotus attuliſſet. Regem ferunt, poſtquam de adventu Richardoti cognovit, Medinæ Ducem advocâſſe, ut cauſſam uterque ſuam ageret; nam quæcumque improſpera claſſi ſupervenerant Medina Parmenſi, hic viciſſim illi imputabat. Eam ob cauſſam cùm aurem præbere ſoli Medinæ abnuiſſet, poſtquam & ille, & Parmenſis legatus, præſto fuere, in pleno Senatu utrumque adſtante adverſario purgare ſe juſſit. Poſtquam finivere, Rex, celeriter penſitato, quid pro ſe quiſque attuliſſet, *Indubitatam ſibi utriuſque fidem*, ait. *Quæ claſſi accidiſſent, non eorum ſe negligentiæ, ſed divinæ voluntati, & bellorum fortunæ adſcribere: nec eo cogitationes deponere, denuo eadem tentandi, ſpe felicioris eventus. Illi modò ad concordiam animos referrent, & munia quiſque ſua cum fide & curâ exſequerentur.* Eâdem tempeſtate Marchio Warenbonnius, Geldriæ præfectus, ſummo ſtudio bellum perſequi, gentemque eam Regis ſubjicere imperio aggreſſus, Blienbeccam arcem a.d. XIV Maij capit, nec quidquam ultrà actum illi. Ingentem apparatum expugnandæ Berkæ inſtituerat, oppido juris Colonienſis, & Præfecturæ ejus gravi. Sed Julio menſe Martinus Schenckius commeatum in urbem pertulit. Vix perfecerat, cum nuntij attulere, Pattonum (cui, proditâ Geldrâ, præter odium publicum, ſuo quoque nomine infenſus Schenckius erat) peditum legionem Verdugo, majo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ris opis indigo, in Friſiam ſubſidio ducere. Et quamvis longiori ſuos itine- cIↄ Iↄ
re ob ſecuritatem Pattonus circumduceret, ſequitur tamen Schenckius, LXXXIX.
tantâ feſtinatione, ut laſſitudine pariter & æſtu militum nonnulli in itinere
deficerent, atque extinguerentur. Tandem in Luppienſi eum campo adſe-
cutus cædit, profligatque. Hinc nullo ad quietem tempore intermiſſo aſtu
Noviomagum tentare conſtituit: noctuque urbem attingens, perfractis
cancellis, in eam penetrat; ſed cum longiùs delatæ naves ejus, circuitum
urbis ſuperare nequirent, nullis ſuccedentibus, pellitur, ac Vahali flumine
ſubmergitur. Fertur ne centurionibus quidem, qui unà ierant, conſilium
aperuiſſe: ea cauſſa errori, quòd alieno loco adpulſæ naves. Et nota-
bant plerique, hæc conanti, plus fortunæ, quam prudentiæ fuiſſe. Cætera al-
tus viro animus, bonum judicium, & aliæ quoque laudes; ſed obumbrabat
eas prava educatio. Laborum tolerans, ſomni etiam vinolentus arcti erat.
Subinde & ſiqua animo volveret, ſæpe de induſtria immodico ſe mero ob-
ruebat, diem noctemque potando trahens, ut conſilia premeret, quę ſecre-
tiſſime retinebat. Memoria ne inebriatus quidem deſtituebatur; ſed præ-
ceps, inconſultus, adeoque temerarius, ut non prudentiæ, non bono conſi-
lio loci quidquam relinqueret. Geldria citerior, quam Joannes Philippus,
Dynaſta Hogeſaxius, nonnullos annos curâ magis & diſciplinâ, quàm virium
auxilio retinuerat, ejus negligentiâ, malâque adminiſtratione amiſſa erat.
Pattono, inflictâ alapâ, mox reconciliatus, dum nimium fidit, occaſionem
dederat, proditione Geldræ acceptam injuriam vindicandi. Obſeſſâ à Par-
menſi Venlonâ, Geldræ agens, nocte quâdam mero partim, ſomnoque ſe-
miſepultus, è cubili exſiluerat, ſuiſque ad arma vocatis exiguo cum equi-
tum numero (plerique enim ſubitùm adeo parati eſſe nequibant) ad caſtra
contendit; ubi perturbatis repentino claſſici ſonore cunctorum animis, lau-
dem haud exiguam meruiſſet, ſi audaciæ conſilium ſociaſſet; & Geldren-
ſem equitatum, dein illos qui Wachtendoncę agitantes horę tantùm iti-
nere aberant, prætereaque peditatus aliquantùm adjungere ſibi, & neceſſa-
ria providere, curę habuiſſet. Nunc exiguâ manu tantum opus aggreſſus,
ſuper turpem fugam, equitum ſuorum promtiſſimum quemque in exitium
adduxit. Hinc mores hominis conjectare facile. Plerumque temeritas illi
in fortunam ceſſerat, unde inflatior animo. Paulloque ante iter Novio-
magenſe ſuperbas adeo literas ad Patres dederat, ut ſatis declararent, ſi co-
natus ſucceſſiſſet, nec ſuperiorem quemquam paſſurum eum, & arrogantiâ
propriam fortunam anteiturum fuiſſe. Iracundiâ ſæpe milites ſuos trans-
fixerat: nihilominus alliciebat eorum animos crebris expeditionibus. Quip-
pe præterquam quòd copioſa in loca prædatum eos duceret, privatis opi-
bus validus liberalitate ſibi militem devinxerat. Nam portoria cæteraque
Berkę vectigalia, ac tributa Colonienſium, donatione Truchſeſſij; Geldrię
citerioris, Limburgi, Valckenburgi, ac Lutzenburgi tributa, Fœderato-
rum Patrum munere habebat; quę pro lubidine in quemcumque vellet
erogare poterat. At ducum alij, ipſeque Mauritius, ſtrenuorum militum
ſtipendia ſolâ apud Patres commendatione augere quibant: niſi quando de
ſuo donare vellent; ut ſæpius, ne moleſti Patribus eſſent, factitavere.
Schenckius Hollandico bello arma adverſus Hiſpanum geſſerat. Anno
LXXVIII cùm, ereptâ cognato ſuo Caſparo Hoenio arce Blienbeccâ, in
jus vocaretur, armis quam legibus magis confiſus, ad hoſtes tranſijt. Căte-
rùm ut apud Parmenſem quoque jus ſuum perſequi actorem vidit, ad alia
tranſgreſſus, ſimulata bellandi in Hungariâ adverſum Turcas cupidine,
miſſionem, ac perhoneſtas à Parmenſi literas ad Cæſarem impetraverat.
Hinc digreſſus, primùm ſtipendia ſub Truchſeſſio fecit; mox cum illo ad
Fœderatos reverſus, arcem Blienbeccam ijs cum fructibus univerſis tranſ-

cIↃ IↃ didit, acceptâ vice ejus Honſelerdica, qui Hollandiæ pagus paribus rediti-
LXXXIX. bus erat. Ad Fœderatos ſimulatque venit, multos proditionis, ac ſecum conſpiraviſſe arguebat, magno ad id ſtudio uſus & ſumtuum impendio. Graviç hoſpiti, ubi quondam diverterat, adventum gratulanti, porrigere dexteram recuſavit, illeque urbe ſine morâ profugit. Venlonam cum adiiſſet, complures ſe noctu de mœnibus dejecerunt, ac ſalutem fugâ petiere, veriti ne proderentur. Unus captus, ſupplicioque affectus eſt. Pari ratione Theodoricum Barium, Bergenſis Comitis Prætorem urbanum, qui annis aliquot, Geldrorum miſſu pars Reip. fuerat, inſectabatur, quòd multa ad damnum Reip. agitaſſet, Bergenſemque ipſum ad defectionem impuliſſet. Defuncto Schenckio, ſemel Comes Valkenſteinius, ac Verius Eques commeatum Berkę intulerunt, cæſo Warenbonnio, cum Italorum Hiſpanorumque manu. Quo prælio Verij, Anglorum Belgarumque peditatui præfecti, ſpectatiſſima virtus fuit. Celebrem quippe victoriam in campis patentibus adeptus eſt; ubi inſtructâ utrimque acie, & totis ſimul copijs concurſum, quamvis numero noſtris inferioribus. Partem copiarũ in caſtris Carolus Mansfeldius tenebat: ſed ille ob vetera æmulationis, quòd prælatũ ſibi in Geldrię præfecturâ Warenbonnium ægrè ferret, noluit ſubvenire laboranti. Fœderatorum quoque militem, cui intercludere iter poterat, inſequi omiſit. Poſtremò annonam Berkenſibus ſupportare Adolphus Niuenarius, Geldriæ, quæ noſtra eſt, Præfectus, parabat. Cæterùm dum periculum facit pylorectæ, quo hoſtilem munitionem pervertere ſubitò decreverat, caſu flamma pyrium pulverem corripuit, ac fornices aulæ Arnhemenſis, pluraque ſimul atria in altum eliſit. Centurio, cui nomen Dionyſio, cum nobilium uno perijt. Comes ipſe fœdè ambuſtus octavâ Octobris die fato ſuo fungitur, accuratè è lectulo expoſitis, quæcumque ad inferendum urbĩ frumentum pertinebant. Non abſimilis huic caſus præterito anno Bergis ad Zomam contigerat, admiratione tamen dignior. Italus à Parmenſi ad Fœderatos perfugiens, inauditam artem jactabat parandi vaſa, cavatoſque è ferro aut lapide globos, qui in obſeſſas urbes adigerentur, impleti ejus naturæ materiâ, ut ſimul ignem concepiſſent, in innumeros quaſi acinos diſſilirent, & quodcumque vel ſcintillarum minima attigiſſet, pertinaci incendio hauriretur. Fortè dum operi intentus eſt, ignis ſcintilla excidit in menſam, ubi materiem præparaverat. Quam dum ſubitò removet, materiem imprudens attigit, ſimul correpta igne manus. Ille attonitus, nec quid pro tempore foret gnarus, ut flammam comprimeret, femori utrique inſerit, ac braccam incendit: hinc latius ſparſus ignis crura invaſit: manus ipſa brevi ſpatio carnibus & cute nudata. Aceto flamma remittebat magis, quàm reſtinguebatur, & paullatim membra lambens ultra ſerpebat. Ipſe triduo poſt horrendis & nunquam intermiſſis cruciatibus extinguitur. Nonnullis quoque poſt annis Joannem Bovierum ignea opera abſtulerunt; quâ arte, & navatâ ſæpius Mauritio operâ inſignis erat. Cæterùm ad Meurſæ Comitem, unde digreſſi, ut revertamur, religionis cultor, facundus, ac plurium linguarum gnarus erat. Laborum patiens, ſobrius, vitæque perhoneſtæ: obvia in eo comitas, & tanta ſæpe in audiendo, & appellando quovis facilitas, ut inferius dignitate ſuâ faceret. Animus ei ſincerus, & ſimulare neſcius, adeo ut alios ſuo ex ingenio æſtimans, temerè haud rarò crederet, atque verborum delinimentis ſæpius ab aſſentatoribus à propoſito abductus conſilia mutaret. Triſtitiæ raræ, naturâ in jocos facetiaſque pronâ erat, ita ut ne in ſerijs quidem abſtineret. Animus audax & intrepidus, & ad bellum propenſus: manu quam conſilio promtior: in exſequendis rebus ſummæ celeritatis: nec enim à juventute frequentata illi militia, ad quam gravis annis acceſſerat; hinc periculorum inexpertus. Vidua ejus,

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

quæ Hermanni Comitis Niuenarij ſoror, eo miſerationis plus merebatur, cIↃ IↃ
quòd conjugum alterum, Philippum Hornanum, triſtiore caſu, Albani juſſu LXXXIX.
obtruncatum amiſiſſet. Nec felicior ſanè vidua Arauſionenſis, cui duplex
luctus ex nefariâ mariti utriuſque cæde, illo in nuptijs Pariſinis, altero Del-
phis intra cubiculi ſui parietes trucidato. Quo recenti familiaris ſuæ exem-
plo ſolari ſe Niuenarij vidua poterat, quum non ſolam ſe omnium infeli-
ciſſimam videret, quamvis tenue id ſolatium. Similem ſane nobilis utriuſ-
que matronæ fortuna apud Romanos Corneliam habuit, improſperè utro-
que conjuge ſpoliatam. Nam Craſſum perfide Parthorum Rex, Pom-
peium infando ſcelere Ptolemæus Ægypti Rex ſuſtulerat. At Patres tot
laborum ſumtuumque in juvandâ Berkâ pertæſi, deliberatâ re, urbem lon-
gè à finibus ſemotam omittere decernunt. Dolori id Geldris erat, itaque
haud ceſſabant oſtendere, munitionibus urbem firmatam, & hoſtium ſuſti-
nere vires poſſe: nec pretium impenſis cedere, quando hoſtis arceatur, pro-
ferantur limites. Ita prius conſilium rejectum. Sed commeatu obſeſſos
juvare cupientibus jam occaſio effluxerat: unde frumenti anguſtiâ compul-
ſi milites Carolo Mansfeldiæ Comiti, anno XC, urbem neceſſario dedide-
runt. Idem quod ſupra diximus incendium, præter Niuenarium, Bever-
vordium quoque nobilem adduſſerat. Is nuper ab hoſte transfuga, quum
magnis ſe eum damnis afficere poſſe jactaviſſet, commeandi beneficio à
Meurſæ Comite impetrato, Henrici Rhedij, vicini ſui, filiolam, raptam
Arnhemum abduxerat. Mater, quæ ex Mansfeldiorum genere, raptorem
inſecuta jure cum eo agi poſtulabat, inclinante eodem, qui flagitij id faci-
nus rebatur, Senatu Arnhemenſi. Sed obſtitit Niuenarius, datam à ſe fi-
dem obtendens. Mox tamen facti pœnitens, ut mortem inſtare ſenſit, fa-
miliaribus metuere ſe adfirmavit, ne divino judicio ob nebulonem illum
pœnas daret. Bevervordius pòſt in vincula Arnhemi conjicitur. Et Se-
natu Hagam transferri negotium ejus poſtulante, cùm Geldri abnuerent,
ille, mirandis artibus, clauſtra effringit, laxatiſque compedibus profugus,
Hagæ ſe judicibus ſiſtit. Ubi abſolutus, paullo poſt equitum turmam ſub
Warmeloo vicarij titulo obtinuit. Poſtremò, pari levitate, ad hoſtem ſeque
& arcem Bevervordam traduxit, atque à Verdugo militibus præficitur.
Sed, anno XCIV, cùm parum Covordæ obſidio ſucceſſiſſet, ſuſpectum Be-
vervordium carceri includit. Ille Parmenſis pro ſe literas exhibuit, teſti-
ficantes, conſcio Farneſio, ut majore pretio Regi ſerviret, ad Fœderatos
tranſijſſe. Nonnullis tamen exactis annis, capitis ſupplicio Bruxellis affici-
citur, ob ſuprà dictum, ut creditur, raptum. Impulerant fortaſſis Petrus
Erneſtus, Caroluſque Mansfeldiæ Comites, & Verdugus, eidem domui
matrimonio innexus. Rapta, cum matre, morientem adſpectavere, ut vin-
dicta oculos ſatiarent: nam utramque à ſe temeratam ſtolide jactaverat.
Junio menſe Verdugus caſtellum ad Opſchlagum inſtaurare cœpit, cre-
bro utrimque captum & amiſſum, tandem & deſertum. Incumbit oſtio
fluminis, quo Ementillam ac Nienſilam ſubvectiones fiebant, adeo ut Op-
ſchlago occupato, præter aditum ad Collemum, Dongerdelam, & copio-
ſiſſima Friſiæ loca, in ſpem quoque veniret prædicta duo caſtella, eâdem
operâ, rei frumentariæ anguſtijs ad deditionem compellendi. Id ſimulatque
Guilhelmo Comiti compertum, cum militibus ſeptingentis eò contendit,
factoque per ſinum Reidanum itinere, in terram ſuos exponit, tentaturus
an tormentis Verdugi opus turbare, aut in Hemſterlandia commeatus in-
tercipere poſſet. Cæterum hoſti qui præoccupaverat, equitatum eſſe, &
deſtitutum eo Naſſovium haud facile prohibiturum, res ipſa declarabat.
Quamobrem in naves militem reducit, jactiſque hoſtium in conſpectu an-
choris ſubſiſtit. Ipſe è veſtigio Doccomum ad Friſiorum delegatos profe-
ctus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIɔ Iɔ LXXXIX. ctus, demonſtrat ijs, jam pridem ſe de expugnando utroque Reidano caſtello conſilia agitaſſe, & facile nunc deſtinata proventura, diſtento novis ad Opſchlagum operibus Verdugo. Difficultates, quæ morari conſilium videbantur, iſtiuſmodi erant. Reida in extremo Omlandorum angulo Emdam contra jacet; quo abductis viribus, promtum Verdugo, ob æſtatis ſiccitatem, infirmaque præſidia, Friſiorum vaſtare agros: cui haud facile Reidâ occurrere milites poterant, quorum iter cœli ventorumque incertis ſubjectum. Adverſum ea Naſſovius dictitare, non fore pretium Verdugo populandi cauſsâ cœptum opus intermittere: ſin deſiſteret, in ſe omnes vires verſum iri: potius enim in nocendo aliquid omiſſurum, ut ſua retineat. Itaque ſe vel captâ Reidâ damnum Opſchlagi majore commodo penſaturum, aut avocaturum ab Opſchlago Verdugum. His moti Delegati animoſe circumſidendam Reidam decernunt. Mittuntur ad civitates literæ, ut duplicato cives numero excubent; & alternis, nunc illi, nunc milites, vigiliarum munus fungantur. Sednitzkius, qui legati titulo Friſiorum copijs præerat, monitus, ſimulac occaſio daretur, militibus quadringentis (tot enim incumbente neceſſitate præſidijs detrahi poterant, relictis alibi x l, in nonnullis x x x militibus ad portarum defenſionem) commeatum Nienſilæ, atque Ementillæ inferre. Naſſovius interea ſinum Reidanum repetit, ubi relictæ naves: moxque ſublatis anchoris Oſtmahornam vela facit, quo tendentibus, (nam Friſiam verſus id iter eſt) malos & navium vela proſpicere hoſtes poterant. His fallendis noctu progreſſus, cominus Reidam petit, ventum, divino favore, ſecundantem nactus; poſterâque die, ſuperatis quæ ad Ameſin vadis, ante veſperum Reidam prætervehitur; unde ſemihoræ itinere ulterius progreſſus, donec Swachſterſilam attingeret. Exiguum id caſtellum eſt, qua ubertim Groninganis commeatus Emdâ ſubvehebantur. Periculoſam eo itinere Naſſovius rem auſus, dum celoce Abeli vehitur, nuper ab hoſte perfugæ, atque ejuſdem navis imperium adepti. Nam bellica quâ vehebatur Comes, ſubſederat, cæterâque claſſe prægreſsâ neceſſario hac nave, quæ egregiæ velocitatis erat, in adſequendis reliquis utebatur. Curatum tamen illi, ut numero Abelianos ſuperaret, quibus ne ſic quidem diu ſe credidit. Swachſterſilam, priuſquam Reida tentaretur, expugnare ratio ſuadebat, quando juvandis Reidanis non aliud iter reliquum. Campus quà tormenta attrahebantur paludoſus erat; unde, ne hærerent, aut luto attinerentur, ſtrati aſſeres, quorum qui à tergo tollebantur, à fronte ſubjecti. Juſtus Matthæus, caſtrenſis architectus, quo tempus lucrifaceret, loco aggeris, velum duabus adligatum perticis, quo loco tormentum ſtatuere decreverat, expanſum in humum defigit, ipſe retro confeſtim pedem retulit. Nec ambigebant hoſtes, ponè velum operi noſtros incumbere: itaque creberrimis illud globis transadegere. Poſtquam ultro ab his ceſſatum, Juſtus Matthæus nonnullorum militum operâ tumulum tormento imponendo excitat, gerraſque humo implet. Mox diſploſis aliquoties utrimque machinis, manipuli decanus, cum x x x qui præſidebant militibus, deditionẽ facit. Interea Verdugus diſpoſitos per aggeres ſpeculatores, quò naves tenderent, obſervare juſſerat. Ut Ameſin petijſſe intellexit, certus quid ageretur, equitibus x x x aſſumtis, ſummâ celeritate Reidam contendit, cæteris cum peditatu ſubſequi juſſis. Et fortè per idem tempus, quo Swachſterſilam tormentis noſtri impetebant, locum eum attigit; atque à ſclopeti jactu reſtitit, ſuos exſpectaturus: qui ſi maturè adfuiſſent, Naſſovio ad ſe militemque recipiendum exitus non patebat. Quippe hinc clauſerant iter incumbentes agris aquæ: inde Dullartum ſinum receſſus aquarum deſtituerat, ita ut ab ijs derelictæ naves in ſicco ſubſediſſent. Per aggerem ituris caſtellum obſtabat. At Verdugus ut deditam Swachſterſilam intellexit, irâ percitus,

manipuli

manipuli decano, ſimulac in conſpectũ ſuum veniſſet, patibulũ minatus eſt; CIↃ IↃ LXXXIX.
ille territus defecit, dictoq; ſacramento, in Naſſovij legionẽ tranſijt. Caſtello XL milites impoſiti, quibus ligones, & vehicula data augendo in latitudinem vallo: relictæ inſuper celoces duæ, quarum altera Abeli erat, ad prohibendam à caſtello aquarum vim. Reida ipſa anguſtiori linguæ, in Dullartum procurrenti, impoſita, omnibus ventis opportunam navibus ſtationem præbet. Primo à continente jactu aquæ trium in altitudinem paſſuum conſiſtunt: quamobrem vertunt ſe naves, in quamcumque venti partem ſpirant. Unde licet portu deſtitutus locus, magno Groninganis uſui erat, quòd Emdanæ naves, quæ urbs contra Reidam poſita, aut nocturnis tenebris, aut ſecundante vento, priuſquam prohibere bellicæ noſtræ poſſent, eò tranſmittebant. Caſtella duo ſunt , & inter ea ſpatij quantum jaculator miſſili conficere poteſt. Aquis unum adjacet, alterum tumulo inditum templum cingit. Neceſſarium verò utrumque, neque hoc ſine illo teneri poteſt: nam & aquatione opus, & quod eminentiori poſitu caſtellum, alteri impendet. Victoriæ ſpes in eo, ut excluſis à continente faucibus, & munitionibus ductis, omnis auxilij via præcideretur. Nec perficere in arduo fuit. Fimeliano aggeri, mille admodum à Reidâ paſſibus, caſtellum utrimque ſubjectum, ſpatiumque quod intererat perpetuo vallo foſsâque communitum. Ita nihil ſuper ſoli erat, quà ſubvenire obſeſſis daretur, niſi aquarum deceſſu nudatis, quæ præter aggerem erant tenaci limo, & binûm in altitudinem pedum, ſiqui intraſſent, ſubſidente. Dein tormenta, quorum majus unum, medij generis duo, poſt aggerem, qui gerrarum vicem præbebat, haud procul Reida diſponuntur. In promovendis ijs leve quiddam incidit, notatu tamen non indignum, ut conſtet, quanti recte atque ordine cuncta adminiſtrari interſit. Milites dum ruptim, nec pari tractu machinas attraherent, funes, quoſcumque alligaverant, rupere, ita ut poſtremo de ſummâ rerum quoque deſperarent. Paullò pòſt navales ſocij & numero pauciores, & tenuioribus funibus, qui è navibus deſumti erant, tormenta deſtinatum in locum perduxere. Prima vis facta in caſtellum, quod editiori, circum Ædem ſolo eſt: eo enim capto, ſponte ceſſurum alterum videbatur, quando deſuper jaculantibus pateſcebat. Hoſtes ad Trimuntium frequenres convenerant, unde tormentorum incendia proſpectare erat. Inter hæc animadverſum ob tormentorum paucitatem dari obſeſſis otium diſiecta reparandi. Eam ob cauſſam ternæ inſuper machinæ Otterdemo, atque è navibus, acceptæ: quarum, quos jaculabantur globos, denas ſinguli pendebant libras, impetendis tranſverſim propugnaculis. Eæ per humilia camporum, & hoſtium jactibus aperta, neceſſario adducenda erant. Unde Naſſovius excitandis ſuorum animis, manum ipſe operi admovit. Proximâ nocte Verdugus mille militum manu, caſtris appropinquat, & quartâ tantum horæ parte diſtans, varijs ſignificationibus, ac tormentorum ſono auxilij in ſpem obſeſſos erigere conatur. Quem ut adeſſe Naſſovius intellexit, militibus quot ad tormentorum cuſtodiam ſufficiebant, in caſtris relictis, cæteros Fimelianum in aggerem ducit, & univerſum ejus, quam longe extenditur, ſpatium, jaculatoribus, haſtatiſque complet. Ipſe totam noctem pervigilem trahens, inter caſtellum utrumque huc illuc adibat, hortando ſuorum confirmans animos. Mediâ quoque nocte, tormenta diſplodi in obſeſſos jubet, ut conſtaret Verdugo, nequaquam ejus metu avecta eſſe. Simulatque tenebras lux diſpulit, ad medium diei tormenta ſine intermiſſione ſonuerunt. Et obſeſſi (erant ex Hermanni Bergenſis centuriâ) ut paratos impetu noſtros vident, deditionem faciunt, tertiâ poſt obſidium die: arma tamen & impedimenta omittere coacti. At Naſſovius ſtatim novum orditur opus, & pro duobus, quæ ante fuerant, caſtellis, in ripâ unum oblongâ formâ, &

ↀIↃ IↃ LXXXIX. quatuor propugnaculis extruit. Quæ cum attolli quotidie ex urbis ſuæ mœnibus Emdani magiſtratus proſpectarent, Senatorum duos ad Naſſovium deprecandi cauſsâ mittunt: nam antè, inimico ſatis adverſum nos animo, urbis ſuæ opifices (at non edicto publico) deterruerant, ne mercaturam cum Fœderatis exercerent: ita ut nullo pretio, neceſſariorũ quidquam redimere ab ijs noſtri poſſent. Adfirmabant Senatores ij, nunquam ſatis creditum ſibi, ſolum illud ſat validum fore ſuſtinendis tantæ molis atque altitudinis mœnibus. Idem ab Edſardo Seniore, Friſiæ orientalis Comite, cujus in poteſtate Groninga atque Omlandi fuiſſent, quondam Delfſilæ tentatum; ſed plerumque merſa, quæ aggerebantur; alioquin arduum haud fuiſſe terras eas retinere. Per idem tempus nobilis Omlandus Fœderatis Patribus denuntiat, mille ac ſexcentis militibus prohibiturum ſe, ne ullæ Groningam ſubvectiones fierent. Nec ſtipendia Patrum facturos illos, ſed pro mercede fore tributa, quæ incendij metu ruſtici hoſtiles penderent: eâque re brevi Groninganum bellum confici poſſe. Patres ut citra impenſas ſuas id facturum viderunt, Tribunum eum conſalutant, ac facultatem faciunt, manum quam popoſcerat contrahendi, etiam machinarum, & quibuſcumque opus foret, copiam ei facere Guilhelmum Naſſovium jubent; non inquiſito, qualis, aut quæ ſtudia ſectatus foret: nam nec militiæ unquam vacarat, nec ullum antea fidei ſuæ ſpecimen dederat; ſed fugientibus hoſtium vim cæteris, ſolus ille Groningæ hærens, profugorum hæreditates exiguo pretio redimebat. Tandem profligatis opibus, ære alieno obrutus, Groningam reliquerat, hujuſmodi animo conatus volvens. At Guilhelmus Naſſovius, cùm nihil hinc fructus, & turbas ingentes ſuâ in præfecturâ prævideret, quòd illi, & præfectorum cæteris decretum nôrat, agreſtium populationibus ac prædâ victum quærere, Fœderatos Proceres admonet, ſi animus ijs eſſet talia in Friſiorum terrâ tentare, ſaltem conſilium prius ſuum audirent, & conſiderent, accuratè adeò ſibi ſcrutata quibuſcumque Groningæ noceretur, ut quod facere ipſe nequeat, incaſſum conaturi alij ſint. Adjiciebat, indignum Chriſtianis eſſe, miſeros agreſtes, qui publicam tutelam ære dato meruiſſent, prædæ illis objicere, qui nullam patriæ utilem navare operam poſſint. Se, ſi octingentos milites, qui numerus dimidio minor, ſuſtentare Patres velint, tanta geſturum, ut juſtiſſimam gaudij cauſſam & Patres, & boni omnes habeant. Admodum mirabatur Naſſovius, ubi à fidei probatæ viris comperit, eam rem, nonnullis autoribus Ultrajecti primùm agitatam, conſultò non apertam ſibi. Sed nobili, quem diximus, prima ſedes inſula Schellinga; unde, cùm longiùs eum ferre Hollandiæ Proceres nollent, in Friſiam tranſgreſſus: peneque direptum à milite ejus Olderſemum, multaque nefariè patrata. Exinde comes & adiutor Martino Schenckio datus in exſtruendo ad Rheſam caſtello. Poſtremò hinc digreſſus, cum ternæ ex legione ejus centuriæ ſacramentum Friſiæ Proceribus dixiſſent, paratis illis ipſius quoque cohortem ſuſtentare, ille quòd Tribunatu cedendum videret, abnuit, ac Groningam diſceſſit, nonnullorum quæ apud Fœderatos didicerat notitiâ, Verdugi gratiam ſperans. Nec deerant, qui Verdugi impulſu omnia hæc molitum ſuſpicarentur. Quippe paullò pòſt ob direptum Olderſemum, ab Joanne Orientalis Friſiæ Comite, capto, & exitij prope certo, eruta, quæ veſti inſeruerat, Verdugi mandata: cujus literis partim & minis à pernicie evaſit. Conſilium, quo arctare Groningam induxerat, de muniendâ Slochterâ erat. quà neceſſariò commeabant, quæcumque Groninganis per Burtangam ac Dullartum ſinum ſubvehebantur. Non occurrebat ad animum ei, locum hunc, ut capi facile, ita quoque amitti: uti documento fuere anni primus & tertius poſt nonageſimum, quo ſpatio quater captus, quater ereptus fuerat. Nam præter

Ædem,

cIↄIↄ LXXXIX.

Ædem, & validam è lapide turrim, nullum loco munimentum, non terra, non materies petendo aggeri, omnia circum paludes obtinent, adeo ut ruere præceps in exitium videretur, quicumque eo contenderet. Hæc prævidens Naſſovius, quamvis honoris inde plus ad eum quam incommodi rediret, ferendum tamen haud putavit, partim ob damnum publicum, partim ob plebis conſternationem, hoſtiumque lætitiam. Neque ex illo quicquam Patribus negotij fuit cum voluntarijs ejuſmodi ducibus, qui ſuo ære ſcribere militem, raptu ex hoſte alere, vellent. Quippe noxium id, & temerariorum molimina eſſe, experimento anni LXXVII in Petro Blomio didicerant. Simile quidpiam in Wigboldo Caſſumo, Nienorti Toparchâ, obſervatum; à quo eodem conſilio collecta legio non niſi acceptis à Patribus ſtipendijs ire in hoſtem voluerat. Dum munitionibus ad Reidam noſtri occupantur, Swachſterſilam caſtellum minus præſidiarij ſervabant, hoſti arcendo, & operis ab incurſione tutandis. His attributæ inſuper vectoriæ naves duæ, quæ iter clauderent. Quippe paullò majori aquarum deceſſu, per ſicca adiri ad caſtellum poterat. Nocte, quæ tertiumdecimum Julij diem excepit, quum refugientibus aquis in limo naves ſubſediſſent, trecenti hoſtium acri certamine eas aggrediuntur. Centurio Abelus, quem ſupra defeciſſe ab hoſte diximus, cum paucis alijs fortiſſimè dimicans occubuit; è cæteris capti nonnulli; qui ſupererant, in caſtellum ſemet abdiderunt. Et captivi quidem omnes mox redemti, exceptis undenis è prætoriâ Guilhelmi Naſſovij centuriâ, quos Titus Caminga Præfectus militaris privato redemtos ære, Stenovici in patibulum ſuſtulit, vindicando, ut aiebat, ſuorum militum fato, quorum VI & XXX à Leovardienſibus ejuſdem mortis genere erant extincti. Sed diſpar erat ratio; cum hi, in populatione agreſtium haud procul Snecâ deprehenſi, juſtâ morte perijſſent. Idque inter Verdugum & Naſſovium convenerat, ut quicumque furtim prædatum excurrerent, prædonum loco haberentur. At Abeli milites in nave, ſuâ ſtatione, depugnantes comprehenſi erant. Interea ut Verdugus, omiſſo Opſchlago, Reidanis ſuppetias ierat, Sednitzkius præceptorum Comitis haud immemor, commeatus ac frumentum XC curribus Nienſilam devexerat. Nec in itinere quidquam ſupervenit. Cæterùm priuſquam expeditis curribus regrederentur, hoſtem coactâ manu Gripskerckam, quà neceſſariò tranſeundum, cepiſſe cognoſcunt. Igitur Sednitzkius cum Hogelkio, ſupremo Nienſilani præſidij curatore, & his qui aderant præfectis, rem communicat; quibus placuit, Wederſpannum Præfectorum unum, cum Hogelkij ſignifero, eo contendere, & quatenus poſſint, hoſtis vires, ſitum, cæteraque cognoſcere. Ii datam occaſionem rati, navibus egrediuntur, & hoſtem invadunt, quorundam Præfectorum ut auctâ vino Hiſpanico audaciâ, ita prudentiâ minutâ. Igitur quadraginta de noſtris cadunt: in his ſignifer ipſe, privignus Hogelkij, qui Nienſila confligentes proſpectans, clamitare, urgere Sednitzkium, laborantibus ut ſuccurreret. At ille incertis hoſtium viribus, viſâ inſuper equitum turmâ, inconſultum id judicabat. Quippe cæſis copijs ſuis, & abſente cum octingentis militibus Naſſovio, promtum hoſti Friſiam univerſam, aut urbium ſaltem præſidio nudatas, ingenti terrore concutere. Itaque immittere ſe diſcrimini abnuit. Ob hæc inſectari eum Hogelkius, modoque ignavum, modò perfidum appellare; ab eo privignum, ab eo milites ſuos in periculum deductos, nec tempore maxime neceſſario ereptos. Capitis eum ſupplicio dignum. Nova hinc & multa Naſſovio negotiorum moles: primoque miſſis Reidâ literis publico intentum eſſe utrumque, ac muneris ſui rationem habere juſſit, & tantiſper à convitijs temperare, donec Reidâ ipſe redux, negotium dijudicaret. Quæ etiam Sednitzkij vota erant. Poſtremò conciliandi utriuſque omnibus ne-

cIↄIↄ LXXXIX quidquam modis tentatis, pronuntiatur, Sednitzkium prudentis ducis officio functum falsò calumnijs onerari. Occiſos & diſcriminis & exitij ſibimet cauſſam eſſe. Hogelkius, quòd profeſſus apud judices foret, præcipiti irâ, & naturali adverſus privignum caritate ad calumnias ſe prolapſum, verba revocare coactus non eſt: tantùm pecuniaria ei multa, in uſũ egentium irrogata. Illum primo nonnulli è Delegatis multum hortabantur, animosè pergeret, ac injurias injurijs cumularet. Cæterùm ut frequenti judicum conſeſſu anquiſitum, & teſtes graviſſimum adacti juſiurandum, diverſa longe protulere ab his, quæ Hogelkius apud Patrum nonnullos jecerat, haud prodeſſe favor eorum illi potuit. Patrum nonnullis, qui neutri favere videbantur, non tamen ingratum accidit, orta jurgia calumniaſque; dum ſperant, abdicato utroque, Friſicæ gentis Vicarium ſe deinceps Naſſovio daturos. Ita, quomodocumque res caderet, invidia in Naſſovium. Sednitzkius querebatur, nequaquam reſtitutum ſe, quando adverſarius, qui famam, qui caput ſuum petijſſet, in integro relinqueretur. Hogelkius palam dictitare, nimiam Sednitzkij apud Naſſovium gratiam. Ipſeque relictis Fœderatorum terris, publicè edito libello, Comitem cæteroſque iniquitatis incuſavit. Offenſi quoque Patrum legati, dum, [ut Proceres ſolent, quorum ſumma poteſtas] bellicis ſe rebus interponunt, ac ſupplicante Hogelkio, contra militiæ morem, judices compellere nituntur, ut ſententiam ſuſpendant. Adverſùm ea Comes Guilhelmus legionis decus, ac bellici juris majeſtatem nunquam à Cæſare, aut Rege interpellatam, defendere tenebatur. Itaque ille Patribus demonſtrare, ſuperiorem, utvis miniſtro quorundam adminiſtr ationem permittat, non eo quidquam de jure ſuo deperdere. Sic Spiræ co nſeſſum judicum, ſic Parlamenta apud Gallos inſtituta, quamvis à Cæſare aut Regibus in jure dicundo haud præpedita, manere tamen ſub eorum poteſtate. Delegati ut dolorem Hogelkij lenirent, diſcedentem liberalitate torquis aurei auxere. Ille paucis poſt annis Lubecæ extinguitur, mentis impos, ita ut coërcendus vinculis fuerit. Etiam Sednitzkius diſceſſit, ac ſupremus vigilum Præfectus à Mauritio creatus, multis annis dignitatem eam ſummâ cum laude, & Mauritij ac Patrum gaudio functus, xxx peditum centurijs vicario jure præficitur. Pòſt compertum, Takonem Hittingam, nobilem, & ducum omnium vetuſtiſſimum, autorem conſilij fuiſſe, ut ob legionis magnitudinem duo crearentur Vicarij, quâ in re Naſſovius Patres, illi Naſſovium reum ſubdebant. Junio menſe Guilhelmus Comes Leovardiam reverſus, Auguſto in Geldriam contendit, poſtulato Senatus ac Mauritij, qui tribus militum millibus in Vorenâ inſulâ Tilam infra conſederat, Carolum Mansfeldiæ Comitem, Herwardæ Moſam tranſmittere tentantem, prohibiturus. Hedelam arcem in Bommelianâ inſulâ per idem tempus Mansfeldius expugnaverat, imprudentiâ centurionis Sidenburgi; quem incautè ſatis (ille à militibus adactum ſe firmabat) ad colloquium progreſſum Mansfeldius detinuit, donec miles capitis conſilijque inops fœdam deditionem faceret. Mox Brakelam quoque arcem cepit, & ni ſubitò Mauritius inſeſsâ Vorneâ ſe munijſſet, tranſiectu fluminis potitus hoſtis, nullo negotio Gorcomum aliaſque Hollandiæ civitates adijſſet. Erant qui caſtellum in inſulâ Vorenâ extrui ſuaderent, quo militibus firmato arceri hoſtem poſſe, nec toto eam ad rem exercitu opus dictitabant. Ea Guilhelmij Naſſovij ſententia: alij, quod hyems ſuberat, negabant perficiendo operi ſpatium eſſe. Hanc ob cauſſam, cum nulla eſſet difficultas, niſi in hoſte tranſitu amnis prohibendo, Guilhelmus Comes ad ſuos revertitur. Ibi intelligit, Verdugum, munito Opſchlago, dimiſſiſque in hyberna militibus, omnium ſecurum agere. Quare rapiendam occaſionem ratus, caſtellum ad Soltcampum obſidere ſtatuit. Id in extremum terræ angulum, ad ſinum Reidanum

remove-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

removetur, non tamen in arctas perinde fauces, ac Reidæ, compulsâ terrâ,
eoque plus ſpatij complectendum munitionibus erat. Caſtello & vallum, cIↃ IↃ
& foſſa, ſed modica utraque; interiora adeo anguſta, ut non plures centum LXXXIX.
hominibus caperet; qui tormentis impetiti, neque munitionum diſiecta in-
ſtaurare, aut novis introrſum firmare operibus, nec commodè ſatis anguſtis
adeo propugnaculis ingruentium vim ſuſtinere, aut longioribus uti haſtis
poterant. Agger per foſſam jactus ad propugnaculi frontem pertinebat,
ubi defixis palis aditus obſeptus atque interclusus erat, ſueto more in caſtel-
lorum cæteris quoque quæ aquis adjacent, nec ob neceſſitatem, ſed vel im-
peritiam, vel ſumtuum parcimoniam. Eo in aggere potiſſimæ Naſſovij
ſpes. Præſidij regimen Tiardus Herema habebat, nobilis Friſius, non bel-
li uſu huc enixus, ſed favore ſoceri Joachimi Ubbenæ, conſulis Groninga-
ni. Ipſe Tamengaburgi, quæ ars momenti exigui, morabatur, Soltcam-
pum cum LXXXIV militibus ſervante ejus Vicario. Caſtelli hujus, & cum
hoc Delfſilæ cuſtodiam, Groningani magiſtratus, quod multum urbis ſuæ
intererat, curabant, præpoſitis quicumque viderentur. Ne præſidium qui-
dem omne, ſed manipulum unum alterum evocare, ſi neceſſitas urgeret,
Verdugo licebat. Quintâ Octobris die Naſſovius cum militum octingen-
tis, majori uno, & quatuor mediæ formæ machinis, Soltcampum attigit.
Tormentorum maximum, ut dirigendum in obſeſſos, jam Doccomi navi-
gio plani alvei impoſitum erat, circumdatâ è ligno loricâ, quæ attolli aut
demitti pro tempore poterat. Ea navis plenis ad caſtellum velis converſa,
haud procul ab eo loco in vadum abrepta, ſubſedit, retinente limo, unde
quaſi in ſolido cuncta adminiſtrabantur. Quatuor modica tormenta ag-
geri, qui propugnaculo caſtelli adnexus, imponuntur. His ita compoſitis,
obſeſſi de deditione appellati fortiter reſponderunt, nihil ſe præter ignem
& arma gratificari illis velle. Præterea non ſe, ſed Verdugum & Groninga-
nos caſtelli dominos rogandos. Ergo ſummâ vi undique tormenta, quà cæ-
tera, quà in bellicis navibus intenduntur, globorum pleriſque (etiam illis
qui ex campeſtribus machinis emittebantur, & novem aut decem ſinguli
libras pendebant) loricam perforantibus, quæ decem in latitudinem pe-
dum. Nonnunquam ipſum quoque vallum penetravere, quod ex durata
compactum argilla, non perinde validum erat, quàm quæ terrâ aut arenâ
ſolidantur. Plurimùm obſeſſis quatuor medij generis tormenta nocuere,
quis & convulſa lorica, & mollitus valli arduus adſcenſus. Noviſſima diffi-
cultas, infixæ aggeri ſudes reſtabant; quæ ſolæ irrupturos morabantur, cum
foſſam injectus agger impleviſſet. Igitur ternis militibus, quos diſciplina
militaris capitis condemnaverat, veniæ facta ſpes, ſi ſudetum incenderent:
ijque ingentibus animis patravere. His peractis machinæ aliquoties in ob-
ſeſſos intonuere; quæ ſimulac exoneratæ, is qui ſecundo loco præerat rabi-
dæ feræ, aut furibundi inſtar, conſcensâ loricâ, quà vis facta, ſcopis repur-
gabat, ne probris quidem temperans, accendendis ſuorum animis, & majo-
ri deſperantis, quam fortis animi indicio. Decimâ Octobris die, cum oppu-
gnantes à tergo Solis æſtus, obſeſſos à fronte premeret, univerſi milites
irrumpendo caſtello in aciem educuntur. Quibus brevi oratione cohorta-
tis, ſuſceptæ preces, cantatoque pſalmo, pugnandi ſignum propoſitum. Ob-
ſeſſi conos galearum, & haſtarum bipenniumque coruſcos proſpectare mu-
crones, & canentium exaudire voces poterant; unde facilis conjectura vim
parari: non tamen, ut crederent id, à ſe impetrabant, nunquam adhuc tan-
tam in Geuſijs audaciam experti: itaque cavillationibus probriſque inſe-
ctari noſtros. Cæterùm ut precibus pſalmoque finitis, tympanorum ſonore
convocatos ad prælium milites, aggerem ſcandiſſe, jamque incitato curſu
irruere viderunt, ſublatis, more militari, capitum tegumentis deditioni ſe

cIↃ IↃ LXXXIX. paratos ſerò ſignificant, cum retineri miles nequiret. Pauliſper ſuſtinuere; ſed cum alios animus defeciſſet, alij ad deditionem ſe ſuaque comparaſſent, parum conſtanter, & trepidè præliantes, non ægrè ſuperantur: quicumque propugnarent, aut vim facere niterentur, conciſi: quinis & XXX, quos latebræ texerant, ſalus conceſſa: & poſtquam trucidandi rabies defecerat, tympani pulſu interdictum, ne cui vis inferretur. Vicarius tormenti globo paullò ante extinctus erat. Conflictum Fredericus Bergenſis & nonnulli è magiſtratu Groningano cum copijs validioribus, quam in caſtris Friſij habuere, è propinquo adſpectabant. Idem bis quoque antea, cum manu, quantam ſubitò colligere potuiſſet, haud procul Soltcampo ſe in conſpectum dederat, erigendis auxilij ſpe obſeſſis. Moxque à deditione majoribus copijs Verdugus acceſſi; verùm munitionibus tentare quidquam prohibitus. Præcipiti jam autumno, quamvis ſuberat hyems, quæ his in terris matura, novum exſtruere caſtellum Guilhelmus aggreditur; cum vetus pari negotio quo amiſſum erat, recuperare Verdugus poſſet. Mira ſane Numinis favore, illis diebus cœli temperies fuit, quâ invitatus Naſſovius plures operi milites adhibet. Ipſe, licet tenuiſſimâ valetudine, quamdiu ullo modo per eam liceret, circuire, inſpectare opera: dein, ingraveſcente morbo, convocatos ad lectulum Præfectos, alioſque, de eorum progreſſu interrogabat. Ita circa Martini feſtum, medio inter aggerem utrumque ſpatio, validum propugnaculum conſummatum, & utrique aggeri dimidiata adjiciuntur: cæteris perficiendis inſequens æſtas exſpectabatur. A.d. XIII Novembris adeo intenſum gelu eſt, ut ſinus Reidanus innatante glacie compleretur. Quamobrem Comes tranſmiſſos Oſtmahornam milites in hyberna univerſos dimiſit. Quâ navigatione biduum dilatâ, profectione excludebatur. Eodem anno (erat autem poſt mille quingentos nonus & octogeſimus) Antonius, amiſſum Luſitaniȩ regnum auxilio Reginȩ recuperare parabat. Ei facultatem Fœderati Proceres fecerant mille quingentos in Belgicâ milites ſcribendi, quibus Nicolaus Mekerchus præfuit. À Reginâ naves ſenas, egregiâ magnitudine, commeatu, omnique armamentorum genere ornatiſſimas, acceperat. Cæterȩ numero C & XX privatim à Britannis inſtructȩ, qui prædȩ ſpe unà profecti nulla ſtipendia faciebant. Terrâ ſummum in milites imperium Johannes Noritius, mari Franciſcus Dracus obtinebat. Peditum millia erant ſex, equites non plures quadraginta. Sed vix quidquam memoriâ dignum geſſere. Primò enim multum temporis abſumtum in expugnandâ Coronâ, Cantabriæ oppido; nequidquam Antonio, Olyſſiponem, caput regni, petendum, contendente. Pòſt, cùm nimio ſe Hiſpanorum mero milites oneraſſent, varijs morbis tentati. Auxit incommoda Noritius, dum horâ poſt ortum Solis movere agmen ſuetus, eundem in Hiſpaniâ morem retinet, quod antelucano tempore, præſertim calidis adeo locis, fieri par erat. Igitur domus, horreaque, ægris in itinere deficientibus complentur: quos ne hoſtis trucidaret, ſocij ipſi injecto igne horrea juxtaque homines cremavere. Nova hinc ex Anglis mala, qui prædȩ ſpe unà profecti, nullius imperia ſpectabant: quippe non Antonij, ſed quȩſtus cauſâ ſuſcepto itinere. In Luſitaniam adpulſis pedites ex eâ gente mille, equites C & XX armis utcumque inſtructi ſe adjunxere, & cum his innumera inermium turba. Oppidum Turres veteres, quod exiguo præſidio ſuſtinere exercitum potuiſſet, ultro eos patefactis portis admiſit. Celebre ac vaſtum, quod ad occaſum Olyſſiponȩ eſt, ſuburbium, ſine vi, ſine certamine captum, reperteque mercatorum opes, quadragies centenis ducatorum millibus æſtimatæ. Aderatque ſpes potiundi Olyſſipone, quam Albertus Auſtriacus Cardinalis millibus militum quatuor tenebat, exiguâ manu, coërcendæ frequenti adeo civitati, cui inveteratum in Caſtellanos odium,

odium, & gentilis Regis deſideria. Unde parùm confiſus præſidio Alber- CIↃ IↃ
tus paratas illico naves habuit, ſi neceſſitas ingrueret, fugâ trans flumen ſa- LXXXIX.
lutem petiturus. Hâc tantâ rei bene gerendæ ſpe, Noritius tamen obſi-
dium tertiâ die ſolvit, ſupplices Antonij preces atque obteſtationes adſper-
natus. Ejus diſceſſu ſublati oppidani, ex urbe ſequuntur; quos feliciter ille
profligat, validumque caſtellum Caſcain ad deditionem compellit. No-
vus inde Noritio animus, & iterante preces Antonio, Olyſſiponem obſidio
repetit. Jam dies dicta erat, quâ cum ſuis terrâ Noritius, mari adeſſet
Dracus. Quorum hic in abitu claſſem XXX navium, frumentum è Septen-
trione vehentem, adventare ſenſit: itaque huc converſis velis invadit, &,
univerſa potitus, prædam militibus donat. Interea ſtatum tempus effluxe-
rat, & Noritius ad urbem veniens, ubi non acceſſiſſe Dracum videt, re in-
fectâ diſcedit. Inter hæc Penichium caſtellum in extremâ terræ linguâ ſi-
tum, à centurione loci cuſtode Antonio deditur. Jacet ſupra Olyſſiponem
decem paſſuum millibus, nullo non tempore promptum ſupportandis quæ-
cumque neceſſaria, & ſat validum quantumvis potentem exercitum ſuſti-
nere. Quamobrem Antonius à Noritio petere centurias nonnullas, præſi-
dium caſtello; quò aditum ad continentem haberet, &, ſiqua mutatio ori-
retur, è propinquo ſpeculari poſſet. denique quibuſcumque modis effice-
ret, ne quietâ Luſitaniæ poſſeſſione Hiſpanus frueretur. Huc Mekerchus,
huc Hollandi omnes inclinabant; Noritius aperte abnuit, & quæcumque in
Luſitaniâ ceperat loca, dimiſit. Ipſe copioſâ gravis prædâ in Britanniam
revertitur. Manifeſtè hoc exemplo approbatum, quàm falsò à Belgis ſub-
inde homines, qui fortunæ ac prædæ ſpe militiam abſque ſtipendio ſequun-
tur, voluntarij appellentur; quos nuncupare invitos majori jure poſſis, cum
ſoli rapinæ inhiantes, ſiquid inſigne gerendum, neminis imperia accipiant.
Antonium ſane, qui dicentem ipſi audiverant, tradidere mihi, firmare ſolitũ,
quamvis in ſpem Paradiſo potiundi veniret, nunquam Anglorum ope tentaturum.
At in Galliâ anno LXXXVIII juſſu Regis è medio ſublatis Guiſiæ Duce, ejuſ-
que fratre Cardinale, cum eo qui excepit anno Rex ipſe, à monacho confoſ-
ſus, nullam reliquiſſet prolem, haud dubiè proximus Regij ſanguinis hæres
Henricus Navarrenus erat. Cæterùm ejus imperium, quòd Reformato-
rum ſacra ſequeretur, principes pleræque Gallorum civitates accipere de-
trectabant, quæ, ſuperſtite Henrico tertio, jurejurando ſemet adſtrinxe-
rant, non niſi Pontificium Regem delecturas. Fœderis caput Guiſiæ Dux
erat: & acre hinc bellum conflatum, immiſcente ſe Hiſpaniarum Rege, tum
ut Galliæ regnum in ſuos hæredes, defuncti Regis ſorore genitos, traduce-
ret; tum ut creſcentem indies Navarreni potentiam quantum poſſet atte-
reret; quem, ob præreptum Navarræ regnum, hoſtem fore certo prȩvide-
bat. Suberat & metus, ne Belgarum imperio penitus excideret: quippe, pro-
nis in noſtra Gallis, bellum his tractibus nullo modo gerere, aut non ſine
magno poterat detrimento. Itaque facultatum, imprimis pecuniæ, quam
Belgarum bello impenderat portionem, in Gallos tranſtulit, haud exiguo
Fœderatorum commodo; quîs caſus obvenit proferendi limites imperij
ſui, amiſſaque recuperandi. Suadebant primarij viri, ne occaſionem (haud
exiguum bellorum momentum) tam opportunam dimitterent. Præ cæ-
teris Guilhelmus Naſſovius, ineunte anno ſummo ſtudio impellere Pa-
tres adnixus eſt, ne bellum jam, ut ante, arcerent, ſed ultrò inferrent.
Eam ob cauſſam Hagam profectus, hunc in modum apud Patres diſſeruerat.
Adeſſe nunc opportunum tempus, ut pulſis trans Rhenum Moſamque hoſtibus,
quæcumque ad ortum amnibus ijs adjacerent loca reciperent. Quippe acceptam
Hiſpanicâ claſſe calamitatem, novas in Galliâ turbas, novos ſumtus, diſcordias
inter Hiſpanos Senatores ac Parmenſem, diſſidia nationum, ſeditiones militum,
confuſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIɔIɔ confuſum imperij ordinem ac diſciplinam, turbata omnia, diverſam omnino, quàm
LXXXIX. hactenus, apud hoſtes rerum faciem polliceri. Nunquam deſidiam ac ſegnem hanc oſcitantiam excuſari apud poſteros poſſe, ſi optata adeò opportunitas negligatur. Quomodo prudentis non ſit hoſtes nimium contemnere, ſic nec ejuſdem eſſe ſupra vires illum extollere, ac terribiliorem quam revera ſit facere, aut ignaviâ ac ſupervacuo metu, ab his quæ fieri poſſint, ſemet deterrere, aut de proprijs deſperare viribus. Æquâ æſtimatione cuncta metienda. Fœderatos militum millia XX ſuſtentare. Ejus numeri dimidium, ſi omnis à cenſu fraus abſit, & mille quingentos equites educi poſſe. Quos, modo ratio adſit, modò prudenter ducantur, & præter locorum naturam amnium quoque commodo ſubleventur (ſic enim nunquam duris ſubvectionibus laboraturos) facile adjectas fluminibus urbes, Daventriam, Zutphaniamque Iſalæ; ad Vahalim Noviomagum: Graviam, Venlonam, ac Ruræmondam Moſæ adpoſitas, poſtremo quoque Groningam addito tempore caſtellis ac munitionibus claudere, & ſine prælio, ſine ullo ancipitis fortunæ periculo expugnare, atque ita ſe munire poſſe; ut Parmenſis pro ijs, quas nunc haberet viribus, eripere afflictos, aut ſubvenire laborantibus nulla ratione valeat. At ſuperatis urbibus quæ fluminibus incumbant, promtum cæteras eo munimento deſtitutas, in poteſtatem redigere; tanquam amiſſâ radice, unde alimentum caperent. Conſtare quoque, nullam prædictarum urbium, exceptâ Groningâ, ita commeatu inſtructam eſſe, quin octo hebdomadarum ſpatio, ad extremas rei frumentariæ anguſtias compelli poſſit. Sed ante omnia liberali ſtipendio excitandos ad laborem milites, ac noxium fodiendi pudorem eorum ex animis evellendum. Id ſolum ſi perficiatur, nunquam incertis bellorum obnoxios fore. Nam ab hoſte munitis caſtris, neque cogi ad pugnam, neque intercipi commeatus ob commoda fluminum poſſe. Interea continenter obſidium procedere, & ſiquid durius accidat, tantum caſtra ſolvi, nec ullam de ſuo jacturam facere. Haud neglectum quoque Naſſovio demonſtrare commoda, quæ manerent Rheno ac Moſâ vindicatis. Quâ re & proferri limites, & viribus incrementa quæri dictitabat. Deinceps enim minore negotio, leviore curâ defendi parta poſſe; dum, non ut ante diſtractis, ſed unam in partem converſis viribus, nullum ab tergo hoſtem metuerent. Multas hoſti occaſiones eripi, non modo meditandi quidquam in Fœderatos, ſed & patrandi. Facilius etiam Galliarum Regi, & majoribus auxilijs ſubventuros. Quippe ex ſolâ præfecturâ ſuâ militum tria confici millia, quæ copijs in Brabantia, ſive trans Moſam adjungi poſſint. At nunc propinquo hoſte, nequaquam id licere. Ob hæc rogare ſe Patres, ut omnia in proximam æſtatem neceſſaria conquirant, ac Numinis gratiâ confiſi, hoſtem adoriantur. A Groninga initium faciendum: ibi pretium operæ maximum, laborem exiguum, ſpem certiſſimam. Vtilitatem hinc probari, quòd ab ortu Moſæ nullam famâ, opibus, potentiâque validam adeò urbem hoſtis habeat. Magna daturam vectigalia, ſimul Friſijs & Omlandis tributi in poſterum levamentum. Situm mare ac paludes inter opportunum adeo eſſe, ut ejecto ſemel hoſte, multo quàm Hollandia aut Zelandia facilius defendatur. Facilitatem operis in eo, quòd nuſquam commodius commeatus ſupportari, munitiones duci, ac transfoſſis aggeribus externus prohiberi hoſtis poſſit. Quin imo confectam majorem partem, inſeſſis quæ circumjacerent caſtellis, quibus urbs à cæteris excludatur. Ideo jam diſtractos contraria in ſtudia oppidanos tumultuari; plures Fœderatorum favere rebus, magnoque deſiderio eorum exſpectare adventum. Verdugum cunctis ſuſpectum, & cuſtodias adverſus eum artiores, quàm contra Fœderatos poni; metu, ne, per fraudem, majus in urbem præſidium inducat. Denique victoriæ ſpem multo quam alibi certiorem, quòd longè adeo remotâ urbe, vix quidquam ab externis hoſtium auxilijs periculi ſit. Se quidem promtum exſequi quod dediſſet conſilium, & ſperare, modo Numen adſit, talem exitum, ut jactantiæ à nullo mortalium jure accuſari poſſit. Hæc Comes. At Patres ſemper improſperè illati belli memores, conceſſam ab hoſte, dum alibi occupatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

patur, otium, in curam neceſſariorum, locorumque munitiones verten-
dum cenſebanr; contenti poſſeſſa retinuiſſe, hoſtiumque vim arcere. Secus cIↄ Iↄ
ſi facerent, tranquillum ſe hoſtem irritare dictitabant. Quæſtio ea, arceri LXXXIX.
bellum, an inferri expediret, mox à pace Gandavenſi agitata erat, nondum
diviſis tunc in partes Belgis. Adeoque omnium animos inſederat opinio,
conſultiùs vim propulſari, ut ſubito evelli nequiret. Validis tamen rationi-
bus oſtendebatur, dementiæ eſſe, hoſte in alia incumbente, quieſcere; &
Belgas pro ſe otium ei dare deſtinata conficiendi, quo voti compos, auctis
eos viribus repeteret. Neceſſariò, ubi certetur, inferiorem fore, qui ſolos
inimici ictus declinans, cum nudum videat, lædere tamen haud auſit. Ita-
que Naſſovij conſilio tunc loci nihil datum; pòſt tamen, facto experimen-
to, feliciſſimè ſucceſſit, non ſine ejus gloriâ, ut in loco referemus. Et ille
quidem ex eo tempore continenter omnia inferendo bello parare. Videbat
autem, utilia antiquorum militaria præcepta, de inſtruendâ acie, celeritate
in vertendo, reſtituendo, ſtipando, laxando, ſine ullâ ordinum perturbatio-
ne (quæ ſcientia Græcis ac Romanis celebres adeo victorias dederat) ve-
tuſtate ſui penitus ex hominum memoria abijſſe, neque inter Præfectos mi-
litares quemquam talium gnarum reperiri. Etenim, apud exercitatiſſimas
quoque gentes, una tantum quadrati agminis forma, cujus haud perpetuus
uſus, unaque convertendæ aciei ratio obtinebat, qua univerſum agmen
ſenſim, & unius hominis inſtar movetur: quod anguſtis locis, aut propin-
quo hoſte fieri nequaquam poteſt. Ob hæc Naſſovius nulli ſtudio, nullis la-
boribus, quando otium ab hoſte erat, pepercit, in inquirendis quæcumque
veteres tradidiſſent. Ante alios Leonis Cæſaris doctrinam ſecutus, aſſiduè
legionem ſuam exercebat, pro quadratis ut mos habebat, oblonga, eaque
exigua, formans agmina. Hæc varijs ſe modis vertere, tum totas ſimul ca-
tervas, tum quemque militem erudiebat, ut primi noviſſimo, extremi prin-
cipe ſtarent loco: omniaque ea non in anguſtis minùs, quàm ſpatioſis cam-
pis, ſummâ fiebant celeritate, etiam quando hoſtis tertio tantum jactu ab-
eſſet. Exordia ut moleſta, ita ob novitatem rei abſurda nonnullis viſa, ho-
ſtium quoque ludibria meruere; cæterùm adjecto tempore, ſumma rei
utilitas percepta, & diligentiſſimè in his militem ſuum Mauritius exercuit,
cujus exemplum nationum reliquæ ſecutæ ſunt. Inter hæc Mauritius a.d. cIↄ Iↄ
x. Kal. Mart. Bredã hujuſmodi aſtu intercepit. Agreſtis, arcis cuſtodibus ab XC.
annis aliquot in ſupportandis teſſellis terrę uſtilis (quę lignorum his in terris
vicem præbent) operam ſuam vendere ſolitus, milites nonnullos in navem
ſuam abditurum obtulit: quippe frequenti in urbem ingreſſu, reditque,
tantum fidei peperiſſe aiebat, ut nullus, ſicut fieri olim ſolitum, navem ſuam
ultra perſcrutetur. Igitur LXX delecti juvenes navi imponuntur, quibus
præeſſe dignus, nec minùs cupidus viſus, Carolus Heraugerius, olim apud
Flandros centurio. Mauritius ipſe ſucceſſibus imminens, paratas in Klun-
derianâ inſulâ copias tenebat, unde nulli ſine navibus tranſitio ad hoſtes,
enunciandæ rei dabatur. Dordrechti expeditas haberi vehes aliquot triti-
ci jubet, quæ Bredam ſubitò deferrentur, haud ambigens, quin, ſi potiretur,
obſidio urbem hoſtis repeteret. Ruſticus, doli index, navem ipſe dirigere
iu oppidum non auſus, tribus cognatis ſuis navigantem jam ante comitari
ſuetis, rem commendat, qui alacres & promti recepere. Vix dimidium
iter emenſi erant, cum ventus ex oriente, Bredam euntibus adverſus, flare
occœpit. Idem maris æſtum remoratus eſt, quo minùs ſolitâ altitudine in-
citaretur, & in ſicco navis ſubſedit; cui, accedente gelu, nova difficultas in-
cubuit, cum non modò nautæ moliri navem, ſed & intenſum frigus tolera-
re milites nequirent. Igitur brevi quoque cibaria defecere. Quibus incom-
modis territus nautarum tertius, damnato conſilio, quæſitâque diſceſſus

 cauſsâ,

CIↃ IↃ XC. cauſsâ, domum regreditur. Reliqui conſtantiæ immobiles manſere; nihil veriti, ne ſocij levitate aut timore proderentur. Raroque etiam exemplo compertum, è LXX militibus nec unum fuiſſe, cui metus abeundi cupidinem injecerit. Bis exſcenſum in terram facere adegit frigoris truculentia, & penuria commeatus. Nonâ demum die deſtinata provenerunt: quando Bredanæ arcis præſidiarij, ligni, terræque ad ignium uſum ſiccatæ indigi, perfractâ glacie funibus navem per vada fluminis attraxere. In oppidum illuſtri adhuc die venientibus nova offunditur difficultas, & periculum erat, ne dolus emanaret. Quippe multis, conſumtâ materie quâ frigus propulſabant, in navem confluentibus, bajuli feſtinare cupiebant, nec juſtam reperire prohibendi ſpeciem dabatur, ob ſummam in arce penuriam. Poſtremò vaſis aliquot eo illatis, nauta annumeratâ bajulis mercede, *abunde hoc veſpere laboratum*, ait: *in tabernam irent, ac pecunia eâ profligatâ craſtina luce reverterentur, tunc cætera perlaturos*. Nec ægre perſuaſi abiere. Acceſſit dein centurionis famulus, deteriorem ſolito humum, nec incendio idoneam ſatis eſſe queſtus; cui nauta, ſtudio meliores teſſellas in imo recondidiſſe, ac centurioni adſervare reſpondit. At è militibus LXX, Matthias Hiltius Siegenus, diuturno frigore, gravem tuſſim collegerat; quam reprimere impotens, cum multum ſtrepitus cieret, obſecrare ſocios cœpit, præciderent cervices ſibi; ſatius quippe unum perire, quam in exitium cunctos adduci, ac totum corrumpi negotium. At nauta, ut rem intellexit, ſentinam exhaurire, ac ſonore validiori tuſſim obtundere, quo bajulos res lateret. Mirandum ſanè, juveni, cui præſens penè pernicies ſingulis momentis ante oculos erat, id conſtantiæ fuiſſe, ut non colorem vultus, non vocem mutaverit: & eâ ætate, promtè occurrere, & ſubita quævis interrogata expedire potuiſſe. Sub veſperum imminente horâ, quâ portæ claudebantur, nautarum alter urbe digreſſus Mauritio nuntiat, in arce navem, in arce milites eſſe. Ii ſub mediam noctem coorti vigiles in ſtatione opprimunt, moxq; domuum, quæ in arce, potiti, accepto Mauritio, ſocia agmina jungunt, & oppidum invadunt. Itali præſidiarij paulliſper reſtitere, ſed incaſſum. Præfectus urbi Lanzavecchia Gertrudenbergam abierat: filius ejus cum paucis centurionibus capitur. Cives à direptione injurijſque militum eò juſtius prohibiti, quod inopini & repugnantes Hiſpanorum vi oppreſſi, miſerationem meruerant; cui facilior locus, quia ſubditi Naſſoviæ domus erant. Imperatum ijs duorum menſium ſtipendium, prædæ loco promiſſum militibus: & opinio erat XXX aut XL florenorum millia ſatis fore. Cæterùm pluribus indies concurrentibus, qui ob notabilem aliquam illo tempore operam in numerum præmia accipientium adſcribendos ſe dictitarent; cum pro ijs Hohenloius & ducum alij, nullus pro afflictâ civitate loqueretur; invalidâ ob adoleſcentiam Mauritij adverſum veteres duces autoritate, ita ut ſolùm miſerari ſubditorum vicem poſſet; brevi adeo excrevere, qui præmia poſcebant, ut direptionem haud graviùs laturi fuerint Bredani. Quippe centena florenorum millia requirebantur: quam ſummam urbi recens ab hoſte ſpoliatæ, redemtæ, aſſiduoque militum præſidio exhauſtæ, conferre difficillimum erat. Parmenſem re compertâ dixiſſe ferunt, id ſolatij modò ex Bredâ captâ percipere, quod neceſſariò Antverpiani, intellecto quam grave tributum Bredanis impoſitum foret, ſuam indulgentiam prædicaturi eſſent. Nam quadringenta tantùm florenorum millia pependerant, cum ne viceſima quidem parte conferenda Antverpiæ Breda foret. Sub æſtatem Verdugus arma in Friſios parare incipit, motus querelis Groninganorum, qui expugnatis à Naſſovio ſuperiore anno quatuor caſtellis, in arctum res ſuas redactas indignabantur. Itaque partim recuperandę exiſtimationi, multum deminutæ ob ſegnem Soltcampi

curam;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

curam; partim conciliandis plebis Groninganæ ſtudijs, nequa deinceps cIↃIↃ
loca amitterentur, Parmenſem ſollicitare non ante deſtitit, quàm ſubſidio xc.
legionem Hiſpanicam centuriarum duarum & xx mitteret. Summo cum imperio Franciſcus Bovadilla, jure vicario Emanuel de la Vega præerat. Referebant intercepti ex eâ milites, ſedecim haſtatorum, ſenas jaculatorum centurias eſſe: &, cùm primùm data ſtipendia, centuriæ cuique milites CLIV fuiſſe; quem numerum ordines XXII, ſeptenorum ſingulos militum, conſtituere. Inſtructo agmine, primum ordinem centum & XII haſtatorum, juga vicenûm eſſe. In ſubſidijs jaculatores unum & XX primo in ordine, in jugis duos & XX ejuſdem generis milites ſtare. Sed quia parum ſtipendia proceſſiſſent, infrequentes eſſe centurias. His copijs adiicit Verdugus, quos ſuâ in præfectura deducere præſidijs poterat: erantque in univerſum quater mille pedites minus quingentis, ac trecenti equites. Prima Ementillæ oppugnatio fuit. Præſidium dirigebat Gerardus Cornelij Schalus, qui ut tormentorum pleroſque globos penetrare vallum vidit (nam recens aggeſto, terra ſubſederat; nec curatum illi ut attolleret) eò adactus eſt, ut ipſe hoſtium ſe manibus permitteret, miles ſine armis digrederetur. Hinc ſuos ad Opſchlagum Verdugus rapit, ubi jacto per paludoſa aggere, aditum ſibi in Friſiam, & egreſſum expedivit. Guilhelmus Naſſovius cum peditum millibus duobus, abſque equitatu, Leovardiam ac Doccomum inter, trium millium ſpatio ab hoſtilibus caſtris, caſtra poſuit. Mox ſummiſſis à Fœderatis Patribus quatuor turmis, propius movens, Collumi horæ itinere ab hoſte conſedit. Exin caſtris ſe uterque tenuere, & levibus nonnunquam prælijs certatum; Naſſovio, ut infirmiore, ſatis profectum rato, ſi ſua defenderet; ac reputante, quamvis hoſtilem exercitum cecidiſſet, Groningæ ſe nequaquam potiturum; contrà cæſum, univerſam Friſiam periculo exponere. Verdugus verò, belli artibus exercitus, metuere, ne, ſi relictis à tergo Naſſovij caſtris, interiora Friſiæ adiret (quò expeditum illi iter, exſiccatis æſtu aquis, adeò ut ſiti afflicta armenta, ſequente hyeme fœni penuriâ extinguerentur) à juvene duce, & facile rem in caſum daturo, clade aut ignominiâ adficeretur. Per idem tempus Verdugus, illecto præmij ſpe percuſſore, Comiti perniciem ſtruere hunc in modum tentavit. Julianus Sancius de la Rotta, miles Hiſpanus, ſimulatâ homicidij culpâ, in Zelandiam transfugerat: & à Mauritio ad Guilhelmum miſſus, poſt novem menſium ſtipendia, ex caſtris Naſſovij ad Verdugum profectus, paucis poſt hebdomadibus Friſiorum in caſtra Collumum redierat; adducto ſocio, Petro Morali, domo Cordubenſi. Quorum ille ut honeſtiori ſpecie transfugium velaret, commilitonum in contubernio potantem partim ebrietate, deſperatione partim, ob grave debitum ex caſtris abijſſe aiebat, ſpe equi, aut prædæ hoſtibus eripiendæ. Sed in itinere ab hoſtili equitatu deprehenſum, vitando periculo, militem ſe ex prætoria Verdugi cohorte finxiſſe: cui cum ſiſteretur, hoc modo locutum. *A Zelandis ex Hiſpanicâ claſſe captum, ac beneficio mercatoris redemtum libertatem recepiſſe. Inde per Friſios ad Verdugum proficiſcentem iteratò Leovardiæ correptum, auxilio Pontificiorum, eâ in urbe habitantium, diruptis vinculis evaſiſſe. Creditum id Verdugo, & equum ſibi attribuiſſe, ut ſub Mendone militaret. Pòſt tamen, perfugæ indicio proditum, cum acri cuſtodiæ incluſus etiam tormentis laceraretur, conſtanter in prioribus perſeveraſſe. Et quamvis è Pontificijs Leovardienſibus nonnulli à Verdugo per literas* (addebatque exhibitas ſibi illas) *petÿſſent, ut laqueo puniretur, ereptum tamen deprecatione monachi, cui ſacram ſe deinceps vitam ſecuturum promiſiſſet, & commendatione duorum centurionum. Itaque pœnitentiæ ſpecie, & ſimulato ſacræ vitæ deſiderio, Verdugi gratiam adeptum: & quædam arcana ejus reſciviſſe. Hæc Naſſovio ut aperiret, in caſtra reverſum.* Secreta, quæ deſignabat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

de hoſtium in Leovardiam molitionibus, & conſcientiâ oppidanorum cIↃ IↃ xc. erant. Rogabatque, ut illuc deduceretur, indicandis conjuratorum ædibus, priuſquam audito adventu ſuo fugam facerent. Etenim nomina eorum ignara ſibi. His adjecit nonnulla de redigendo in poteſtatem Opſchlago. Petrus Moralis patratam cædem fugæ ſibi cauſſam eſſe mentiebatur. Quippe colludentem ſigniferum Hiſpanum, à quo primùm fraudatus, mox & percuſſus foret, transfixiſſe. Eam ob rem latitanti intra tugurium, exactis diebus aliquot, occaſionem oblatam cum Juliano abeundi. Sed cum incerta forent quæcumque ab Juliano promebantur, neque diſceſſus ejus ex caſtris ſuſpicione vacaret, quod ignaro centurione, neſcijs commilitonibus, ſermonis, itinerumque imperitus, ſolus exire prædatum haud poſſet: cum inſuper Petrus Moralis de interfecti ſigniferi, ac centurionis ſub quo meruiſſet, nomine appellatus, hæſitaret primo, dein ſigniferum olim fuiſſe, nunc dignitatis exſortem, ſtipendio tamen extra ordinem ſuſtentatum diceret; ſuſpectare omnes, incendendis caſtris, aut proditioni tentandæ à Verdugo ſubmiſſos eſſe. Ergo tormenta adhibere viſum. Julianus apertè fatebatur, captivo ſibi intentatum Verdugi minis exitium; cæterùm adjectam veniæ ſpem, ſi Guilhelmum Naſſovium tollere è medio vellet. Se, quod fieri non poſſe judicaret, recuſaſſe. Mox cum acrius repititis minis nihilò magis permoveretur, adfirmaſſe Verdugum, repertum à ſe alium, (his verbis Petrum Moralem deſignaviſſe) qui deſtinata patraret: illum comitaretur modò, conſilioque juvaret, ac literas Leovardiam perferret. Tum demum acceptam à ſe conditionem. Adjeciſſe porrò Verdugum, ruſticum ſe, ſtaturæ altitudine ac macie inſignem, qui utrique bellantium parti tributum penderet, tubo armatum, ad incendenda caſtra miſſurum: eum in lixæ cujuſdam tugurio reperturos: quod accuratè adeò deſcriptum Juliano erat, ut, quamvis Collumum nunquam ingreſſus, ex notis rivi, pontis lapidei, ac vicinorum tuguriorum reperire noctu potuerit. Eratque haud longè à Naſſovij tentorio. At Petrus Moralis pertinax etiam inter graviſſimos tormentorum cruciatus omnia abnuebat, adductumque Julianum mendacij arguens, ad ſupremi Numinis judicium provocabat. Tum Julianus, *Ergo*, inquit, *in cubiculo Verdugi, ſimul ambo haud fuimus? nonne te eadem patraturum ſublatâ dexterâ confirmaſti? Sed jam heſternâ die & me negare conſtanter omnia juſſeras, & te graviſſimis cruciatibus ante corpus laniari paſſurum dixiſti, quam quidquam proderes. Ipſe Verdugus nonne literas tradidit, inter eundem elapſas mihi? Vtinam eas curioſius adſervaſſem: eſſet profectò, eſſet mihi, quo te mendacij convincerem.* Simul hæc, manum braccæ ſacculo inſerit, & eductis ſine morâ alijs ſchedis, non tenuit colorem Petrus, crimenque confeſſus, querebatur, gregarium ſe militem à Verdugo centurionatus ſpe illectum, ſimulatque rogatus fuiſſet, conditionem accepiſſe. Hæc confeſſi, capitis pœnâ uterque afficiuntur: cadavera in quatuor portiones diſciſſa. In delatos à Juliano Pontificios (quamvis ille, ſi, quaſi nunquam captivus fuiſſet, dimitteretur, literas à Verdugo ad eos impetraturum promitteret) Naſſovius, quâ erat clementiâ, non inquiſivit, nedum animadvertit; at non eo minus in ſuſpicione erant. Julio menſe ejuſdem anni, Parmenſis cum univerſo exercitu in Galliam, liberandæ Lutetiæ, proficiſcitur: qui labor omnium illi actorum maximus. Quippe arduam rem faciebant Gallicæ nobilitatis multitudo, & præſens Rex. Itaque ipſe Caletum peti ſuaſerat, Philippo Regi oſtentans, & minore tunc negotio liberari Lutetiam, & eâdem operâ maritimum expugnari oppidum poſſe; opportunum Gallis terrâ, Britannis ac Belgis mari infeſtandis. Contrà Lutetiam, quamvis liberatam, ſui juris manere: ita ut non conferenda hujus cum Caleto utilitas eſſet. Sed nequaquam acceptum conſilium,

lium, quia contuſis ad Ivram conjuratis Sacri Fœderis, Lutetia in extre- cIↃ IↃ
mas delapſa anguſtias, fame urgebatur. Credebatque certò Hiſpanus, xc.
ab hâc univerſum regnum pendere: & pro ſuâ urbem habebat, apertè id
teſtantibus literis, quîs *bonam urbem ſuam* Lutetiam nuncupaverat. Acce-
debant huic ſententiæ ſacri Fœderis ſocij, ni ſubveniretur urbi, cum Na-
varro in gratiam ſibi redeundum dictitantes. Igitur ſtatim huc conten-
dere juſſus Parmenſis, urbem obſidione ſolvit, munitionibus magis ac li-
gone, quod tutiſſimum, quàm armis ſuperato Navarreno. Ita ſine ullo
conflictu, ſine certamine deſtinata confecit, nullâ etiam Gallis pugnan-
di facultate factâ. Cæterùm hæc aliorum labori relinquenda: nobis ſatis
erit adjeciſſe, ut Parmenſi, poſt victoriam civitatem ingreſſo, uterque
XVI & XL virorum conſeſſus (penes hos tunc ſumma regiminis) grates
ſummas pro laboribus egerint, poſtulantes, uti Bruxellas ad quietem ſe
referret. Facilè intellexit Parmenſis, non ampliùs ſuam ab ijs operam re-
quiri: quare cum in populosâ civitate, invitis habitantibus, permanere
haud poſſet, in Brabantiam revertitur. Inter hæc, abductis in Gallias
hoſtium viribus, conſilium & animum Patres ſumſere tentandi ea, quò
nullis ante hortationibus impelli potuerant. Itaque collectis neceſſarijs,
tantum Mauritio ſubſidiorum contulere (poſtquam integram æſtatem in
extruendo caſtello Cnodſenburgo inſumſiſſet, quia oppoſitam ripam va-
lido cum exercitu tenens Mansfeldius, & tormenta Noviomago inter-
diu & noctu opus interpellantia, progreſſum tardaverant) ut XVIII tor-
mentis Hedelam, Hemertum, Crepicordium, Steenbergam, caſtellum-
que Heidanum, vicina Bredæ ac Sylvæducis loca, ad deditionem compel-
leret, breviore univerſa ſpatio, quàm, ob firmitudinem, ſingula expugna-
ri poſſe Patres ſperaverant.

FINIS LIBRI VIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

EVERARDI REIDANI
ANNALIVM LIBER NONVS.

BREVIARIUM LIBRI.

MOVENS ex hybernis Mauritius, Zutphaniam, Daventriamque in poteſtatem redigit. Inde cum univerſo exercitu paludem, Rouvenæ adjectam, infra Staphorſtum tranſgreſſus, Delfſilâ, Opſchlago, Ementilla, ac Letterberto potitur. Stenovicum tentat, ſed revocatus Knodſenburgo à Parmenſi oppugnato ſubvenit. Hulſtam ac Noviomagum capit. Duæ Bergenſis Comitis filiæ aquis hauriuntur. Fusè exponitur obſidium Stenovici, & Covordæ; quam liberare frustra conatur Verdugus. Eum de caſtrorum ſitu certiorem facit Ioannes Stenovicius. Parmenſis Hiſpanis ducibus diſcors. Turbata regijs in partibus Reſpublica. Mauritius Rhenum petit, adigitque Patres Societatis Ieſu excedere Emmerica. Cliviæ Duces emotâ mente. Eques in agros Colonienſium miſſus ruſticos nonnullos abducit, ut hâc pigneratione prærepta bona reciperet vidua Nieuenarij. Brevi ſpatio moriuntur, Guilhelmus Cliviorum Dux, Chriſtianus Elector Saxoniæ, Ioannes Caſimirus Comes Palatinus, Guilhelmus Haſſiæ, Iohannes Orientalis Friſiæ Comites; Iohannes Argentinenſium Epiſcopus, Parmenſis Princeps, & Suecorum Rex. Antonius Granada ex ordine fratrum minorum, Parmenſis idem Pœnitentiarius, ſtupri pueris illati compertus, in carcerem datur.

cIↃ IↃ XCI. REBUS ex voto fluentibus, tantum Patribus animi acceſſerat, ut deliberari ab ijs cœptum ſit, quo modo exercitu majore, pluribuſque machinis (quæ amnibus devectæ labore & ſumtu exiguo hoſtilibus admoveri urbibus poterant) hoſtem laceſſerent; nec jam arces, aut caſtella, ſed, quod Naſſovio ſuaſum, ingentes civitates, magna peterent operæ pretia. In hæc vigente etiamdum hyeme ſe paraverant. Ut æſtas appetebat, cenſere nonnulli, opperiendum, donec Parmenſis, ut facturum vero ſimile erat, Gallos repetiſſet. Quippe, otioſis Patribus, promtiùs abiturum: qui ſi arma moveant, certam itineri moram. Alij non Parmenſis abitum, ſed ſolum anni tempus ſpectandum, & ſimul per cœli clementiam liceret, movendum ex hybernis dictitantes, prævaluerunt. Etenim maneret, an abiret Parmenſis, utilem Reip. celeritatem; dum expugnentur urbes, aut retineatur Farneſius, ne proſpera Navarri interrumperet, quæ non mediocre momentum Belgarum. Inceſſerat inſuper certa ſpes, poſſe urbem unam alteramve ſubigi, priuſquam ſubſidio paratus hoſtis eſſet. Igitur Zutphaniam circumvallari placuit. Machinæ, in Hollandiâ navibus impoſitæ, adverſo Rheno ſubvehuntur, mox

ſecundo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ xci.

ſecundo Iſalâ defluxuræ: unde ambiguum hoſti Gertrudenbergam, Noviomagum, an Zutphaniam iretur. Cunctis perluſtratis, quantum in ratione erat, compertum noſtri habuere, dies decem, nec longiùs ſuſtinere urbem poſſe. Miles è Friſiâ, Hollandiâ, & Tranſiſalanis terris, juſſus Hattemum convenire a.d. XIV Maij. Cæteros recto itinere per Velaviam ducit Mauritius. Ita XVII Kal. Jun. peditum XVI millia, equites mille ſexcenti ad Zutphaniam convenere. At hoſtis, ſimulatque hybernis noſtros digreſſos accepit, dubitare, Daventriam an Zutphaniam conatibus ſuis deſtinaſſent. Sed quia majoris illa momenti, & ex interceptis Bovillionæi ad Gallorum Regem literis, agitari Daventriæ obſidium cognoverat, exportatum Zutphaniâ pyrium pùlverem eodem devehi jubet; ubique Belgarum cœpta Numine ſecundante. Decimo ſeptimo Kal. Jun. cœptum opus, adgeſtaque humus imponendis ac protegendis machinis. Poſtridie munitione, quæ trans foſſam Iſalanæ portæ objacebat, hoſtes exturbantur, & foſſis oppidi noſtri ſucceſſere. Alterum quod Velaviano latere caſtellum tutando amnis trajectu jacet, biduo ante obſeſſis nullo negotio eripuerant pauci milites, mulierum ruſticarum habitu, militum ſe metu profugiſſe mentiti. Quarto decimo Kal. Jun. noctu tormenta variæ magnitudinis duo & XXX bipartito collocantur adverſus portam piſcatoriam, quæ vallo nudata. Machinas eas navales ſocij attraxerant, quia experiendo compertum, non equos perinde habiles ad celeritatem, atque hoc genus. Obſeſſi ut repente adeo tormenta admota, nec ſpatium ſibi conſultandi, nedum vim parandi datum viderunt; cum invalido præſidio, ingenti mœnium circuitu, non facile munimenta militum coronâ cingerentur; denique & anguſtâ re frumentariâ, ſuaſu centurionum, quorum caput Liaukama, nobilis Friſius erat, ter machinis omnibus exoneratis, prodire ad colloquium nonnullos poſtularunt, & certas conditiones pacti, XII. Kal. Junias (is quintus obſidij dies) cum armis, vexillis, & impedimentis digrediuntur. Abſtulit id obſidium noſtris Joannem Philippum, Valkenſteinium Comitem, juvenem & bellatorem intrepidum, dum animo quàm prudentiâ majore hoſtium nonnullos intolerantius ſub ipſa mœnia perſequitur. Occidit etiam Doveus Grovenſteinius Friſiorum legioni præpoſitus, qui inteſtinas vias ingreſſus, incautè corporis partem nudaverat. Expugnatâ Zutphaniâ conſilium Patribus ac Mauritio fuerat, devectis terrâ machinis, Covordam circumvallare, intentatâ Daventria, ut quæ valentior Zutphaniâ, præſidio mille minimùm ac ducentos milites, præfectum magni nominis, Hermannum Bergium haberet. Sed quia duûm tantum millium à Zutphania aberat, & promtum tormenta, flumine eodem rapere; imprimis quod ſubita Zutphaniæ deditio ingentes progreſſus, & proſpera cuncta polliceri videbatur, Daventriam peti placuit, explorandis hoſtium rebus; &, ſi urbe potiri non daretur, caſtellum amni imponere, coërcendis eorum excurſibus in agrum Velavianum. Duodecimo Kal. Jun. ad urbem ventum eſt: copiæque pars ſupra Iſalam, quem egregio è navibus ponte noſtri junxerant; pars inferius, ubi alter quoque pons navalis amni incumbebat, conſederunt. Quatuor, quinque centuriæ locatæ latere eo, quo Velaviam urbs reſpicit. Rurſum alio tractu ad collem, cui à patibulo nomen, ſedes attributa duabus legionibus. Caſtra univerſa quàtuor caſtella intercedebant, ita ut pedibus equove circuire urbem eſſet. Primis diebus nihil eorum, quæ ſueta oppugnantibus, noſtri tentavere. Non munitiones ductæ, non aggeres jacti imponendis machinis; quoad transfugæ ex urbe, quique vicina loca habitantes à paucis diebus in eâ fuerant, Mauritio retulere, diſtractos contentionibus Germanos ac Walones milites, ob ſtipendia, quæ ſæpe his numerata, illos deſideraſſe dictitabant. Ne urbi quidem à neceſſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ xci. rijs ullo modo proſpectum. His motus, experiri fortunam, & diem unum ſummâ tormentorum vi fatigare obſeſſos ſtatuit. Juvit huc ſpes concepta de præſidio Zutphanienſi, quod Daventriam ingreſſum, non modo non fortius eam defenſurum, ſed & timorem cæteris injecturum rebatur: & volenti Liaukamæ fore, ſi Daventria dederetur; ut ſocietate culpæ ſuum delictum ſublevaret. Ita machinæ duædetriginta Togæ, ad fauces portus, & Marſchæ ſupra Iſalam imponuntur. Separatim adhæc in Togâ quatuor medij generis tormenta collocata, quę, in otio reliquorum, prohiberent, ne onerationi intentos noſtros conſpicere oppidani, aut laceſſere telis poſſent. Tertiò Kal. Jun. ut primum lux albeſcebat, ordine tormenta accenduntur; initio facto ab his, quę Marſchę impoſita: dein è Toga machinę; poſtremo quaternę, quas ſeorſim collocatas diximus, ſonuerunt. Horum violentiâ porta Arenaria, & quę haud procul obtuſiori murorum angulo turris inſiſtebat, convellitur: & ruina erat apta faciendæ irruptioni. Secundâ diei horâ, cum globorum amplius millia quinque effuſa eſſent, educitur in aciem miles: cujus ducendæ ſors Anglis obvenit. Una difficultas ſupererat, in ſuperando portus ore, quinquagenis in latitudinem pedibus patenti. Iniicitur navi pons, quo tecti milites nautæque navigium in portum adigerent, & utrique eum ripæ imponerent. Jamque, deſtinatum in locum inpulsâ rate, proſpere cuncta ſuccedebant, cum intempeſtivus Anglorum calor omnia corrupit. Quippe nihil moræ paſſi, dum adhuc marginibus amnis pons applicatur, inſiliunt, & vehementi impetu ad ripam adverſam ruunt, adeo ut auctor operis inſiſtentium pondere ſuperatus ſolido jungere pontem nequiret. Promtior quiſque præcipiti ſaltu ſe in terram demiſere: tardiùs conantes ad x aut xii in aquas devoluti, flumine hauriuntur. At qui ulteriorem in ripam evaſerant, in his Potterus, centurionis Merkerchi ſignifer, ingentibus animis, & evolutis vexillis in diſiecta mœnium connituntur. Cæterùm ut nullos ſuorum ſuccedere adverterunt, in navem ſe recipiunt. Continenter interea tormenta, non ut ante, ſimul omnia, ſed ordine diſplodebantur, in turres urbis, domuumque ſublimiores, aut feneſtras, unde notabantur emiſſa ab hoſtibus tela. Sed maximè petita mœnium ſtrages, ubi explicata vexilla, & impetum excepturi præſidiarij procul cernebantur. Stabant ij medio inter civium domos, ac lapideum murum ſpatio; cujus avulſa tormentis fruſta, pro telis quoque, & magno oppidano militi damno erant. Nihilominus & animis, & numero validi defenſores, vallum compleverant: nudatique & noſtrorum jactibus patentes, miſſilia ſtrenue ingerebant, admirando cum contemtu globorum, quîs è machinis petebantur. Audaciam eorum ebrietas accenderat: nam Hermannus Bergius, vini, & ceriviſiæ pinguioris cados aliquot, mœnium in ruinâ conſtitui, militemque pro lubitu ſemet implere juſſerat. Ipſum quoque ſemipotum fuiſſe poſt obſidium oomperiebatur. Itaque promtus & ferox ad quævis ſubeunda, donec effuſo, grandinis inſtar, lapidum imbre, in humum proſtratus, affuſis oculorum utrique tenebris, domum deferretur. Signiferi duo, ac totidem nobiles, qui lateri ejus adſtiterant, periere. Tandem noctis interventu machinæ conquierunt. Sed Mauritius, certus prælij poſterâ die redintegrandi, acribus validiſque cuſtodijs pontem ſepſit. Quem cum exitiabilem ſibi præviderent oppidani, eruptione noctu factâ, (nec tamen animis aut viribus, quîs, in tantâ neceſſitate, oportuerat) injiciendo igni, aut univerſæ moli diſturbandæ concurrunt. Fortè Guilhelmus Naſſovius id metuens, ut cuncta adverſum hoſtilem vim firmaret, noctu eò ipſe adierat; quâ curâ effectum, ut, nequidquam tentatâ re, hoſtis repelleretur. Igitur ſpe potiundi pontis dejecti, quum potorum in locum vigiles ſobrij ſucceſſiſſent, non ignari periculi ſui, poſtridie necdum diſpulſis

cIↃ IↃ xcI.

nocturnis tenebris, tympanotribâ in caſtra miſſo, paratos ſe colloqui de urbis deditione ſignificant. Datum ijs, ut Bergius, cum omnibus copijs, vexillis, & impedimentis, diſcederet, & quocumque vellet, ſine injuriâ, aut maleficio deduceretur. Id decimâ die accidit poſt admotum urbi exercitum. Civium nulla in pactis mentio facta; properus, an irâ, Bergenſis prætermiſerat: tamen liberaliter à Mauritio habiti, & urbs à prædatione prohibita. Proxima magiſtratus cura. Lectique in eum Reformati exules numero XVI. Nam ut receptus numerus impleretur, qui tertiâ parte ſuperabat, haud reperti tot noſtrorum ſacrorum homines. His poteſtas facta municipum cuſtodias, è civium potiſſimis deligendi & in verba ſua adigendi. Diſcedens Bergius adeò ademtum ſibi viſum Guilhelmo Naſſovio querebatur, ut agnoſcere quenquam nequiret. Poſt tamen operâ medici, quem Oldeſaliæ agitanti Mauritius Daventriâ ſubmiſerat, oculorum alterum recepit. Is igitur in tabernaculo Mauritij hoſpitaliter exceptus, inter cætera ſermonum ad Guilhelmum Naſſovium jecit, ſæpius & Verdugo, & ſibi adfirmatum creditumque, non eſſe vires Fœderatis, ad cingendam obſidio alicujus nominis urbem; aut juſto cum tormentorum numero movendum ex hybernis. At nunc experiendo diverſa didiciſſe. Subriſit Naſſovius, &, *ſatis*, inquit, *cognate, cuncta veſtra declararant mihi, noxium quondam vobis Geuſiorum contemtum fore. Nec ingratũ eſt ex tuo ore cognoſcere, quàm vera ſenſerim.* Bergius, his auditis, quaſi tantillum dixiſſe pœniteret, ad alia flexit. In urbe, ſimulatque exercitus admoveretur, dictitaſſe Hiſpanum centurionem ferebant, *novam hanc bellandi rationem fore. Oppugnatorem & defenſorem urbis cognatos eſſe: oſtentationi dimicaturos, ſed facilè mox redituram ijs concordiam.* Ea ut Bergio nunciata, altiſſimè penetrarunt, & totâ nocte inter curas exactâ, poſtridie ſacra parari jubet: quo, convocatis ducum ac centurionum cæteris, injuriam ſibi fieri obteſtatur, ſi vel in leviſſima ſuſpicione animus ſuus cuiquam ſit. *Approbabit*, inquit, *incorruptam fidem hæc Creatoris mei hoſtia, quâ veſci, meque obſtringere volo, quamdiu ullus in hoc corpore ſpiritus ſupererit, mentionem dedendæ urbis non facturum. Certe mœnia hæc non ante, quam ex ruinis veſtris manibus elatus, deſeram. Vos etiam hortor, imitamini exemplum, & credite, tum demum utiles vos Principi veſtro miniſtros fore.* Ita ſacramento ſe omnes obſtringunt. Nec vanus promiſſo Bergius, cuncta egregij ducis & militis munia implevit. At non par ſtudium Hiſpano, cui ſumma vigilum cura. Etenim ille ſtante in mœnium ruderibus Bergio, circumire civium ædes, eoſque bacillo ad inſtaurandum vallum compellere haud omittebat, pericula ipſe vitans. Liaukama, Zutphaniæ antea Præfectus, ut Daventria Fœderatorum in partes conceſſit, è veſtigio Coloniam profectus eſt, urbem ab hoc bello otioſam. Et voluiſſe hoſtes comprehendere eum ad reddendam deditionis rationem, ex Verdugi literis pòſt compertum eſt. E noſtris centurio Mekerchus occubuit, domo nobilis, & exſpectationis ſummæ, non ſtrenuus tantùm manu, & belli artibus; ſed ſcientiâ liberalium diſciplinarum, & plurium linguarum inſignis. Extinctus inſuper Douwa Aluwa, nobilis Friſius; & gregariorum cum eo militum centeni in acie interfecti. Etiam pontis architectus, præcipiti Anglorum impetu, qui nec monentis vocem audiebant, nec ſpatium applicandì pontis dederant, nudatâ corporis parte, excuſsâ è mœnibus glande tranſiectus perijt. Haud explicuerit quis urbium Zutphaniæ Daventriæque miſerandam ſpeciem. Deſolatæ civitates, dirutæ diſiectæque domus; civium plerique petulantiam militarem pertæſi aliò demigraverant; quorum diſceſſu vacuis ædibus, evulſa ligna, ferramentaque miles aut vendiderat, aut adverſum hyberni frigoris ſævitiem concremaverat, licet uberrimis ad lignandum campis urbes cingerentur; imprimis Zutphania, ubi domum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ xci. vix tertia quæque violentas manus effugerat. Daventriæ pars tertia corrupta aut everſa: omniumque opinio ferebat, ſi alteram hyemem ſub hoſte manſiſſent, & præſidij numerus augeretur, defuturas fuiſſe domos recipiendo militi. Perinde ac ſi jampridem retinere eas deſperans, Geuſijs vile lucrum, & vix quidquam ullius pretij in ijs relinquere voluiſſet. Captâ Daventriâ tantus vicina hoſtium hybernacula terror inceſſit, ut arcium validarum plures, Rechteram, Schuilenburgum, & Ruinam, quas premendis Campis & Swollæ præſidijs firmaverant; ſimul ut facilius tributa ab agreſtibus incendiorum metu caperent; ultro deſererent, ac ruricolis, quod paullò pòſt factum, diruendas permitterent. Nihil interea de Parmenſi adferebatur, cui inopinanti hanc expeditionem intellectam, & eundem, qui Verdugo Bergioque, animum fuiſſe videtur. Quam ob cauſſam Patres ac Mauritius nihil omnino differendum, ſed utendum victoriâ cenſuere. Id ubi ſedit, ambiguum rurſus, Covordam, an Groningam tenderent. Patres qui arces aut caſtella exigua laboris pretia exiſtimabant, circumdandam obſidio Groningam arbitrari. Hæc urbs maximum ſemper belli trans-Rhenani alimentum; unde ſpes Patribus, ſublatâ radice, oppida minora, & arces caſtellaque deditionem ultro factura: nec hoſti, quando non ſine magno emolumento providere ijs à neceſſarijs poſſet, pretium fore, earum gratiâ expeditionem trans-Rhenum ſuſcipere. Sperabatur quoque, cives, dum ſoli urbem cuſtodiunt, & militem præſidij cauſsâ accipere detrectant, noviſſima Daventriæ Zutphaniæque exempla ſecuturos, ubi valida adeo præſidia nequidquam ſuſtinere tentaſſe viderent. Maximè quòd emporium Groninga, & longinquo feſſa bello, undecimum jam annum mercaturâ careret: nec ſacrorum odio à communi fœdere defeciſſet, aut amore Regis (cujus, præſidio ejecto, auctâ militum ſeditione, & capto qui præerat Billio, caſtellum diſiecerant) ſed ob inveteratum cum Omlandis certamen de legum quibuſdam, quas minuere, & civitati, ſi ad colloquium deſcenderetur, ſatisfacere Patres ſperabant. Diverſa Guilhelmo Naſſovio mens, & promiſſa, facta quum Zutphaniâ Daventriam iretur de oppugnandâ Covordâ, ſimulac illa ſub imperium veniſſet, impleri urgebat. Quippe arx ea & proxima, & in Groningano itinere poſita: ipſaque ratio demonſtrabat, non relinquendum hoſti utilem atque opportunum adeo locum. Et quamvis vicina ejus Verdugus cum militum mille quingentis inſediſſet, qui è caſtellis interrumpere, ac morari operas poterant, non tamen arduum tormentis eos munitionibus ſuis expellere: ſimul frumenti anguſtiæ imminebant, quod pro tantâ multitudine ſubitò nec providere Verdugus, nec Covorda ſubminiſtrare poterat. Accedebat his, quòd ſubjugatâ Covordâ, multò minus negotij adverſum Groninganos ſupereſſet. Quippe acceſſibus Parmenſi intercluſis, omnis ſpes liberandæ urbis præcidebatur. Prævaluit tamen de Groningâ conſilium, jutum potiſſimum eo, quòd graves ſumtus tormenta terreſtri itinere Covordam deportandi Patres refugerent: ſimul verebantur, ne Parmenſi, expeditionem trans Rhenum paranti, Covorda obſeſſa pro ſtimulo foret; ſpe cogendi in campis patentibus ad prælium Mauritij: contra ad Groningam, nulla hæc, multò aptiore ibi ſolo ponendis caſtris, accipiendiſque operibus. Augebat has commoditates facilitas ſubvectionum. Igitur eâdem veſperâ motis caſtris Meppelam ventum eſt. Is Drentæ locus, habitantium copioſus, opibuſque & mercaturâ florens, jura ac locum oppidi jam olim obtinebat. Diſperſi per agros numeroſi armentorum greges vagabantur: quippe habitantes utrimque tributarij, utrimque in fidem accepti, ſimul redemtione tutelæ ac belli malo circumveniebantur. Et protervus miles rapere, trahere, mactare pecudes, niſi pretio redimerentur. Luxus tantus erat, ut parum manipulo, quin &

quaternis

quaternis aut quinis militibus una beſtia videretur: itaque ſinguli ſingulas CIↃIↃ
poſcere, & membris delicatioribus, quæ ferre poſſent, reſecatis, cætera ca- XCI.
nibus præda erant. Motis deinde caſtris, plerique carnium onere impediti & feſſi, etiam has abjecere. Sic uno alteroque unius militis prandio bos perierat, & paſſim carnibus itinera conſternebantur. Facile hæc adſpectantibus ratio occurrebat, cur magni ſæpe exercitus, eorum præſertim Regum, qui laxâ militem habent diſciplinâ, frumenti anguſtijs premantur primo, denique & ultro pereant: cum miles, rei familiaris prodigus, totos ſæpe tractus exhauriat, & lixas, injuriæ ac periculi metu, à caſtris avertat. Mauritium hæc male habuere, & omnibus prohibere modis nitebatur: ſed haud ſubito revocari diſciplina poterat, ægreque milites, licentiæ ſub Præfecto priore adſueti, ſeveritati ſe priſtinæ ſubjiciebant. Roldæ, qui Drenthani agri pagus, nonnulli equitum, qui agmen præceſſerant, ædibus ruſtici direptis, ipſum glande è tubo excuſsâ affixerant. Quod ubi Mauritio nuntiatum, repente inflari tubas, & ducum ſuam quemque colligere turmam, ac univerſos ordine vulneratum agreſtem, ac ſceleris teſtes, tranſvehi jubet, quo indicium autoris facerent. Sed flagitij reus habitu mutato, ſive occultatus à Præfecto, an indicare verito agreſti, impune tulit. Eam ob cauſſam, quocumque exercitus adijſſet, diffugere ruricolæ, & abactis quam longiſſime poſſent armentis, opum cætera ſecum abducere. Hinc primis diebus magna in caſtris ad Groningam penuria, donec è Friſiâ naves appellerentur. Jamque huc res reciderant, ut autores obſidij ſuaſiſſe pœniteret. Adeoque metum ſeditionis incuſſerat inopia frumenti, quo abundaſſet miles, ſi ſecure ac tuto ſuis in ſedibus manere rura colentibus licuiſſet: quippe & voti illis, & ſtudij ſatis adverſus urbem. Hoc, ut exemplum, retuli. Diſcant Principes coërcere licentiam militarem, non honeſti ſolùm cauſsâ, aut quia ſic Numen voluit, quo vis atque injuria ab innoxijs prohibeatur; verùm & neceſſitatis: cum annonæ ipſe ſuæ corruptor miles, & ſubverſor ſit facultatum, ſine quîs deſtinata nunquam adſequaris. Incedebant jam noſtri per agrum Drenthanum, cum nuncij Mauritio attulere, Verdugum mille quingentos milites Covordâ in ſuburbium Groningæ Schuitendipam tranſtuliſſe. Dubium moverit copias, quòd Covordæ obſidium metuens includi ipſe nollet, an Groningæ ſervandæ ſtudio. Igitur obveniſſe caſus videbatur circumvallandæ Covordæ. Sed impoſita navibus tormenta Auſtrali ſinu devehebantur, ut lectis Friſiæ litoribus, per vada ad Soltcampum, Reidanumque ſinum Groningam pervenirent. Mutatis à Verdugo caſtris, nova conſiliorum Fœderatis materies. Et diſputatum, an vi adoriri urbem expediret: quæ licet hactenus milites haud accepiſſet, tamen urgente neceſſitate, propinquos, & ſub urbis portas conſidentes admiſſura videbatur; & utut durarent in priſtinam ſententiam oppidani, milites ipſi, juvantibus, quibus animus & vota pro Hiſpano, penetraturi in civitatem credebantur. Quod non Fœderatis modo ſpei exitium, ſed ingens circumjacentibus terris damnum attuliſſet. His de cauſſis exercitus Helpæ, tormenti majoris jactu à Groningâ continebatur. Ubi nihil tentatum, niſi, quod leve, velitationes à noſtris hoſtem invitantibus. Neque ceſſabant oppidani creberrimis globis, (nam machinarum ſumma ijs facultas) caſtra laceſſere. Eodemque tempore miſſus à Verdugo, ac Frederico Bergio, tubicen ad Mauritium, quæſiti nuncij ſpecie. Is ad primas excubias quum acceſſiſſet, præfectorum incuriâ in media caſtra ad ducum perductus tentoria, opportuniſſimam habuit occaſionem ſpeculandi, quo in loco ij tenderent. Nec mora, vix illo in urbem reverſo, creberrimis tormentorum jactibus ea caſtrorum pars infeſtata, nullo tamen memorabili damno. Complura caſtella, & validiora è lapide templa, quæ in Omlandiâ, Oldeamtâ, ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ Drentano agro præſidijs ante firmaverat, impoſitis alibi xxv, aut xxx, aut
xci. xl militibus, nunc Verdugus deſeruit, exceptis quatuor, quæ poſtea à no-
ſtris capta, infra demonſtrabitur. Sola Slochtera majori digna præſidio
habita, claudendæ arctius Groningæ, ut ſuprà oſtenſum. Ibi cùm penuriâ
aggeris munitiones excitare non daretur, relicti milites centum cuſtodiæ
templi: cui annexa turris eâ firmitudine, ut mediæ molis machinarum glo-
bos ſine noxâ exciperet: cœmeterium circumducta lorica defendebat. In-
ter hæc ſuper Groninga conſultantibus, nuntij retulere, Parmenſem copias
cogere, interrumpendis Belgarum ſucceſſibus. Haud dubia res viſa, quin
Groninga omitteretur: quòd civitas ea, auxilij ſpe erecta, fortius quemvis
latura caſum videbatur: & facile hebdomades tres quatuor, ſi tanto ſpatio
ad expeditionem opus Parmenſi, ſuſtinere poterat. Guilhelmus Naſſovius,
ne omnis exſors gloriæ exercitus abduceretur, proponebat, quamvis ex-
pugnandæ Groningæ tempus effluxiſſet, ſupereſſe cogendis ad deditionem
omnibus caſtellis Omlandorum; quâ re arctè adeò undique Groningam
claudi, ut multò pòſt facilius ceſſura eſſet. Impenſe omnibus id conſilium
placuit. Itaque poſt ſextum diem quàm Groningam ventum, Delfſilam
mota caſtra. Præſidebant cohortes duæ, trecentorum ſingulæ militum;
quos Groningani magiſtratus ſcripſerant, ſuoque ſuſtentabant ære; diffi-
dentiâ in Verdugum, cujus in manu caſtellum id, maximum urbis momen-
tum, eſſe haud volebant. Foſſæ præaltæ, in ſpatium centum extendeban-
tur pedum. Mœnia firma, excelſaque, quatuor propugnaculis cunei in for-
mam procurrentibus, ſed haudquaquam juſtæ magnitudinis. Maximè ob-
ſeſſis detrimentoſus agger, arcendo mari jactus, ad ipſa mœnia pertinebat,
ut aquarum ab agris vim prohiberet: & defixo ſudeto claudebatur. Expoſi-
tis in terram machinis, neque collocatis, nedum diſploſis, appellati de de-
ditione obſeſſi, conditiones accepere, & xxi Julij die, cum vexillis, armis,
& ſarcinis Groningam proficiſcuntur. His comites dati equitum non-
nulli, qui in itinere ab injurijs incolumes præſtarent. Auſi tamen duo da-
tam fidem abrumpere, & capitis tegumentum unus, alter pugionem militi
hoſtili eripuit; non inultâ Mauritio perfidiâ: nam uterque laqueo extinctus.
Præfecti, ut Groningam venere, pertinaciâ militum, dedi caſtellum flagi-
tantium, ſemet purgavere. Iique omnes ignominiâ notati, ſine ſtipendio,
ſine miſſionis literis dimittuntur; duodeni comprehenſi, capite daturi pœ-
nas. Etiam Præfectorum uterque cuſtoditus, ut publicè factorum ratio-
nem redderent. Alter eorum Tiardus Herema erat, cujus milites, abſen-
te eo, Soltcampum dediderant. Delfſilæ momentum addebant agger &
portus, Emdano opportunitate multo præſtantior. Hinc quicumque re-
tinere in poteſtate Omlandos & Groningam Principes voluere, eum muni-
re locum ſuæ duxerant curæ. Ita anno, qui ſæculum decimum quintum
clauſit ab Edſardo Orientalis Friſiæ Comite factum; ita à Carolo Geldriæ
Duce. Albanum quoque initio Belgicorum motuum, urbem Marſpurgi
nomine id loci extruere agitantem, rerum commutatio, & brevitas impe-
rij, præpedivere. Nec ignarum id Guilhelmo Naſſovio, qui Præfecti ti-
tulo Omlandis præerat. Quare architectis caſtrenſibus in conſilium adhi-
bitis, Cornputij maximè ſententiam ſecutus, novam ibi extruere urbem
aggreditur, eâ mole, ut quandocumque videatur, modicum haberi empo-
rium poſſit. Agger, quo mare propellebatur, circum mœnia, in modum
viæ ad latebras jaculatorum, opertæ, circumductus; ut infirmitati, quam
ante caſtello annexus adferebat, occurreretur. His conficiendis quinqua-
ginta florenorum millia Omlandis imperata, ipsâque eâ æſtate hucper du-
ctum opus, ut latus Septentrionale, qua aquas reſpicit, defendi quiret. Al-
terum, Femerſumum verſus, apertum manſit, niſi quòd leviculè & perfun-
ctoriè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ctoriè munitiones obductæ: an Femerſumum eodem opere complecte- cIↃ IↃ
rentur, deliberandum ſumſere. A Delfſilâ Opſchlagum exercitus ductus. xcI.
Is locus remotiſſimâ Omlandorum parte, quà Friſijs admoventur, poſitus
eſt; ut diverſo latere, quo Orientalis Friſia ſpectatur, Delfſila jacet.
Opſchlagum Verdugus muniverat, ut incendij metu tributum Friſijs ex-
torqueret, ac Nienſilam à mari excluderet. Eoque prætoriam ſuam co-
hortem cuſtodire locum juſſerat, præfecto, vicariâ poteſtate, Johanne
Quenoio de la Ville, nobili Lutzenburgenſi. Et ille quidem nihil eorum,
quæ egregio duce digna, prætermiſit, exſpectato donec tormenta admo-
verentur. Sed vim eorum operiri abnuerunt milites, qui, cum validas urbes
induiſſe jugum audiviſſent, verebantur, ne ad extremum ſuſtinentibus pacis
conditiones negarentur. Igitur veniam corporibus pacti cum armis &
omni inſtrumento a. d. xxv Junij exivere. Quenoius à noſtris detentus,
donec Juſtus Matthæus, caſtrenſis architectus idem, & centuriæ Vicarius,
libertati redderetur: cui ad Groningam ſuas in manus delapſo Verdugus
redemtioni modum nondum præfiniverat: quod architecti ſimul munia
fungeretur. Sed quoniam ejus mentionem fecimus, haud prætereundum
videtur, ut Verdugus bis Juſtum, ex ædibus præfecti capitalium rerum ad
ſe accerſitum, inter varia ſermonum ad exuendam fidem ſollicitaverit.
Quod cum alter exiſtimationi ac juramento ſuo adverſum dictitaret, *Equi-
dem*, ſubjecit Verdugus, *accuratioribus id à te precibus contenderem, niſi in m?-
tum eſſet mihi, brevi imperio decedere. Itaque id curæ ſucceſſor habeat.* Firma-
bant hos ſermones Verdugi ad Parmenſem literæ, quîs dignitatem in aulâ
petebat, ut honeſtâ præſcriptione Groningæ præfecturam deponeret. Quo
impetrato Bruxellas profectus, dimiſsâ miniſtrantium turbâ, prorſus vete-
rem vitæ tenorem mutavit. Etiam in Hiſpanias cogitaverat; ſed diſturba-
tum id, obſeſſis inſequente anno Covordâ, ac Stenovico; quo tempore,
Tranſiſalanos adijt, non ſponte ſuâ, ſed quia excuſaturo juſtus obtentus de-
erat. Nam proculdubio Groningæ imperium faſtidiebat, ubi numquam
dicto audientem populum habuerat. Et, ut erat humanarum rerum vir
peritus, exiguum hinc aut honorem aut gloriam ſperandam ſibi prævide-
bat; ac Regem, Gallico diſtrictum bello, terras longè adeo trans Rhenum
remotas tutari nequaquam poſſe. Opibus etiam, imperij tempore conge-
ſtis, ingraveſcente jam ætate per otium frui exoptabat, ſi votis ejus parem
fortuna exitum dediſſet. Sed experiendo ipſe didicit, non perinde præru-
ptis montium digreſſum, quàm adſcenſum facilem eſſe: & ignarum ſæpe
hominem pertingere eo, unde demittendi ſe ſpes nulla ſit. quomodo Ma-
ximiliano Cæſari uſu venit, dum ad Æni pontem Gempſios per ardua loco-
rum intolerantius conſectatur. Ita Verdugum ex gregario milite eò faſti-
gij fortuna perduxerat, quod Belgarum primoribus ſolis ſperare auſum,
conferrique ſolitum. Unde, periculoſis temporibus, nunc abdicare ſe inte-
grâ exiſtimatione nequibat. Opſchlago Ementillam itur. Caſtellum id
quà operum cultu, quà munimentis, longè reliquis Omlandorum caſtellis
præcellebat. Condiderat Guilhelmus Naſſovius: dein hoſtis ſpatio ac pa-
lis foſſam, mœnia in ſublimè & latum auxerat. Duæ centuriæ, ſed dimi-
diatæ, præſidebant: quarum altera erat Hermanni Bergij. dirigebat Heſ-
ſelus Gentius, primo noſtrorum adventu ingentis animi ſpeciem præferens:
ſed admotis tormentis, tertioque diſploſis, donec mœnibus diſiectis irrum-
perent noſtri non diſtulit, ipſiſque Kal. Julijs factâ deditione ſine armis &
impedimentis abijt: nam vexilla Groningæ erant. Captâ Ementillâ, Let-
terbertum reſtabat, quem locum Frederici Bergij miles cuſtodire ſolitus,
nunc quoque dimidiam ibi centuriæ partem habebat, quando plures an-
guſtiæ non admitterent. Quippe exiguitatis adeo ſpernendæ erat, ut &

 indignum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ XCI.

indignum præſidio Bergij, & exercitus oppugnatione haberetur. Nihilominus morari biduum opus fuit, donec tormenta adducerentur. Quæ ſimulatque exonerata, defenſores ſimul omnes conſcenſo vallo, telorum vim ingerunt, ut onerari machinas prohiberent. Augebat audaciam ijs indulgentia Mauritij ſemper facilis in dandis pacis conditionibus. Contra Albano, & Hiſpanorum ducum alijs uſitatum, ſine miſericordiâ ullâ in patibulum tollere, quicumque invalidis adeò locis pertinacius inhærere auſi, obſeſſoribus ſuper ſumtus, temporis quoque jacturam adferrent. Ut tertium tormenta ſonuere, deditionem offerunt, gladijſque accincti abiere. Mauritius etiam impedimenta miſeratione ijs condonavit. Non erat Guilhelmo Naſſovio pretium, firmare præſidio Letterbertum, & ſolo æquaturus fuerat; ſed obſtiterunt aſſidua poſtulata Friſiæ Patrum, qui præſidium in eo limitibus ſuis rati, æs offerebant faciendis munitionibus. Igitur munitus locus opere ac milite, cui Adolphus Meieringus imponitur. Exterius viam ad jaculatorum latebras tectam Naſſovius circumdedit, vallique & loricæ latitudinem protulit. quâ re multò majores intus anguſtiæ erant, ita ut grumi penè ſpeciem caſtellum præferret. Expugnato Letterberto exercitus præter Nienortam (ultro à Frederico Bergio deſertam) per Septemſylvanam, Drenthamq́ue, Stenovicum iter habuit. Evenit eo itinere, quod memoria non indignum, referre libet. Ruſticus in cacumine prææltæ quercus, ubi ſpatium cavitas arboris dabat, pecuniam, tutiſſimâ, ut rebatur, cuſtodiâ, condiderat. Quam eodem enixus militum unus reperit, ſuſtulitque, admirantibus, qui caſus hujuſmodi, familiares militibus, veneficijs, aut malis artibus adſcribunt. Sed in tantâ quærentium multitudine vix quidpiam latuerit. Sæpe vicinus invidiâ theſauros vicini prodit: ſæpe ipſi poſſeſſores, dum nunquam metu carent, adeunt locum, inſpiciunt, perſcrutantur, ſuoque indicio ipſi ſibi mali cauſſam adferunt, callido milite talibus obſervandis. At Mauritius Haveldæ, horæ à Stenovico itinere, metatus caſtra, urbem cum turmis aliquot ipſe adijt, ut loci naturam, ubi legiones, ubi tormenta collocanda, cognoſceret. His exploratis, inſtructo agmine progreditur. Ut montem attigere, cui ab Epiſcopo vocabulum, ſubſtitit exercitus, & ducibus luſtrandi ſtudio catervas obequitantibus, properis Cancellarij Senatuſque Geldrici literis certior fit Mauritius, Parmenſem copias ſuas in Betuam inſulam tranſmittere, ut Knodſeburgo potiretur. Id caſtellum contrà Noviomagum ſuperiore anno inchoatum; neque adhuc eo perductum erat, ut menſem, aut hebdomadas ſex, hoſtium ſuſtinere vim poſſet; non exiguo Reip. detrimento; quippe Stenovicum in poteſtatem venturum brevi nullus ambigebat. Unde apertum, nequaquam ſemper ubi parcimoniæ, ibi & Reip. conſuli. Etenim ſi ſuper factos ſumtus florenorum tantum millia XII expenſa fuiſſent, urgere deſtinata, & celerem de Stenovico ſperare victoriam licuiſſet. Quod poſtea tantis munimentis hoſtes firmavere, ut impenſarum, militum, operum decuplo amplius fuerit adhibendum. Igitur confeſtim in Geldriam ituros pronunciatur. Guilhelmus Naſſovius legionem ſuam in Friſiâ tenuit: quippe nudatæ Verdugus imminebat cum militibus mille quingentis, qui numerus captis ex locis ad eum confluxerat. At multitudo de induſtriâ ordinatam ita aciem ſibi perſuadebat, ut commilitones quiſque ſuos ſalutarent, abituri quò ſua quemque imperia traherent. Mauritius repetito per paludem itinere, quieti non ante indulſit, quàm Arnhemum attigiſſet: & caſtra Weerdæ, oppido Betuano, adpoſuit. Inter hæc jam tormenta adverſus obſeſſos Parmenſis diſpoſuerat, facili opere, ob aggeris opportunitatem, quem retro impune machinæ promovebantur; & deſtinatum in locum perductis, ſolum aggerem ſcindi opus erat. Jam quaſſatâ graviter loricâ, ingentem ſarmentorum faſciumque

vim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

vim congeſſerat, & propugnaculorum uni operibus ſuis ſuccedebat. cIↄ Iↄ XCI.
Præfectus Gerardus de Jong ob expertam virtutem, partaque decora varijs obſidionibus, univerſo præſidio imperitabat. Tamen verebantur in Senatu nonnulli, ne ad deditionem neceſſitate compelleretur, adeoque dubitatum in Senatu, utrùm ſignificatione ignium in ſpem auxilij arrigendus foret: forſan enim inani ſpe, animosè extrema quævis laturum, & in exitium ſe, militeſque ſuos adducturum. Seſquihoræ intervallum utrumque exercitum dirimebat. Nonnulli Bommelæ ad Vahalim, ſemihoræ ſpatio ab hoſte poni caſtra ſuadebant: faciles ibi ſubvectiones, & hoſtem amnis tranſitu, (nam ponte navali deſtituebatur) ſaltem ne tormenta abduceret, prohiberi poſſe. Alijs id, velut periculoſum diſplicere: ergo ad Arnhemum permanſit exercitus. Unde Mauritius, cum nonnullis equitum turmis, ad hoſtium caſtra contendit, tentaturus an invitatu emiſſariorum pertrahere eos in inſidias poſſet: nam jaculatores in ſiccatis æſtu foſſis abdiderat. Proſpereque adeò res ſucceſſit, ut quinæ haſtatorum equitum turmæ, & in his prætoria ipſius Parmenſis, interciperentur. Alphonſus Davalus, Magiſter equitum, cum alijs ducibus ac centurionibus Hiſpanici generis, ſimulque Parmenſis vexillum, noſtrorum in manus recidere. Fuga tamen cæde major, dum capere quam perimere hoſtem, ſtudium noſtris intentius eſt. Etiam jaculatores ex inſidijs ſe celerius, quam par erat, oſtenderant. Eâ clade atque ignominiâ acceptâ, & pluribus in comportandâ materiâ militibus amiſſis, interque eos Octavio Mansfeldiæ Comite, Parmenſis, deſperatâ Knodſeburgi expugnatione, amolitur exercitum, & trans amnem properat; & quia præſidij amplius accipere obſtinatè recuſabant Noviomagenſes, invitos milite onerare auſus non eſt; veritus ne Sylvamducis, Groningam, Venlonam, & quæ aliæ civitates præſidio vacabant, ſibi alienaret. Ergo in Brabantiam remeans, Noviomagi Geleinium relinquit cum tribus centurijs, quarum duæ à magiſtratu urbis ſcriptæ. At Hiſpanis impendio probatus hic Parmenſis abitus, jactabantque velut egregium prudentiæ ſpecimen: quippe ſummo in diſcrimine ſuas res fuiſſe palam profitebantur. Fœderati paullò pòſt militem in hyberna diſtribuunt, ut ſolutus metu hoſtis dimitteret in præſidia ſuos. Inter hæc Verdugus adſumtis tormentis aliquot Slochteram circumſidet: nam eo itinere intercluſo, quæcumque Emdâ, aut ex Orientali Friſiâ venirent, magnis ſumtibus, & longiſſimo præter Covordam itinere, neceſſario ſubvehebantur. Diſploſis machinis, quas Verdugus ternas tantum mediæ formæ adduxerat, id ſatis patrandæ rei exiſtimans, obſeſſi hoſtem contemſere: & adductis Groningâ majoribus tormentis, pro pœnâ laboris fuit, quod non niſi inermibus præſidio abire datum, clementiores leges negante Verdugo. Cætera quæ noſtri ceperant caſtella, Delffilam, Opſchlagum, Emmetillam, ac Letterbertum, intacta reliquit. Ineunte Septembri Mauritius conquiſitis neceſſarijs, in Flandriam exercitum rapit, tantâque celeritate ſubvecta navibus tormenta Hulſtæ admoventur, ut oppidani præventi, & conſilij inopes, deditionem, ante tormentorum vim, facerent. Id quarta & decima Septembris die actum. Waſianus ager præda militi datus, donec ab habitantibus legati ad Patres, cum promiſſis ſolvendi tributi, mitterentur. Verùm ſimulatque deductus eorum agris exercitus, relictis in cuſtodiâ apud Patres legatis, præſidium Hulſtanum agris ſuis arcere conati, ſtipendium recuſavere. Mauritius in Hollandiam feſtinabat: quippe longius in hoſtile ſolum delapſus, quò omnes mox vires convertere Parmenſis poſſet: nec ipſi dimidium copiarum, quîs Zutphaniam Daventriamque expugnaverat, ita ut imprompto regreſſu navium nonnullas, quæ ab æſtu derelictæ ſubſederant, temporis anguſtijs aquarum

acceſſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ acceſſum præſtolari prohibitus, incenderet. Sic dimiſſus iterum exercitus hyberna vix attigerat, cum convocati rurſum præfecti centurioneſque XCI. Noviomagum properè cum tormentis omnibus deducuntur. Acceſſit his Guilhelmus Naſſovius cum XII Friſiorum centurijs. In urbe frumenti, & neceſſariorum anguſtias eſſe, nuncij attulerant. nec ægre cives ob detrimenta machinis è Knodſeburgo domibus ſuis illata, Zutphaniæ, Daventriȩ, aliorumque locorum exempla ſecuturos; in primis nunc, poſtquam Parmenſis infirmitatem edocti, quem ſui cauſsâ majoribus copijs expeditionem ſuſcepturum deſperarent. Machinarum pleræque adverſum Hoenerianam (id portæ nomen) diſpoſitæ, ubi mœnium pars vallo nudata. Reliquæ trans amnem in Betuâ collocantur. quâ parte è mœnibus, ſupra cæteræ modum altitudinis eductis, deſuper ruinam intrantibus tela ingeri poterant, & univerſum id latus ita concuſſum, ut propugnandi cauſsâ in vallo conſiſteret nemo. Quo viſo Geleinius, ac magiſtratus, deditionem certis legibus fecere ante decimam Octobris diem: & ſequenti, miles cum ſignis, armis, ſarcinis Graviam abiit ad Verdugum, cui illa hoc tempore ſedes. Nam turbatis uſque adeo rebus Geldriæ quoque præfectus erat: incertum, ambierit ipſe, ut honeſtiori ſpecie Groningæ ſemet imperio abdicaret, an Parmenſis ultro obtulerit, quod nullum aptiorem putaret; ſeu ſpecie honorum, majori curarum onere gravaturus. Id certum, averſum Parmenſis animum ab Hiſpanis ducibus, horum ab illo alienatas mentes fuiſſe. Paulloque pòſt interceptæ (penè fatali ipſius malo) Verdugi literæ, quîs Regi ac Mondragonio Antverpianæ arcis præfecto haud obſcurè obiecerat, quicquid cæteri aſpernarentur ſuæ committi curæ. At Noviomagi centurijs ſex, & turmis equitum duabus Naſſovius impoſitus. Inter pacta cum oppidanis fuit, ut Mauritius, donec bellum hoc duraret, magiſtratus diligeret, nec magiſtris collegiorum S. Nicolai quidquam juris aut ſuffragij in Rep. foret. Impulerat huc potiſſimùm Guilhelmus Naſſovius, cui gnarum, ſæpius plebis imperijs turbatam Noviomagi Remp. ideoque regiminis formam, quâ Geldrorum cæteræ civitates habebantur, Noviomagi quoque obtinere cupiebat. In Geldriâ plerumque Senatus perpetuus, (quem idcirco hȩreditarium nuncupant) adminiſtrare Remp. ſolet, neque plebi in deligendo eo ſuffragium eſt. Non tamen quidquam Senatui decernere in gravibus rebus licitum, niſi ſenioribus plebis in conſilium adhibitis. At miſerandum ſpectaculum immanes tormentorum globi fecerant, convulſis cultiſſimis quibuſque domuum: hinc & civium egeſtas, & inopia ſupellectilium. otioſi quippe à mercaturâ, ab agriculturâ, alijſque id genus, cives, inſtrumentorum omnia, poſtremo veſtem, lectos, vaſa domeſtica conſumſerant. Ipſorum magiſtratuum adfirmatione intellectum, vendita culcitarum tria millia, atque in Hollandiam delata eſſe. Modium frumenti (quales ibi octodecim vehem implent) florenis XXXIV veniiſſe. Hæc cauſſa, quòd urbem exhauſtam, majori onerare prȩſidio Parmenſis non potuerit. Ipſum certè rumores dictitâſſe ferebant, mirari ſe, quo fato redactȩ ſub imperium Regis civitates vaſtȩ ſubito deſertȩque jacerent, & mercaturam amitterent, cum Fœderatorum in oppidis, inter medios armorum ſtrepitus inoffenſo curſu negotiatio procederet. Hic noviſſimus labor anni XCI fuit, quo plurimum gloriȩ Mauritio apud ſocios, apud hoſtes, apud exteros Principes acceſſit. Erantque in eo tria laude an admiratione majori digna, ambigas: ſumma celeritas in diſponendis tormentis, & munitionibus faciendis, qualem noſtra tempora non vidiſſe, vetuſtiſſimorum quoque ducum, & magni in caſtris uſus, confeſſio erat. Id verò incredibile omnibus viſum, cum exercitum, equites, curruſque & impedimenta paludes trajecit, nec de ullo unquam priorum ætatum memoriâ proditum. Poſtremo quinque menſium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

menſium ſpatio vaſtus ille machinarum apparatus, huc, illuc circumlatus, tã cIↄ Iↄ
propero ex una gente in alteram tranſitu, per immenſa locorum ſpatia. Sic xci.
captis Daventriâ, Zutphaniâque, ex trans-Iſalanâ ditione Groningã ac Delfſilam adijt; quod iter nuntijs, compendia viarum ſequentibus octodecim millibus paſſuum, & longiorum cenſetur. Hinc Groninga Stenovicũ trans-Iſalam inde momento pene Noviomagum in Geldriam venit. Mox trans mare Hulſtam, & præcipiti autumno, obortoq; gelu, iterato Noviomagum decurrit, nullâ re tentatâ, quin patrarit. Nam Groninga & Stenovicum intactæ fuere. Erunt fortaſſis, qui omnia hæc fortunæ incertis tribuent: ſed ignari illis aſſidui labores Mauritij, ac Guilhelmi Naſſovij; ignaræ pervigiles curæ, induſtria, ſobrietas, conſilijſque tranſacti dies. Qui virtutes utriuſque, & nihil in alios ab ijs rejectum cognoverit, quod exſequi ipſi poſſent, ut multis ducibus ſolitum, qui per mollitiam ipſi atque otium agentes, laboribus exercitum onerant, haud dubiè diverſum faciet judicium. Itaque ingens illa geſtorum gloria apud Germanos ac Gallos, Principis nomine Mauritium auxit, quondam ob id vocabulum Liceſtrio inviſum: unde nec alio deinceps agnomento nobis memorabitur. Exeunte Novembri, Maria, Bergenſis Comitis vidua eadem, & Arauſionenſis ſoror, quæ una ex domo Naſſovia adverſas partes ſequebatur, Ulftâ arce profecta, in itinere, rupto ponte, in veterem Iſalam effunditur. Filiarum, quæ duæ natu majores, Guilhelma & Juliana, cum nobili virgine, in ejus conſpectu flumine hauriuntur. Mater ipſa inhorruit metu, & letalem morbum è lapſu in amnem contraxit. Eo qui ſecutus eſt
anno xcii (ſæculum decimum ſextum agebatur) adverterunt Patres, ſum- cIↄ Iↄ
mam rei gerendæ opportunitatem, dum captæ urbes, Zutphania, Daven- xcii.
tria, Noviomagum, Delfſila, cæteraque Omlandorum caſtella, conatus omnes ſublevant, & quantum pro Fœderatis, tantum adverſus hoſtem opportunæ ſunt. Accedebat, quòd diſtractus belli Gallici mole Parmenſis, Rothomagenſibus, ab Navarreno obſeſſis, ſuccurrere ſtatuerat: & quamvis ereptâ urbe exercitum in Belgas reduceret, minor tamen metus infirmi & fatigati militis. Igitur diſpicere Patres, quò potiſſimum vires verti è re foret. Hollandi in Gertrudiſbergam trahebant, vicinam ſitu, & Hollandiam Zelandiamque inter commeantibus gravem. Navigatione autem & mercaturâ quum maximè Fœderatorum res ſtarent, vindicandum pelagus, admotaque ei loca præ cæteris in poteſtatem redigenda. Geldri, Friſij, & Tranſiſalanæ gentes, bellandum ab ripâ Rheni, quæ ortu proxima, & victoriam, ubi ſuperiore anno conſtitiſſet, perſequendam contendebant. Pòſt, parte illâ in tuto locatâ, nec ullo metu, nequa hoſtis perrumpat; poſſe virium quidquid omnibus ſit in Brabantos verti. Vicit tandem hæc ſententia, quòd promtiùs Parmenſi in Brabantiâ, quàm trans Rhenum, ſuis ſubvenire. Et Friſij auxilio militum tria millia offerebant, ſi bellum haud procul finibus ſuis gereretur. Nam aliò ſi iretur, neceſſariò militem domi retinendum aiebant. Ingentes hoſti copias eſſe ad Groningam, Stenovici, & Covordæ: & facile illi mille octingentorum militum manu in Friſiam irrumpere, incendere pagos, & omni clade belli cuncta pervaſtare. Tanto impenſiùs conſilium id probatum, quòd cæteræ conjunctim nationes paullò amplius quatuor militum millibus conficerent. Itaque augendis Friſiorum ſubſidio viribus, Stenovici, eorum finibus propinquæ, decreta obſidio. Simulac urbi exercitus admoveretur, Friſij parati æris florenorum millia xxx coëmendis neceſſarijs, currus centum, tormenta majora tria, mediæ formæ ſenas machinas, pulverem pyrium, & globos, faciendis bis mille jactibus promiſerunt. Parem dein ſummam æris, currus ducentos, quando expugnato Stenovico Covorda circumvallaretur. Patribus haud viſum ſupplementum copiarum ſcribere, etſi duo millia deceſſerant exercitui:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ XCII. nam denas Belgarum, & totidem Scotorum centurias, Rothomagum Philippus Naſſovius, ſubſidium Gallis duxerat. Tantùm juſſi centuriones, equitumque præfecti, ſuorum quiſque plenum habere numerum: nonnullis qui centenos hactenus milites duxerant, his dimidium ejus numeri ut adjicerent imperatum. Scriptæ adhæc equitum turmæ quatuor. Ita pedites univerſus exercitus octeis mille, equites mille quingentos habuit. Machinæ varij generis quinquaginta; quarum eò major numerus, quod & hæ, & utilia cuncta, naves exiguo ſumtu Stenovicū conveherent. His ita comparatis, denuo ex Auſtrali Hollandiâ nonnulli (nam Boreales, quorum à Stenovicenſibus ſæpe naves infeſtatæ, in obſidium conſenſerant) de Gertrudenbergâ interpellare, dicereque, Stenovicum omnium, quas orientali ripâ Rheni hoſtis teneret, urbium validiſſimam eſſe. Et jam à Julio menſe præteriti anni, ex quo exercitus Fœderatorum diſceſſiſſet, neceſſaria quævis tolerando obſidio hoſtes congeſſiſſe: integrum anni ſpatium operibus conſumtum, inſtaurata mœnia, vallum in latitudinem pedum XL adgeſtum, novis propugnaculis urbem firmatam. Præſidium validum, mille lectiſſimos milites, florem regij exercitus defendere: tormenta, pyrium pulverem, alias belli neceſſitates proviſas, metum injicere, ne vanis conatibus, tota æſtas pereat, & occaſiones cum tempore elabantur. Guilhelmo Comiti, Friſijſque ſperatum pretium quaſvis difficultates leves facere. Hæc Hollandi: at Geldri & Tranſiſalanæ gentes, quod in Zutphanienſi ditione, & Twentâ locorum reſtaret, expugnari inſtabant. Invalida ea, & neglectum providere neceſſaria: at expugnatis illis, arduum hoſti, ſi laborantibus ſuis trans Rhenum ſubvenire conetur, amnem tranſire. Stetit tamen ſententia de oppugnando Stenovico, multùm Guilhelmo militum ſcientiæ confiſo, quos fodere ac ſuggredi oppida, cavatis per terram itineribus inſuefecerat. Demonſtrabat idem, quamvis arduam, & laboris ſummi oppugnationem, quinque aut ſex ſummùm hebdomadis patrari poſſe. Hinc terrorem circumjacentibus præſidijs; ſed non illis captis aut metum Stenovico, aut gloriam Fœderatorum exercitui addi. Quintodecimo Kal. Junias ad urbem ventum: quod repræſentari, & duabus hebdomadis maturiùs fieri potuiſſet: ſed ægre Zelandi tributa extra ordinem pendebant, quando procul finibus ſuis bellum gereretur. Quibus perſuadendis, Mauritius ipſe gentem adierat. Stenovicum, terrarum trans-Iſalam extrema, & Friſijs proxima eſt civitas. Ad Orientem ſolem, & Auſtrum cultus ager, editoque ſolo, aperitur, & longiſſimè patet. Ab occaſu & Septentrione humilia, apta tamen paſcendo pecori prata jacent. Portam torrens præterlabitur, qui in Drentanis ortus, Auſtrali ſinu ad Blockſilam miſcetur. Ejus aquas foſſæ urbis trium pedum altitudine ſuperabant, unde extractam molis aquam, in illas derivare neceſſitas compellebat. Urbs ipſa exigua; & platea, quæ ab una ad alteram portam pertinet, pedibus mille quingentis paullò longior eſt. Boreali latere ad rectam normam extructa mœnia, nullis defendebantur propugnaculis: ne augere quidem, aut reparare vallum hoſtes curaverant, dum ſecuros ſe eâ parte à tormentis, ob humilia camporum, arbitrantur. Cætera urbis dimidiati circuli ſpeciem ferebant. Orientali portæ validum adjacebat propugnaculum. geminaque ad Onnigerianam & S. Spiritus viſebantur, at minora. Sed quod Sylveſtrem portam tutabatur inſigni magnitudine & robore erat. Circumducta urbi foſſa ſpatio, & altitudine egregiâ; præruptis ripis ardua noſtris. Boreali latere, ubi depreſſi agri, non eadem ratio. Foſſæ via præducta, quam à latebris jaculatorum, occultam vocitant, opportuna faciendis eruptionibus. In foſſam adactus ordo vallorum, tranſcenſuros morabatur. Pedi mœnium agger alter, quem ſuccinctum appellant, obducitur. Defenſioni urbis pedites mille, equites levis arma-

armaturæ LX erant. Dirigebat Antonius Coquellius, Lamotij vicarius, & CIↄIↄ XCII.
Waterdikæ Toparcha, nobilis Brabantus. Principio obſidionis muri pars, cum infixo vexillo, nullo impellente, ultrò in foſſam devoluta: quod notatum ut mali in obſeſſos ominis. In caſtris tanta cibariorum copia erat, ut equites ſenis in diem aſſibus, jentaculum, prandium, cœnam, & Delphenſem cereviſiam, quæ pretij majoris, redimerent. Primo triduo, cæteris crebro imbrium lapſu præpeditis, duplici vallo adverſus externum hoſtem, & obſeſſos, caſtra communita. Mox aperti ad urbem cuniculi agi cœpti, operarum ſenis, aut octonis, nonnunquam pluribus, aliàs paucioribus quottidie pereuntibus. Duodecimo Kal. Jun. emiſſus ex urbe globus Guilhelmi Naſſovij tergum ita adflixit, ut licet haud erumpente ſanguine, ſpiritus arctè ægreque mearet. Biduo pòſt à noſtris, duabus medij generis machinis, aquatilis mola pervertitur; & obſeſſis ademta facultas aquas in foſſam urbis transfundendi. Quartâ & viceſimâ ejuſdem menſis die, Verius Eques, dum in itineribus inteſtinis cohortandis laborantibus adſiſtit, crus tranſigitur: quo vulnere totam ferè obſidionem lectulo affixus jacuit, non ſine operum intertrimento: quippe certabant in eo diligentia, ſobrietas, & belli uſus, magnæ virtutes. Poſtridiè Juſtus Matthæus, architectus Friſiorum, jubente Mauritio, erigere collem adverſus portam Onnigerianam cœpit: accrevitque octidui ſpatio in altitudinem pedum viginti. Faſtigij ſpatium ſexagenûm, longitudo decem minùs pedum erat. Ima devexo leniter colle, longius latiuſque extendebantur. Quo impoſitæ machinæ mediæ formæ quatuor, proturbandis vallo defenſoribus. Eo conſcenſo Mauritius, dum inter gerras urbis ſitum proſpectat, maxillam glande tranſactus; ſed, læsâ tantum carne, brevi valetudinem recepit. A latere collis hujus inſtituta turris lignea, in modum mobilium, quîs uſa antiquitas, turrium, triginta pedes adſurgens. Faſtigium loricâ, validâ adverſum ictus jaculatorum, cingebatur. Cætera ex tenuioribus perticis, & ſervatis inter ſingulas intervallis, compacta: ut adacti ex tormentis globi, aut innoxij tranſirent, aut quod reſiſteret debile eſſet, unaque tantum pertica abriperetur, quod citra concuſſionem totius molis fiebat. Nihil tamen hoſti in turrim eam tentatum, pulveris pyrij ad alia indigo; an quod machinarum adminiſtri ob celſitudinem turris parum tuto conſiſterent loco. In turri tria tabulata, ſingula denûm in altitudinem pedum erant: quæ, ut lubitum, attolli aut demitti poterant. Hinc ne tenues, quas diximus, perticæ, in latus alterum irent, proviſæ cuique contignationi octonæ è ligno cruces Burgundicę: quarũ duę (erant autem è ligno tenui, prout cætera) ſingulis lateribus applicatæ, univerſum opus ſuſtinebãt. Pro clavis adhibitæ cochleæ, ut diſſolvi, auferrique, turres poſſent: etiam notę impreſſę, quo ſingula aptanda, aut inſerenda oſtendebant. Turris ipſa quadrata, æqualia inter ſe latera habebat, ima XXIV, ſuprema XVIII pedum latitudine. Interea diſpoſitis gerris bini aggeres ſuſtinendis tormentis jacti, contra Orientalem portam, & Sylveſtrem. His confectis, cum ſinuatis per terram itineribus ad viam, quâ pro foſsâ jaculatores hoſtium velabantur, nondum ad foſſæ marginem perventum eſſet, agitatum de urbe tormentorum vi fatigandâ. Guilhelmus Naſſovius differendum cenſebat, donec aggeris, quo jaculatores hoſtiles occultabantur, potiti, ad foſſam penetraſſent. quippe hanc, niſi illo ſuperato, compleri, & non impletâ, irrumpi in urbem nequire, ob prærupta riparum, unde ægre ſe miles demitteret, & plus aſperitatis niſui in adversâ ripâ, ob altitudinem, oſtendi. Contra Carolus Lævinus, Famarſię Toparcha, idem & armamentario præfectus, contendere, ſi ſuggeſtis excitatis, quinquaginta ſimul tormentis oppidum concutiatur, pavorem tantum fieri obſeſſis poſſe, ut reſiſtendi ſpem abjiciant. Quæ ſententia vicit, tertiaque Junij die pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIɔ Iɔ xcii. pugnacula Orientalis ac Sylveſtris portæ ſummâ vi impetita: frons utriuſque, punctim extans, cum loricâ, diſiiciuntur. Ad ultimum tamen compertum, impetu urbem invadi nequaquam poſſe, cum valli altitudo non exigua ſupereſſet: quippe tectum occultâ, quam jaculatores inſtiterant viâ, trium tantum aut quatuor pedum ſpatio infra loricam noſtrorum jactibus patebat, eoque major pars intacta à globis: dein foſſę præaltę, & infeſta lateribus noſtrorum propugnacula, & ſuccinctus. Obſervatum quoque temerè machinas in propugnaculum Orientale converſas, quòd validum id, & tecto itinere defendebatur, ita ut inferiora nullis obnoxia tormentis, & vallo paucis modo infra loricam pedibus vis inferri poſſet: vereque caſtrenſibus architectis adfirmatum, nequidquam illâ parte munimentis inſultari. Notata dein culpa in tribunali, quod medio valli objectum, ingerendis tranſverſim globis, contra opinionem architectorum, qui propugnaculum Orientale, & angulum mœnium juxta locandum cenſuerant, quo univerſum valli ſpatium globis ſuis machinę emetirentur. Cæterum & hic Famarſij conſilium meliori prælatum. Hunc in modum obſeſſi incaſſum tormentorum imbribus laceſſiti, & florenorum millia plus centum, inutiliter profuſa, Mauritij attrita fama, hoſtium ſublati animi. Quîs ex eo pro ludibrio tormenta haberi, & ipſo intellectum experimento, non ſine cauſſâ ignavorum terrorem Hiſpanis ea nuncupari. Certè fatendum eſt, ſi terrea mœnia, & propugnacula miles defendat, qui vires & uſum eorum rectâ æſtimatione metiri, & ad omnes caſus providè occurrere didicerit, plus in ligone ſpei, quam tormentis ſitum eſſe. Prælio paratæ legiones in apertis proxime urbem cuniculis ſtabant, flagrantiſſimo pugnæ deſiderio accenſæ. A quingentis retro paſſibus turmatim equitatus camporum tutelæ relictus, aliquot poſt concuſſam urbem horis loco non recedebat. Mauritius interea, quid è re eſſet, ambigens, conſilia cum ducibus communicabat. Hinc dedecus, ſi nullum tanta machinarum tonitrua prælium ſequeretur; inde militum, quos in aciem educeret, pericula obverſantur. Tandem in ſtativa quiſque ſua revertuntur, triſtes, aut irati; & ſentire pleriqúe, ut non Albanus Harlemo, non Parmenſis Trajecto ad Moſam machinis fatigato, factâque irruptione, potiti fuerant, ſed tędioſâ obſidione, multum temporis conſumſerant; ita longos ad Stenovicum labores longa obſidij tędia fore. Mira, variaque audiri judicia, non multitudinis imperitę modo, ſed eorum etiam, qui magni ſe in caſtris uſus jactitabant. Maximè tamen remotiores, ut tormentis quinquaginta (ſummâ Fœderatorum fiduciâ, qui nihil reſiſtendo fore rati eſſent) non plus profectum cognovere, mirari ſatis haud poſſe. Jam Verdugus, jam cæteri hoſtium duces, qui primo Oldeſaliæ, Grollę, alijſque infirmis oppidulis pręmetuentes, de obſeſſo Stenovico gratulati inter ſe fuerant (ut compertum ex literis interceptis) freti urbis munimentis, quam inexpugnabilem, & egregiam Coquellio parandę glorię materiem hîc prębitam rati; in opinione confirmabantur. Hohenloius qui in Hollandiâ curandis Brabantiæ limitibus relictus, palam dicere, male conſuluiſſe, quicunque Stenovici oppugnandi autor fuiſſet. Jam ante annos decem urbis robur ſemet expertum; ex illo novis munimentis firmatam. Haud dubiè fruſtra fore, inceptaque ingloriè & cum dedecore omittenda. Quin & Galliarum Rex apud Philippum Naſſovium jecerat, dolori ſibi, quòd non ſaniora Mauritius conſilia ſecutus fuiſſet: ſuo ſe experimento edoctum, quàm arduum, quàm magni laboris forer, urbem pręſidio & munimentis validam expugnare. Fruſtra forſan univerſam æſtatem ad Stenovicum ab eo conſumendam. Similia in bellico Regis Senatu jactata, ad Mauritium ex aulâ Gallicâ perſcriptum eſt. Non tamen ideo aut ille, aut Guilhelmus Naſſovius, animo ſe dimiſere, ſed quod tormentis parum ſuc-

ceſſerat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ceſſerat, alia aggrediuntur viâ. Militum ſingulis, ad quos excubandi ordo
redierat, ligonem ac vehiculum tradunt. Annonam pars, pretium alij pro CIↃIↃ
mercede habuere. Primoque cavata per anfractus itinera ad opertæ viæ XCII.
loricam perducta. Eam qui protegebat agger, viri in altitudinem editus,
quâ parte campos reſpicit, ſenſim devexus in planitiem deſinebat, & foſſo-
res quinûm aut ſenûm tantùm pedum intervallo ab hoſte dirimebantur. Id
factum, ut, quando opus, perfoſſo aggere, coopertâ viâ hoſtis exturbare-
tur. Eâque ratione ad Orientalem & Onnigerianam portam patrata res:
quarum utraque validum murum, ex imo foſſæ, latere ac cæmento edu-
ctum habebat; foſſaque per feneſtellas, quamdiu recto alveo fluebat, de-
fendebatur. Nam ad Onnigerianam duæ majores, ad Orientalem quatuor
medij generis machinæ in apertis cuniculis diſpoſitæ; quarum ora, perfo-
rato quod diximus intervallo, viam opertam ſimulque foſſæ ripam contin-
gebant: earum vi utraque è lapide porta dimidiæ diei ſpatio diſiecta. Dein
foſſa compleri, defendente operas loricâ, alijs humum ſubvehentibus: &
diu noctuque opus continuabatur, inſpectante hoſte, ut terra injiceretur:
laborantes, quia non cernebantur, impune perficiebant. Ad Onnigeria-
nam, & Orientalis portæ propugnaculum, pari modo ad foſſam deventum,
per hanc vineis deſuper & utrumque latus tectis vallo propinquatum.
Valde hæc opera celerabantur, ne noctium quidem ſilentio ad laborem in-
termiſſo, ſummâ Guilhelmi Naſſovij induſtriâ. Is primâ luce, is multo ve-
ſpere, ſocium ſe periculorum operis addere. Etenim jam ab annis aliquot
exercito in his milite ſuo, contendebat, ut veterem Romanorum Græco-
rumque morem revocaret, quibus repertum exercitus ad labores cogere,
non modò vincendis urbibus, quæ alioqui inexpugnabiles, ſed adverſus
otium caſtrorum, & quæcumque hinc oriri ſolent, luxum, laſciviam, ſedi-
tiones. Hoſti noſtrorum opera turbare non tentatum; ſed convitijs, ut de-
generes, impetere, qui olim milites, nunc agreſtium munera fungerentur.
Subinde & ignita in eos miſſilia jaculatus eſt: inter cætera currum ſtrami-
ne, ſtuppâ, pice, ſulphure, pyrioque pulvere inſtructum, mœnibus aliquan-
do devolvit, in locum quem frequentes operæ impleverant: fiſtularum in-
gentem numerum adjecerat, quæ oneratæ, ſimulac ignem materia com-
prehendiſſet, glandes, telaque eructabant; cæterùm vix memorando de-
trimento. Eruptionibus, quo nihil illi ſalubrius, jam ab exordio obſidionis,
abſtinuerat, militem urbe continens. Damna ſuorum, & ne capti ſitum ur-
bis ac munitionum proderent, verebatur. Nec ratione id aut prudentiâ ca-
ruit, quatenus majori damno ſuo unum obſeſſa urbs militem perdat, quàm
commodi capiat denis oppugnantium conciſis: cum his ſarcire damna de-
tur, illis non liceat. Cæterùm ubi nulla ſuper alia reſiſtendi eſt via, ſatius
periculo militum nonnullos exponere, quàm parcendo certam exſpectare
perniciem: cujus manifeſti obſeſſi, quando inoffenſi cœpta exſequuntur
oppugnantes. Eo tamen tempore eruptiones tentare, & ſerum hoſti, & in
arduo erat, amiſsâ viâ coopertâ: cujus haud ſatis uſum intellexiſſe videba-
tur; qui potiſſimus, ut eruptiones tutius ac breviori itinere à militibus fiant.
Quippe à tergo ijs univerſus foſſæ ambitus, patentis portæ inſtar, receptum
præbet, quo pedem referre laxatis ordinibus poſſunt, ut premere invicem,
aut proterere nulla neceſſitas adigat: tum & ſubitò conſiſtere, & hoſtium,
qui cupidiùs patentibus campis inſectantur, miſſilibus petere: cùm erum-
pentibus hi, qui ex vallo propugnant, pro tutela ſint. Adfirmabant caſtren-
ſes architecti facile fuiſſe hoſti, ſi occultâ viâ uti ſciviſſet, bimeſtris ſpatium
noſtros à foſsâ prohibere. Ita Aldenardæ præſidium aſſiduis eruptionibus,
ſolo viæ coopertæ auxilio, undecim hebdomadas Parmenſem foſsâ arcuiſ-
ſe: quamvis præſidio ibi infirmiore, valentiore hoſte, quàm ad Stenovicum

CIↃ IↃ XCII. noſtri. Expertique ſubinde ejus utilitatem Stenovicenſes erant, non improſpero ſucceſſu, unde cætera conjectare in proclivi. Etenim aliquando digreſſus eâ miles, harpagone armatus, in noſtrorum acceſſus, quis urbi propinquabant, penetraverat: mox propius ſuggreſſus, vexillo, loricæ caſtelli infixo, uncum injicit, ſpe manubrij complectendi. ſed haud ſatis protenſo harpagone, partem vexilli avellit, & ſubito in occultatam ſe viam recipiens (nam tricenos tantum pedes aberat) tollere harpagonem, & vexilli fruſtum, tanquam reportatis ab hoſte ſpolijs, quatere cœpit. Alias XL milites acceſſus Friſiorum irruperant, quorum clamore excitis Friſijs, & arma expedientibus, hoſtium duo procurrentes, defixum indidem vexillum rapuere; uno tantùm è noſtris duplario milite occiſo, qui vexillum ſervabat, obverſis in hoſtes manipularibus: ſed illi eruptionem eo ſolùm fine ſimulaverant, ut vexillum avellerent; quo ablato repentè in viam occultam revertere. Nocte quæ ſeptimam Junij diem præceſſit, hoſtes magno numero, candidis induſijs amicti, triginta milites ex centuriâ Olthovij, cum ipſo duce occiderunt, qui ſub veſperum potus ad excubias, eoque incautiùs abierat. Ita paucis ante diebus Guiihelmus Guilhelmi, quo non alius in Friſicâ legione plura fecerat ſtipendia, dum oneratus mero, & periculorum incurioſus ſine armis excubat, glande è tubo excuſsâ perierat. Quod militibus exemplum ſit, ut à potu temperent, & armorum onus, quàm perniciem malint. Hæc præter è viâ coopertâ nihil noſtris detrimenti illatum: plus dare hoſtis potuerat, ſi, quâ audaciâ cætera exſequebatur, eâdem prudentiâ hujus momentum æſtimare ſciviſſet. Viſum iſta perfunctoriè in tranſitu attingere: monuerat nos locus, & mentio viæ coopertæ (quam perperam vulgò accipiunt pro aggere, qui eam protegit) ob frequentem ejus uſum, & varia multorum judicia. Nunc cætera exſequar. Nocte, quæ ſextam Junij diem excepit, ducenti milites, è Groningæ, Covordæ, aliorumque locorum præſidijs delecti, duce Ricquino Santenio, per paludes, Boreali urbis latere, inter caſtella Hollandorum in urbem penetrarunt, tanto ſilentio, ut vigilum, quorum raræ ſtationes ob inundatos campos erant, nulli id ſenſerint. Mauritius ipſe, cùm proculcatum gramen veſtigia proderet, X, aut XII, non plures tranſijſſe homines rebatur; donec deditâ urbe rem cognovit. Propinquabatur interea urbi cavis per terram, & per artem ſinuatis itineribus; quæ à portâ Orientali in Septentrionem ibant: ubi ſolum, naturâ humile, cives, qui prædia ibi ſuburbana habebant, privato ære aggeſſerant. Hæc eo impenſiùs feſtinata, ut omnis deinceps aditus in urbem, & exitus intercluderetur. Duo caſtella, lunæ ſpecie, quando medium orbem implet, adverſum noſtros, dum obſidentur, pro foſsâ oppidani excitarant. Horum unum quum operibus ſuis noſtri attigiſſent, hoſtemque opprimere agitarent, ſponte ab eo deſertum, nocte quæ decimum Junij prævenit diem. Pridiè Ludovicus Bergius, dum temere ſupra loricam caput effert, glande trajectus occubuerat. Nec multò pòſt, alterum quoque caſtellum neceſſariò hoſtes deſtituere. Jam parata omnia erant rurſum vexando machinis oppido, & irruptioni, ſimulac paullò altiùs diſiectum eſſet vallum. Nam completæ foſſæ tranſitum dabant. Nondum tamen plenè conſummati cuniculi erant, quîs mœnia ſuffodiebantur, ad Orientalem portam, & ſubter Onnigerianæ propugnaculum. Tum denuo Lævinus Famarſius, & cuniculariorum præfectus, includi pyrium pulverem, & quando irruptio facienda, incendi ſuadebat: paria ſentiente Mauritio. Diverſa Guilhelmi Naſſovij & caſtrenſia doctorum opinio, qui anceps id putare, nec certum, utrùm ejecta humus in obſeſſos recideret; poſſe retrorſum impelli, & lapſu oppugnantium opera, militemque opprimere. Addebant, id ſi differretur, recipere in ſe, tridui labore, Orientali propugnaculo (quod diſiici & ſolo æquari alijs

placebat)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

placebat) duo defixuros tormenta, & intima urbis quaſſaturos. Quo caſu
editum eſſe propugnaculum, quam cuniculi impetu abripi, præſtabat. Cæ- cIↄ Iↄ
terum vicere, qui incendi poſtulabant. Cuniculus xxx in longitudinem xcii.
pedes ſubter propugnaculum porrectus, ingreſſu primo unus & continuus
erat; mox utrimque in ſpatium diffundebatur ſpecie literæ T. Recondita
in eum dolia xxx adaperta, quorum ſingula nitrati pulveris pondo ad v mil-
lia capiebant. Aditus ingeſtâ humo occluſus, adactiſque trabibus aſſeri-
buſque, qui opus firmarent, ſtipatus eſt. Hâc canalis inſertus, quatuor clau-
ſus aſſeribus, perque eum ſparſus pulvis pyrius. Alteram in curam vaſa
omnia fune circumventa, cujus extremum, extra cuniculum, loco ſubterra-
neo, vigiles obſervabant; quo ſi contrafodiendo detectos cuniculos, & ho-
ſtem vaſa cum pulvere tollere conantem ſenſiſſent, ignem canali, qua pul-
verem diſperſum diximus, injicerent. Antrum quod ad portam Onnige-
rianam, anguſtius priore; neque ei ultra bis mille ducentas libras pyrij pul-
veris incluſæ. Præterea altera è ligno turris, & major, inſtituta mille ac du-
centis ac urbe paſſibus, ut extra pericula operæ adminiſtrarent. Tabulata
ſeptem, ſingula decem pedum celſitudine erant, & prioris exemplo ex per-
ticis tenuioribus compacta: id modò diſcriminis, quòd pro quatuor angulis
totidem huic columnę, cruris admodum craſſitudine erat. Machina univerſa
ſex rotis inſiſtebat, quæ altæ pedes ſex, latitudine ſeſquipedali erãt, ne ſciſsâ
humo in altiorem orbitam depreſſa turris hæreret. Latera ima pedum ſex
& triginta, ſumma viginti quatuor erant. Utraque vero turris inter ſe con-
gruebat; ut, ſi altitudo hujus non ſuffeciſſet, majori ſuperimponi minor
poſſet, & tunc ſimul ad centeſimum pedem exſurgebant. In majori con-
tignatio ſuprema, quæque huic proxima, cingebatur validâ è robore loricâ,
impenetrabili miſſilibus jaculatorum. Etiam rotis aptatæ è ligno orbitæ,
quîs exactè reſponderent, ne calloſâ humo offenſa aut ſubſultans machina
concuteretur. Itaque ubi incederet, poſteriores ſemper orbitæ ſublatæ à
fronte ſubſternebantur. Fabros, operaſque quæ huic operi incumbebant, à
militum concurſu jactum eo fine caſtellum tutabatur: etenim omnis illuc
exercitus confluere, curâ humani ingenij, ad viſendum; quorum pars mira-
ri ob novitatem, cæterum laudare, pars multo major inridebat. Turrim col-
ligatis catenæ nexu globis ſubinde hoſtis petijt: ſine ullo aut commodo ſuo,
aut operis detrimento: ſeu quòd ob inſtabilitatem exactè id genus globi li-
brari nequeant, ſeu quòd longinquitate loci intermiſsâ vi, in curſu defici-
ant. Opinio erat, manſuram in loco turrim, donec impetum oppugnantes
in urbem facerent, quo ſubitò tunc adactâ, ſpatium hoſti præcluderetur,
quidquam contra eam auxilij excogitandi: ægreque eo caſu mœnium rui-
nas aut vallum inſiſtere hoſtes potuiſſent; quippe nudi imminentibus deſu-
per noſtris, qui tuti ab omni tuborum diſcrimine ſtabant. Ne tormenta
quidem vallo impoſita faſtigium turris contingere, aut tuto adminiſtrare
eorum præfecti poterant. Cæterùm Mauritius cupiditate cognoſcendi, an
retro Orientale propugnaculum, quà invadere urbem decreverat, novas
obſeſſi munitiones ſubjeciſſent, nocte quæ ſeptimamdecimam Junij diem
ſecuta, admoveri turrim, & in acceſſibus noſtrorum proximè urbem locari
jubet, plus æquo properus. Alioqui Cornputius, turris autor, muniendum
primo aggere latus impellentium adversùm obſeſſos exiſtimaverat, ut ſi vis
inferretur, tutò reducerent. Temere quoque turris cominus ad urbem
acta, quod per flexus faciendum, quo directis in eam tormentis declinare,
ac dimoveri extra jactum poſſet. & neceſſario tunc mutanda hoſti tor-
mentorum ſedes fuiſſet: nunc rectâ regione promota turris eripi nequibat:
quippe quæ, licet retro abducta, nunquam in latus alterum deflecteret. Si-
mulatque urbi turris ſucceſſit, Juſtus Matthæus, caſtrenſium peritiâ inſi-
gnis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ XCII. gnis, noctu conſcendit, & quamprimum diffugere nox cœpit, non modò munimenta facta, ſed & propugnaculum firmis ſudibus defixis ſeparatum aſpexit: ſequi dein vetera urbis mœnia, haud ſpernendâ altitudine: quîs propugnaculum molis inſtar adhærebat: ita ut perrumpere eâ parte non niſi multorum periculo militum daretur. Quæ ut nuntiata Principi, lætus, tametſi non aliud è turri utilitatis caperet, haud fruſtra impenſas factas dixit. Interea datum hoſti ſpatium, tormenta (poſtquam temerè in vallo locata, & nullius adverſus turrim uſus intellexit) reducta in urbe ſtatuendi, & tranſverſis aut catenatis impetendi globis, cæterùm damno, ut quiſque miraretur, exiguo; nonnunquam unâ, aliàs nullâ perticâ, ſæpe feſtucâ tantum avulsâ. Verùm ut conſtet, cur reduxerint machinas oppidani, ſcire opus, facilius longiore intervallo, quã è propinquo, faſtigium turris peti. Quo etenim longiùs receditur, mollitur ſpatio præruptus & acclivis globorum adſcenſus. At non idem adverſus minorem turrim remedium fuit, quæ triginta pedes ſublimis, poſitis in plano oppidi tormentis, collimantibus haud cernebatur. Tertio decimo Kal. Junij Coquellius, miſſo tympaniſtâ, conditiones ſcribi petijt, quîs urbem in deditionem accipere Mauritius vellet. Ille abnuit, abjecto, ſi cordi res Coquellio foret, centuriones mitteret, qui audirent. Jam medium diei exactum, & veſpera propinquabat, quando rediret ad ſuas tympanotriba; unde poſteram in diem dilaturum Coquellium noſtri rebantur, ne feſtinando in famam peccaret. Nihilominus adulto jam veſpere regreſſus tympaniſta, poſtridiè Coquellium primâ luce Centuriones miſſurum in caſtra nuntiat. Tum acceſſere Duvallius, Mombeckius, ac Ricquinus Santenius, qui cum recenti milite in urbem venerat. Obſidum loco è noſtris urbem ingreſſi Adrianus Aſſueri Friſicæ legionis, Petrus Dorpius Hollandicæ Tribunus, & Bouckius, gente Britannus. Oblatum obſeſſis, ut ſine vexillis inermes digrederentur, ac jurejurando promitterent proximis ſex menſibus ſe arma pro Rege non laturos ijs in tractibus, quæ Rheno ad ortum jacent. Dura hæc obſeſſis viſa, ſed negavit Mauritius, quidquam ſe remiſſurum. Igitur bis in urbem regreſſi Duvallius, Mombeckius, Santeniuſque, re cum Coquellio deliberatâ, non accipere ſe renuntiant. Urbanè ij in tentorio Mauritij Principis excepti; nec minùs liberaliter noſtri obſides in urbe. Et inter varia ſermonum, ut ferme in talibus, inridere inter ſe, quæ quiſque fruſtra tentaviſſet. Imprimis tormentorum inanem vim, & fodiendi laborem noſtris hoſtes objectare. Dictitabantque aliquando finem his fore. At ubi ad manus res deducta ſit, experturos, an cum imbellibus res eſſet. Inſecutâ nocte milites trecenti pars Covordæ præſidio, alij ex centuria Hermanni Bergij ſuburbio Groningano deducti, munus ſuſceperant, eodém, quo priores inceſſerant itinere, nitratum pulverem, ſaccis è corio incluſum, in urbem deferendi. Quos cum vigiles ſenſiſſent, atque ad arma conclamaretur, confeſtim ſe illi diſperſere. Centeni ex primo agmine in urbem pervenerent incolumes. Nam uno urbis latere, quà in ſeptentrionem vergit, opera noſtri intermiſerat. Cum ijs quoque centuriones, Heſſelus, Twickeliuſque, evaſere: cæterorum capti ad centum: qui ſuperabant, per paludes effugêre: quidam inſequentibus noſtris cæſi. Hoc patrato, ſuſpicio inceſſit, conſultò quæſitum à Coquellio colloquium, ut remiſſioribus deditionis ſpe excubijs, facilius in oppidum miles perrumperet. Alij excelſo turris faſtigio perculſum rebantur, unde ſexcentorum in longitudinem pedum infeſtari mœnia poterant, pateſcentibus quicumque vallum inſtiterant, ad jactus noſtrorum in turri militum. Fuere qui explorando Mauritij animo factum crederent. Inter hæc conſummatis jam cuniculis a.d. XXIII. prælio cuncta parabantur. Veſpera, quæ præceſſerat Guilhelmus Naſſovius, convocatis in tentorium ſuum Tribunis centurioni-

turioni-

turionibuſque, quo ordine rem gererent, ac alter alteri ſuccederent, edocuerat. Et ſpei plenus deſtinatis potiundi, tria maxime curare eos juſſerat. CIↃIↃ
Ut militem ad ſigna ordinibus ſuis retinerent, nec niſi exploratâ victoriâ, XCII.
prædari paterentur. Nullis majoribus natu, nullis impuberis ætatis, vim inferrent. A fœminarum virginumque ſtupris temperarent. Tranſverſos tramites, quibus ad urbem noſtri accedebant, libratores compleverant. His proximi, qui duplicato merebant ſtipendio, in ſtationem ſe abdiderant confeſtim dato ſigno advolaturi. Equitatus turmatim diſtributus intra jactum tubi minoris ſub ipſa mœnia ſtabat: nam tormentorum nullus metus, quæ deducta vallo, mediâ urbe adverſus majorem turrim hoſtes conſtituerant. Fuitque & hoc inter cætera turris commoda. Friſij ad Orientale propugnaculum, Britanni & Ultrajectini cum nonnullis Hollandorum centurijs, ad portam Onnigerianam, ubi alter cuniculorum, convenire juſſi. Ad Sylveſtrem Hollandi. Inter hæc dum omnibus momentis prælium obſeſſi exſpectant, auxeruntque eam opinionem factæ ex compoſito velitationes, quò frequentiores vallum complerent, cuniculi accenduntur. Qui ſub Orientali propugnaculo erat, confuſo fragore, & horrendo boatu edito, caliginoſam nubem, intermicantibus rubro cæruleoque colore radijs (haud ſecus quam inferorum ſedes deſcribi ſolent) in ſublime eructat, ligneamque turrim, & qui proximè aſtiterant Friſiorum milites operuit. Nec mœnium fragmenta ulla, ſed immenſa pulveris & ſordium vis in obſidentes acta, ita ut miles, relictis operibus, pedem referret. Sed vulneratus aut aduſtus nemo eſt, cum non lapides verum humus volitaret. Obſeſſi è ſuis non plures uno amiſere, qui in fronte propugnaculi excubabat: hujus ne minutiſſima quidem portio reperta. Cæteri eminus prælio parati ſtabant: quippe gnarum ijs de cuniculo; quo magis mirari libet, non conatos contra fodiendo nitratum pulverem abripere. Majori damno ad Onnigerianam cuniculus fuit, quamvis minor. Is ingentibus fruſtis mœnium & valli abruptis, cuncta in obſidentes devolvit, ac triginta & duos noſtrorum militum obruit: in his Marnixium, Sanct-Aldegondij filium, qui Olthovio in centurionatu ſucceſſerat. Cunicularij ad defenſionem ſui adferebant, latuiſſe ſub vallo vetera urbis mœnia, quîs illiſa & repercuſſa cuncta retrorſum cecidiſſe. Incenſis cuniculis, continenter jaculatores ex inteſtinis itineribus obſeſſos glandibus laceſſere, tubis in loricam, ejuſque feneſtellas directis. Numero quatuor mille erant, qui nunquam otioſi implendis aut exonerandis tubis occupabantur. Hinc quam denſi miſſilium imbres effuſi ſint, conjectare promptum. Nec tormenta ceſſare, quorum globi loricæ nonnuſquam inſtauratæ, & templi turri (unde ab obſeſſis noſtri petebantur) aut ipſi propugnaculo ingruebant, partim demoliendo illi, partim hoſti, qui explicatis vexillis inſtiterat, depellendo. Nec levia damna illata: inter cæteros ſignifer vexillum quatiens tormenti globo abreptus. huic alter ſucceſſit eodem munere fungens: quem ſimiliter extinctum tertius pari fato excepit. Idemque vexillum uno die quartus ſignifer habuit, ut poſt deditionem ipſi fatebantur oppidani. Primus eorum Othonis Santenij, præfecti militaris, filius erat. Etiam M. Elſtius Frederici Bergij ſignifer, manu vexillum tenens, cui impreſſa ſpecies fortunæ globo inſiſtentis, machinæ globo abreptus. Per idem tempus Verius Eques tantum priſtinæ valetudini propinquarat, ut equum conſcenderet. Is itaque in ſuggeſtum, Onnigerianæ oppoſitum portæ, quæ illi attributa ſedes, ſe contulerat; mandandis quæ ex uſu viderentur. Eodem ſe loco illum diem Mauritius tenuit. Et huc uſque prælium noſtri, fatigandis tantum hoſtibus ſimularant: cæterùm priuſquam ad manus veniretur, præmittendi erant, qui mœnium & cuniculi ruinas inſpicerent. Ad portam Orientalem jam ante è turri lignea conſpe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ xcii. ctum, propugnaculum quidem expugnabile, in urbem tamen ob vetera, editaque mœnia, & adactos palos penetrari non poſſe. Nihilominus Naſſovius qui ſpeciem jam jam propugnaculum cõſcenſuri ſimulabat deturbando hoſti, tria id loci vexilla defixerat. Cæterùm ſpei ſumma illi, à latere, quod Septentrioni obverſum, propugnaculum ſuperandi, quod intactum tormentis, foſſæ aquarum plenæ, neque compleri à noſtris cœptæ, denique lorica, & vallum integra, ſecurum ejus hoſtem, & ſegniores vigilias fecerat. Jamque ei loco cum centurijs tribus Caſparus ab Euſum deſtinatus, pontem habebat novâ & incognitâ arte ita fabricatum, ut quartâ horæ parte foſſæ injici poſſet, quò, dum averſis lateribus ad pugnam cuncti concurrunt, celeriter ipſe trajiceret. Quippe nullum univerſo hoc latere propugnaculum; infixi foſſæ valli, præterita jam nocte pars convulſi erant. Hæc Guilhelmo Comiti agitata. Diversâ parte, Eques Verius duos Centuriones Britannos, qui diſiecta mœnium ſpecularentur, emittit. Ij, namque armati, completam foſſam, mox convulſum cuniculi incendio locum cum labore, extra periculum tamen, conſcenderunt: nam obſeſſos denſiſſimi jaculatorum jactus adeo prohibebant mœnia tutari, ut ne proſpectus quidem abſque diſcrimine eſſet. At Centuriones poſtquam in diſiecta enixi, paulum modo caput extulere, haud diu tuti ab hoſte erant. Quare mox reverſi nuntiant, facilè in mœnia evadi, at novas pone munitiones, foſſaſque ab obſeſſis ductas, adeo prærupti adſcenſus, ut non videant, quemadmodum intrare in urbem detur. His cognitis prælium differtur: nam in operibus Hollandorum ad Sylveſtrem portam parum ſpei. Interea conſilia ducibus conferentibus, impigre in obſeſſos machinæ, tubique diſplodebantur. Militum vulgus maxima pugnandi inceſſerat alacritas, & nihil præter moram ad victoriam obſtare rebantur. Sæpe irati, quini aut ſeni conſcensâ mœnium ruinâ miſſilibus hoſtem infeſtare, & ſuam urbem clamitare, non ſine temeritate, & incautiorum nonnulli dum nullã rationem habent tormentorum, quîs urbs lacerabatur, mortem invenere. Nec minus in hoſte animi: ille modo ſupra loricam, modo per feneſtellas ingerere glandes, & vulnera ſpargere, quamvis undique noſtrorum injurijs expoſitus. Mauritio ipſi ut ſupra dictum, glande maxilla tranſacta, & quaſſati dentes. Præfectus Dorpius femur vulneratus, poſterâ die extinguitur. Quini Friſiorum Centuriones, Petrus Leordenus, Juwius ab Eiſinga, Michaël Hagius, Joannes Sagemannus, ac Quirinus Blauwius, graviter ſauciati, illi glandibus excuſſis, poſteriores duo lapidibus icti. Lamberto Centurioni Britanno tranſverberatum brachium. Turrim ligneam ſex & xxx jaculatores propoſitâ menſtrui ſtipendij mercede conſcenderant, & cum his Aſſuerus Adriani Centurio. Iique, licet ducentis propè tranſverſis aut catenatis globis ab hoſte petiti, à primâ tamen luce ad veſperam impigrè tela ingeſſerant; occiſis inter alios tormenti directore, dum onerando occupatur, & centurione Heſſelio: gregariorum militum, qui mœnium ruinas inſtiterant prælium excepturi, plurimi proſtrati. Sub veſperum in deſcenſu, lorica exterior de faſtigio turris decidit. Cauſſa, quod contra fabri opinionem, interiori loricæ, quæ excipiendis tuborum glandibus (ut etiam ille exiſtimaverat) ſufficiebat, aſſerum inſuper ſecundus ordo circumjectus, mediumque inter utroſque ſpatium arena differtum foret: quo pondere tenues perticæ, quæ opus ſuſtinebant, oneratæ. Ita præcipiti lapſu devoluta lorica, & imo turris illiſa, perticarum complures confregit, omnemque machinæ uſum corrupit. Pòſt tamen, diſſolutis compagibus, opus reparatum. Mauritius diu multumque deliberato, tandem differendum prælium cenſuit, ſatiſque habuit propugnaculi rudera occupare, præſidioque & munimentis firmare. Quorum illi, quod ad Orientem erat, Friſiorum centuriæ duæ; totidemque Anglorum Onni-

geriano

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

geriano impoſitæ, ſtatim aggeſtâ loricâ, defixiſque vexillis, munitiones or- cIↄ Iↄ
diuntur. Et quia, ejecto hoſte, potiti propugnaculis erant, magnam con- xcii.
ceperant ſpem intra quartum diem eò rem perducendi, ut hoſtem, quam-
vis numero auctum, vi ſuperarent. Præ cæteris Friſiorum caſtrenſis archi-
tectus validam Orientali propugnaculo munitionem indiderat, haud du-
biè præliantibus magno uſui futuram, dummodo exiguus adjiceretur labor.
His rebus tertiâ & viceſimâ Junij dies abijt, & dilato prælio miles ad ſtatio-
nes remittitur, partâ gloriâ, ex propugnaculo occupato, defixiſque in urbis
vallo vexillis. Cæterùm haud omittendum hic videtur, quo ſæpe periculo
famam & exiſtimationem ducis vulgi exponant judicia. Omnes enim Fri-
ſiorum milites, nec pauci Centurionum, dilatum prælium indigniſſimè fere-
bant, certam victoriam eripi ſibi è manibus credentes. Nec antè tolli ſen-
tentia ex animis potuit, quàm captâ urbe ſitum loci perſpexere: tunc &
agnovere, & confeſſi ſunt, periculum non unum obſtitiſſe: quippe & foſſæ
nondum completæ plurimos hauſiſſent, & quibus hæ ſuperatæ, aditum in
urbem novæ munitiones claudebant. Sic Patrum quoque, & quorundam
aliorum judicia erant, machinas à Septentrione collis, quem patibulorum
vocant, conſtituendas fuiſſe. & audacter ij adſeveratum ibant, quamvis hu-
mile illic ſolum, ſolidum tamen, & ſuſtinendo tormentorum oneri ſuffice-
re. Sed poſtquam deditâ urbe accuratè omnia inſpexerunt, coacti fateri,
aggerem, quo tegerentur tormenta, defuiſſe. Unde ſi fortè (quod Princi-
pum multis accidit) infectâ re Mauritium diſcedere contigiſſet, neglectam
victoriam & creditum cunctis, & vulgatum fuiſſet. At Coquellij animum,
ea, quæ tertiâ & viceſimâ die geſta erant, ita dejecere, ut de retinendâ urbe
deſperans, denuo eoſdem, quos antè, Centuriones ad colloquium mitteret:
Duvallium & Mombeckium ſaucios, integrum Santenium. Mauritius, &
Guilhelmus Naſſovius, maximâ ſpe brevi urbis potiundi, ad vim inclina-
bant. Magnificum id Belgarum militibus fore, & terrori vicinis hoſtium
præſidijs. Neque erat profectò, cur Stenovicenſium miſeratione move-
rentur: quippe deſeruerant oppidum civium optimus quiſque, qui reman-
ſerant xxx aut xl, militibus ipſis nihilo meliores, potus venditione vici-
norumque prædâ, victum quærebant. At Senatus, dilectique è Patrum con-
ventu, qui Principem comitabantur, accipiendas pacis leges cenſere: ho-
ſtem ad extremam deſperationem non adigendum: facile eâ re tres qua-
tuorve hebdomadas extrahi poſſe: temporiſque jacturam noxiam Reip.
& irreparabilem. Potius fugienti pontem aureum ſternendum. Idque
prælatum. Mauritius, quamvis propugnaculorum utroque expugnato tan-
tò victoriæ propior, eaſdem quas antè conditiones obſeſſis propoſuit: Sci-
pionis exemplum imitatus, qui victo Antiocho, pacem nihilo duriorem
quàm integro dedit. At Centuriones animum quam pro re majorem oſten-
tantes, malle in mœnibus dimicantes mortem oppetere, quàm militiam
ejurare, reſponderunt. Quibus Mauritius, *ergo abirent*, inquit: *quippe ita
animatis nihil in caſtris negotij eſſe*. Acre id reſponſum Senatui viſum, &
mitius agendum arbitrabantur. Sed occurrit Mauritius, dedecora memo-
rans, & quam abjecti animi foret, indubitatâ victoriâ, hoſti manifeſto exitij
tantum indulgere. Non decretum ſibi liberales adeo conditiones dare
Stenovicenſibus, quam Zutphaniæ, Daventriæ, ac Noviomago, conceſſiſ-
ſet. Etiam Guilhelmus Comes apud Friſiorum legatos adfirmare, ſi tridui
ſpatium daretur, caput interponere, ni per vim oppidum opprimat. Tan-
dem ergo convenit, ut, relictis armis ſigniſque, gladijs accincti, cum impe-
dimentis abirent obſeſſi; ſex menſibus, locis ab ortu Rheno ſitis, nulla ad-
verſum Fœderatos ſtipendia facerent: excepti tamen, qui noviſſimè cum
recenti milite in urbem penetraverant. His facultas facta ad ſigna ſua re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ cXII. vertendi. Ægris, ſaucijs, & impedimentis Covordam devehendis currus centum ſufficerentur. Transfugæ, & ſcelerati, pactis excluſi. Equites gratiâ Mauritij equos recepere. De civibus, incoliſque, & eorum bonis, nulla ab hoſte mentio facta, ut nec ſuperiore anno Daventriæ. Habiti tamen, ac ſi eâdem in cauſsâ, & conditionibus fuiſſent. His peractis, poſtero die (qui quartus & viceſimus) Coquellius cum ſuis urbe digreditur. Mauritius ipſe portæ adſtitit, prohibiturus, ne cuiquam contra datam fidem noceretur. Quod, accuratis precibus petierat Coquellius, licentiam veritus militarem: addideratque, jam in Mauritij manu ſe ſuoſque eſſe. Eidem obnixè rogatum, ut à cavillationibus milites prohiberet Mauritius. qui repetitis promiſſis, eique & Waterdikio, ac centurionum cæteris, datâ dexterâ, fidem confirmavit; venerando oris habitu, & decorâ inter ſermones majeſtate. Ut haud minus geſta juvenis Principis admiraretur Coquellius, quam vultum & mores laudabat. Namque apud plures noſtrarum partium centuriones, laudes ejus vulgabat, exoptans identidem talem Regi ſuo ducem. Quem à ſuis prodi miniſtris, & brevi ſpatio omni ſuâ ditione Turcarum Imperatorem exuere poſſe, ſi Mauritij pro Fœderatis operam Farneſius factis pro Rege ſuis æquaret, dicere non dubitavit. Hæc palam ille, & audiente Epiſcopi Leodicenſis legato: qui procul omni dubio Parmenſi detulit. Et mirabantur multi, tantam præſente eo libertatem Coquellij. Illius quoque dictum erat, *vulpis inſtar è terrâ ſe effoſſum; alioqui tormentis ceſſurum haud fuiſſe*. Perfugarum in numero repertus Joannes Roſæus, qui manipuli decurione occiſo, ad hoſtes tranſierat. Is à Senatu capitis damnatus: ſed Mauritij beneficio, ob egregia facinora, quòd vexillum noſtrorum, ut ſuprà memoratum, dilaceraſſet, ac novum militem in urbem perduxiſſet, vitæ veniam; à Verdugo, præmium laboris, magnificam veſtem obtinuit. Ex urbe valentes milites ſexcenti, vulnerati ducenti egreſſi ſunt. Totâ obſidione, ducenti, non plures perierant. Centurionum plerique ſaucij: duo interfecti Blundelus & Heſſelius, hic Gandavo oriundus, patre Andreâ Heſſelio, ſupremo Flandriæ procuratore, qui ob ſumta de multis Reformatis ſupplicia, à Rihovio Embiſioque, inauditus atque indemnatus laqueo extinctus erat, haud probando exemplo. Ipſe ante biennium Leovardiæ captus, & à nonnullis agnitus, (nam mater ejus Viglij præſidis propinqua erat) dùm deteriùs ſecum actum iri eam ob rem metuit, animæ ſalutem obteſtatus, Andreæ Heſſelij filium ſe non eſſe jurejurando confirmarat. Præterea in obſidio Ludovicus Bergenſis, ut ſuprà dictum, perierat: ejuſque vicarius Steenbachius. Deinde Frederici Bergij ſignifer Elſtius, & Santenius quidam, ejuſdem dignitatis. Fœderatorum in partibns occubuere, Dorpius, Olthovius, ac Guilhelmus Guilhelmi, præfecti militares, & Ægidius Schakelius ſupremus vigilum apud Friſios Præfectus: vir vitæ integer, manu promptus, impiger, & belli artibus: cujus fatum Guilhelmo Comiti deploratum. Militum trecenti cecidere: vulnerati, pari numero, in Hollandiæ, ac trans-Iſalanas civitates, curandæ valetudini, diſtributi ſunt. Urbem noſtri ingreſſi, ad portam Onnigerianam inſpectis, quæ ponè mœnium ruinas erant, nulla ab hoſte opera inſtituta, & foſſam deſcenſu facilem, compererunt. Quamobrem infenſum ſibi Verium habuere Centuriones Britanni; qui cognoſcendo loco miſſi, diverſa renuntiaverant. Poſtquam tuto omnia circuire, & caſtella, tranſverſos tramites, cuniculos, oppletas foſſas, adgeſtos colles, operumque cætera, quæ tantùm ſingula ante, & per feneſtellas jaculatorum non ſine periculo proſpectare licebat, uno aſpectu intueri è mœnibus, & ſecurè viſus circumferre datum, quiſque tantum laborem exiguo ſpatio exhauſtum mirabatur. Tridui enim ſupra quinas hebdomadas oppugnatio fuerat. Fatebantur veteres duces, & à primordijs

dijs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

dijs Belgicorum motuum militiam ſecuti, neutrâ in parté paria ſe vidiſſe. cIɔIɔ
Id documentum Fœderatorum Patribus, id alijs ſit Principibus, ut bellum xcii.
quicumque gerunt, ſtudia, & artem caſtrenſium architectorum juſtâ æſtimatione metiantur, & ſummis in bello dignitatibus æquiparent, ac liberalibus præmijs excitent. Quo decora & magna multorũ ingenia, quîs Numinis munere Belgica abundat, liberalitas ſtimulus ſit ad ſectanda matheſeos ſtudia. Quippe res ipſa, & obſidionis exitus, etiam talium contemtoribus confeſſionem expreſſit, longi temporis oppugnationem futuram fuiſſe, niſi caſtrenſium architectorum Juſti Matthæi gente Flandri, domo Aloſtani, & Jacobi Kempij Gorcomenſis ſollertia operaque acceſſiſſent. Neceſſariò quoque noxia illa opinio militum animis ejicienda, dum ligonis uſum infra dignitatem ſuam eſſe arbitrantur. Qui error Belgarum hactenus animos inſederat, & adhuc Gallos detinet, non ſine magno Regis detrimento, ut indicio ſunt urbium obſidiones, & quæ alia illi acta. Procul ab hâc mente Magni Alexandri, procul Julij, ac Veſpaſiani Cæſarum milites fuiſſe, ſatis Hieroſolymorum, Aleſiæ, ac Tyri celeberrimi emporij, obſidio declararunt. Expugnato Stenovico, tres omnino hebdomadæ extractæ, inteſtinis itineribus opplendis, repurgandis foſſis, mœnibus, ac loricis inſtaurandis, & quæcumque id genus alia: maximè tamen conſultando, victoriamne, & quo loco perſequi, è re eſſet. Hollandiæ Proceres, qui pleno convenerant numero, monere Principem, ſatis hâc victoriâ profectum, dimitteret militem in hyberna, neu ſe, aut Remp. in caſum daret. Quippe nuntiari magno ſtudio bellum Parmenſem parare. Nationum cæteræ perſequendam victoriam contendere, nec opportunam adeò occaſionem ob incerta nuntiorum negligendam, quîs nulla veri ſpecies inſit: nec enim Parmenſem, in expeditionem trans Rhenum iturum, averſo ab Gallis itinere. Fatigatum Rothomagenſi profectione militem ejus, invalidum, egentem. Hinc jacere Friſij, parùm morari Hollandos, utrum valida loca Friſiorum in finibus hoſtis teneat: quippe vereri ne illi ab hoſte tuti, & ad proſperum rerum ſtatum elati, ſegniores ſint in conferendis tributis. Ita nullum adeò firmum inter gentes fœdus, nullum adeò arctum vinculum, aut ſtabilis ſocietas, quin qualiſcumque ſaltem ſuſpicio, aut diffidentia, intercedat. Igitur Friſij, ut pergere Mauritio perſuaderent, objicere Hollandis, diverſa hoc obtentu eos agitare: ſeu quod otij præſcriptione retractum in Hollandiam Principem impellere ad Gertrudenbergæ obſidium molirentur, ut ſuperiore anno Hulſta oſtenderit: ſeu invidia in Friſiorum proſperas res, quos hoſti penitus ereptos nolint. Quippe, expugnato Stenovico, nulla Friſiorum pars tributo, quod hoſti metu incendij pendebatur, ſublevata erat: ſolùm ab Auſtrali ſinu prohibitus hoſtis, quod Boreali Hollandiæ ac Amſtelodamenſibus utile. Ob hæc magna exſtitit controverſia, obſtinatè ſententiam retinentibus Hollandis, ac Mauritium hortantibus, ne ulla Friſiorum, aut trans Iſalam loca tentaret. Quâ re permoti, primarij viri, magnâque apud Mauritium gratiâ, ut reverteretur per literas eum monuere. Etenim ſatiùs prava eum conſilia ſequi, quam ut contumax in Hollandiæ Proceres ſententiam retineat, unum ob conſilium cognati Guilhelmi, cui ſperata præfecturæ ſuæ commoda periculorum contemtum adderent. Tandem legatos mitti opus fuit, qui ad Fœderatos Proceres de cunctis referrent. Ii revertentes, nec vetare, nec jubere Patres nunciarunt. Sed pericula oſtentantes, monere Mauritium, ut providè rem gerat. Hinc pleriſque plus ſuſpicionis, dimiſſum in hyberna, quam retentum ſub ſignis militem iri. Nonnulli ſegnem adeo moram, ac contationem indigniſſimè ferre, & queri, immutatas jam penitus humanarũ rerum vices, dum trahere bellum Patres, & togati homines velint: duces (ſemper alioqui in eo ſuſpectos, ob auto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ XCII. ritatem & quæſtum ſtipendiorum) finem celerare. Mauritio victoriam perſequi omninò placebat, turpiſſimum rato, ob incertos rumores, de hoſte quadraginta millium itinere, & frequentatis amnibus Moſâ & Rheno diſparato, occaſionem dimittere. Itaque apertè in Senatu profeſſus eſt, immotum ſibi, quamvis revocantibus militem ſuum Hollandis, pergere: iturum cum ſolis cognati ſui Guilhelmi Naſſovij legionibus, & equitatu. Vicit ad ultimum ducis ſtudium: igitur deliberatum, quonam vertendæ vires, variantibus rurſum ſententijs. Gelri, & Tranſiſalani à Grollâ & Oldeſaliâ ordiendum: quo, hoſtem, ſi moliretur, difficiliùs Rhenum tranſiturum, & commeatus, ſi tranſmiſiſſet, intercludi poſſe. His confectis non fore in arduo Covordæ obſidium. Multa pro his dicta, inclinante eodem frequente Senatu, ob facilitatem: nam invalida illa oppida, Covorda contra munimentis, aggeribus, propugnaculis firmiſſima habebatur. At Guilhelmus Naſſovius contra ea, introſpectam ſibi naturam & vires Covordæ dicere: certumque ſibi pari ſpatio, quo in deditionem Stenovicum conceſſerit, expugnari Covordam poſſe. Laborem, & temporis ſpatium, ſecutura mox commoda abundè penſare. Quippe hâc ſubactâ Friſiam univerſam, Omlandos, & Drenthanum agrum in tuto locari, Groningam intercludi. Friſij, quæcumque ad Stenovicum promiſerant, repetere, niſi ſub finibus belletur, dimittere longius militem, & pagos ſuos incendij prædæque periculis exponere nequaquam poſſe: uti nec x x x florenorum millia aut ducentos currus exercitui ſuppeditare. His de cauſſis Covordæ obſidium decretum. Quinto Idus Quintil. Stenovico mota caſtra, poſterâ die in præturâ Vollenhoanâ ponuntur. tertio Idus Jul. Swollam attigere. Ibi novæ iterum difficultates, rem penè totam diſturbaverant. Thomas Budlæus literas Reginæ, cujus miſſu pars Senatus erat, Mauritio Verioque equiti tradit. Poſtulabat ea, ut legio Anglorum, quâ in Britanniâ Aremoricâ adverſus Hiſpaniarum Regem, eam terram occupare conantem, uti vellet, ſine morâ caſtris avulſa in æſtiva dimitteretur, ibique codicillos ejus exſpectaret, ne in caſtris habita attereretur. Id multò magis, quam priores moleſtiæ, omnium turbavit animos. Itaque Budlæo demonſtratum, impediri eâ re curſum victoriarum maximo Reip. damno, & exiguo Reginæ commodo: quippe vix ullum momentum mille homines, pro Gallici belli mole. Teneri quoque ex fœdere Reginam, Fœderatorum in caſtris militem ſuum relinquere. Ad ea Budlæus, etiam Patres adſtrictos ait, bellicas res, modò ullius ponderis forent, cum Reginâ aut ejus Senatu communicare. Nihilominus illos, parum id moratos, centurias x x Galliarum Regi ſubmiſiſſe, nec adhibitos in conſcientiam conſilij Senatores Anglos, niſi jam decretâ re. Nequaquam urgere poſſe Reginam, ut pactis ſtet, qui prius eorum ipſi limites exuerint. Tanquam innueret, facilè ſua tutari eos poſſe, qui tranſmarina ſocijs regibus auxilia mitterent. Obnixè tamen rogatus Budlæus, ut Verium cum legione ſuâ manere in caſtris pateretur, neu diſceſſu ejus exercitum infirmaret: ſaltem, donec ad Reginam mitterentur, qui Reip. ſtatum ei exponerent. Cæterùm ille, quamvis huc Verio, huc inclinatis centurionibus, exoratus non eſt, ſed multo acriùs inſtitit. Ergo in urbes remittuntur. Poſt ex literis Reginæ (quæ demum Hagæ Comitum patefactæ) compertum, Anglos ita revocaſſe Reginam, ſi carere Fœderati poſſent. Unde variæ ſuper hâc re opiniones, & judicia audita. Nonnulli, prudentiæ non vulgaris viri, repetitis ſuperiorum temporum exemplis, & expenſo quâ ratione primò Reformatos in Scotiâ, dein in Galliâ juviſſet, & nunc ejuſdem gentis Regi ſubmitteret, parce ſemper & contanter id factum comperiebant, & eam rationem initam, ut quamvis adjutis ſocijs, adverſarij non penitus opprimerentur, aut bellum conficeretur. Sæpiùs quoque eam in ſen-

tentiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

tentiam habitos ſermones memorabant, quaſi longum Anglorum otium,
& diuturna quies, vicinorum negotio, & turbis ſtarent. Quamobrem ægrè CIↃ IↃ
quidem paſſuram Reginam Belgas ſub jugum mitti: attamen periculis & XCII.
anguſtis rebus quod conflictentur, non diſplicere. Dimiſsâ Anglorum legione, reliquum etiam exercitum in æſtiva remittendum, & otium hoc anno fore cæteri putabant: at plus in Mauritio, ac Senatu animi, qui deſtinationis certi, cum ſolo Belgarum milite obſidere Covordam ſtatuerent. Movit eos exiguitas loci, cui circumvallando non tantum copiarum requirebatur. Quippe medius inter duas paludes jacet, quarum illa in orientem ſex paſſuum millibus patens, ad Dullartum uſque ſinum pertinet; hæc æquali fere ſpatio in occidentem ſolem ad Auſtralem ſinum extenditur. Hæ paludes omnem Friſiam, Omlandos, Drenthanum agrum, & trans Iſalam circumveniunt terrarum id, in quo Stenovicum & Vollenhoa ſunt. Nec toto hoc XII millium tractu ſolidum iter eſt, niſi qua per Covordam itur, & quæ circumjacent, ubi arenæ utramque paludem dividunt, mille in latitudinem paſſuum. Nam Groninganum iter (Bourtangam nuncupant) arte & hominum labore per paludes jactum eſt, ac præter Weddam ducit. Hoc locorum ingenio is Covordæ ſitus eſt, ut eâ ſedulò cuſtoditâ, haud facile hoſtilis exercitus in Friſiam, Drentham, aut Omlandos penetrare poſſit. Sexto decimo Kal. Sextil. ad eam ventum eſt. Præſidebant Fredericus Bergius, Eduardus & Hermannus Enſſij, fratres, Vaſquius Hiſpanus, ac Chalonius, Palamedis filius, qui Renato Chalonio, Principi Arauſionum, ſed extra conjugium, genitus. His ſubmiſſi à Verdugo centum equites Hiſpani, ex turmis Mendonis & Roderici dilecti, ſine equis, per paludes acceſſerant. Ita in univerſum nongenti aut mille circiter milites Covordam arcem cuſtodiebant. Quà in Orientem & meridiem vergit, vicus illi adjacet, quem apertum antea, foſſis aggeribuſque hoſtes obduxerant. Coverda ipſa in modum Antverpianæ arcis, quinque validiſſimis defenditur propugnaculis. Excurrebat ſublime vallum, & intus multo majori altitudine gemini colles: nec quidquam obſeſſis præter ſpatium deerat; & cum deeſſet, maxime nocuit: nam Covordæ ambitus ſexcentorum & L modò paſſuum eſt. Foſſam centenûm in latitudinem pedum adacti è robore valli muniebant. Torrens, qui præfluebat, foſſæ vicem oppidulo erat. Eum per id tempus uſque adeo continentes imbres extulerant, ut tria majora, & totidem medij generis tormenta, Swollæ planis impoſitæ carinis, proximè Covordam adveherentur. Primis diebus ſolus Guilhelmus Naſſovius cum Friſiorum milite, & legione Trajectinâ, ad Covordam reſtitit; Mauritio cum cæteris copijs Otmarſam progreſſo. Segnius à præſidio proviſum ei cognoverat, eratque præſidio futura commeatibus Swollâ Covordam ituris. Tormenta tria majora aſſumſit, quîs diſpoſitis, & ter accenſis, obſeſſi deditionem fecere, conditionibus haud abſcedentibus à pactis Stenovicenſium: XII Kal. Sextiles abiere. Præſidium ibi cum militibus LXX Twickelus egerat: aderatque his Mendonis turma, quæ fortè ante obſidium egreſſa. Perijt è noſtris Lævinus Famarſius armamentarij Tribunus, caput trajectus, nec præter eum quiſquam deſideratus. Interea dum dirigendis in Otmarſam tormentis miles occupatur, Oldeſaliam Mauritius abierat, cognoſcendo loci ingenio, & munimentis. Huc venientem conſpicati hoſtiles equites, extra munitiones procedunt, & pugnam orſi, ſtatim à noſtris repelluntur, paucis ſuorum occiſis, uno capto. Duodecimo Kal. Sextiles in caſtra ad Covordam Mauritius revertens, ſtudio Guilhelmi Naſſovij diligenter opus proceſſiſſe, & oppidulo propinquari cavatis itineribus, comperit. ea retro templum (quod extra vicum erat) orta, mediam illam ſecabant, & hinc ad vicum ducebantur. Hæc ad meridiem erant, quà Sallan-

diam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIɔIɔ xcII. diam proſpectus eſt. A Septentrione, quo latere Drentha jacet, clauſum undique caſtellum extrui juſſerat Naſſovius, quod duas militum caperet centurias, prohibendo Groningam itinere. Cæterùm Præfecti averſo à Covordâ latere, ſpatium ingreſſu atque exitu apertum reliquere; eruptiones hoſtium haud veriti, quibus Stenovici abſtinuiſſe eos meminerant. Comes nul â parte intermitti opus juſſerat, quæ mandata haud uſquequaque ij implevere, dum aditum, octonûm ſpatio pedum relinquunt. Grave id caſtellum obſeſſis erat; unde cœpto opere frequentiores eam in partem globos machinarum permiſere, quam in ea, quæ ad auſtrum noſtri moliebantur. Cognoſcere quoque & introſpicere omnem ejus ſitum poterant è collibus intra vallum excitatis: adeò propinquo erat poſitu. Fuitque inter irritamenta eruptionis oſtium caſtelli. Igitur XII Kal. Auguſt. ſub medium diei, ubi militum pleroſque, cibi petendi cauſâ, majora in caſtra diſceſſiſſe compererunt, trecentos milites in triticum, quod ponè caſtellum ſuccreverat, abdunt. Illis continenter terga noſtrorum laceſſentibus, cæteri caſtellum adorti prælium conſerunt. Fortiter nihilominus centuriones ambo ſuſtentant, ac vallo hoſtem arcent. Nullum tamen remedium adverſus jaculatorum è frumento ictus reperiebatur: & Wilhelmus Henrici Bundingius centurio cadit, cumque eo ſignifer, qui gente Brunſvicenſis, & provectæ ætatis, (quinquageſimum annum impleverat) vexillum manu tenens, ſuos ad extremum uſque cohortatus erat. Mox vigilijs ejuſdem centuriæ præfectus, & milites plures XXXII vulnerantur: in his ipſe vicarius Joannes Kortenortius. Centurionum alter Tiardus Joannes Wederſpannius decem aut XII è ſuis deſideratis, ſaucios complures numerabat. Ipſe pariter hoſtium ſuorumque ſanguine lubricus, ingenti animo hoſtes ſuſtinebat, repulitque quamvis jam in vallum enixos: quod faciliùs ſuperabant, ob foſſæ tenuitatem, & ſpernendam humilitatem: nam quatuor aut quinos alta pedes, lata duodenos erat. Valli quoque celſitudo pro copiâ aggeris petiti ex foſſâ adeo exiguâ. Jam pleriſque longioribus haſtis gladiorum ictibus diſſectis haud dubiè potitus caſtello hoſtis fuiſſet, niſi ſubſidia è caſtris majoribus adventaſſent. Quîs viſis pedem refert, omiſſis occiſorum nonnullis, quos inter Hiſpanos quoſdam ex habitu & armis noſtri agnovere. Non exiguum quoque cadaverum ſecum numerum trahebat. Poſterâ die Fredericus Bergius repetitis ad ſepulturam qui interfecti erant, impetravit. Septimo Kal. Sextiles apertos cuniculos ad vici foſſam noſtri perduxere. Quam ut ſtabili ac arenoſo eſſe fundo Guilhelmus Naſſovius comperit, haſtatos & libratores promiſcuè quinquaginta, cum ligonibus tranſire jubet, dato negotio, ut dejectâ introrſum loricâ, pone eam in vallo, quod humile, nec ullis defenſum propugnaculis, conſiderent. His juſſa impigre curantibus, qui præfectus erat, invalido vicum præſidio teneri advertit: ſimul ſuos cohortatus, priuſquam juberetur, vicum invadit. Hoſtes centum & quinquaginta numero fugam ad arcem faciunt: verum oppidani ſublatis portarum catarrhactis, ſocios ingreſſu prohibent, & animosè hoſtem repellere hortantur. Adſiduè inter hæc noſtri glandes in terga hoſtium effundere. At qui in mœnibus erant, ut paucitatem noſtrorum deſpexere, trecenti numero eruptionem faciunt, noſtroſque, quia nulli ſuccedebant, (nam ſuâ ſponte & injuſſus id Præfectus tentaverat) vico exturbant. Poſtridie machinis contra pontem portamque hoſtilem ſtatutis, milites noſtri inſtructo agmine vicum occupant, ac retinent. Manſit tamen in poteſtate hoſtium moles cunei formâ pro ponte excitata: manſere & munimenta alia, à dimidij orbis ſpecie lunæ vocabulo inſignita, & cooperta via citra foſſam tegendis jaculatoribus. Per idem tempus equitum ducenti è caſtris Groningam euntes, magnâ armentorum abactâ multitudine, milites XL & V ex

Hermanni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Hermanni Bergenſis centuriâ capiunt; parem fere numerum occidunt. In-
ter captivos etiam traxere Abbatem Adwerti : quod cœnobium in Omlan- cIↄ Iↄ
dis maximæ famæ & opum : adductus & cum illo Critius, Judex Epiſcopa- xcii.
lis. Uterque ſe in clientelam Naſſovio dederat, & literas rei teſtes oſten-
tabant. Quare à Mauritio (quamvis clamitarent equites, adverſus ſolos Fri-
ſios eas literas præſidio illis eſſe) dimiſſi, quòd Præfectorum cuique ſupre-
mum ſuâ in terrâ imperium, indeque uſurpatum nomen, ſummi militiæ
ducis. Liberaliter Antiſtites hi à ducibus habiti, & per caſtra luſtrandis tor-
mentis, caſtellis, cæteris operibus, & univerſi exercitus viribus, circumdu-
cti; poſtquam Groningam reverterunt, paſſim Mauritij comitatem, ſum-
maſque Fœderatorum vires jactabant. Occupato vico, ſuggeſtum noſtri
adgerunt, tormentis vallum deſuper concuſſuri. Strenuè deinde allabora-
tum, ut per viam coopertam penetraretur ad foſſam, exhauriendis, aut ſub-
ducendis aquis. Nec ſegnes hoſtes, dimidias lunas novis munimentis fir-
mant. Cæterùm cum majorem devexi aggeris partem defoſſam, machi-
nas demoliendo ſuccinctu, & convellendis ſudibus diſpoſitas, foſſam ſexa-
geſimum jam pedem completam, & contectas cratibus deſuper vineas,
pari longitudine prolatas, modicamque in altitudinem ſuggeſtum adſur-
rexiſſe viderent: nocte, quæ decimam quintam Auguſti diem excepit, mo-
lem ponti objectam, & ſimul lunatas ſpecies, cæteraſque extra oppidulum
munitiones deſerunt: pontem, ne noſtri inſequerentur, accendunt; ſum-
mo timoris indicio, quando molem pro ponte jactam complures dies reti-
nere, & damna inferre oppugnantibus, haud arduum erat. His factis, ex-
templo cavata itinera per faſtigium devexi aggeris perpetuo circuitu ob-
ſeſſos ita clauſere, ut ne ſingulari quidem homini ultra exitus aut ingreſſus
pateret. Jam propemodum exhauſtæ foſſæ, ita ut gregarij milites, quibus
non alia aquatio erat, anguſtè admodum eâ uterentur, & noctu nonnun-
quam ſummo cum periculo aquam ex imo foſſæ, quæ exigua reſtabat, tur-
bidam extraherent. At non interea Verdugus quieſcere: ille equitem, ille
peditem auxilio trans Rhenum mitti poſtulare. Sed parum id procede-
bat. Ægrè enim ſigna milites ſequi, ac noviſſimè in Galliâ varijs incom-
modis, atque egeſtate afflicti, ſtipendia flagitare, pro numero in indices re-
lato, cum primum ſcripti eſſent. Abnuebat his morem gerere Petrus Er-
neſtus Mansfeldius, qui dum Gallico bello incumbit Farneſius, ſummam
imperij tenens, æs, pro numero qui ſub ſignis reperiretur, offerebat. Nam
centuriæ, & turmæ complures infrequentes erant, multique Centurionum
vicenos, alij quindecim tantum ſub vexillo milites habebant. Sub exitum
Julij Verdugus cum peditibus mille, & ſeptem equitum turmis, Rhenum
tranſiicit. Equitibus Alphonſus Davalus, peditatui Capellus præerat. Hæc
manus, ut patentibus in campis collatis ſignis dimicaret, invalida habebatur,
cum ne commeatus quidem publicos, bis quot hebdomadis Swollâ in ca-
ſtra remeantes, inceſſere auderet. Itaque Grollæ & Oldeſaliæ in præſidia
diſtribuuntur. Mox XIII circiter Kal. Septembres peditum tria millia, in
his veterana Hiſpanica legio, duce Emanuele de la Vega, Rhenum tranſie-
re. Hâc re nunciatâ, Princeps Mauritius campum inter majora caſtra (quæ
adſita ædibus Hermanni Campſij) & Covordam interjectum, ſparſim ca-
ſtellis munit, quæ invicem defenderent: reſiduum ſpatium inteſtinis itine-
ribus complectitur; hoſtium id loci vim exſpectaturus. Eâdem quoque die
duodenæ majores machinæ, Swollâ in caſtra advectæ, & commodùm ſub
idem tempus Effemius, cui toparchia Stolberga, cum mille ducentis mili-
bus in caſtra venit. Hunc providâ Patres curâ, quoniam majori exercitu
opus fore conjectaverant, cœpto Stenovici obſidio, decẽ centurias ſcribe-
re juſſerant, addito, ut Kal. Auguſt. itineri, quocumque vocaretur, para-

tum ſe

cIↄ Iↄ XCII. tum ſe præſtaret. Eâdem quoque tempeſtate Philippus Naſſovius cum centurijs xx revertitur, quæ longinquo itinere feſſæ, deductis præſidio alijs, & in caſtra accitis, in oppida diſtribuuntur. Etiam legio Britannica, quam abijſſe è caſtris ſupra demonſtravimus, reditum, parabat. Decimo nono Kalend. Septembr. Fredericus Bergius à Mauritio de deditione appellatus, non aliud reſpondit, quàm maturè poſt duos aut tres menſes id rogaturos oppugnantes. Biduo pòſt, cum eâ quæ anteceſſerat nocte incerti rumores ad militem in apertos cuniculos detuliſſent, obſeſſos colloquendi cupidinem ſignificaſſe, rurſum miſſus tubicen quæſitum: qui ut ter tubâ cecinit, Fredericus Comes Bergius vallum ſolus conſcendit, cæteriſque ſuorum manere in loco juſſis, interrogat, quid veniſſet? Ille miſſum à Mauritio reſpondit, rogatum, an de deditione agere vellet. Cui Comes, *Ergo*, inquit, *renuntiabis, ut vallum hoc ſolo prius æquet, mox ubi plures impetus fecerit, deliberaturum me an tympaniſtâ ad colloquium mitti è re videatur.* Hanc ei audaciam liberationis certiſſima ſpes fecerat. Nec ſane ſegnis Verdugus erat in parandis auxilijs: is Parmenſi modò, modò Mansfeldio, ab eâ univerſam Friſiam pendere; nec Groningam, captâ Covordâ, retineri poſſe, demonſtrabat. Quod veriſſimum eſſe omnibus gnarum. Itaque momentum ejus loci & opportunus ſitus effecere, quod nec Daventria, nec Zutphania, nec ullæ ſuperiori anno obſeſſæ civitates potuerant: ut regius exercitus, per id tempus in Belgicâ agens, quamvis fatigatus Gallicano itinere, cui ſe iterum Parmenſis Regis juſſu accingebat, ante abitum tamen retro curſum legeret, ſubitoque in expeditionem trans Rhenum iret. Adeoque ab his feſtinatum, ut quarto aut quinto die poſtquam Rhenum Berkæ trajecerant, Ulſam in Benthemenſi Comitatu, duûm millium à Covordâ abſitam, tertiâ & viceſimâ Auguſti die pervenerint. Poſtridie Emmelichæ, horæ itinere à caſtris conſedere, & cum univerſo agmine in conſpectum noſtrorum progreſſi, quartâ tantùm horæ parte aberant. Nihil tamen actum tentatumve; ut qui cognoſcendo caſtrorum ſitu, & tentando Mauritij animo, tantum acceſſiſſent. Noctu ignibus (nam Covordam intrare, aut egredi nulli dabatur) obſeſſis auxilium adeſſe ſignificant. Ita ad diem v. Kal. Septembres caſtris ſe tenuere, explorato interea caſtrorum ſitu; ubi faciles, qui ardui acceſſus; quid validum, aut infirmum; & ubi ſingulæ nationes tenderent. His reſciſcendis ſumma Verdugo opportunitas per Joannem Stenovicium fuit. Is domo nobilis propinquam Covordæ arcem inhabitabat, quâ ab initâ obſidione pro domicilio Mauritius uſus, ipſum convictibus adhibuerat, dato inſuper in cubiculum aditu. Igitur ille quidquid ſcire pretij putaret, Verdugo ſignificaverat; de arceſſitâ Anglorum legione, reditu Philippi Naſſovij: maturandum eſſe, ut deſtinata ante eorum adventum exſequeretur. Primoque enunciata fraus eſt, indicio literarum, quas Stenovicij famulus in capillos (erant autem promiſſi) abdiderat. His magnas Stenovicio grates Verdugus agebat, pro ſollicitudine in omnibus patefaciendis, ac frequentes ab eo literas accepiſſe teſtabatur. Ipſe cum famulus interciperetur, Ruinam, arcem Drenthani cujuſdam nobilis, petierat, prælij periculum fugiens, an tegendis inſidijs. Sine morâ per tubicinem eum Mauritius advocat, cauſſam non addidit. Stenovicius mirari primo, mox tamen, *ſuſpicor*, inquit, *Principem caſtra ob adventum hoſtium ſolvere, & colloqui mecum de itinere velle.* Tum conſcenſo equo ad Mauritium redijt. Et ille prolatis exemplo Verdugi literis, *hanccine*, ait, *pro beneficijs meis gratiam rependis, quod ædes, quod bona incolumia retinuiſti?* Hæſitare ad ea Stenovicius, nec expurgare ſe ſatis poſſe. Ergo ad præfectum rerum capitalium cum miniſtro rapitur: cujus tamen incuriâ famulus elapſus eſt. Ipſe Swollam, exin Daventriam abductus, ut à Senatu,

habitâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ xcii.

habitâ quæſtione, & expensâre, exemplum in eum ſtatueretur. Ille quidem, capto Stenovico, noſtris conſultantibus quam conatibus ſuis urbem locumve deligerent, Geldriſque ac Tranſiſalanis à Grollâ Oldeſaliâque ordiendum pertendentibus, tanquam animo atque amore in Fœderatos, crebrò certiorem de Covordæ ſitu Mauritium fecerat: ſuaſo Oldeſaliæ obſidio, etiam Prætoris Covordani literas & ſignum obtulerat, quis ille, expugnatis Oldeſaliâ, & ſuperioribus locis, in deditionem ultro, & ſine obſidio conceſſurum ſe promitteret. Cæterùm ad Verdugum uti revertamur, is ubi majores indies copias arceſſi cognovit, nihil prolatandum ratus, quinto Kal. Septemb. caſtra primâ luce adgreditur, opportuniſſimo ſibi tempore, quando Anglorum legio horæ tantum, Philippus Naſſovius cum centurijs nonnullis dimidiæ diei itinere abeſſet; qui, niſi ipſo eo die, & pro meridie Verdugus tentaviſſet, corrupturi ejus propoſitum erant. Aderant illi Hiſpanica legio, & duæ Germanicæ, ſub Arenbergio ac Barlæmontio: quarta Hibernorum, qui Daventriam prodiderant. His accedebat Hermannus Bergius cum militibus ſexcentis; qui hactenus in ſuburbio Groningano, & circum urbem egerant. Præter hos, quicumque præſidijs, Grollæ, Oldeſaliæ, Brefurti, ac Lingæ deduci tuto poterant, evocaverat: his præpoſiti Juſtus Comes Stirumbius, & Bodbergius Oldeſaliæ præfectus. Equites mille octingenti erant. Tantum his copijs Verdugus confidebat, ut Mauritium, quamvis munimentis defenſum, prorſus ſuperare, aut caſtris exuere, certò ſperaret. Fœderatorum gemina erant caſtra: quorum quæ Stenovicij ædes complectebantur, ob arborum & aquarum opportunitatem equitibus aſſignata. His adjunctæ Stolbergij recentes duæ legiones, & centuriæ Hollandorum nonnullæ, duce Florentio Brederodio. Propiora Covordæ cum cætero exercitu Mauritius & Guilhelmus Naſſovius ſibi retinuerant. Caſtra utraque campus dirimebat, tantum patens, ut adacti utrimque globi invicem contingere, & illum utcumque defendere poſſent, ſi fortè medium ſe hoſtis interjicere, & ſeparare caſtra ab invicem tentaret. Sexto Kal. Septembres ſub veſperum, nuntiato hoſtem in propinquo eſſe, miles per tota caſtra ad arma concurrit. Cæterùm cum vaneſceret rumor, nec certi quidquam exinde afferretur, ad quietem remittitur. Mediâ nocte Sidnæi vicarius, qui cum equitum turmâ extremas excubias agebat, hoſtem ſe proficiſcentem vidiſſe Brederodio ſignificat. Sed ille prioris nuncij memor, hunc eo magis aſpernatus eſt; pręcipuè, quòd longo poſt tempore iterum de hoſte ſilentium erat. Nam Verdugus tranſito ponte, qui anguſtus Vidro incumbebat, tres horas inſtruendâ acie conſumſit, priuſquam ad manus veniret, quod paullo ante lucem factum. Impreſſioni faciendæ equitum caſtra delegit, tardius illos, quod excubare inſueti, arma capturos ratus, nec tantum aut virium aut animi recenti Stolbergij militi fore. Ut acceſſit, extemplo conclamatio ad arma majoribus in caſtris audita: additur, jam minoribus potitum hoſtem. Eo nuntiato, Guilhelmus Naſſovius incenſo calcaribus equo, ſummâ celeritate illuc contendit, certus aut fortiter pugnando occumbere, aut vincere hoſtem. Solus enim contra omnium opinionem Covordæ obſidium ſuaſerat: præfectos, centurioneſque, quam maturrimè poſſint, ſequi jubet. Huc quoque cum omni exercitu Mauritius contendit, haud pluribus in caſtris relictis, quam qui defenſioni machinarum, & continendis in officio obſeſſis requirebantur. Interea jam hoſtium promtiores x x, foſsâ valloque ſuperato, oppreſſis vigilibus, victoriam ingeminabant: cæteri horrendum vociferantes, ſequebantur, augente clamoris terrorem & vaſtitate, & tenebris nocturnis. At Guilhelmus, primam quæ occurrerat turmam caſtris egredi, & à latere, tanquam impetum in hoſtile agmen facturam, conſiſtere jubet. Longiùs

cIↄ Iↄ xcii. profectus (nam tantum caſtra patebant, ut commode intra illa univerſus exercitus inſtrui & explicari poſſet) Podlitzium Dynaſtam, equites ſuos congregantem reperit. Jam LX convenerant, quâ manu exiguâ, cum in morâ periculum eſſet, alterum latus occupare, & in conſpectum procedere hoſtibus eum jubet. Quâ re ſtatim impetus illorum repreſſus eſt, dum utrimque equitem metuunt: tanto facilius qui manum conſerebant, valloque imminebant, depelluntur. Qui in caſtra deſilierant, occidione deleti. Interea albeſcente luce, univerſum agmen induſijs candidis inſigne detegitur. Nam denſiſſimas caliginoſæ noctis tenebras Verdugus in pontis tranſitu, ut ſupra docuimus, inſtruendo agmini, impenderat: ortâque luce certiùs ab induſijs dignoſci hoſtes, & miſſilibus impeti poterant. Tamen velut redintegrando prælio iterum ſuos ordinat, & longiſſimè aciem diducit, tanquam coronâ caſtra invaſurus. Mox ut juſſu ejus agmen conſtitit, centurias nonnullas dilectas impetum facere mandat. Sic bis terribili cum clamore caſtra adortus eſt. Sed hi, quando jam in armis univerſus exercitus erat, haud ægrè repulſi. Mauritius & Guilhelmus, quacumque in parte labore ſuos cognoverant, eo ipſi decurrentes, militem adhortabantur. Et huic quidem priore prælio è tubo glans in lævum adacta latus per umbilicum eruperat: nihilominus ad extremum uſque, donec hoſtes diſceſſere, pugnantibus adfuit, largiente vires Numine. Poſt in tentorium curando vulneri delato, ſummâ omnium lætitiâ, nequaquam letalis ictus compertus. Permultos hoſtis occiſos partim ſub ipſo reliquit vallo, qui Itali plerique & Hiſpani erant; partim eminus tormentorum globis interfectos. Vicarius Arenbergij, & ſigniferi Hiſpani tres periere. Qui dum gloria alios anteire cupiunt, ſigna primi in noſtros intulerant, exemplum militibus: nam de victoriâ nihil ambigebant: quod nunquam patentibus in campis noſtri cum Regijs conflixiſſent, ſæpe etiam ad famam adventus dilapſi. In caſtris quiſque, eques, pedes, flagrantiſſimo deſiderio hoſtem inſectari cupiebat: ita ut ſevero mandato caſtris continendi à Mauritio fuerint: cui gnarum multas ſæpe, & exploratas victorias, nimiâ hoſtem inſequendi cupidine corruptas. Imprimis verò caſtris digredi intempeſtivum erat, nondum expugnatâ Covordâ, cujus cauſâ omnia ſuſcepta. Horâ poſt conflictum Angli in caſtra venientes, ſupramodum indignantes ſegnitiem ſuam in proficiſcendo execrabantur: itaque hi vel maxime omnium conſectari hoſtes ardebant, cæterùm prohibiti ſunt. Hoc primum à XV poſt pacem Gandavenſem annis prælium, quo Fœderatorum exercitus, procul amnibus aggeribuſque, apertis in campis, cum regijs, maximâ laude conflixit, contra opinionem hoſtis (quem ſæpiùs in itinere quæſiviſſe conſtat, an necdum caſtra Mauritius ſolviſſet) contra vicinarum Romani imperij gentium; denique contra ipſorum Patrum opinionem; qui ſuarum ipſi virium ignari, Covordam obſideri diſſuaſerant: nunc reipsâ experti nec tam formidabiles veteranas Hiſpanorum legiones, neque adeò contemnendos Belgas eſſe. Et profectò mirandum haud erat, verſo apud hoſtes rerum ſtatu, turbatis omnibus, cadente diſciplinâ, mutatas quoque fortunæ vices. Ducum præcipui, Parmenſis, Mansfeldius, Mondragonius, ac Verdugus mutuâ flagrabant invidiâ, ut vel indicio fuere Verdugi ipſius ad Mondragonium literæ; quîs anceps ſibi querebatur, Parmenſi an Mansfeldio obſequeretur. Quippe Parmenſi ob Mansfeldium, huic ob illum ſe inviſum eſſe. Diſcordia ea, ceu contactu, Hiſpanos Italoſque inceſſerat. Aſſiduæ ob non ſoluta ſtipendia ſeditiones, remiſsâque diſciplinâ corruptus miles erat. Quîs ærarij cura incumbebat, abunde pecuniæ ſuppeditare Regem affirmabant, ſed inutiliter profundi, & hinc egeſtatem. Quin & palam jacere, prodigentiâ, & ſupervacuâ liberalitate Parmenſem, conciliandis militum

ſtudijs,

ſtudijs, centena ducatorum millia, quotmenſibus extra ordinem, in quos libitum, expendere. CIↃ IↃ XCII. Negligenter militem cenſeri, & pro uno qui ſub ſignis eſſet, quadruplicia Regem ſtipendia ſolvere: impune hanc centurionibus fraudem eſſe. Nam Regis indicibus L X militum millia inſcripta, quo pro numero, dum rerum Parmenſis potitus eſt, rationes initæ, & æs confectum eſt. Nunquam tamen illi exercitus major X X millibus fuit, præterquam quo tempore Hiſpanicam in Flandriâ claſſem exſpectabat. Alphonſus Davalus ac Barlæmontius, qui Junio menſe cum milite liberandæ obſidio Covordæ præmiſſi, juſſique à Mansfeldio erant Coloniæ certam pecuniæ ſummam capere, ac ſtipendia ſigillatim militibus annumerare; reſcripſerant, æqua quidem poſtulare illum, quando in turmis nonnullis deni tantum equites ſint; ita ut ſeptem, quas haberent, turmæ non plures centum X X X equitibus continerent: adeoque in univerſo Regis exercitu neminem reperiri, qui ſimplici mereat ſtipendio, triplicia, aut quadruplicata ſingulos facere: cæterùm præfractam adeo Centurionum contumaciam, ut diſciplinæ reponendæ nullus ſit locus. Hinc apertum, quæ fides regijs miniſtris foret. Ferebant, quotmenſibus illum trecenta ducatorum millia Belgarum bello deſtinâſſe, & exactè ſatis ad diem tranſmittere: quæ ſumma nongenta, & eo amplius, florenorum millia conficit. Contrà Patres, quorum tunc erogationes ducenta tantum millia æquabant, exercitum, regio non minorem, hâc tempeſtate habuere. Sæpe hoſtiles centuriones, ſi quando obſeſſis oppidis deditionis leges diſceptarent, aut jam factâ illâ, genio apud noſtros indulgerent, apertè profeſſi erant, ex decem Ducatis, quos Rex mitteret, ſeptenos intertrimento collybi, fœnore, aut mercatores, aut præfectos, quæſtores, atque exactores auferre. Reſiduos tres militi cedere. Igitur cum Regis pecuniæ hunc in modum profligarentur, illeq́ue ſtipendia ſolveret pro triplo pluribus, quàm ſub ſignis habebat, militibus; cum multi centurionum, quorum ab octo annis centuriæ recognitæ non erant, nec plures vicenis quinis milites habentes, falsò tamen numero delato, tanquam plenis centurijs ſtipendia poſcerent: æſtimare quivis poterat, univerſos illos Regis ex occidente proventus ſufficere nequaquam poſſe. Quindecies centena coronatorum millia, ad hanc expeditionem ex Italiâ tranſmiſſa, ipſi hoſtes adſeverabant. Nihilominus omnia ad Rhenum præſidia, Bonnæ, Cæſarowartæ, Berkæ, & navalis miles ſtipendia flagitans, præfectos ſuos in carcerem rapuerunt. Teſtabatur Capelli Tribuni vicarius, legionis ſuæ milites ſingulos, cum expeditio hæc ſuſciperetur, dalerum regium percepiſſe: hâc pecuniâ, Covordam primò, hinc Grollam profectos, ubi in hybernacula diſtributi forent, ſemet ſuſtentaſſe. Fœderatis verò tantum hæ turbæ profuere, ut qui depellere ante bellum adſueverant, nunc ipſi inferrent. Quod aſſiduis votis Guilhelmo Arauſionenſi expetitum, qui firmare ſolitus, tum demum ſummæ ſpei Belgas propinquos fore. Nunquam enim ſuperſtite illo hoſtem offendere auſum Patribus; ſed quo ille ſe converteret, exſpectare, & invadenti occurrere conſueverant: ſatis utilitatis, & gloriæ partum rati, quando conatus ejus ſubvertiſſent. Nunc contra laceſſentibus illis, eadem Hiſpanis ſors incubuit. Nec negandum, juviſſe huc Gallicum bellum, dum hoſtis avocatur; cæterùm ad ſummam rei parvum id momentum. Quippe ſi, quâ curâ ſub Carolo, eâdem ſub Philippo adminiſtrata Reſp. pecuniæq́ue ut oportebat, erogatæ fuiſſent: facilè illi duos exercitus, in Galliâ unum, alterum in Belgicâ ſuſtentare. Ita à parente ejus, cui proventus minores erant, graviſſima bella duobus tribuſve locis geſta: & fuit cum quinque diverſis regionibus Italiæ, dein in Gallorum Belgarumq́ue limitibus, & ad Perpignanum, eodem tempore bella cum gloriâ confecit. At Mauritius, hoſte Benthemenſem in Comitatum, quæ priſtina

CIↃ IↃ XCII. illi caſtra, reverſo, repetitis laboribus, ſedulò adnixus eſt, penetrando ulteriùs propugnaculo, cujus frons quintâ & viceſimâ Auguſti die corruerat. Bergius tamen, nihil animo fractus, nec dedendi ullâ mentione habitâ, nova opera orditur: adgeſtâ que loricâ, è propugnaculo, cujus mucronem cuniculo diſiectum noſtri inſederant, alterum cunei ſpecie angulum exſcindit, ſuperandum oppugnantibus, antequam irrumpi in oppidulum poſſet. Satis apparebat, non capere eum, quâ ratione, vetus & exercitatiſſimus miles Hiſpanus, ac univerſus Regius exercitus, re infectâ, diſceſſiſſet. Nec ita animatum Bergium Verdugus ignorabat. Itaque cum Mauritium ad perſequendos hoſtes elici ex caſtris non poſſe intelligeret, Kal. Septembribus procul tormenti jactu, cum univerſo exercitu, egregiè inſtructo, in conſpectu noſtrorum reſtitit. Ibi ſex ſeptemve horis conſumtis, ſummo deſiderio prælium exſpectans Bergius, tandem ex longâ morâ conjecit, Verdugum tertiò fortunam haud tentaturum. Itaque miſſo ad Mauritium tympaniſtâ, petit ut ejus voluntate, ad Verdugum, quoniam in propinquo ſit, mittere ſibi liceat: fortaſſis tunc in deditionem conceſſurum: ijs tamen legibus, ut explicatis vexillis, fomitibus incendiarijs accenſis, cum equis, ſarcinis, tormentis, annonâ (quâ obſeſſi abundabant) cæteriſque bello neceſſarijs, abirent. Mauritius penſitato, hinc validum præſidium, inde hoſtilem ſe exercitum habere: & Meppelanum per Drentham iter, quà poſt hoſtium adventum commeatus ſupportabantur, crebris imbribus corruptum, vix tranſitum pati; omnibus conceſſis, ſolum cum Verdugo colloquium excepit, & frumentum, ac machinas relinquendas. Frumenti affatim in arce erat, quod Prætor Eduardus Enſſius in privatum vertere quæſtum agitans, ſuum adſerebat, ita ut in colloquio non dubitaret ſæpius ingerere, ut exportare liceret. Quem ut intentè adeò id poſtulantem Mauritius obſervavit; *certe*, inquit, *plus mihi de frumento, quam Regis arce ſervanda, anxius videris*. Quo dicto ſolutis in riſum adſtantibus, Enſius pudore ſuffuſus, nihil ultra attigit. Igitur in prædictas conditiones deditio convenit, & Fredericus Bergius, cum prætore urbano Enſio, ejuſque fratre, & Vaſquio, Chalonioque, ac binis militum centurijs, evolutis vexillis, armis, fomitibus incendiarijs ardentibus, omnibuſque ſarcinis abierunt, numero plus minus quingenti. Præfectorum unum (Adamo nomen erat) tormenti globus abſumſerat. Repertæ in oppido machinæ majores novem: globorum, glandium, & quæ ultra requiruntur, ingens vis: frumenti modij quadringenti. Præſidio Covordæ tres Friſiorum centuriæ imponuntur. Quâ re mota Tranſiſalanorum invidia, & multùm lætitia ob victoriam minuta. Dictitare ij, olim Covordam, & Drenthanum agrum ſui juris fuiſſe: ac urbanum Covordę prætorem ſacramentum ſibi dicere ſolitum. Contra hæc adferre Friſij, Drentham olim Friſijs annexam, & Comitatum fuiſſe, nec juſiurandum ſubjectionis, aut obſequij ſignum eſſe; ſed huc pertinuiſſe, ne per Covordam prætor ullos milites ad damnum Tranſiſalanorum mitteret. His Drenthani accedebant. Et ut quondam Friſij, Tranſiſalani, Omlandi, Drenthanique communem habere præfectum adſueti; à quibus ſegregantes ſe Tranſiſalani, cum Hollandis, ac Geldris, Mauritium præfectum delegerant terris ſuis; ita magis è re ſuâ Drenthani rebantur, Friſijs & Omlandis copulari; cum locorum naturâ hæ gentes ijſdem paludibus claudantur. Notabatur quoque, non aliam Fœderatarum nationum ad obſidium Covordæ, plus æris, & aliarum neceſſitatum, quàm Friſios contuliſſe. Paratos inſuper millia florenorum XXX, aut XL, firmando munitionibus oppidulo ſuppeditare, quod ob egeſtatem nequibant Tranſiſalani, Hollandi; quia longè limitibus eorum & mari abſita Covorda, abnuebant. Relicta tamen res Patrum cognitioni & judicio; addito, integrum Tranſiſalanis ſuum

jus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

jus manſurum, quamvis jam Friſiorum miles Covordam cuſtodiret. Judi- cIↃIↃ
cia hominum ſuper hâc victoria variabant. His quicumque labores, ope- xcii.
raque, quàm ardua, & Covordam, quàm valida, coram inſpexerant, ſumma æſtimabatur. Et ducum veterum nonnulli, magni in militiâ uſus, longiorem ſe durioremque obſidionem præmetuiſſe adſeverabant, præcipuè quod in tranſverſis itineribus, quis oppido propinquabatur, in complendis foſſis, alijſque operibus, multum continentes imbres moræ attulerant. Primarij viri, qui vicinas, & ab hoc bello otioſas terras incolebant, eoque conſuetudinem cum hoſtilibus præfectis poterant habere, ex ipſius ſe Verdugi ore accepiſſe teſtabantur, neſcire eum, quo autore, cujuſve impulſu eo arrogantiæ Mauritius proceſſiſſet, ut Covordæ obſidium auderet; certoque perſuaſum fuiſſe, nequidquam tentari, & inexpugnabilem illam Fœderatis: etiam adnexuiſſe, niſi Covorda hoſtem ſuſtineret; non videre quid ei opponi deinceps poſſit. Eadem Frederici Bergij opinio, haud dubiè inſuperabilem rati. ita ut ſi libidinem ſuam ſequi licuiſſet, extrema quæque, etiam perniciem fiduciâ loci exſpectaturus fuiſſe videatur. Etenim poſt deditionem menſæ Mauritij ac Guilhelmi Comitis adſidens, deteſtabatur autores deditionis: jactabatque querelas Parmenſi ſuas expoſiturum; quippe certo illi creditum, longiùs tolerari obſidium potuiſſe. Sed Centurionum cæteri, quîs plus ætatis, & in bello experiẽtiæ, in his maximè Spinola, nobilis Italus, & architecturæ caſtrenſiumque operum peritiſſimus, periculum imminens rectiùs æſtimabant. Hæc ſocijs, hæc hoſtibus ipſis judicantibus, ad Angliæ Reginam tamen victoriæ magnitudo referentium ſermonibus ita deminuta eſt, ut paullo pòſt datis ad Patres literis, exercitum, tormenta, cæterumque apud Fœderatos belli apparatum, quovis Rege dignum prædicaret; cæterùm Patres in ſemet ipſos injurios eſſe, qui tantis viribus, non validam urbem, ſed exigui caſtellum pretij adorti fuiſſent. Simulac mœnia Covordæ inſtaurata, repurgatæ foſſæ, & oppugnantium opera ſolo æquata fuere; quiſque dimittendos in hyberna milites credere, fruendæ quieti: nam & Stenovici, & hoc obſidio graviſſimos labores toleraverant, humidoque & immiti cœlo, præmatura hyems accedebat. Cùm improvisò Buſenvallius, Galliarum Regis legatus, ſuperveniens, rogat Patres, perſuaderent Mauritio, ne militem in hybernacula componere feſtinaret; ſed in caſtris eos retinens hoſtes Rhenum tranſituros remoraretur; valde id è re ſui Regis fore, cui alioquin mox cum univerſis viribus Parmenſem ſuperventurum. Jam Arenbergij, jam Barlæmontij legionem, cum turmis, quæ vetere inſtituto ex Belgarum nobilitate conſtabant, à Parmenſi evocatis, Rhenum Verdugus tramiſerat: Hermanno Bergio, cum ſexcentis militibus, equitibus quinquaginta, Groningam remeare juſſo: ne civitas ea, quamvis præſidium accipere abnuens, penitus deſereretur; quin, donec poſſet, auxilij ſpe ſuſtentaretur. Copiarum cæteræ in Weſtphaliâ haud procul patrio ſolo, Ypenæ, id pago nomen eſt, conſederant. Huc igitur exercitum Mauritius rapit, Rheni eos tranſitu prohibiturus. Iter illi præter Daventriam, Zutphaniam, Hegenloam, Selemum, Dotecomum, & Eltenum. Zevenariæ octidui quies militi data. Quarto nonas Octobres Hetteram petit; & Emmericam prætergreſſus Tornacum pagum attigit. Ibi jam in itinere hoſtem, ac mox Rhenum tranſiturum cognoſcit. Iraque confeſtim claſſico convocatis militibus, totam noctem (quamvis tenaci limo difficile iter erat) progreſſus, cum omni equitatu & peditum promtioribus Veſaliam tendit, ſpe prælij cum hoſte. Cæterùm is ſpeculatorum indicio, de adventu noſtrorum certior, Ypenam ſe in vetera caſtra receperat. Dum Sevenariæ, ut ſupra memoratum, otio miles indulget, Mauritius cum Guilhelmo Naſſovio, & Hohenloio venatum ad Eltenianum collem egreſſus, non procul Emmericâ

nonnullis

cIↄ Iↄ cxii. nonnullis magiſtratuum urbis ejus obviam factus, queritur, ſacra & conciones, quadrageſimum jam annum eâ in urbe toleratas, perverſa; ejectiſque Paſtoribus Reformatis, Jeſuitas, juratos Fœderatorum hoſtes, inductos eſſe. Magiſtratus non à ſe, ſed Ducis Senatu factum cauſſati ſunt. Et poſterâ die tres è Senatu in caſtra venere, memoraturi, Jeſuitas inſtituere jam defuncto Duci agitatum, atque à filio ejus perfectum eſſe. Sperare ſe, Mauritium ac Fœderatos illi, quippe Romani Imperij Principi, cui poteſtas ſit, ſacra quæ videantur ſuam in ditionem admittendi, leges non præſcripturos: nihil id obſtiturum vicinitatis juri, nec quicquam Jeſuitas præter ſtudia juventutis curaturos. Ad ea Princeps, *nequaquam ſibi viſum ponere leges Cliviæ Duci, in religione, aut adminiſtrandâ Republicâ; cæterùm Ieſuitas, inviſos homines, tolerare non poſſe. Gnarum ſibi, ſubmiſſos ab Hiſpaniarum Rege, ſpeculandis Fœderatorum rebus; & hanc ob cauſſam niti, ut quam proxime poſſint, ſedem Fœderatis vicinam ponant. Trucidatum ab his parentem ſuum: & æterna ſibi eo cum genere odia fore.* Etenim profeſſus erat percuſſor Arauſionenſis, fuiſſe inter Pontificios virum egregiâ eruditione, qui ſcelus plurimùm diſſuaſiſſet: cæterùm Treviris hortamentis cujuſdam è Societate Jeſu impulſum, patrâſſe. Poſt diſceſſum exercitus Gerardus de Jong, Gravæwartæ Præfectus, abire Emmerica eum ordinem adigit: quippe abactis oppidanorum armentis, negavit ſe redditurum, antequam exegiſſent urbe Jeſuitas. Abſurdè verò Clivienſis Senatus obtento Ducum utriuſque nomine ſe excuſare nitebatur, quorum & hic & ille vecors. Filius autem ob dementiam ad regimen nunquam adhibitus, eo proceſſit furoris, ut vitę ſuę inſidias ſtrui certo exiſtimans, armatus ſemper incederet, & ne nocturno quidem tempore exutis armis, quietem aut ſomnum unquam admitteret. Unde neceſſario ſecuta inſania, ita ut à nobilibus nonnullis perſonatis comprehenſus, cubiculo includeretur, cùm antè quoſdam ſauciaſſet. Etiam parentis imminuta aliquantum mens, non tamen par vecordia, falſoque cogitatum illi de inducendis Jeſuitis, Senatus adfirmabat. Etenim quoad recta illi mens erat, veram religionem amplexus, filias in eâ ſuas educarat, & Auguſtanam confeſſionem per ditiones ſuas doceri publicè, ac de reformando ſacrorum ſtatu ſcriptum condi tanto juſſerat fervore, ut eidem ipſe incumberet, Calvini libros evolveret, ac Georgio Caſſandro nonnullas in Reip. difficultates objicienti, reſponderet: *Non eſſe conſilium contra Deum.* Cæterùm conventus Auguſtani interventu anno MDLXVI præpedita ſunt quę meditabatur, ipſeque Cæſari, imbecillitate quâdam humani ingenij obſiſtere non auſus, adverſum conſcientiam ſuam, idololatrica Miſſę ſacra frequentaverat. Agnoſcant hic omnes Principes juſtam ſupremi Numinis vindictam. Etenim eodem in conventu mens Duci ademta. Ex eo ſemper regimen penes Senatum: in quo plerique Romanenſes, & in Hiſpanum proni; cujus pro lubidine cuncta agere, & ejuſdem auxilijs ſubnixi, diverſa ſentientes terrebant, ac Reformatæ religionis incrementis ſummis viribus impediebant; excluſis imperio Auguſtanę religionis Germanis principibus, quîs Ducis filiæ in matrimonium acceptę. Unde diuturnâ furioſi utriuſque Ducis vitâ, rerum triſtiſſima facies exſtitit, perinde ac ſi gravi bello implicitæ gentes fuiſſent. Quippe Hiſpano faventibus datum Veſaliam, ubi noſtra ſacra vigebant, arctare, circumſita oppida inſidere, caſtella ſub ipſis urbis portis excitare. Nec diſſimile Aquiſgrani fatum, à Juliacenſi Duce in clientelam accepti. Jam in Juliacenſium Cliviæque agris incenſi pagi, direptique, jam uberrimis & fecundiſſimis locis caſtra poſita fuerant: integræ legiones agreſtium copijs ſuſtentabantur: quîs ferrum, & ignem, & dira quæque interminatus miles, niſi tributum penderent. Omnia tamen ea negligere Senatus; obtendebat non temere ob exigua detrimenta

offenden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

offendendam potentiam Hiſpanicam: ſatius tolerari. Eidem fini Jeſuitæ inſtituti, ut confirmatis diverſarum partium viribus, Reformatos opprimerent: idque potiſſimum Emmericæ, urbe Fœderatis conterminâ, & opportunâ ſpargendo latius veneno ſuo, alijſque in partes pertrahendis. Uti compertum jam in Hollandiâ quorundam amicitias ipſis quæſitas. Eam ob cauſſam cordi ea res Mauritio erat, & priuſquam inveteraſcerent, ejiciendos id genus vicinos arbitrabatur. Novembri menſe equitum manus, ex limitaneis præſidijs, diu agitato apud Patres conſilio, in Colonienſium terras dimiſſa, quorum operâ, &, niſi impetrarent, vi, Nivenarij vidua amiſſa bona recuperaret: violenter ea Riſſerſcheitius Comes eripuerat, nec, quamvis poſtulato, ut jure ageretur, impetrare illa poterat; quod Hiſpanicarum partium ille, Nivenariæ maritus in Fœderatorum militia ſupremum diem obierat: nec leve id indicium, pronos in adverſa Colonienſes, falsò animum neutris obnoxium ſimulaviſſe. Igitur noſtri facto per Valkenburgum itinere, Machliniæ, id pago vocabulum, improviſi legionem Arenbergij opprimunt. Centuriæ octo erant, ex quîs ducenti interfecti, capti centum; cæteri fuſi, armiſque exuti. Et fere quadringentis equitibus, recens Parmenſi ad Gallicanum iter ſcriptis, idem fatum fuiſſet, ni Rura flumen, tum forte undantius, vada negaſſet. In reditu Colonienſium agris percurſis, habitantium aliquos abducunt, obſidum loco futuros, donec Nivenariæ à Colonienſi magiſtratu ſatisfactum eſſet. Celebris hic annus (numerabatur autem ſecundus & nonageſimus) multorum Principum fato, alibi motus confeſtim dedit, alibi eorum metum. Ipſis Nonis Januarijs mortalitatem Wilhelmus Cliviæ Dux implevit, ſexennio major ſeptuagenario. Cæterùm extremi anni VI & XX in furore illi tranſacti, cum detrimento ſubditorum, qui Principis ac defenſoris exſortes, graviter à bellantibus utrimque Belgis vexati: dein ab indigenis ipſis, impune nonnullis privatum quæſtum ſectantibus. Defuncto Duce, apertè eorum qui ad Hiſpanum inclinabant conatus erupere, & captatâ gentis dominatione Ducis generos, qui Auguſtana ſacra amplectebantur, exuere imperio adnixi ſunt. Per idem tempus Chriſtianus Saxoniæ Elector finivit, juvenis exſpectationis ſummæ, niſi quòd immodicus potandi. Cordi huic Galliarum Regis, & Eccleſiarum res fuerant, ſeduloque Reformatorum ſacra ſuâ in ditione confirmatum ierat, adverſus Flaccianorum imperitiam, qui falsò ad Martino Luthero tradita provocabant, Reformatorum quam Romanenſium ſacris infeſtiores. Filiorum natu maximo, (octennis tantum erat) tutor datus Wimariæ Saxonum Dux: à quo quæcumque Chriſtiano in ſcholis, aut Eccleſijs cœpta, vel meditata adverſus Pontificios erant, evertuntur: mirantibus multis imprudenter tutelam pueri illi commiſſam, qui Joannem Fridericum avum ſuum, à Mauritio Saxoniæ Duce, [is patruus Chriſtiani] Electoratu pulſum conqueri, & tantum juris eas in terras prætendere poſſet. Septimo decimo Kal. Februar. Dux Joannes Caſimirus, Comes Palatinus, fato ſuo fungitur, qui tutoris titulo Electoratum cognati impuberis loco adminiſtraverat. Cum morte ejus novi ſimul motus, tutelam poſcente ſibi Richardo, patruo magno juvenis Electoris Frederici. Cæterùm cum Flaccianorum ſectam ille profeſſus, & novaturus Eccleſiarum ſcholarumque res videretur, hortante Senatu juvenis Elector ſemet oppoſuit: quippe ſibi impletum ferè ætatis annum decimum octavum: quo exacto etiam tutelæ finem: nec pretium operæ, paucos ob menſes quidquam mutare. Contra ea Richardo adfirmante tutelam ad annum XXIV extendi, Fredericus ad Auream bullam Caroli Quarti provocat, quâ Electori octodecim annos natu, ſuffragium in deligendo Cæſare dabatur; unde multo magis arbitrium illi ſua regendi. Ita excluſus Richardus. Chriſtianum

Gg Electorem,

CIↃ IↃ XCII.

cIↄ Iↄ Electorem, & Caſimirum, magna adverſus Pontificios ac domum Auſtria-
cxii. cum animo volviſſe conſtabat, ni propera mors prævertiſſet. Incitârat huc
Saxonem Caſimirus, dum Hiſpanorum artes memorat, convellendis Ro-
manis Imperij viribus: queis prævertendum. Etiam ſcriptas ab Hiſpania-
rum Rege ad ſe literas promſerat; magnificis promiſſis, ut illectum pro
lubidine traheret. Nonnulli, quòd breviſſimo intervallo Princeps uterque,
& opportuno Romanenſibus caſu extinctus erat, de veneno ſuſpicari: cujus
in Caſimiro nulla indicia notata: ſed æger aſſiduè cerebri dolores quereba-
tur, juſſeratque recludi caput, & inſpici interiora, ſi quando ſupremum ipſe
diem impleviſſet. Verùm obſtitit juvenis Elector, amore patrui, quem ceu
genitorem coluerat. Credebant plerique infectum aëra aut ſuffitum hau-
ſiſſe. Nam uſitatum illi cereis alijſque ad odorem candelis cubiculum per-
fundere. Saxoniæ Electorem haud dubiè venenum rapuit, veniente in
ſuſpicionem Swertſero chymico, cujus ille medicamentum, contra cæte-
rorum medicorum voluntatem, hauſerat. Nec multò pòſt honeſtus Swert-
ſero apud Cæſarem locus. Eâdem tempeſtate humanis rebus exemtus
Guilhelmus Haſſiæ Comes, omnium Romani Imperij Principum natu &
prudentiâ maximus, cujus conſilia magno apud Electorum cæteros loco
fuere. Etiam extinctus Joannes Orientalis Friſiæ Comes: cujus fatum,
quamvis alioqui ortu modici, turbas daturum & ante videbatur, & dedit;
ob ſimultatem cum fratre Edſardo acriter multis annis exercitam, quo ſpa-
tio etiam congreſſus mutuos vitavere. Odio cauſſam dederant diverſæ cir-
ca ſacra opiniones. Quippe Joannes Reformatam publice religionem do-
ceri ſuis in terris voluerat. Edſardus, in Flaccianos pronior, Reformatos
Emdæ Paſtores non ſuâ ſponte habebat: nec abrogare poterat, inductos à
parente, Oldenburgenſi Comite, pietate in Deum & ſingularis prudentiæ
fœminâ, ac de Belgis, dominante Albano, profugis, optimè meritâ. Un-
decimo Kal. Majas Joannes Argentorati Epiſcopus ſtirpe Manderſchitio-
rum ortus, mortalitatem implevit. Hic ob dilectionem ſucceſſoris diſtra-
ctum in partes Collegium eſt. Pars Auguſtanæ Confeſſioni adhærentes,
Joannem Georgium Electorem Brandeburgicum fovere: Pontificij Caro-
lum, Lotharingiæ Ducem, cupiebant. Hinc grave bellum univerſam diœ-
ceſin pervaſit, vaſtavitque. Tandem pax conventa, ut quiſque quæ occu-
paverat, retineret, donec accuratiùs negotium componeretur: ita duos ea-
dem diœceſis Epiſcopos habuit. Poſtridie Kal. Decembres, Atrebati vi-
tam Alexander Farneſius, Parmenſis Princeps, clauſit; quem ſola merito-
rum magnitudo regi ſuſpectum fecerat. Auditum certe è primarijs adver-
ſarum partium viris, veneno ſublatum, quòd gloriam ſuam Regis utilita-
tibus antehabuiſſet. Bruxellis certè Senatorij ordinis virum cuipiam Gel-
dro nobili denuntiâſſe conſtat, brevi mutandam rerum faciem, nec Par-
menſem inter homines, aut ſi ſit, in vinculis fore: tametſi mortis cauſſas me-
dici obduratum lienem differerent, & immodicum aquæ potum; quâ præ-
vertendæ pedum ægritudini multâ uſum eſſe conveniebat. Manifeſtè nota-
batur, poſtremis annis non eodẽ ſtudio Regis eum rebus incubuiſſe, ſive ho-
noris gloriæque copia ſatiatum in ignaviam ſolvit; ut ſubactâ Antverpiâ vo-
luptatibus plus ſolito indulſiſſe compertus eſt, amore cujuſdam Francelli-
næ, ita ut Bruxellis nunquam diſceſſerit, redieritve, niſi ſalutatâ illâ, & horis
aliquot explendæ cupidini datis: ſeu avertit animum, cognito, formidolo-
ſam, nec recte latam Regi gloriam ſuam. Id certum, odium Philippi nonnul-
los poſtea eâdem in gente luiſſe. Etenim Farneſium, quem ætate Cardi-
nalium cæteros ſupergreſſum, acti per modeſtiam anni proximâ in ſpe fa-
ſtigij Pontificij poſuerant, deterruit per legatum Hiſpanus, ne ſummæ in
ſacris poteſtatis gradum ambiret; ſin pertenderet, prohibiturum ſe, nec
cauſſæ

cauſſæ præterea quidquam adjecit. Quam certum nobis fuiſſe Farneſiorum faſtigium ſuſpectum Regi, & in Italiâ periculoſum; ubi infenſum ſibi Florentinum, & Principum alios ſciebat. Etiam Parmenſi ab Rege interdictum, ne per collybum deinceps pecunias à mercatoribus (nam ante florenorum ſępe quingenta millia, & eo amplius, uno tempore mutua ſumere adſueverat) niſi adſentientibus ijs acciperet, quibus curæ id Rex impoſuiſſet. Unde diminutâ autoritate, & pro tantis meritis ignominiâ affectum, haud ſanè mirandum de priſtino fervore nonnihil remiſiſſe. Quin & fuit, quando per nobilem ſalutari, officiaque venerantibus ſueta ad Mauritium deferri juſſit. Cæterùm interventu fati dubitatum, quo animo feciſſet. Fatebatur Antonius de Granada, qui confitentem peccata ſuà audire ſolitus, & ordinis Franciſcani erat, (alioqui Comitum genere oriundus) aperuiſſe ſibi Parmenſem de malis, quæ adverſum Regem agitaſſet. Poſt tamen ſpretum indicium, comperto, puerorum illum, imo & jumentorum conſuetudine fœdum, alijsque flagitijs capitalibus maculoſum fuiſſe. Moxque inquiſitione factâ accuſatur: & inter crimina fuit, quòd confeſſionem evulgaſſet. Ad ultimum, ut Pontifex exemplum ſtatueret, Romam miſſus, in itinere exſpiravit. De Parmenſi Hiſpanorum quoque primores queſti, inutiliter profudiſſe regias pecunias; paulloque antequam extingueretur, Fontanus Comes ex Hiſpaniâ advenerat, quorundam judicijs ſucceſſor deſtinatus. Cæterùm uti poſtea cognitum, ſecretò moniturus, ut majori curâ, & parciùs argentum tractaret. Hujus juſſu comprehenſi nonnulli, qui ærarium adminiſtraverant. Parmenſi ſucceſſor datus Petrus Erneſtus Mansfeldiæ Comes, vir octogeſimo ætatis anno proximus. Sub idem tempus Suecorum Rex exceſſit, regnumque ad filium, Poloniæ Regem, non ſine moleſtijs devolutum. Nam ad inaugurationem dimittere eum Poloni, & niſi ipſe accederet, imperium tradere Sueci abnuebant. Poſtremò impetratus illi abitus à Polonis, modò præſcriptam intra diem reverteretur. Ita Stokholmiæ Rex declaratus ijs legibus eſt, ne quidquam in ſacris novaret, inductoſque à parente Jeſuitas regno pelleret. Etiam in coronatione miſſam, & ſolennes Pontificijs cæremonias adhibere prohibitus, in quîs à matre, ejuſdem religionis, erat educatus. cIↄIↄ XCII.

FINIS LIBRI IX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

EVERARDI REIDANI
ANNALIVM LIBER DECIMVS.

BREVIARIUM LIBRI.

PHILIPPUS NASSOVIUS in Lutzenburgum irrumpit, quo ditionem eam Fœderatis ſtipendiariam faciat. Groningæ obſidium in Friſiorum conventu decretum. Bellingwoldam Guilhelmus Naſſovius munimentis firmat. Verdugus igne Friſiam vaſtat. Naſſovij & Caroli Roordæ ſimultates, jurgiaque orta ob Haſſeletum. Gertrudenbergam, à Mauritio obſeſſam, fruſtra liberare conato Mansfeldio, oppidum dedere ſe adigitur. Palatinus Comes Mauritij ſororem matrimonio ſibi jungit. Crepicordium incaſſum tentat Mansfeldius. Commeatus hoſtilis Groningam tendens à Friſiorum milite cæditur. Verdugus contra datam fidem nobilium quorundam arces occupat. Guilhelmus Naſſovius arcendo hoſtis incurſu, caſtella nonnulla extruit, Covordæ annonam infert, ac Groningam obſideri ſuadet. Princeps Mauritius in Waſianum agrum irruit. Gallorum Rex deſertis Reformatorum ſacris, Pontificiam induit religionem, ac Lutetiam Pariſiorum ingreditur. Guilhelmus Naſſovius loca quædam, Covordæ propinqua, capit: item Weddam ac Slochteram. Burtangam communit. Hiſpani Gallia remeantes in ſeditionem prorumpunt. Quatuor turmæ Fœderatorum cæſæ. Amittuntur Otmarſa, Alwerderzila, Slochtera, Winſchota, & Wedda. Verdugus Tolberti cum Naſſovio confligere ſperans, caſtris defenſum illum, nec pugnæ ullam facultatem reperit. Covordæ iterum commeatus infertur: quam Verdugus obſidio cingit. Weddam recipit Naſſovius; Adwerderzilam irrito conatu petit. Limburgum Philippus Naſſovius; Brugas Mauritius, aſtu tentant: ſed eventu uterque improſpero. Hiſpani Berkæ tumultuantur. Rumores de Erneſti Auſtriaci adventu. Hoſtium novi dilectus: quos inter de pace fama ſpargitur.

cIɔIɔ xciii. ANNUS agebatur poſt mille quingentos tertius & nonageſimus, cùm Philippus Naſſovius, tribus peditum equitumque millibus, Noviomago Lutzenburgum petit, tributariam Fœderatis gentem facturus. Varia longinqui itineris incommoda fuere. Primo adventu compoſitis S. Viti fano inſidijs, non tamen potitus eſt: falſo exploratorum deceptus indicio. Hi retulerant, duplicem tantum oppido portam: quarum utrâque pylorecte diſiectâ, inopinis etiam tertia offunditur. Et quamvis jam prælio paratis noſtris, portarum fragor militem & cives ad arma conciverat: ita retentum oppidum. Digreſſus inde Naſſovius Lutzenburgum, caput gentis, adijt, & incenſis pagorum nonnullis, poſtquam, conſumtis XIV diebus, copias cogi ab hoſte nuntij retulere, militem in hybernacula reducit. At Mauritius, Patrum impulſu,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

omnem hyemem maximo paratu ad obſidium Gertrudenbergæ facto , cIↃIↃ
octavâ decimâ Martij die copias urbi admovit. Properandi variæ cauſſæ, cxiii.
hoſtium aut ſociorum metu. Quippe & caſtrorum opus perfectum (ſaltem
ut defendi poſſet) cupiebat , priuſquam exercitum contrahere , aut inter-
rumpere cœpta Mansfeldius poſſet: & ne diutius exſpectato (nondum enim
Fœderati Proceres ad conferenda hujus anni tributa convenerant) natio-
num cæteræ bellum rurſus trans Rhenum traherent , verebatur. Nec fe-
fellit : quippe Friſiorum Patres , haud multum ad libertatem parandam ſu-
pereſſe laboris rati , obſidium Groningæ acriter pertendebant. Nihil alio-
qui fructus ſibi ex celebribus adeo victorijs : nulla commoda ex graviſſi-
mis & ſupra vires impenſis. Tributum , ut ante , incendij metu hoſti pen-
dere : & metum , ne univerſa quandoque Friſia à Groninganis flammâ,
omnique belli clade pervaſtetur. Hinc jam præterito anno , Novembri
menſe , dum Præfectus aberat, Groningæ circumvallationem , frequenti in
conventu agitatam , & quæcumque eodem pertinerent expenſa ſibi. Ex-
preſſerantque adeo in Actis publicis, quamvis abſurdè ſatis (cum ex uſu re-
pertum ſit , de talibus , quominus erumpant, in conventibus ſilere) nomina
locorum , ubi caſtella , ubi faciendæ munitiones. Erant ea Ponterbrugga,
Selwerda, Hogerbrugga, Ovelgonna, Wedda, & Slochtera. Hæc jamjam
ordienda, quamvis impendente hyeme, cenſuerant. Quod non arduum mo-
do , verum & contra naturam erat , militem caliginoſo , & humili ſolo , in-
clementi aëre, totam hyemem ſub tentorijs continere. Utque parum pro-
vide tractata res , confeſtim Groninganis innotuit : qui fatigare Mansfel-
dium , fatigare ſupplicibus precibus aulam Bruxellenſem non prius deſtite-
re , quam miſſa ſubſidia Rhenum Martio menſe tranſiecerunt. Ita ut non
intempeſtivè tantum mota res ſit , ſed & gravia ſecum traxerit incommo-
da : quippe parato jam hoſte adverſus vim noſtrorum. Guilhelmus Naſſo-
vius tutandas interea Friſiorum res , & auxilij quantum ſine periculo fieret,
in caſtra Mauritij ſubmittendum exiſtimabat, eâ lege, ut deſtinata adſecuti,
proximam ſubjugandæ Groningæ curam Proceres Hollandiæ facerent.
Cæterùm adeo nonnulli è Friſiorum primoribus diffidebant , ut perſuadere
nec poſſent ſibi , nec vellent , Hollandis , periculo ereptis , curæ res Friſio-
rum fore,: & in medijs ſe periculis deſertum ab ſocijs iri præmetuebant:
non exiguo publici detrimento , dum nec ſocijs utiles ſe præbent , nec unâ
cum legione quicquam memoriâ dignum gerere Naſſovius poteſt. Quippe
Verdugo per id tempus peditum centuriæ ſex & xxx , equitum iv erant
turmæ. Fredericus Bergius cum xvi coronatorum millibus , ad ſcriben-
dum militem, Groningâ abierat. Adhæc à Groninganis magiſtratibus Bru-
xellas miſſi Conſul , & Aſſeſſor urbis , certò ſe novum è Brabantiâ militem
adducturos ſignificaverant. Ita ut iv aut v peditum millia Verdugus , vix
tria educere poſſet Naſſovius. His tam invalidis copijs duobus tamen lo-
cis belligerandum erat, dum nationum aut ſuam quæque ſpectat utilitatem,
aut diffidit alienæ voluntati. Et quia nunc ad res Friſiorum venimus , vi-
ſum breviter Guilhelmi Naſſovij geſta percurrere , ne interrumpenda no-
bis ſit obſidionis Gertrudenberganę ſeries. Igitur diversâ in parte Verdu-
gus cum militibus mille quingentis haud procul Groningâ conſederat.
Unde Friſiorum conſilio de circumvallandâ urbe impedito , Naſſovius Ta-
konem ab Hittinga, vicarium legionis ſuę , cum militum octingentis Dren-
thanos cuſtodire limites jubet , à quo prohibendis irruptionibus cœptę du-
ci munitiones. Comes ipſe conſcenſis navibus cum centurijs xiv quintâ
Aprilis die (nec enim ante ob glaciem dabatur) Burtangam tendit , iter,
quod unum Groninganis ſupererat , intercluſurus. Quinto Id. April. Bel-
lingwolderſilam ventum. Is locus marginem Dullarti ſinus prætexit , op-

 portunus

cIↃ IↃ portunus mergendis aut corrumpendis Groningæ itineribus; dum qui ca-
xciii. ſtellum id tenent, concitato æſtu laxatis oſtiorum repagulis, admiſſos fluctus agris vijſque ſuperfundunt; vel occluſis cataractis, retinent aquas ex Burtanga eo decurrentes. Sine morâ Naſſovius munitiones orditur; conſummato opere Weddam ac Burtangam occupaturus: quò alioqui commeatus ſubvehi nequibant, aut, ſiqua neceſſitas ingrueret, nullus niſi Bellingwoldam receptus erat. Vix biduum laborato, Hermannus Bergius cum militum millibus duobus ſupervenit. Sex Italorum, Walonum totidem, binæque Hiſpanicæ erant centuriæ. Adhæc Lamotij legio, cum duabus Pattoni, qui Geldram prodiderat, centurijs. Eæ copiæ Rhenum noviſſimè tranſierant, Groninganis, ſecundum promiſſa Conſulis, & Adſeſſoris (de quibus ſuprà dictum) ſubmiſſæ. Geminas inſuper haſtatorum equitum, unam levis armaturæ turmam Bergius adduxerat. Sed jam huc perductæ à noſtris munitiones, ut infectâ re diſcederet. Ita Winſchotam progreſſus, caſtra ponit, horæ itinere à Bellingwoldâ. Ad Naſſovium in caſtra legati Edſardi Comitis venere, tanquam à ſocio Principe, rogatum ut in officio miles contineretur, ne quidquam Comitis ſubditi acciperent detrimenti. Nondum ſe ad tuguria militum curæ verterant, quorum exiguus numerus viſebatur: ea res obſtitit quominus hoſpitaliter à Naſſovio legati excipi poſſent. At Verdugus, novis, ut oſtenſum, copijs auctus, Otmarſam petere decreverat. Jamque deportata Oldeſaliam tormenta in promtu erant: proximè deſtinata conatibus Covorda: quod conſilij non ſolum Naſſovij adventu diſturbatum, verùm & ne irrumpere in Friſiam poſſet. Itaque Winſchotæ caſtra neceſſariò habuit, quamdiu in propinquo cum milite Naſſovius. Nam deſertam illam ſi noſtri inſediſſent, Groninganis iter in Burtangam claudebatur. Quam ob cauſſam jam ante non Bellingwoldam, ſed Winſchotæ ſedem caſtris deligendam autores fuerant nonnulli. Avidè extemplo apud Friſios arrepta criminandi hæc materies, multis quoquomodo à Comite acta in deterius trahentibus. Itaque diſſerere, neglectam à Naſſovio rei gerendæ opportunitatem, dum privatis rebus & Haſſeletanorum negotio (poſt nobis memorando) in conventu incubuerit. Neglectum ei ob privatas curas egregium publicum. Hâc ſegnitie univerſum claudendæ Burtangæ conſilium in vanum recidiſſe. Jam penetraſſe hoſtem & opportuniſſimum præcepiſſe locum. A Naſſovio autem non inſigni aliquâ ſpe occupatam Bellingwoldam, ſed ne omnino otioſus videretur. Cæterùm vana hæc, temereque vulgata ab locorum ignaris, aut his, quos affectus ſui tranſverſos egerant. Etenim Naſſovius in ſolam Bellingwolderſilam conſilia verterat; tanquam tutum iter ſubvehendis in Burtangam alimentis, quìs nullum ab hoſte periculum. Nec Winſchotæ ſupra pedis altitudinem aquæ incitabantur; Bellingwoldam etiam naves adpelli poterant: illic unum tantum; hic gemina erant ſepta, quæ aquarum vim multò majorem coërcerent aut acciperent: eoque longe utilior Bellingwolda reſtagnandis Groningæ itineribus; quæ ſumma conſiliorum Naſſovij. Addebant, expugnandam Weddam fuiſſe: quod periculi plenum. Etenim Verdugo centenis tantum militibus Bellingwoldæ impoſitis, promtum intercludere ſubvectiones, nec Naſſovio receptus ullus erat, niſi trans paludes. Ne miles quidem, ut eâ anni tempeſtate, contineri Weddæ poterat: circum quippe ſteriles campi jacent, lignorum, ſtraminis, omniſque materiæ exſortes, quìs ad tuguria miles adverſum injurias cœli uti adſuevit. Vix Bellingwoldæ à ſe aquas prohibuere. Et ni tuguria è ligno, quæ per artem committi ac diſſolvi poterant (quamvis à multis primo inriſa ob novitatem) navibus advecta fuiſſent, aut infectâ re cum damno atque ignominiâ redeundum fuerat, aut militum multos vis frigoris, imbriumque ſævitia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

vitia rapuiſſet. Verdugus ut muniri Bellingwoldam, neque ſe turbare poſſe CIↃ IↃ
videt, ſi fortè alibi incumbens diſtraheret noſtros, equitatum (nam pedes XCIII.
cuſtodiendæ Winſchotæ relictus) in Friſiam emittit. Ii quartâ decimâ
Aprilis die captis ruſticorum nonnullis, nec ulterius penetrare auſi, rever-
tuntur. Undecimo Kal. Majas, (præcedebat is dies Paſchatis feſtum) re-
greſſi, Bergę, Sumerę, ac Garipę, incendia fecere etiam Leovardienſibus
ex urbe conſpecta. Igitur opportunus denuo calumniandi Naſſovium ca-
ſus, licet ne præſens quidem omnes Friſiorum pagos ab incendijs hoſtilium
globorum defendere poſſet: imprimis eos, qui hoſtibus tributarij, ob non
ſoluta ſtipendia vexabantur. Iter tamen celerat, & relictis Bellingwoldę
centurijs octo (nam parùm opus ob frequentes imbres proceſſerat) ipſe
III. Nonas Majas Colmerſilam appulit: indeque, priuſquam Leovardiam
ad conventum iret, limites, qui Drentam Friſiamque intercedunt, petit,
cunctaque diſponit, ne inultis hoſtibus agri vaſtarentur, aut urerentur. Si-
mulac Leovardiam Naſſovium adveniſſe fama percrebuit, magno & cives,
& ruricolæ in gaudio eſſe, nihil jam, tanquam recepto duce, hoſtem metu-
entes. Nec vana lætitia fuit: quippe haud quidquam ex eo hoſtibus tenta-
tum. Sed quoniam incidi in hunc locum, non abs re, quamvis Gertru-
denbergam properanti, viſum, cauſſas, originem, ac progreſſum harum
criminationum altius repetere: maximè verò quòd Naſſovius ſingulari ha-
ctenus apud omnes gratiâ, miroque favore, ſubitò, quorundam artibus,
odia non minora perſenſit. Primordia ab Haſſeleto fuere. Id oppidulum
Tranſiſalani juris ad tutandos Friſiorum limites opportuno eſt poſitu. Eam-
que ob cauſſam Carolo Roordæ, qui Friſiorum miſſu inter Fœderatos Pro-
ceres erat, exercita cum Johanne Cornputio, præſidij præfecto, amicitia,
cùm confuſam apud Tranſiſalanos Remp. videret. Etenim magnum Corn-
putij pro religione ac patriâ ſtudium: ſimul eruditio haud vulgaris, rariſſimo
inter milites exemplo. Anno elapſi ſæculi undenonageſimo, cum in Hol-
landiæ, aliarumque nationum præſidijs, ingentes turbas Liceſtrianę factio-
nes commoviſſent, Hollandiæque Proceres, Geldricis ac Tranſiſalanis ur-
bibus ſuum ad id tempus militem imponere ſueti, Medembliccę obſidio
diſtinerentur, neque quâ par erat curâ limitaneas cuſtodire urbes poſſent:
Fœderati Patres Guilhelmo Naſſovio ſcripſerant, ut centuriam ex ſuâ le-
gione præſidio Haſſeleto mitteret. Ille primò Friſiorum motus, Hollandi-
cis haud minores, obtendere, ac demonſtrare, ægrè forſan laturum Nive-
narium, in præfecturam ſuam ab altero involari. Cæterùm iteratò Patri-
bus, & acriùs monentibus, Petrum Foppium cum milite Haſſeleto imponit.
Exin, defuncto non multò pòſt Nivenario, Friſiæ Procerum legati Sickium
Dekamam, ac Wytzium Cammingam ad Tranſiſalanos miſere, rogaturos,
ut (quemadmodum olim) ſub imperium Friſiorum Præfecti venirent. Serò
tamen ij acceſſere. Etenim dum è Tranſiſalanis nonnulli, caritate Naſſovij,
perpellere huc populares nituntur, nectere moras Friſij, & ambigere, con-
ſultumne rebus ſuis foret, Naſſovij potentiam creſcere, quem diſtractum
non eâdem erga Friſios curâ, aut obſequio, fore rebantur: quippe elatum
auctu faſtigij. Igitur eâ legatione irritâ, Dekama & Camminga, collo-
quium cum ſolis Haſſeletanis cœpere, ne quemquam præter Friſiorum mi-
lites acciperent: ſeque pecuniam pro militum hoſpitijs daturos: cum antè
civitas domicilia, ignem, cęteraque pręter victum & veſtem neceſſaria,
præſidio gratificaretur. Id factum graviter Tranſiſalanis, & pro divortio
gentis ſuę acceptum. Itaque aſſiduè apud Fœderatos Patres, apud Sena-
tum, apud Mauritium (quem Nivenarij in locum terris ſuis pręfecerant)
querebantur, nequaquam ferendum, ut quidquam ſuis, aut ſociorum terris,
avellatur. Licet par ratio eſſet Haſſeleti à Friſijs cuſtoditi, ac Camporum ab
Hollandis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ XCIII. Hollandis. Id modò diſcriminis erat, quòd non idem Friſijs, quod Hollandis, concedendum putarent Tranſiſalani. Igitur ſpargere illi, Friſios Haſſeletum in poteſtatem redigere, cumque Stenovico & Vollenhoâ ſuæ adjungere ditioni velle. Nec temerè queſtos, exitus oſtendit. Quippe compertum, Friſiorum cum Haſſeletanis contractum (qui anno LXXXIX publicatus) jam multò ante cum ijs Amſtelodami Roordam agitaſſe, & quo facilius procederet, mutuam dediſſe pecuniam. Cum dolore ſociorum hæc diſſidia Guilhelmus Naſſovius excepit. Tamen plerique à Delegatis Friſiorum ratas pactiones cupiebant, allato Hollandorum exemplo, qui Stavriam Friſijs, Bommelam Geldris eundem in modum ſubductas retinerent. *Cur ſi Haſſeleto paciſci cum Friſijs haud permittatur, plus alijs juris dari?* Pòſt anno XCII occaſionem habuit Naſſovius repetendi ſermones de reſtituendo Haſſeleto: nam Covordæ obſidium agitabatur; ſedulò nitentibus Friſijs, ut capto oppidulo ſuus imponeretur miles; quando plus in eâ momenti rebus ſuis, quam ſociorum cuiquam foret. Hæc illis contendentibus, cunctari Mauritius, non ignarus, jus ſibi in Covordam vindicare Tranſiſalanos. Tandem pollicetur; ſed eâ lege, ut, ſi patraretur obſidio, Guilhelmus Naſſovius Haſſeleto militem ſuum deduceret: ſolatium id fore Tranſiſalanis, indignantibus ob præreptam Covordam. Ita facturum Naſſovius recepit, ipſo Roordâ coram, & præſentibus Friſiorum Delegatis: & Mauritius ſimul deditâ Covordâ Friſiorum militem immittit, aſpernatus graviſſimos Tranſiſalanorum queſtus. Data tamen illis acta, quîs continebatur, integrum nihilominus jus retenturos, & controverſiam Fœderatorum Patrum arbitrio, cuſtodiam loci Guilhelmo Naſſovio interea relinquendam. Exſolutis à Mauritio quæcumque promiſerat, Guilhelmus implendæ fidei properus, Martenam, qui militem Haſſeleti dirigebat, præſidio abire jubet. Fortè in oppido per idem tempus, cum duobus Friſiæ Patrum legatis; Carolus Roorda erat: ij Martenam adgreſſi, hortantur, ne digrediatur oppido, & ſimul omni in ſe culpâ receptâ, perſuadent. At Naſſovius eluſum ſe, ſpretamq́ue autoritatem, quamvis dolens, ferebat: tamen gnarus, Mauritium & Tranſiſalanos, retento Haſſeleto, graviſſimè offenſos, de admovendis oppido machinis agitare, (poterantq́ue paucis horis, adeo invalidum erat, ad deditionem compellere) maluit Roordæ, & quibus eadem placita, quamvis aſperrima in ſe odia concitare, quàm ſocias inter ſe gentes committi. Igitur exactis menſibus duobus, Leovardiam reverſus in frequenti Delegatorum Friſiæ conventu, rem, ut erat, univerſam exponit. Illi multùm probatâ Comitis oratione, nonnullos è magiſtratibus Haſſeletanis inducunt, ut antiquatis, quęcumque cum Friſijs pacti eſſent, ſe imperio Mauritij ſubjiciant, tanquam Tranſiſalanis præfecti, ejuſq́ue militem admittant. Huc permoti magiſtratus mittunt ſuo nomine ad Mauritium nonnullos, quîs literas ſuas Comes tradidit, quò humanius exciperentur: poſtulato inter cætera, ut Haſſeleti vicem, Stavriam Friſijs ab Hollandis reddi Mauritius operam daret. Huc perducta jam res erat, cum ineunte Aprili Guilhelmus Naſſovius Bellingwoldam abit. Quando autem ſub id tempus conventus Leovardiæ habebatur, ante abitum rem omnem aperit, magnoq́ue adſenſu auditus, & quæ diſſeruerat, comprobata ſunt. Inter hæc Roorda legatos Haſſeletanos, qui Hagam jam venerant, variâ tentans oratione, pepulit, ne Mauritium adirent, fidemq́ue dat, flexurum Friſiæ Patres, ut à propoſito abſiſtant. In Naſſovium probra cumulat, tanquam tyrannico more bonos Haſſeletanos (ita enim appellabat) Mauritio ſe ſubjicere minis adegiſſet. Quæ dum geruntur, fortè in manus Naſſovij pervenerunt literæ ad Ecconem Iſbrandi ab eo ſcriptæ. Is Friſiorum Patribus ab arcanis, tantâque apud Roordam erat gratiâ, ut cogitationum ſecretiſſima apud eum deponeret.

Naſſovius

cIↄ Iↄ xciii.

Naſſovius effractâ epiſtolâ livoris atque obtrectationis plenam reperit, ſeque lacerari, quòd adverſa ſaluti, adverſa decori Friſiorum faceret; degenerem à virtutibus domus Naſſoviæ. Occultum in ſinu tyrannum Friſios alere, moxque vicinorum in poteſtatem ceſſuros. Et hæc quidem, ac talia ſcripſerat Roorda; graviora Naſſovio, ob vetera amicitiæ. Nam & complexus hominem arctiſſimè, & gravibus in rebus non alterius æquè conſilia adhibere ſolitus erat. Preſſis tamen literis, paucis poſt diebus Bellingwoldam abit, mœſtus totâ expeditione, & ſolitudinis cupitor, ſimulac facienda præfectis præſcripſiſſet: mirantibus, juxtáque ignaris cauſſæ miniſtris, & quibuſcumque, ob uſum propriorem revelare, quæ animo volveret, adſueverat. Medio Aprili Roorda, Camminga, ac Kempo Donia, Hagâ Comitum Leovardiam reverſi nihil intentatum reliquere, ut noviſſimè decreta everterent. Eo conſilio accitis Haſſeletanorum legatis perſuadent, ut ſupplici libello in conventu oſtendant, Haſſeletum, Friſijs ſolenni fœdere copulatum, divelli, niſi partium utriuſque adſenſu, haud poſſe. Proinde obteſtarentur Adſeſſores per famam eorum, per decus gentis, perſeverarent in fœdere, à quo recedere ipſi nec velint, nec poſſint. Sub hæc compertum Roordæ literas, quas ad Ecconem Iſbrandi ſcripſerat, à Naſſovio interceptas. Hinc irâ æſtuans, diſſimulato privatim à ſe literas ad Ecconem datas, quo pluribus adverſus Naſſovium ſocijs inſiſteret, apud Cammingam Doniamque queritur, recluſas à Naſſovio literas, quas publicè ad Friſiorum Delegatos ſimul miſerint: nec ante quam ſcrutatus cuncta eſſet, callidè obſignatas tradidiſſe. Nonnulli, quîs ignarum de interceptis Roordæ literis, Naſſovij, & publicæ quietis caritate, multum rogare, ne pacem conventus rixis ante reditum ejus turbarent. Spatium darent defenſioni illius; ſi ne ſic quidem ſatisfactum foret, tempeſtive tunc querelas orſuros. Sed nihil moræ commotæ ad iram mentes patiebantur. Apertè duobus Naſſovij amicis coram jactavit Roorda, veniſſe jam conquerendi tempus, dum recens culpa eſſet, hoſte ſegnitiâ Naſſovij Friſiorum terras ingreſſo. Nequidquam poſtea vociferaturos, ubi novo è victoriâ gaudio omnium animos perfudiſſet. Itaque palàm in conventu invidiam movere, alienare animos, ac diſſerere, recluſas ab illo literas, quas, tanquam miniſtri Friſiorum, ad imperantes ſibi perſcripſiſſent. Mox in deterius hæc detorta, ſummæ indicium diffidentiæ, & ſiniſtras machinationes adverſum libertatem, & patriam Remp. interpretabantur. Quibus maturè & ſummis ſtudijs occurrendum. Nunciatur interea Naſſovio, Friſiorum agros ab hoſte, famam ejus ab obtrectantibus premi. Quamobrem, licet cœpto Bellingwoldæ operi adeſſe eum expediebat, celerato itinere, nondum dimiſſum conventum reperit. Cognitoque omnium aures falſis de ſe calumnijs repletas, plurimùm doluit, ereptam ſibi ſpem negotium clam cum ſolo Roordâ, aut paucorum conſcientiâ componendi. Igitur prævidens ſilentium pro confeſſione fore; & ſi exiſtimationi Roordæ conſuleret, Haſſeletum Mauritio præripi: hinc diffidentiam mutuam, & apud ſociorum cæteros ſuſpicionem, tanquam promiſſam Haſſeleti reſtitutionem ſubverti ab alijs pateretur: nihil reticere, & frequenti in conventu tradere literas Roordæ conſtituit. Sexto Id. Maij cum ingreſſus, Friſiorum delegatis coram, & ipſo Roordâ, Cammingâ, Doniâque (quos acciri juſſerat) queritur, *abſentem ſe, & pro Rep. in hoſtem ac pericula profectum calumnijs onerari: nullâ habitâ ratione fidei ſuæ, nullâ laborum in conſectandis etiam proprio ſanguine Reip. commodis. Perfidè ſecum, & præter leges actum eſſe.* Exin ad Roordam, Cammingam, Doniamque verſus, *ſi non beneficiorum memoria,* inquit, *non generis aut faſtigij mei, non denique publicæ dignitatis apud vos ulla fuit reverentia; at ſaltem ut cum Chriſtiano agere, & convitijs hactenus temperare par erat, donec reſponſa*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ xciii. *mea audiſſetis. Satisfeciſſem animis veſtris, & contentiones omni tempore, hoc tamen maximè, noxias Reip. impediÿſſem. Iam eò me neceſſitatis veſtræ injuriæ perpulerunt, ut venerandum hunc conventum noſtris diſcordiÿs in triſtitiam dare & revelare cogar, quæ quintam jam hebdomadem, publicæ tranquillitatis ſtudio, cum gemitu, cum dolore, nulli cognita, ſuppreſſi. Et quatenus ſilentiÿ me abrumpere pertinaciam, & diluere crimina ipſi adegiſtis, Deum teſtor immortalem, quem noviſſimâ die judicem exſpecto, veſtras Proceres,* (appellabat Delegatos) *literas, ne contrectatas quidem manibus meis, ut aperirem. Quamquam ea inter nos fides eſt, ut nullâ mali ſuſpicione, meas à vobis, veſtras à me literas perlectas memoriâ teneam. Nec ſiniſtras meditari opus erat artes, ſcrutando earum argumento, cui promti in Senatum aditus, & poteſtas perlegendi eas, aut per ſcribam ad me deferri imperandi, datur, quod nunquam denegatum mihi à vobis ſcio. Tibi Roorda & denuntio, & ſcire licet, quas privatim ad Ecconem literas dediſti, effregiſſe me; non curioſitate, non inani ſuſpicione, ſed certò præſcium, laceſſitam convitiÿs tuis famam meam, ingeſta crimina. Et ob id aſſerendæ exiſtimationis, tibique reſpondere cupido, quærendum fuit, ut tuis te verbis convincerem, atque effugium adimerem negandi.* His dictis, promſit literas Naſſovius, plenoque in conventu clariore voce recitari jubet, omnibus ad impudentes, qui continebantur ſermones, & convitia attonitis, nec minore triſtitiâ ſecutura inde mala cogitantibus. Perlectâ epiſtolâ, Naſſovius, ut ſeditioſum & alieni nominis obtrectatorem, mentitum eſſe Roordam ait; & eos qui miſſu publico conventui intererant rogat, arbitros darent diſceptando negotio, libentem ſe eorum judicio, ut inferiorem, ſubmiſſurum: *quando nec tibi,* inquit, *Roorda, id dignitatis, ut certare armis mecum poſſis, & ego me non dominum, ſed legibus teneri putem, idque re ipsâ comprobatum dare expiam.* At Roorda, ſæpius Naſſovij ſermonibus interruptis, probra ac maledicta effundere, obſtupefactus, quantum videbatur, quòd inopino, in celebri adeo circumſtantium coronâ, ejuſmodi queſtus offunderentur; an ratus, accenſum irâ Naſſovium, & immemorem ſui, abreptum iri, ut indecoro aliquo facto cauſſam corrumperet. Cæterùm ille aſpernatus ea, ad acriora ſubinde verba prolabebatur, ſed, ut compotem ſui quiſque agnoſceret, donec tandem Haſſeletanum negotium, quod diſcordiæ initium, narrare occipientem, denuo interpellans Roorda, mendacia fingere exclamat. Tum Naſſovius, *tu quidem,* inquit, *Roorda, modum excedis: at non eo impelles, ut quidquam me minus dignum perpetrem. Rem omnem, ut geſta eſt, exponere, & nunc diſcedere animus eſt.* Ita conventu digreſſus, poſterâ die redit, ſemotis Roordâ ejuſque aſſeclis, & Haſſeletanum negotium ſine irâ, ſine ſtudio ordine commemorat. Protulit faciendæ fidei acta, & de pleriſque ipſas Haſſeletanorum literas. Adeoque cuncta probavere, qui in conventu erant, ut priſtinum decretum reducerent. Ita triſti huic contentioni finis impoſitus, ſtatutumque, ut Naſſovius coram conſeſſu Friſiorum, qui ordinarij judices, injuriarum actionem inſtitueret. Roorda è collegio Fœderatorum Patrum, cui per annos xvi interfuerat, motus eſt. Nunc Gertrudenbergam redeo. Id oppidum exiguum, at momenti non ex mole æſtimandi. Ditionis Hollandicæ eſt, quamvis in ulteriori Brabantiæ ripa ſitum. E tribus lateribus, duo, & plus ijs, aquæ cingunt. Urbs ipſa munita, & multorum judicio inexpugnabilis: foſſis, aggeribus, loricis, jam ab Arauſionenſi olim poſt Gandavenſem pacem firmata, ut hanc velut Brabantiæ clavem retineret. Multum ex eâ damni Hollandiam Zelandiamque inter navigantibus hoſtis inferebat, cum nullæ Dordrechto, aut Gorcomio profectæ naves effugere conſpectum Gertrudenbergenſium poſſent. Unde ſedula hoſti cura ſervandæ urbis, qui, proditoribus deductis, Italorum præſidium impoſuerat. Mox, defuncto Parmenſi, abire Italis juſſis, quinque & decem Walonum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

centuriæ ſucceſſerant præfecto Waterdikio, militiâ inſigni. Is ſuperiore CIↃIↃ XCII.
anno Stenovico obſeſſo incluſus, nunc Gertrudenbergâ aberat. Obſidio per diverſa ardua erat: commeatus, pyrius pulvis, cæteraque neceſſaria proviſa; propinquus hoſtis; cui facilius multò celeriuſque omnes huc cogere vires, quam Stenovicum, aut Covordam. Ibi quippe XL aut L millium iter, duo amnes, Moſa, & Rhenus, navibus uterque frequens, ſuperandi: commeatus multiplex ſubvehendus; nec ſine diſpendio Gallicani belli. At Gertrudenberga vicina, Gallorúmque limitibus haud perinde procul abſita, non fluminum intercurſus ituros morabantur. Ne noſtro quidem exercitui vires eæ, quæ ad Stenovicum, aut Covordam: quippe tria millia ad defenſionem Friſiæ à Naſſovio retenta: & auxilium iuſuper, quo carere neuter poterat, ille à Mauritio, hic viciſſim ab illo poſtulabat: egregio documento, quanto incommodo ſimul & diſcrimine exiguus Patrum exercitus divideretur. Et Guilhelmus quidem ſatis pro ſe profectum arbitrabatur, ſi Verdugum, cui millia peditum quatuor, attineret, ne in Brabantiam iter, ſeque cætero jungere exercitui moliretur. Hæc licet arduam oppugnationem facerent, progredi nihilominus, & obſideri oppidum placuit, urgentibus maximè Hollandis, quibus exemto hoc oppido, integra ditionis ſuæ poſſeſſio; non tamen uſquequaque ab hoſte tuta, dum Gertrudenbergam ille teneret. Mauritium quoque privatæ exſtimulabant cauſſæ, ad repetendam urbem, quam pignoris loco à parente poſſeſſam, hæreditatis jure acceperat: difficultates quaſvis impigro labore ſuperari, & quod exercitus viribus deerat, munitionum robore penſari poſſe confidebat. His conſummandis, priuſquam ſuperveniret hoſtis, celerandum ratus, quintadecimâ Martij die, juxta veterem ephemeridem, obſidium orſus eſt, inclementi adhuc cœlo, crebroque imbrium lapſu, quîs militum complures abſumti. Superaverant ad Stenovicum opera omnia, quæ Belgico aut Gallorum hactenus bello viſa; ſed illis tantò hæc majora, quantò promtius hoſti celeriuſque valido cum exercitu Gertrudenbergam accedere. Univerſum latus, quo continenti admovetur urbs, aggeribus, caſtellis ac propugnaculis emunitum. Propugnaculis caſtellorum ea magnitudo & forma, ut defendi adverſus tormentorum violentiam quirent: pro horum modo foſſæ: quarum in medio duplex ſudium defixus ordo, pinnis in ſummo ferreis armatarum. Ante eas valli acuto præpilati ferro, & cæcæ ſcrobes erant, mariceſque per campum ſparſi, prohibendo equitatu, quo ingreſſi imprudentes ſeipſi induebant. Alia camporum ob enatas arundines, & incumbentes aquas, inutilia accipiendo operi, molarum exhauſtu, ſolidata, fluctuſque ſuperfuſi agris, ubi aquæ pro Fœderatis, adverſum hoſtem opportunæ erant. Ita quicquid circum ſoli erat, novâ facie mutatum; nudata quæ tegebantur, merſa quæ apparebant. Diverſo latere, ubi cuncta aquæ circumveniunt, objecta urbi navium corona, quæ dejectis anchoris, funibuſque invicem adnexæ, catenæ unius ſpeciem præbebant. Ita terrâ, & aquâ omnibus ad urbem acceſſibus intercluſis, non penetrare homines, non perferri literæ ad obſeſſos poterant. Prima laborum in aggere fuere, ut tecti foſſæ oppidi propinquarent: quippe humiles campi, utque eâ anni tempeſtate madentes, ne tegendo quidem ſingulari militi humum dabant; primo quoque ligonis ictu ſe aquis oſtendentibus. Sextâ die laborum exactâ, jam ſuccedere devexo urbis aggeri cœperant, cum repens tempeſtas, fluctuſque abundantes, omnia corrupere. Agger, namque egeſta humo invalidior, perruptus, ac vigilum ſtatio, (XXX homines erant) eâ inundatione à cæteris caſtris excluſa. Simul obſeſſi non modò eruptione factâ pleroſque trucidarunt, aut cepere; ſed & noſtrorum operibus moniti, quâ parte peterentur, ſine morâ novas extra urbem munitiones excitant, ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ CXIII. devexo urbis aggeri noſtrorum committebatur agger. Ita duplicatus oppugnantibus labos. Neque enim aliud iter propinquandi oppido, niſi ſolo hoc aggere dabatur. Idem anguſtus inſuper, & univerſus jactibus hoſtium pateſcebat, è propugnaculo indito aggeri, qui Dongæ (id nomen flumini haud procul Gertrudenbergâ in mare decurrenti) prætendebatur. Itaque arduum opus, maximè, intonantibus obſeſſorum tormentis: quæ adverſum unæ milites noſtros gerræ tutatæ ſunt. Nam aggerem ſi eximas, nuſquam tantum ſoli, quin egeſtâ pedis in altitudinem terrâ, aquæ erumperent. Decimâ obſidij die Mansfeldius I V militum millia Herentalium mittit, numerumque indies auget, caſtellis cives imponit, deductis præſidio militibus, & in caſtra ſubmiſſis. Eadem quoque Fœderatis acta, Bergaſque ad Zomam per vices Dordrechtanorũ, ac Roterodamenſium cives cuſtodivere. Trecentis ab urbe paſſibus, latere quo in Auſtrum vergit, caſtellum obſeſſis erat, aggeri impoſitum, hinc Dongâ flumine, inde paluſtribus clauſum locis, quod noſtrorum eâ parte labores morabatur. Igitur Hohenloius in inſulâ, medio Dongâ caſtellum contra ſitâ, machinas diſponit: ſecutâque nocte, trans flumen, inter urbem & caſtellum, in aggere munimenti nonnihil adgeſtum. Cuſtodes caſtelli poſterâ die, ut ab urbe intercluſos ſe, neque auxilij quidquam inde exſpectandum vident, veniam corporibus, armis, omnique inſtrumento pacti, deditionem faciunt V Kal. Junias. Tum bini Dongæ pontes haud procul caſtello injecti, navibus unus, malis alter incumbens, quò promtius ex Hohenloij ſede in caſtra Mauritij ultro citroque commearetur, celerandis, ſiqua neceſſitas ingrueret, auxilijs. Quippe trium ferè horarum iter aquæ paludeſque interjectæ, & viarum flexus, faciebant. Mox erectæ utriſque in caſtris ſpeculæ, faciendis ſignicationibus. Vaſtus adeò caſtrorum ambitus ſpatioſos quoque campos, & vacua prata incluſerat, opportuna profugis ruricolis. His tutum jam caſtra perfugium erant, quorum formidine dilabi aliàs, ſuiſque rebus conſulere adſuevere. Itaque huc armentorum greges, huc cætera ſua compulere, omnium ſecuri, ſeveritate diſciplinæ, ſtrictioris, quàm adhuc apud Belgas vidiſſe quiſquam meminerat. Quod evidens documentum, falsò adfirmatum nonnullis, inteſtino aut civili bello laxari diſciplinam: quando non facultatum, non virium inopiâ, ſed regentium inſcitiâ, malè coërcitum militem in licentiam prorupiſſe nunc uſus oſtendebat. Hinc igitur ampliſſima in caſtris commeatus copia, & viliora cuncta, quàm in florentiſſimis Belgarum civitatibus. Paſcebantur media inter arma jumentorum cœtus: ruricolæ lac, & mercium venalia, nullo interpellante, circum tentoria deferebant. Quo haud mediocre momentum Hollandiæ Procerum cura attulit, dum ſedulò temperari ab injurijs, & omni maleficio in ſubditos ſuos abſtineri prohibent, augendis vectigalium quæſtibus. Tormentorum ingens in caſtris numerus per vallum, propugnacula, caſtellaque diſpoſitus, ſine intermiſſione urbem lacerabat; non modò adactis in mœnia globis, ſed in domuum quaſcumque: ita ut dedito oppido, vix quatuor intemeratæ numerarentur. Splendidum quoque palatium ab Arauſionenſi exſtructum, multis quaſſatum globis, diſiectumque eſt. Adverſum boreale urbis latus ſena in ſpeciem, & fallendo hoſti tormenta, è ligno, collocata: nequidquam ſe obſeſſis contra fatigantibus, multoque pyrio pulvere profuſo. Mansfeldius interea non diem, non noctem quieſcere, & militem undique liberandæ urbi evocare. Qui dum caſtris adſidet, ducum, diverſa cupientium, æmulatio, in malum eruptura videbatur. Hohenloius enim valentiſſimum caſtellum, grandibus impenſis (erogatis fere X X I V florenorum millibus (Ramſdonkæ jecerat; cui alterum ſeſquimille paſſus ab urbe longiùs prætexendum Mauritius cenſebat, ſubmovendis quam longiſſimè ab urbe externis hoſtium auxilijs.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

auxilijs. Id improbatum Hohenloio, haudquaquam novum caſtellum va- cIↃ IↃ
lidiſſimas Mansfeldij copias ſuſtentaturum exiſtimanti. Igitur primo con- CXIII.
ſilium Mauritius omiſit. Cæterùm ut propinquare hoſtem, & prorſus neceſſarium eſſe caſtellum intellexit, accingere ſe operi militem pro autoritate jubet. Pertinax tamen in ſententiâ Hohenloius perſeverabat, & ad ultimum, *Centuriones*, inquit, *in exitium ruitis, ni cœptis abſiſtatis: me ducem vetus ad caſtellum ſequimini*. Tum Mauritius, idque clariore voce, *Sicui*, ait, *tantum audaciæ, ut regrediatur, extemplo paratum ſibi à me patibulum ſciat.* Secuta dein jurgia aſpera, opus tamen perfectum, & ad noviſſimum uſque obſidij diem defenſum eſt. At non Mansfeldio eâ parte tentata caſtra; ſed ſeneſcente Majo, vertit agmen ad occidentem urbis, contraque Mauritij ſtationem à tormenti jactu reſiſtens, munimentis ſe firmat. Peditum illi equitumque millia XIV, tormentorum diverſi generis innumera vis, non ut caſtra, ſed validam civitatem veniſſe oppugnatum crederes. Hîc poſtquam decem dierum morâ caſtrorum munitiones, & volitantes itineribus ſeptem Bredanorum equitum turmas commeatus ſuos intercipere cognovit, conclamatis vaſis, Langſtratam abit, ab ortu urbi, & Hohenloij caſtris objectam; ſpe ſublevandi Sylvâducis ſubvectionum duritatem. Huc aliquot demum poſt diebus acceſſit, ob Dongam amnem, & patentia paludum longiùs, circumducto exercitu. Jam caſtra circumquaque aggere, propugnaculis, foſſis, ſudibus, machinis, ita communita erant, ut tantundem hic Mansfeldio ſpei oſtenderetur. Cæterùm lato caſtrorum ambitu, & invalidis copijs, (nam quina tantum armatorum millia in univerſum numerabantur) cùm præſidijs cuncta firmanda eſſent, ſupra modum militem aſſidui labores vigiliæque, fatigabant, vix ullo ad quietem ſpatio ob propinquum hoſtem. Igitur nuncij ſuper alios alij à Mauritio ad Friſios miſſi; etiam Senatus nomine duo ivêre, ſubſidium mille militum rogaturi. At Proceres, ſua reſpectantes, parum id tutum arbitrari, imminente Friſiorum limitibus Verdugo cum centurijs XVI Winſchotâ abductis. Urgebant inſuper Groningani; qui captâ Bellingwoldâ, & mox Covordâ, itinerum ſibi uſum præreptum indignantes, in Friſios, calamitatis ſuæ autores, Verdugum exſtimulabant, vaſtaret agros, & facultates, quîs adverſum urbem ſuam ij uterentur, adimeret. Erant illi his patrandis militum terna millia: Naſſovij vires infirmatæ, relictis Bellingwoldæ octonis centurijs, in quîs nihil Friſijs præſidij. Cruda cunctis memoria, & recens dolor noviſſimæ cladis ſub oculis Leovardienſium. Quæ licet obſiſterent, quatuor tamen centuriæ Gertrudenbergam mittuntur, & promiſſum, binas mox ſecuturas. Suaſerat id Naſſovius, ne Friſij, proximo biennio tantis ſociorum auxilijs ſublevati, ſolâ rerum ſuarum, nullâ publici curâ duci viderentur: ſimul metu in poſterum, ne ipſi ſociorum quandoque indigi, auxilia nequidquam implorarent. Fortè quo tempore Friſiorum miles in caſtra venit, Langſtratum Mansfeldius petierat; ibique à ſclopi jactu, contra Hohenloij caſtra conſedit. Eandem in partem ſtatim Mauritius abijt, aſſumtâ cohorte prætoriâ, accuratiùs cunctis è propinquo adminiſtrandis. Mansfeldius omnia pari diligentiâ munitionibus firmata reperiens, caſtris eo loco factis, nullâque memorabili re tentatâ, ſuos tenuit. Rebantur omnes militiæ periti, & ipſi, & conſiliarijs ejus, priora hujus belli exempla repetentibus, certò perſuaſum fuiſſe, ne mente quidem ullâ id roboris caſtra concipi poſſe, quin promtum foret immensâ tormentorum vi, militumque triplo validiore numero, perrumpere: ideoque tanquam haud dubiâ ſpe expugnandis caſtris acceſſiſſe. Etiam Mauritium ad famam adventus ſui dilapſurum, crediſſe conſtat. Hinc neglecta ei, quæcumque, alibi incumbens, avocandis ab obſidio noſtris opportuna aggredi poterat. Namque in Geldriam, aut Zutphanienſem Co-

cIↄ Iↄ xciii. mitatum (quod omnibus in metu) vires vertenti, magnæ rei gerendæ ſpes adfulgebant. Sed dignius illi regiâ majeſtate ac potentiâ viſum, proxima ſequi, hoſtemq́ue caſtris ſuis exturbare. Poſtquam ſpe falſus, & caſtra multis validiora urbibus reperit, jam effluxerat occaſio: quando diſceſſum ejus pro deſperatione accipientes oppidani, animos dimiſſuri erant. Et veriſimile videbatur, urbem dedituros, ubi nihil in Mansfeldio ſpei, nec illum caſtra Fœderatorum aggredi auſum comperiſſent. Cæterùm ne deſes videretur, faſces virgultorum quamplurimos, maximamq́ue cratium vim comportari jubet, velut iter ad latus aggeris per lutoſa & aquarum humilia in urbem paraturus. Poſtridie Kal. Junias acriter ſub caſtris Hohenloij velitatum, orto primùm à paucis certamine, qui, dum auxilia utrimque ſubmittuntur, ita crevere, ut hoſtium patentibus in campis millia duo, equites quingenti conſpicerentur. Hiſpanorum prima acies & acerrima pugna, quorum Centuriones duo, cum ſignifero, & xxxii gregariorum militum cecidere: exemtis ſaucijs, quos inter centuriones terni numerati. Etiam Hohenloius gemino vulnere femur & ventrẽ, ſed leviùs ſauciatus eſt. Franciſcus Verius glande tactus: vix tamen ullo incommodo. Poſtridie hoſtes caſtra tormentaq́ue propius admovent; ſed è machinis duæ paludibus hæſere. Octavo Id. Jun. obſeſſi de deditione appellati, ipſius ſe Mauritij ludibrium promerituros reſponderunt, ſi auxilio ante oculos urbem traderent. Haud multò priuſquam opido noſtri potiti, Hiſpanus miles, quâ parte naves urbem cinxerant, nando penetrare tentans, interceptus eſt. Literas Mansfeldij deferebat, quîs ad conſtantiam obſeſſos hortabatur, nec ſpem abjicere debere, ſi fortè abduci exercitum videant: id enim nonniſi commodo illorum, ac celerandæ liberationi factum iri. Nuncio venia à Mauritio data, ut facilis ac mitis in captivos quoſcumque erat: literas in urbem miſit. Inter hæc viâ coopertâ, quæ foſſæ prætenditur, noſtri potiti, foſſas complent; actiſq́ue vineis, propugnaculis ſuccedunt. xiii Kal. Quintil. Hanius, Beverius, Calfiuſq́ue, præfecti militares, noctu ponte vimineo foſſæ injecto, propugnaculum boreale vi capiunt: quâ re ita fracta obſeſſorum conſtantia, ut incolumitatem corporibus, & gladijs pacti, poſtridie urbe cederent. Cæterùm benignitate Mauritij etiam arma recepere, ſolaq́ue vexilla, numero xvi, retenta. Numerati defenſores integri plures ſexcentis: pulveris nitrati quater mille libræ; annonæ tanta facultas, ut ſiliginem quiſque ſperneret, affluente tritico. Subitæ deditioni cauſſæ plures unâ fuere. In his quod Waterdikio Præfecto, & Centurionum alijs excluſis, nullus in eam aditus. Dein Maſierij fatum, qui vicariam ſub Waterdikio poteſtatem, abſente eo ſupremam tenuerat. Nam ſpeculando caſtrorum ſitu in turrim enixus, cum centurione, ac ſacerdote, tormenti globo occiderat. Et mox Geſantius, qui ſucceſſerat, ſaxo è mortario emiſſo, in expugnatione borealis propugnaculi repentè proſtratus, & extinctus erat. Cæterùm cauſſarum potiſſima, quòd nullus in urbe caſtrenſium operum gnarus, qui novas munitiones, & quæ trahendis obſidionibus uſui ſunt, extrueret. Unde aſſiduè diſcordes Centuriones, alia alij ſuadere, aut cupere, ita ut collem excitare quandoque orſi, mox alium in locum, & ubi ne id quidem ſatis placebat, rurſum in alium tranſtulerint. Fuitq́ue inter documenta inſcitiæ, quòd coopertâ viâ vix unquam uſi, propinquantes oppido noſtros nequaquam tardavere. Deditâ urbe trini perfugæ, qui participes proditionis anno lxxxviii fuerant, laqueo puniti. Ex his unus in carrum ſemet abdiderat, ſarcinis tectus, inſidente inſuper conjuge. Fortè miles id cõſpiciens, petulantiâ, & mulieri territandæ, præfixum rotæ clavum evellit, quâ ſolutâ, provectus paullò longius currus evertitur, & effuſis ſarcinis ipſum quoque proditorem detexit. Ipſeq́ue profeſſus eſt, nequiviſſe pro-

meritas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ XCIII.

meritas ſe pœnas effugere, quamvis omni obſidionis tempore captatis de induſtriâ periculis ſemet immiſiſſet, nudaſſetque. Eâdem die, quâ obſeſſi in poteſtatẽ venere, ignaro ejus rei Mansfeldio, Hohenloius, Veriuſque unum è caſtellis hoſtilibus adorti, expugnant, ac ternos Centuriones, milites XL capiunt. Quorum illi rogati, quid ſibi immenſa hæc faſcium, virgultorumque à Mansfeldio congeſta vis vellet, inſpeciem magis, quam ullâ rei gerendæ ſpe collectos firmavere. Quippe ſatis intellectum ſibi, non dari rationem ſternendi per limoſa itineris. Tamen aliquid adverſus otium caſtrorum inveniendum fuiſſe; fremere alioqui militum vulgus, tanquam ſegnes ac ſocordes hoſti adſideant. Eodem die dum expugnatæ Gertrudenbergæ gaudio univerſa trepidat Hollandia, lætiſſima nuncij adferebant, Fredericum Electorem, Comitemque Palatinum, Dillenburgi matrimonio ſibi copulaſſe Ludovicam, Mauritij Principis ſororem: quod Patribus, & prudentiorum quibuſque ipsâ Gertrudenbergenſi victoriâ haud minoris viſum, ob novam in Germaniâ ſocietatem. At Mansfeldius, ut captam ſub oculis ſuis urbem videt, ſarciendo detrimento, Crepicordium cum infeſto agmine petit. Impulerant Sylvæducenſium maximè poſtulata, quîs grave id caſtellum, & ſæpius cladium cauſſa. Situm eſt in ore Diſæ fluminis, ubi Moſæ committitur: cæterùm injecto aggere, repreſſoque curſu, Diſa quicquid circa Sylvamducis agri erat, ſuperfuſis fluctibus tegebat. Igitur maturatis itineribus Crepicordium acceſſit, caſtellum exiguum, invalidum, nec ullis ad defenſionem tormentis. Unde pretium Mansfeldio non fuit munitiones inſtituere; ſed apertis caſtris tentoria ponit, & machinas, vixdum ſatis aggeris, quis protegerentur, adgeſto, admovet. Dehinc ſcaphis, quas curribus advexerat, Moſâ flumine ſuos Bommelianam in inſulam tranſmittere cœpit. Eâ re XII Kal. Quintil. nuntiatâ, Mauritius Philippum Naſſovium cum quingentis equitibus præmittit; ipſe extemplo univerſo cum exercitu ſequitur: relictis in loco tormentis, properando itineri. Philippus hoſtibus amnem jam tranſeuntibus ſuperveniens, auxilio quorundam Heuſdanorum peditum prohibet: eodemque exacto medio diei Mauritius, poſtridie copiarum cæteræ pervenere. Harum parte Moſam tranſportatâ Crepicordium ingreditur: emiſſuſque ſine mora miles, munitiones facit, prohibendo hoſti. Tunc ab Heuſdanis tribus medij generis machinis acceptis, caſtello imponit, ac Mansfeldij tentoria caſtraque laceſſit, eò facilius, quia aperta injurijs undique patebant: & hoſtes ſine ordine, ſine imperio fœdam fugam fecêre, relictis tormentis tentorijſque. Mox tamen regreſſi machinas abducunt, Fliemamque abeunt. Hinc Boxtelam, ac Raviſtænium, & tandem Cuikianum in agrum, nullo memorabili facinore patrato, contendêre. Ne longiùs abſcederent, Mauritij metus fecit, qui Moſam amnem ponte ad Crepicordium junxerant, tanquam in obſidium Sylvæducis. Itaque Auguſto etiam menſe id loci hæſere. Interea Bruxellenſis aula non iguara deditionem Gertrudenbergæ languorem, & varios animorum motus, apud omnes concituram, imprimis Groninganos (qui, non admiſſo Regis præſidio, metum injecerant, quaſi victoris populi gratiam ſpectarent) Magiſtratus urbis, priuſquam dederetur Gertrudenberga, per literas monuerat, intenti rebus ſuis eſſent, & ſiqua in plebe mutationis ſuſpicio oriretur, præverterent: neque enim ullam liberandæ Gertrudenbergæ ſpem reliquam videri. Interea adfirmarent multitudini, nihilominus curæ ſibi eorum res fore. Duodecimo Kal. Junias Winſchotâ digreſſus hoſtium commeatus, butyrum, caſeumque per Burtangam deferebat, vinum, aliaque utilia relaturus. Sed Bellingwoldenſes impedivere. Eiſinga, Knopius, Gerardus Junius, ac Sagemannus prefecti militares, ſinguli coactis XXX militibus, bipartito ſe utroque latere Blienhamenſis templi in inſidias abdide-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ XCIII. abdiderant. A quibus hoſtes inopinantes oppreſſi, pars proximas in ædes, alij ſe retro eaſdem recipiuut. Quibus oppugnatis, & ad ultimum incenſis, deditionis leges petunt: ſed non id virium Friſijs erat, ut capere cunctos poſſent, itaque impigre in hoſtem glandes, & incendium ſpargere pergunt. Illi extremâ neceſſitate ex ædibus procurrentes Friſiorum ſe lubidini permittunt. Plurimi confoſſi, XXX circiter capti, ſignifer unus fugâ elapſus, Martinus Centurio occubuit. Captivorum Itali plerique: qui Belgici generis erant, ut Patrum in militiam reciperentur, rogavêre. Junio menſe aliud quoque commeatus præſidium eodem itinere cæſum, Joannis Nieli Centurionis operâ. Is viam propter tectas frumento inſidias locaverat. Incedebat hoſtile agmen longâ centum curruum ſerie: miles diviſus, pars currus prægreſſi, à tergo cæteri ſequebantur. Qui ut medios in currus irruere noſtros vident, utrimque occurſantes, parum efficiebant, ob anguſtias itineris curruum inceſſu completi. Interea Nielus currus complures neceſſarijs onuſtos rapit, ac Bellingwoldam tramittit. Creſcebat paullatim acrius certamen, eoque protractum, ut utrique ſe ſubſidijs è caſtellorum proximis firmarent. Ceſſuris ad ultimum, ut videbatur, Friſijs, quando nihil illis nitrati pulveris ſupererat, fors ſubvenit, repertumq; in hoſtili curru vaſculum id genus materiâ repletum. Ipſis dein curribus pro vallo objectis, diu ſe tutabantur, donec machinam campeſtrem Winſchotâ hoſtis advexit. Tum cedere adacti, Bellingwoldam ſe recipiunt, abducto Centurione Tialko Sickinga. Venerant quoque in manus matronæ è nobilitate Groninganâ, & ſtatim dimiſſæ ſunt, quia pactis Naſſovij cum Verdugo extra bellantium odia, & injurias, ſexum hunc eſſe convenerat. Ex his ac talibus facilè Groninganis æſtimare utilitatem itineris Burtangani. Quippe curribus ſubvehenda omnia, quorum quinquageni ne unius quidem vectoriæ onus capiunt; & anguſtâ viâ, longum incedentium ordinem milite defendere arduum erat. Majo menſe Verdugus nobilium quorundam arces Covordæ vicinas occupat. Præſidijs vacabant, non tam quia firmare pretij haud viſum, ſed dederant id Patres privatis nobilium precibus, atque utilitati. In his Ruinâ ipſe Verdugus anno XCI militem ſuum deduxerat, promiſsâ in poſterum id genus oneris immunitate. Neque multum his abſcedentia nobili arcis domino Mauritius ac Guilhelmus Naſſovius polliciti erant. Unde poſt biennium, à Guilhelmo exutæ fidei admonitus Verdugus, *ſenem ſe* reſpondit, *& fluxæ memoriæ: mittendas tabulas, quîs manu ſignoque ſuo id firmaſſet.* Dederatque ille, ſed, incertum quo caſu, non reperiebantur. Mox redactâ in poteſtatem Gramſbergâ, caſtellum Veenbruggæ ponit, premendæ Covordæ, & infectandis commeatibus. Quinto Id. Jul. irruptionem in Friſios parans, cum omni peditatu Groningâ & Omlandis relictis, Covordam contendit. Eodem equitem ex agro Twentano Mendo rapit: uterque Covordam tranſgreſſurus, ut Aprili menſe factum. Sed providâ Euſumi Covordæ Præfecti curâ defoſſum iter copias diſcluſit. Igitur Verdugus, ut hic fruſtratum ſe advertit, Schonerbekam (id exoletum iter erat) per paludes ſolidat, ut XIV poſt diebus ferendo equitatu ſufficeret. Naſſovius prohibendis hoſtium incurſionibus ubique intentus, præter caſtellum quod autumno anni XCII ad Leckam fluvium extructum, tribus inſuper locis, ad Swartendikã, Bredenbergam, ac Friſiorum in limitibus, trina caſtella locat. Dein cognito Verdugum Covordam premere adniti, obnixè Mauritium equeſtria auxilia flagitat, inferendæ in eam annonæ. Quibus impetratis, fenæ illi turmæ equitum, peditum è Friſiorum legione centuriæ XV (ternas earum Bellingwoldâ evocarat, cujus jam eo perductæ munitiones, ut defendi poſſent) & Hollandorum duæ erant centuriæ. Hâc manu, tormentis ſequi juſſis, Ruinam venerat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

venerat, expugnaturus arcem, purgando ab hoſtium excurſionibus itineri; c I ↄ I ↄ XCIII. cum cognoſcit, Mendonem Schonerbekâ penetratâ, vires cum Verdugo junxiſſe, & Suidlaræ cum peditum millibus I V, equitum quingentis, commeatus adventum exſpectare. Hoc nunciato, conſilium Naſſovius mutat, in Covordâ potiſſimum momentum, nec arces expugnare vacuum ratus, quas exin faciliùs proventuras. Ergo remiſſis machinis, I V Nonas Julias cum ſolo commeatu progreditur. Poſterâ die Verdugum Groningam vertiſſe agmen adfertur: unde haud dubia res viſa, quin irruptionem in Friſios meditaretur. Itaque damnato priore conſilio ad alia tranſijt Naſſovius, inconſultum exiſtimans, unius ob Covordę ſecuritatem, cui paucos ante menſes à neceſſarijs omnibus proviſum, univerſam Friſiam, vix ullo milite defenſam, & ob ſiccitatem undique hoſtibus patentem, periculo exponere. Subibat altera quoque cura. Nam promtum valido hoſti incedente longo quadringentorum curruum ordine, adſultare frontem aut terga, vel denique latera incurrere. Noſtris contra uno tantùm loco reſiſtere aut occurrere dabatur: ob hæc curribus, & annonâ Stenovicum dimiſſis, Deuram Naſſovius proficiſcitur, hinc Ooſterwoudam. Ubi compertum, Verdugum Groningæ cum omni exercitu nihil moventem adſidere, caſum cenſuit opportunum fruſtrando hoſti, & Covordæ commeatum inferendi, citra periculum Friſiorũ. His perficiendis cum ſolo peditatu propius hoſtem movet, & firmo ſatis loco ad Leccam caſtra ponit, horæ à Groningâ itinere: equites Stenovicum ire jubet, ſpargens, Mauritio trans Iſalam revocatos. Occultò interea juſſi turmarum præfecti, Stenovici currus omnes (tanquam omiſſo conſilio de ſupportando Covordæ frumento) illuſtri luce exonerare: & ſub veſperum, ſimulatque clauſæ oppidi portæ, raptim reponere, ac ſine morâ Covordam contendere: præſcriptum quoque iter per Giethornam ac Swarteſluſam, ob ſecuritatem, & occultandæ reì. Etiam interdictum, ne poſterâ die Stenovici portæ panderentur, fallendis hoſtium exploratoribus. Quæ adeo cuncta ex voto cecidere, ut I X Id. Julias Covordam omnia neceſſaria pervenerint. Mox frumenti quoque & bellicarum utilitatum nonnihil à Sallandiæ prætore Otmarſam comportatum: manente ad Groningam cum ſuis Verdugo; ac verito, ne, ſi Covordam peteret Naſſovius, medium ſe inter illum, & Groningam interjiciens, reditu excluderet. Itaque in hunc ſolum intentus, quæ equitatus egerat, neglexit. At Groningæ ubi à commeatu Covordæ proſpectum conſtitit, ingens omnium animos triſtitia pervaſerat: ſimulque in Verdugum queſtus ardeſcere, quòd neutiquam id fieri poſſe, ſeque ſi hoſtes tentarent, quamvis noviſſimum diſcrimen offerretur, prohibiturum adfirmaverat. Ipſam urbem brevi in ditionem redigi poſſe, ſpes omnium, & ſententiæ erant, ſi exercitum ſuum admoveri Proceres Fœderati permitterent. Naſſovius acriter inſtabat, invalidam adverſus oppugnantes dictitans. Quamvis enim terribilem nonnulli oppugnationem faciant, quòd Verdugus tribus militum millibus ſuburbium occupaverit, & interea Twentanum in agrum irrumpere poſſit: quamvis ſeneſcens annus, & exiguæ Patrum copiæ, objiciantur: tamen validum illud hoſtium præſidium ex uſu non minus Fœderatis, quam damno fore. Quippe cives infenſos, & nunquam eorum voluntate militem urbem ingreſſurum. Verdugum quanto numeroſiorem copijs, celerare anguſtias frumenti. Quo minus alibi turbet, poſſe equitatum in Tranſiſalana præſidia dimitti, & hoſtium excludi alimenta. Ne vergentẽ quidem annum obfore quidquam: quippe ſtabile circa urbem, & arenoſum editumque ſolum: quo facile, Novembri menſe tenus, contineri ſub tentorijs militem poſſe. Contra hoſti intempeſtivum, præcipiti anno, ob paludum interjecta urbi ſuccurrere. Denique non univerſum civitatis ambitum circumval-

cIↃ IↃ XCIII. landum, ſed minimam ejus portionem. At Procerum Friſiæ pleriſque diverſa mens: injurias, & cladem agrorum non minorem, quam ab hoſte (niſi quod is igne graſſaretur) formidabant, ob auxiliarij ſociorum militis inſolentiam, qui imperia Guilhelmi aſpernaretur. Hærebant animis noviſſima nonageſimi, & qui ſecutus erat anni, facinora ab ijſdem patrata. Quamobrem paullatim premendo ad extrema Groningam compelli ſatiùs putabant. Huic fini imperandum ruricolis ſedibus ſuis uti demigrarent; quippe ſegetes corrumpendas. Suberat quoque malevolentia quorundam Roordæ faventium, qui plus gloriæ, ac victoriarum Naſſovio invidebant; quantum illi acceſſiſſet, opprimi partes ſuas rati: denique, vetus inter ſocias gentes malum, æmulatio acceſſerat: & nonnulli, ut videbatur, quietam, & ab hoſte intentatam terrarum ſuarum poſſeſſionem Friſijs eſſe, haud cupiebant. His à Naſſovio reſponſum, facilè malorum cæteris, quæ illi metuant, occurri; at non illis, quæ retenta ab hoſte Groninga adferret. Utilia quidem Friſios de ejiciendis agreſtibus ſuadere, ſed nimium crudele, tantam multitudinem, poſt lata tamdiu onera tributorum, ad emendicandum victum compellere. Imprimis hoc tempore, quo avidi ſuam exſpectent libertatem. Ut omittat, deteriora etiam hâc re Fœderatorum Patrum vectigalia fieri. Inter hæc Euſumus, occaſioni imminens, quotieſcumque longius paullo hoſtis receſſerat, deſtruere Schonerbekanum iter feſtinat: injectas arbores educit, & unum in acervum congeſtas, incendit. Mox flamma ſiccam æſtu humum corripuit, vaſtaſque ſcrobes exuſſit, multoque impeditius iter factum, quam ante reparationem fuerat. Per idem tempus Princeps Mauritius peditum centurias quatuor & xxx, equitum turmas decem Waſianum in agrum mittit. Quod ut intellectum hoſti, caſtellum Hulſtæ vicinum ultro deſtituit. Sexcentos equites haſtatos, nuper illi è Lotharingia ſubmiſſos, noſtri præcipiti fugâ Antverpiam uſque egere. Sed poſt diſceſſum noſtrorum facilè deſertum caſtellum recuperavit, & exiguus hujus expeditionis fructus fuit. Eâdem tempeſtate Noveſiani, Colonienſis Epiſcopi præſidium urbe ſuâ pellunt. At in Galliâ Henricus Navarrenus, Reformatorum ſacris deſertis, quintadecimâ Julij die Miſſæ ſolennia adit, propinquorum compulſus minis: qui Regem è ſanguine ejus delecturos, & tertiæ factionis ſe autores fore adfirmabant. Simul Florentiæ Ducis aliorumque Italiæ Principum promiſſa accedebant, auxilia offerentium, ſi Pontificiorum in ſacra tranſiret. Ipſius vulgatum dictum, *ut populum ærumnis eriperet, ſuam ſe animam perditum ire*. Dein ſperatos quoque fructus, ut Guiſiæ Dux, regno deſtinatus, non adipiſceretur, obtinuit. Et occultò Itali Principes Helvetiorum pro eo copias ſuſtentavere. Lutetia, Lugdunum, Aurelia, Bituriges, Aquæ Sextiæ, ac Rothomagum civitates, Regem eum agnovere. Sed occurrere illi debuerat, leve animæ pretium eſſe regna non duratura. Martio menſe anni qui ſecutus eſt IV & nonageſimi, Lutetiam ingreditur, admittente Præfecto Briſſaco, & qui inter mercatores capitalium rerum Præpoſitus, ac judicum duobus. Priuſquam intraret, graviſſimum Centuriones ſuos juſiurandam adegit, à prædâ, omnique maleficio temperaturos. Id factum ignaris XVI, & XL duorum virorum conſeſſibus, quibus pro Hiſpano animus & votum. Sega Cardinalis, Feriæ Dux, Hiſpanicus idem legatus, Didacus, Taxius, & Hiſpani, Itali, Walones, ac Germani pedites, innumera vis, qui in urbe erant, in officio manſere, ac nihil moto, ad edictum Regis urbe egreſſi ſunt, quanquam frequenti civitate in eos pronâ. Eodem quoque die militem ſuum civitate exire Rex jubet, ſolis ſe civibus credens; quod temere factum ubi proſperè ceſſit, plurimum ad concilianda omnium ſtudia, ac mitigandos animos valuit. Interea Guilhelmus Naſſovius ut fruſtra niti ſe, nec perſuaderi Fœderatis Patribus videt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

det, de obſidendâ hoc anno Groningâ, aut premendâ è propinquo; quòd cIↄ Iↄ
fama currebat, factas in Galliâ inducias, & Hiſpanum militem in Belgicam xciii.
remeare: Burtangam arctius claudere, Weddamque expugnare, & novum ibidem contexere caſtellum ſtatuit: præcipuè tamen arces à Verdugo, arctandæ Covordæ, inſeſſas. His conficiendis ter mille militum auxilia à Mauritio petit, quîs abſque plana Friſiorum loca defendere non erat. Verebatur enim, ne dum ad Ameſin ipſe, remotiſſimis Friſiæ locis agit, agros inultus hoſtis vexaret. Verùm Delegati inter ſe diſſidere, nonnulli roganda auxilia, alij omnem hâc re belli molem tranſlatum in Friſios iri dictitabant; foreque hoſti cauſſam, plus copiarum contrahendi. Unde & ſociorum, & hoſtium injurijs terram ſuam obnoxiam. Naſſovius, licet pro eo plerique ſtarent, rem tantam, & incerti exitus, aggredi niſi omnium adſenſu haud cupiebat. Itaque oſtendere, ſatis exploratorum indicio compertum, etiam otioſo ſe hoſtem, inſtantibus adeo Groninganis, ampliùs militum trans Rhenum miſſurum. Quanto itaque ſatius prævertere? Cæterùm ut parum profici, & adverſantium pleriſque, ſtudio in Roordam, averſam à ſe voluntatem videt, ſententias exquirit, decretumque ut nobiles duo, Georgius Dynaſta Swartzenburgicus, ac Sidius Scheltama, Hagam mitterentur. Ii xiii Kal. Sextil. Fœderatis Patribus, Mauritio, ac Senatu coram exponunt poſtulata Naſſovij. Difficultas maxima in eo videbatur, quod militum pars in agrum Waſianum; altera Bommelianam in inſulam miſſa, abduci nequibat, quamdiu Sylvæducis propinquus hoſtis agitaret, obſidium urbis metuens, & ipſe viciſſim formidini Patribus, quaſi trajectis in inſulam copijs, Hollandiam incurſurus. Tandem tamen decretis auxilijs ad Naſſovium Loquerenus, ac Bartholdus Balfourius abeunt; hic Scotorum centurijs decem, ille Belgarum totidem Præfectus. Miſſæ inſuper equitum turmæ viii, duce Philippo Naſſovio: duæ enim jam ad Friſios pervenerant. His duodenas Friſiorum centurias Guilhelmus adjungit, ac iii. Id. Sext. Swollâ digreſſus cum tribus modicæ molis machinis, Ommæ ſub veſperum conſedit. Poſtridie Gramſbergam movens deditionem fieri poſtulat: & abnuente Joanne Renſelero Egmontij vicario, qui cum militibus xc locum obtinebat, extemplo factæ munitiones, eâdemque nocte patratis, machinæ admoventur. Primâ luce iv & xx adactis globis, obſeſſi ſublatis petaſis, ut mos militiæ, noſtrorum ſe arbitrio permiſere. His cuſtoditis, Veenbruggam itum, ubi tormentis in conſpectum adductis, (abſq; eo deditionem negabant) præſidiarij inermes cum impedimentis Oldeſaliam abiêre. Qui Emlichemum, Joannis Stenovicij arcem, ac Dalemum ſervabant, ſponte ad famam adventus dilapſi. Decimo nono Kal. Septembr. Emmæ quies data exercitui. Biduo poſt Weddam ventum, ubi Juſtus Matthæus, caſtrenſis architectus, cum Naſſovio ſitum loci, & quæ oppugnantibus promtiora acceſſu ſpeculaturus, pectus glande tranſactus in ripâ foſſæ occubuit. Ipſe die eâ, quam noviſſimam habuit, retulerat, in ſomnio viſum ſe manum è ſinu cruentam extraxiſſe: adjeceratque, haud diſparibus ante quadriennium per ſomnium oblatis, paullò pòſt graviter ſe ſauciatum. Tormenti majoris circiter à Weddâ jactu, trajectui fluminis, quod Bellingwoldam decurrit, exiguum caſtellum incumbebat, expugnandum noſtris, quando machinas illac trajici opus erat. Nec mora, comportato imponendis tormentis aggere, præſidiarij dedidere. Weddanam arcem lapideus ex imo foſſæ eductus murus tutabatur: quem ponè anguſtum vallum xv admodum erat pedum. Trans foſſam propugnaculum, & ipſum aquis cinctum, arcis latus unum defendebat: quam univerſam circumveniebat via, ad latebras jaculatorum, ſublimi protecta aggere, qui ſenſim decreſcens, in planitiem deſinebat. Huic altera quoque foſſa prætexebatur. Propugnaculum,

cIↃ IↃ XCIII. culum, quod diximus, ultro deſertum ab hoſte, haud levi noſtrorum commodo; quippe indefenſo latere munitionibus actis, ac extremâ foſsâ viâque copertâ ſuperatis, alterâ die interioris foſſæ ripam attigere. Tormenta quibus ante uſus Naſſovius, ob interpoſitarum paludum moleſtias, Covordæ reliquerat: quarum loco duæ majores machinæ, tres minores, in tempore Bellingwoldâ navibus advectæ. Iis diſpoſitis, Deckerus præſidio præfectus, ne primo quidem jactu exſpectato, deditionem facit: ac decimâ octavâ Auguſti, luce ortâ, ipſe, militeſque plus minus L, inermes exceſſere, utenſilium his, quæ portare poterant, ablatis. Firmatâ præſidio Weddâ, Guilhelmus eâdem die Winſchotam, hinc Slochteram petit, ubi directis machinis, milites, numero Weddanis pares, arma, & ſarcinas ſibi pacti, præſidio abiere. Slochterâ in poteſtatem redactâ, impoſitiſque defenſoribus, Burtangam, quæ conſilij ſumma, & expeditionis univerſæ cauſſa, communire deſtinat Naſſovius. Nonnullos dies de loco, & operis formâ variè conſultatum: quod quinto Kal. Septembres cœptum eſt, horæ ſupra Vlachweddam itinere: ubi vaſtis, patentibuſque in paludibus, perexiguus ex arenâ tumulus adſurgebat, & publicâ viâ transverſus ſecabatur: quo ſedem opportuniorem, & ejus propinquitatis alterutram in partem reperire erat. Ratio hæc inita, ut tumulo militum tuguria imponerentur, propugnacula quinque, & hæc circum foſſa in palude fieret. Primoque ad ſecuritatem, tutandis à ſubitâ incurſione militibus, alveus XII circiter in latitudinem pedum circumductus, qui indies majus in ſpatium proferebatur. Interiora caſtelli dimenſa diametro perticarum XL & V erant. His occupatum Naſſovium Hohenloius acceſſit, iter in Germaniam parans, & Rheni tranſitu à Friderico Bergio prohibitus. Itaque aliò flectens, per Friſiam Orientalem Oudenburgum, hinc Bremam petiturus, equitum à Naſſovio præſidium poſtulat. Ille quamvis dimittere ex caſtris militem periculoſum ſibi intelligebat, morem tamen gerit, ac turmas nonnullas adjungit, rogato, ut quam maturrimè remitterentur. Contra Hohenloius equitem longiùs multò abductum, quam aut ſecuritas illius poſtulabat, aut res Naſſovij patiebantur, peragrare ſuperiora Veſaliæ, ac illo itinere ad ſuos reverti jubet. Ita Monaſterienſem agrum iterato percurrerunt; læto milite ob latrocinia: ſex dies conſumti itinere, quod compendia viarum ſecutis, ſeſquidie conficere erat. Nimirum, haud obſcurè oſtendebat Hohenloius, quam deſideraret ſuæ quoq; ſortis alterum participem fieri. Nam duodecimus agebatur annus, ex quo in Burtangâ infeliciter pugnaverat. Nec palam affirmare Tribunis coram dubitabat, exitij certos eſſe, niſi infauſtum locum relinquerent. Contra ſecretis apud Naſſovium ſermonibus, commendare oportunum loci ingenium, ipſumque ad patranda deſtinata adhortari. Malevolentiæ huic, præter æmulationem, Hohenloij quoque cum Mauritio contentiones, de regimine Bredanæ urbis, originem dederant. Et Guilhelmum cognati ſui partes fovere haud ambigebat. Etiam exceptæ illius de Patribus querelæ, & quandoque vinolentiâ impotens ſui, apud Guilhelmum Naſſovium jecerat, *Nequaquam aut pro dignitate, aut meritis ſe haberi. Tamen ducum operam Patribus neceſſariam; quippe adventare Erneſtum, & abundè Belgis hoſtium fore.* Duodecimo Kal. Sextil. equites nonnulli è Warmeloi, Duboiſij, aliorumque turmis in agrum Paderbornenſem profecti, Solcatam oppidum aſtu capiunt: mox Alfenum (pagi id nomen) adgreſſi, jumentorum ingentem multitudinem abigunt: & è nobilibus quaternis, glande per pectus actâ unum perimunt, cæteros, poſtulato pretio, captivos abducunt. Cordi ea res Senatui fuit, qui indignatus, quòd in vicinos, nec hoſtiles, talia patraſſent, capitalium rerum præfectum cum literis ad præfectos equitum mittit, ut noxij dederentur. Cæterùm apud eos (collapsâ quippe diſciplinâ) inriſæ

ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſunt. Frequentes per idem tempus literæ Bruxellis, aut aliunde, Groningam ſcriptæ, intercipiebantur. Inter cæteras fuere quæ continerent, Hiſpanicas Alfonſi Idiaquis, & Ludovici Velaſcij legiones, Galliâ remeantes, cum adjuncto equitatu, in Arteſiâ tumultuari. Quæ ſeditio ne latiùs ſerperet, Senatus Regius Hiſpanorum cunctis, qui innocentes, & ſine tumultu egiſſent, quatuor menſium ſtipendia decrevit. Sed quod remedium apud hos, irritamentum cæteris fuit. Quippe Itali, Walones, & nationum aliæ, in quibus nihil irarum aut motuum, ut nullam ſui rationem habitam videre, ad turbas & ipſi prolapſi. Erant hæ Boſſuvij, Barlæmontij, aliorumque legiones, & cum his equitatus, quo Hiſpani deſtituebantur. Ob hæc, mutato priori placito, Hiſpani ſperata ſtipendia non accepere: ſed ſtatutum, ut cujuſvis generis militi, duûm menſium ſtipendia numerarentur. Cæterùm quando requiſitum huc æs conradi ſubitò nequibat, longum hæ ſeditiones duravere.. Adeo regiæ pecuniæ profundebantur, ut univerſæ Novi orbis gazæ, pacando militi ſatis non eſſent. Contra Patribus Fœderatis, quîs puſillæ facultates, promtus ſemper obſequio & ad omnia alacris miles. Conſtat Albertum Dekamam, ſigniferum, Liaukamæ Billij vicario ſcripſiſſe, ſeptem menſium ſpatio, bis tantummodo datum ſibi ſtipendium quindenûm dierum. Nec latebant ea Regem: itaque vergente ætate ad parcimoniam verſus, parum profutura remedia adhibebat. Primùm omnes tollit beneficiarios, & quibuſcumque extra ordinem à Parmenſi collata ſtipendia adimit, paucis exemtis, quibus viſum ex uſu ea relinquere. Nunc & hos ipſos orbat. Parcebatur quidem hâc ratione ſumtibus; ſed intempeſtive, dum multorum gratiâ apud milites pollentium animi alienantur, qui occultò dein turbidos accendebant. Ita vel liberalitatis, vel parcimoniæ Rex nimius erat. Quæ facillima, & utiliſſima erat via, de abdicandis ſenſim, aut alias ad dignitates perducendis id genus hominibus, nulli ad animum occurrebat. Quin & tertia ratio erat, ut relicta cuique ad vitæ exitum, quâ fruebantur liberalitate, nulli deinceps hæc gratia fieret. Septimo Id. Sextil. quatuor equitum turmæ, Riſoirio, Edmondo, Kinskio, Balxioque ducibus, Bredâ profectæ, LXXX florenorum millia, à Patribus Galliarum Regi ſubmiſſa, ad Bovillionæum ducem deferebant. Hi prope Lomelam pagum imprudentes in inſidias VII hoſtilium turmarum delapſi, cæduntur. Centum & XXX in loco conciſi aut capti. Cæteri cum pecuniæ alterâ parte Bredam rediere. Reſiduæ ſummæ dimidium unus è nobilibus ducis Bovillionæi, fugâ in Peram Leodicenſe opidulum factâ, ſervavit: portio quarta prædæ hoſtibus ceſſit. Ea clades negligentiâ præfectorum accepta, culpamque (ut ferme in talibus) in alterum quiſque rejiciebat. Decimo Kal. Septembr. Hermannus ac Fredericus Bergij Rhenum tranſiere, bis mille peditum, octingentorum equitum manu inſtructi: machinas ſecum majores duas, minores totidem, ac campeſtrem unam trahebant. His copijs mille admodum milites adjecere, Grollæ, Brefurti, Oldeſaliæ, aliorumque locorum pręſidiis detractos. Hermannus, paucis poſt diebus Geldram (cui præerat) repetit. Differebant rumores, meditatam illi Herembergæ oppugnationem, quæ propria illi urbs jure hæreditatis. Cæterùm Fredericum, quando omnem hinc utilitatem fratris, ad ſe nullam redire exiſtimaret, in Friſiam properâſſe. Ita infenſis fratres animis diſceſſere. Fredericus, quem Joannes Stirumbius Comes ſequebatur, caſtra ad Otmarſam metatus eſt, juſſu Verdugi, à quo miſſus in occurſum Bergio nuncius. Interceptę ejus argumenti literę, quibus à curatore ſecretorum Naſſovij expoſitis (nam numeris ſcriptę erant) revelata Verdugi pleraque conſilia. Illis compertis, Guilhelmus milites delectos LX continuò Otmarſam mittit, augendo defenſorum numero: quippe præſidebant centuriæ tantum duæ ſub Jacobo

Ii 3 Meuræo,

cIↄIↄ xciii. Meuræo, ac Warmeloi vicario, cum dimidiâ Balenij turmâ. Sed milites eos Swollę Delegati Tranſiſalani detinuere, qui perexiguum hunc numerum rati, integram mitti centuriam cupiebant. Verùm dum advocantur, dum moliuntur ij, jam oppidulum hoſtis obſidione clauſerat. Poſt varijs indicijs cognitum, Mendonem (ad quem interceptæ quoque Verdugi literæ provocabant) potiſſimum obſidij hujus autorem fuiſſe: quippe hortamentum illi theſaurus, quem in templo Otmarſano defoderat. Id certum, fuiſſe opportunam hoſti Otmarſam ad ſecuritatem itineris, & commeatuum; neque Covordæ obſidium, quod pòſt ſecutum eſt, niſi poſſeſsâ eâ longum adeò durare potuiſſe. Sic præterito quoque anno Mauritius Covordam adgreſſurus, expugnare Otmarſam curæ habuerat. Hoſti tamen, ut hâc tempeſtate, majora operæ pretia mereri licebat, ſi cominus Burtangam Fredericus petiiſſet, impediendis (nec in arduo erat) Naſſovij operibus: aut ſi primo ſtatim adventu (quod octiduo demum pòſt ab eo factum) vires cum Verdugo junxiſſet. Nam excludebatur tum reditu in Friſiam Naſſovius; nullo, niſi aquis, itinere reliquo, quod tardum, & difficile. Univerſo enim equitatui aut Lingam præter petendi Tranſiſalani erant, qui circuitus longiſſimus, idemq́ue alimentorum ſterilis, nec periculi expers; aut rectâ per Drenthanum agrum incedendum, quem armis, ac prælij diſcrimine patefacere neceſſitas adegiſſet. Medio tempore Verdugus Soltcampum, locum Groninganis ipsâ Delfſilâ haud minus utilem, ac per id tempus ruſticis tantum civibuſq́ue Friſiorum inſeſſum, expugnare, aliaq́ue caſtella, vix ullo milite defenſa, in ditionem redigere, aut denique Friſios ipſos ad tantas compellere anguſtias potuerat, ut parum Groninganis formidabiles forent. Tertio nonas Septembres, adactis pridie centum & undequinquaginta globis tormentorum, Otmarſa in deditionem conceſſit. Meuræo centurioni, & militum cæteris, data ab hoſte fides, illæſos ſine vexillis, armiſq́ue abituros: quę his ſervata, ſed ille cum ſenis præfectis, quos inter duo vicarij centuriarum, retentus eſt. Naſſovius hoſtium ad Otmarſam morâ otium nactus xxx Auguſti die munitiones in Burtanga huc perduxerat, ut defendi poſſent. Itaque ſenis ibi centurijs relictis, cum cætero exercitu iteratò paludem tranſgreſſus, Apelam ac Roſwinkelam præter Covordam petens, Daleni caſtra facit, ſpe ſiſtendi ad Schonerbekam Frederici, ne cum Verdugo copias jungeret. Cæterùm eo ut ventum exſiccatas adeo paludes repperit, ut vix hoſtem retinere eſſet extra prælij diſcrimen; cujus incerta vitari ſedulò Fœderati Proceres ac Senatus monuerant. Fruſtra quoque hoſtem hic prohibiturus erat, quando Ommam, & Emmam prope, duplicem tranſitum ſiccata paludum dabant. Ob hæc Daleno abſcedens, Weſterbroeckæ, nocte quæ iv. Non. Sept. diem exceperat, quieſcit. Poſtridie Ruinam proficiſcitur, quam præſidiarij numero lx, viſis tormentis dedidere, retentis ſibi armis, atque utenſilibus. Pridie Nonas Septemb. caſtra Meppelę ponit, occaſionem, ſiqua daretur, arrepturus, diſparandis hoſtium viribus, aut ſi id nequiret, tuto in Friſiam regreſſu, ne inultis hoſtibus incendia aut direptiones agrorum permitterentur. Eâdem die Fredericus Schonerbekanâ palude ſuperatâ, relictiſq́ue Otmarſæ machinis, per Drentham incedens, Verdugo haud procul Groningâ conjungitur. Ita in univerſum peditum millia quinque, equites minimum mille quadringentos, armis probè inſtructos in caſtris habebant. At Naſſovius etiam quintum diem Meppelę ijſdem ſe caſtris tenet, certiùs ſpeculando hoſtium conſilio, quove tenderent. Creberrimos interea nuncios Hagam ad Patres, ad Cancellarium, & Senatum Geldriæ, ad Verium Zutphaniæ præfectum, auxilia rogaturos mittit. Verio promtus huc animus, nec Senatus Geldrię abnuebat: quippe Frederico, quem irrupturum

in agrum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

in agrum Zutphanienſem ante verebantur, in Friſiam nunc tranſgreſſo, tu- cIↄ Iↄ
to deduci præſidium Zutphaniâ rebatur. Itaque Verius cum Anglorum xciii.
tribus centurijs, duabus Belgarum, ac centum circiter equitibus, ad eum
contendit. Paucis quoque pòſt diebus adductæ à Groneveldio centuriæ
ſeptem, ſed infrequentes, ut quæ quingentorum tantum militum forent.
Prima Verdugo Bergioque Adwerderſila tentata. Id caſtellum, ſi ullum
aliud, infirmum, horæ itinere â Groningâ removetur. Præſidebant milites
x x x, dirigente Ophovio, Præfecti Roordæ ſignifero, viro animi majoris,
quam pro loci naturâ, aut viribus. Nam diſiectâ machinarum vi loricæ haud
exiguâ parte, indefenſum latere uno caſtellum erat. Et jam hoſtis ſtrami-
ne, fœno, ſarmentiſque foſſas complere adgreſſus, jam tormentorum glo-
bis perruptâ, qua ſublatus erat, catenâ, pons prociderat. Nihilominus ſic
quoque bis magnâ ſuorum clade repulſus hoſtis, tertio impetu (ſeptima Se-
ptembris dies erat) victor, cuſtodes omnes internecione delet. Poſterâ die
Naſſovius cum exercitu Tolbertum tertijs caſtris venit. Nam Meppelâ Ste-
novicum tranſgreſſus Vleddere primâ nocte, alterâ Marcumi conquieverat.
Verdugus Adwerderſilâ potitus Slochteram petit: parum ex dignitate fa-
ciens ſuâ, quòd copijs, quòd tormentis (quorum vis magna Groningæ) vali-
dus, & haud dubiè patentibus locis ſuperior, non viribus, non tempore ute-
retur, ad memorabile quidpiam patrandum, ac caſtella expugnanda, quîs
iter ſibi ad mare, aut in Friſiam patefaceret, vel denique Groningæ ſubve-
ctionibus opportunum. Horum in numero Soltcampus erat, non niſi ruri-
colis civibuſque defenſus, magno noſtrorum diſcrimine. Etiam Nienſila,
aliaque in proximo caſtella, infirmis præſidijs tenebantur. Alterumque ad
mare, in Friſiam alterum ducebat. In Slochterâ & Adwerderſilâ neutrum
horum, quibus captis unicum pretium erat, quòd tutiùs Groningani armen-
ta in agrum ſuburbanum paſtum dimitterent. Slochteram cum militibus L
vicarius Joannis Iveſij cuſtodiebat, qui conſpectis machinis v Id. Septemb.
pactus ut inermes abirent, locum dedit, ſed ipſe retentus eſt. Milites jura-
mento obſtringere ſe coacti, anni vertentis ſpatio nulla ſtipendia facturos.
Ex hoſtibus Pedroſa, Centurio Hiſpanus, trajectus occubuit. Hinc Wed-
dam Verdugus proficiſcitur, primò tamen Winſchotam adortus, tormenta
admovere ſupervacuum cenſuerat, ad famam adventus dilapſurum præſi-
dium ratus; quippe, templum ſi excipias, nullum ei loco munimentum. Præ-
ſidebat cum militibus x x x Joannes Moda, ſub Cornputio Centurione vigi-
lijs præfectus, qui fortiter ſe geſſit. Templo ipſi ad impetendos oppugnan-
tes nullæ feneſtellæ erant. Unde Orientale latus hoſtes perfringunt, in-
gentibuſque ruinis nudant defenſores. Illi tamen in omnem parati caſum,
per diſiecta muri glandes in obſidentes torquent, ac nonnullos proſternunt.
Mox denſiſſimum miſſilium imbrem per ruinas, ac deſuper per feneſtras,
admotis ſcalis, hoſte ingerente, deſerere templum Moda compellitur, ac
tuguria incendit: quarum igne laxatis compagibus, prolapſæ trabes hoſti
aditum intercluſere. Moda raptim templi foribus vallo obſtructis, totam
noctem, ad medium diem ſequentem, tela ac vulnera in hoſtem ſine inter-
miſſione ſpargit. Cæterùm quoniam cum univerſis copijs ipſe Verdugus
aderat, quartum de deditione appellatus, hâc lege annuit, ut liber cum ſuis,
relictis armis, diſcederet. Ipſe à Verdugo (qui hâc expeditione eandem
viam cum omnibus præfectis expugnatorum locorum inſtitit) retentus eſt:
ac milites, abducto duce, jurare coacti, ſemeſtris ſpatio non merituros.
Moda juramentum non dixit, ſed à Verdugo ob virtutem collaudatus, ac
dimiſſus eſt. Verdugo eâdem die, decima Septembris erat, exiguum mu-
nimentum, fluminis trajectui impoſitum, milites tradidere impetratâ vitæ,
non armorum veniâ. Præerat & hic alter in centuria Cornputij excubijs

præpo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ XCIII. præpoſitus; quem pari ratione detinuit. Bellingwolda per id tempus invalida erat quâ parte aquas reſpicit, dum averſo latere, quo continenti admovetur, ſatis laboris ſupereſſet; & ægre extra aggerem foſſæ ducebantur. Itaque totum id latus nudum, non foſsâ, non ſudibus obductis, curribus, & equis ingredi dabatur. Eam ob cauſſam parum Centurionibus aut militibus erat animi, quorum numerus non ſupra ducentos. Aderat ipſe Cornputius; qui ſine mora, anguſtam foſſam, vallumque pro aggere contexi jubet. Aderant & duo Friſiorum Delegati, Albertus Eduardi Bonerus, ac Epo Jacobi; hic Franequeranus, ille Leovardienſis Conſul, non exiguum rerum momentum, quod & autoritatem adferrent, ac mercedem, omniaque neceſſaria operis ſuppeditarent. Ipſi profeſſi pòſt fuere, à Cornputij conſilijs ſalutem Bellingwoldæ pependiſſe: cui alioqui hactenus haud ſatis æqui fuerant, increpantes, tanquam adſiduum repertorem novorum operum, eoque prodigum publicæ pecuniæ. At indignum certè Verdugo fuit, ſummam hanc opportunitatem neglexiſſe, & cum omni exercitu horæ tantùm itinere remotum, tempus, atque otium noſtris dediſſe aperta claudendi. Quippe error eo turpior, quod & ipſe militiæ vetus, & Fredericus Bergius, Mendo, Liaucama, Enſius, Splinterus, Pattonus, Carcanuſque, clari bello viri, eum comitabantur. Prid. Id. Septemb. Weddâ per vim potitur. Quinæ illi machinæ: quîs decies & ultra ſingulis diſploſis, loricam laceraverat, & exiguâ muri portione diſcuſsâ, velut jam jam irrupturus ſe ſuaque compoſuerat. Quo viſo obſeſſi, paucis exceptis, capitum tegumenta, dedentium more, attollunt, ac invitis præfectis tympana concutiunt: nonnulli per fores arcis, quæ exiguæ aquis adjacent, diffugiunt. Quod ut hoſtibus conſpectum, in foſſam ruunt, inque ruinam connituntur, adeo aſcenſu arduam, & anguſtam, ut mutuo ſe milites allevarent, infixoſque muro pugiones ſuos prenſantes niterentur. Obſeſſi præfectis dicto audientes ſi fuiſſent, nulla hoſti ratio ſuperandi dabatur. Nunc occiſi omnes, ipſeque Ægidius Cornelij, Jacobi Friſij vicarius, qui anno LXXXIX in expugnatione Ementillæ ſtrenuè inter primos dimicans, majorem ad ordinem perduci meruerat. Unus modò jaculatorum ſuperſtes, & tres quatuorve mulieres, triſtem nuncium in Burtangam pertulere. Naſſovium interea, ut Groningam contenderet, Friſiæ Procerum legati hortabantur. Simul uno ore exulantes urbe eâ adfirmabant, extemplo in deditionem populum conceſſurum, ubi Fœderatorum in conſpectu exercitum habuiſſent. Arctam quoque cum oppidanis conſcientiam multi jactabant, tantaque ſpe Delegatos impleverant, ut urbium conventum agerent, pertrahendo huc majori autoritate Naſſovio. Sed ille dementiæ rebatur, inani mobilis vulgi ſpe univerſam Friſiam certiſſimo exponere periculo, & exiguis copijs, nullâ machinarum, nullâ bellici apparatus copiâ, populoſam civitatem territare; præſertim validiori, & propinquo ſubnixam exercitu. Itaque conſilia exulum ſprevit, tanquam haud recte æſtimantium, ob inſitum à naturâ deſiderium viſendi ac verſandi inter ſuos. Eâque in ſententiâ immobilis ſtetit, quamvis objectantibus illis, negligi ab eò gloriam ſuam, negligi commoda, ac ſalutem Friſiorum, & egregiam opportunitatem patrandi cruenti belli. Pari propemodum ratione Verdugum, ut Burtangam aggrederetur, Groningani exſtimulabant. Tentavitque ille quodammodo: nam ſextadecima Septembris die cum omni exercitu in conſpectum præſidiarijs ſemet dedit: cæterùm cum Centuriones Gerardus Cornelij Schaius, Joannes Hagemannus, Antonius Hittinga, ac Joannes Joannis ſtrenuè miſſilibus eum impeterent, confeſtim receſſit; quamvis imperfectum opus, ſiccatæque æſtu paludes, & inepta munitionibus humus, facultatem bene gerendæ rei oſtendebant. Sed mihi non tam labor, aut militum cura deterruiſſe Verdugum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

dugum videtur, quàm metus, ne Naſſovius Wedenbraſæ aut Slochteræ
(quas diei ſpatio expugnare erat) caſtra poneret, & paludes inter, loci na- cIↃ IↃ
turâ tutus, à Groningâ pariter Friſiâque ſe intercluderet. Cujus rei in con- xcIII.
ſilio Naſſovij mentionem factam, & Verdugum, locorum peritiſſimum,
conjectare facilè potuiſſe conſtat. Accedebat imbrium periculum, quîs
biduo corrumpi paludes, & corruptis ægre deduci machinæ quiviſſent.
Ipſe certè Verdugus, acrius inſtante Groninganorum uno, negavit prius
tentaturum, quam Numine ſponſore adverſus pluvias cautum vidiſſet.
Victoriarum, & laudis quicquid hâc expeditione partum, Groningana ple-
bes ſoli Frederico Bergio tribuebat. Verdugi nec mentio ulla, & decre-
ſcens indies fama. Weddam tamen ad eum Joannes Wilkius, Conſul Em-
danus, & Joannes Eltius, ab Edſardo Orientalis Friſiæ Comite venerunt,
gratulatum de rebus præclarè geſtis, ferebantque munus pictum auro cra-
terem. Inter hæc Groningâ adfertur, triplicia hoſtes conſilia agitare: Naſ-
ſovium ad pugnam elici, Friſiorum vaſtari agros, an Schonerbekanum re-
parari iter, maximè in rem eſſet. Sed decretum de prælio; aut, ſi abnueret
Naſſovius, rapiendos, & urendos Friſiorum agros. Hæc verè nuntiari, pòſt
acta hoſti comprobarunt. Quippe Verdugus, Burtangâ die XVI relictâ,
poſtridie Groningam reverſus XIV Kal. Octob. Suidlaram petit: & ſupe-
ratâ palude, Swartendikam cum equitibus mille ducentis prætergreditur.
Peditum illi millia minimùm quatuor, machinæ campeſtres duæ, currus
CL erant. Medium jam diei tranſierat, cum Naſſovium, his cognitis, De-
legati Friſiorum, qui in caſtra venerant, diverſis ſententijs diſtrahebant.
Nonnulli, dum hoſtis aberat, linguâ fortes, prælium ſuadere. Contrà Naſ-
ſovius, cui cauta cum ratione placebant, anceps id differere: nec profligato
hoſte ſubigi Groningam, aut damnum inferri, quin facilè id Verdugus, ut
Regis opibus ſubnixus, ſarciret. Se procumbente, patêre hoſti omnem Fri-
ſiam. Proin, cùm ſumma conſiliorum ſibi ſit defendere Friſios, ex uſu videri,
ut Viſvlietam caſtra moveantur; quando Tolbertum ob circumjectorum ſic-
citatem hoſtis tranſgredi poſſit. Illam caſtris opportuniorem ſedem, & ſi-
mul præſidium Oſtergoæ, ac Weſtergoæ. Etenim ſatiùs locorum fœcun-
ditate, & habitantium numero præcellentiâ, tutári, quam ſi ubique occur-
rendo, & ſterilem Septemſylvanam defenſandi ſtudio, omnem periculis
Friſiam exponant. Delegati in alia omnia ire; & cedendo hoſtium augeri
animos, tantoque promtiùs in Friſiam irrupturos differebant. Inſequente
tamen anno, quum obſeſſam Groningam Georgius Dynaſta Swartzenbur-
gicus inter obſidum cæteros ingrederetur, in caſtra remeans, retulit Naſ-
ſovio, quæcumque Tolberti de hoſte affirmaſſet, ex ipſorum urbis magi-
ſtratuum ſermonibus vera comperiſſe; & eaſdem cauſſas, eaſdem hoſti ra-
tiones fuiſſe conſiliorum; perinde ac ſi conſultantium ſermones præſens,
aut inſtinctu Numinis, hauſiſſet. Perſeverantibus in ſententiâ Delegatis,
Tolberti caſtra communiri, & exſpectari placuit, quid de hoſte nuntij af-
ferrent. Ii ut primùm poſtera dies albeſcebat, adventare Verdugum nun-
tiavere: jamque relictâ à tergo Swartendikâ, Sigerſwoudam attigiſſe, &
Friſiorum caſtris propinquare. Jam catervatim ruricolæ, armentis in caſtra
adactis, ad famam hoſtium, fugam faciebant; majora cuncta de numero, ac
terribiliora referentes. Tum verò trepidi Delegati antè placita damnare,
& abitum ſuadere. Certa dubijs antehabenda; & quando meliora ſperare
non detur, ferendam æquo animo cladem Septemſylvanæ. At Naſſovius,
movere caſtra nunc intempeſtivum ait. *Hic manendum nobis, hinc repellendus
hoſtis. Erat heſternâ die tempus, & otium aliam capiendi ſedem. Nunc priùs
noviſſimum noſtrorum agmen hoſtilis equitatus, quàm ego caſtrorum locum atti-
gero: & pariter neceſſitas mihi, non militem ſolum, tantopere mihi commenda-*

cIↃ IↃ xciii. *tum, ſed & Friſiæ, & veſtri omnium ſalutem certiſſimo periculo objectandi.* Non accepere ſalubris conſilij rationẽ Delegati, ſed malum Friſiæ, & infelix fatum deplorare: quippe vitatis caſtris, ferro, & igne in agros, in homines graſſaturum hoſtem penitus rebantur. Naſſovius tamen retinere animum jubet. Solum ſe ab hoſtibus peti: neque illos, niſi excîſis caſtris, interiora petituros. Perſtititque poſthac in ſententiâ, aſpernatus quicquid contra jaceretur, & caſtra muniri imperat. Obruerat eum omni hâc æſtate curarum & laboris multiplicata moles. In Centurionum vetuſtiſſimis parum opis, aut conſilij. Patrum legati pars formidoloſi, pars temeritatis nimię, belli juxtà rudes utrique. Nihilominus prudentiæ eximij ſibi videbantur, ſiquando Naſſovium, omnes caſus & eventa rerum anxiè pervolventem, arguere, ac vetus illud, *Dum Romæ deliberatur, perit Saguntum*, objicere poſſent. Notabatur hâc expeditione aſſiduis illũ curis, ac vigilijs emaciatum eſſe. Id tamen pro mollitie animi accipiebatur ijs, qui non æſtimarent, nequaquam ſui eum metu diſtrahi, qui facile ſeque & militem eripere periculo quiret. Cęterùm & in tuto locare militem, & Friſiam (quod tam ſiccâ æſtate arduum) adverſus omnes caſus defendere, id demum ſollicitum requirebat animum: ea cura laude digniſſima. Hoſtes Sigerſwoudâ digreſſi, undeviceſimâ ejuſdem menſis die (hora admodum nona erat) Tolbertum ad caſtra Naſſovij acceſſere, pulcherrimâ acie pedeſtribus vexillis ſex & x x x, equitum ſignis x v, conſpicuâ. Erant in eâ Frederici Bergij, & Barlæmontij legiones; Sultzij Comitis centurię quatuor: cętera turba ex legione Lamotij; quę Martio menſe Rhenum, ſed infrequens, tranſmiſerat. His centurias x v, è ſuâ, ac Billij legione, Verdugus adjecerat, hactenus in Omlandis, & trans Iſalam præſidere ſolitas. De munitione caſtrorum, quæ pridie demum cœpta, & ſubitò perfecta, nihil ſcire potuerat: &, exploratorum indicio fretus, haud dubitabat, aperta ſe reperturum. Itaque rectà in noſtros tendit. Cæterùm, ut inopino munimenta offunduntur, ſiſtit agmen; omnibuſque jaculatoribus emittere glandes juſſis, binas campeſtres machinas dirigit; ac primo fortè jactu quinos duplicis armaturæ milites proſternit. Damnum, quamvis leve, intulit eo in agmine nonnihil pavoris, ita ut omnes, quæ erectæ antea ſtabant, haſtæ inclinarentur. Reſumſere tamen animos, poſtquam obequitans catervis Naſſovius, hortatus ſuos, quicquid neceſſarium videbatur, imperavit. Decem ei in caſtris turmæ erant, ſeptingentorum, nec amplius militum. Loquerenij Balfourijque legiones capita tantùm mille continebant. Validiſſimas centurias ſex, mille minimùm virorum, in Burtangâ reliquerat: adeò ut militum quod in caſtris erat, duo millia, & quingentos non excederet. Duo illâ die equi, ſub corpore inſidentis tranſiecti, procubuerunt, cum utrimque ſine intermiſſione, grandinis inſtar, jaculatores tela effunderent. Mox quoque tribuno Balfourio crus vulneratur. Pari diligentiâ Verdugus curru circumvehi agmina, ſuorumque accendens animos, cernebatur. Ex caſtris equites nonnulli, à Naſſovio emiſſi, velitationem ad horam diei tertiam extraxere. Inter præliandum Philippus Naſſovius, Guilhelmi frater, Frederico Bergio obvius factus, ita ut alter alterum agnoſceret; quippe cognati, & ſimul Dillenburgi, ac Heidelbergæ, pueritiam eâdem ſub diſciplinâ egerant. Tertiâ circiter horâ Verdugus diſcedens, Sigerſwoudam repetit, incenſis Tolberti domicilijs nonnullis. Abeuntem premere, opportunum pleriſque videbatur; idem ſuadente Verio. Sed Guilhelmus reputans, promtum hoſti vertere agmen, & aperto Marte confligere, quicquid illinc periculi impendebat, pertinaciter vitandum cenſuit; laudante poſtea conſilium Verio, & palam profeſſo, auctam eâ Naſſovij prudentiâ ſcientiam ſuam. Verdugus velut Friſiam petiturus ſe ſuaque compoſuerat; mox tamen flexit in Drenthanos. In tranſitu ca-

ſtellum

ſtellum Swartendikæ impoſitum, jaculatores nonnulli miſſilibus impetiere, cIↄIↄ
nec à præſidiarijs omiſſum regerere glandes , quorum tamen præfectus xcii.
Meieringus occubuit. Caſtellum, quod agreſtes in Friſiorum limitibus inſe-
derant , ſimul hoſtem adventare audivere , deſerunt ; deſertumq́ue hoſtis
occupat. Miſſus eò cum equitibus nonnullis Philippus Naſſovius , luſtran-
do campo , & quò tenderet hoſtis cogniturus. Ubi propinquaverat , la-
pſum ex equo militem à caſtellanis impeti glandibus videt. Qui fallendis
noſtris de induſtriâ commilitonem laceſſebant , ut teneri à ſuis caſtellum
crederet Naſſovius. Ille tamen , quod res erat , dolum ſuſpicatus , reſtitit;
nec mora, poſtquam ſuſpectam fraudem præſidiarij, & diffidere Naſſovium
advertere , prorumpunt equites aliquot. Philippus cum ſuis evaſit , amiſſo
capitis tegumento, quod hoſti, pretium doli , & laboris, ceſſit. Dum Ver-
dugum expeditio ſua , & quæ docuimus loca diſtinent , vertit Naſſovius
curas ad inferendam Covordæ annonam. Et quia curruum quantum ſatis
ex Friſiâ habere nequibat , impromptioribus delegatis , quò ruricolis ſuæ
ditionis parcerent; Joannem Stappium , excubijs legionis ſuæ præpoſitum,
Swollam mittit ad Warmeloum , Sallandiæq́ue prætores; iiſq́ue perſuadet,
ut currus centenos ſufficiant , mercedem à Friſijs exſolutum iri pollicitus.
Warmeloum & privata cum Naſſovio amicitia , & egregium publicum , ut
obſequeretur, facilè adduxere. Alioqui verebatur Naſſovius, ne Tranſiſa-
lani, ob præreptam Covordam infenſi, in Friſios id oneris rejicerent. Dein
Drenthanis quoque curruum certum imperat numerum ; qui tardiùs acceſ-
ſere : unde neceſſitas Stappio annonæ partem omittendi : itaque frumenti
quod vehere poterat aſſumto , xix die Covordam ingreditur. Tum reſi-
duum advehere properans , x Kal. Octobres cum xl curribus , & centum
quinquaginta militibus , Meppelâ denuo per paludes Covordam proficiſci-
tur. Nec longiùs latere Verdugum res quivit, à quo miſſi milites quingen-
ti ſub veſperum currus proximè arcem invadunt. Suſtentat Stappius in-
gruentes , quantum exiguo adeò numero licebat , & currus novem incolu-
mes in Covordam pervenere, reliqui eò, unde venerant, regreſſi, pars præda
hoſtibus fuit. Stappius ipſe cum ſuis Covordam ingreſſus , ubi paullum ex
labore refecti ſunt, eâdem nocte reduxit omnes ad exercitum, uno tantum
milite amiſſo. Tertiâ & viceſimâ ejuſdem menſis die Dalenum accedens
Verdugus , Covordam curru circumvehitur , colluſtrando ſitu oppiduli , &
quæ circa erant. Sed , quod omiſſum, addere libeat, Naſſovium Covordæ
annonam inferre agitantem , agreſtis ſpernendi ortus acceſſit , monuitque,
molares lapides, qui in arce eſſent, longinquo tempore attritos, nec diu uſui
habiles fore. Neque autoris quamvis levis indicium ſpretum Naſſovio, ſaxa-
q́ue duo devehi iſtuc juſſit. Unde conjectare promptum , cujus & quam
variæ curæ ſit , urbibus adverſus longam obſidionem providere. Etenim,
abſque lapidibus ijs inanis erat reliquus omnis labos , mileſq́ue in ſummâ
omnium copiâ eguiſſet. Quinto Kal. Octobr. Veenbruggam Gramſber-
gamq́ue in poteſtatem Verdugus redigit , & Covordam arctare orſus , ſoli
difficultatem , imbriumq́ue lapſus labore indefeſſo vincit. Quippe toto
Octobri uda tempeſtas , & paludoſis locis arduæ munitiones erant. Tum
frigoris ſævities , & adverſus injurias cœli terræq́ue intuta caſtra , militum
multos deſerere ſigna adegerunt : ſteriles circùm campi , non materiem,
non ſtramina, aut virgulta integendis tugurijs præbebant. Domicilia pau-
ca erant. Adeo ut Numerarius præfecti Cortenbachij, cum militibus quin-
gentis Fredericum Bergium ſecuti , in totâ cohorte milites non plures cen-
tenis reperiri, cæteros fugâ dilapſos fateretur. Ipſis Kalend. Octobr. Philip-
pus Naſſovius , quingentis equitibus comitatus , hoſtilem commeatum,
Groningâ Covordam euntem , haud procul Hareno intercepit. Quinqua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ xciii. ginta currus erant, & plerique direpti; hoſtilis equitatus fugâ Groningam repetivit; quos dum cupidiùs inſectatur Podlitzius Dynaſta, intra tubi jactum ſub mœnia delatus, ſerò advertit à ſuis deſertum ſe, quibus ſtudium prædæ ante Præfecti ſalutem erat. Ita captus ab hoſte in urbem deducitur, paucíſque pòſt diebus è vulneribus extinguitur. Septimâ Octobris die Guilhelmus Naſſovius equitatum in Geldriam, Scotos in Hollandiam remittit. Loquerenij legionem, additis duabus Friſiorum centurijs, Viſvlitæ conſiſtere, ad defenſionem Friſiæ jubet. Ipſe cum Groneveldij legione naves conſcendit, relictis Bellingwoldæ Friſiorum centurijs aliquot, & nonnullis alijs. In itinere acceſſerunt ei Zelandicæ ſex centuriæ, quas ſponte ſuâ miſerat Mauritius, addito, hoſtem è Brabantiâ Flandriâque ſena minimum millia deducere præſidijs poſſe; ſe ad tutandam Hollandiam milites vix trecentos. Eâdem die conveniunt Naſſovium Caſinus Hellius, & Albertus Foeckius, legati Senatus. Retineri in caſtris militem, & quæ liberandæ Covordæ eſſent conſultare cum Naſſovio cupiebant. Cæterùm ut jam remiſſum in hyberna militem, & Covordę omnia neceſſaria proviſa, nihilque illi periculi ab hoſte accepere, diſcedunt; Guilhelmus XVI Kal. Novembres Bellingwoldam adpellitur, ac poſtridie primâ luce partem copiarum (pleroſque enim Onſtweddæ ac Bipheloæ reliquerat) Weddę arci admovet, quam prętidiarij extemplo dedidere, ne viſis quidem tormentis, quę navibus nondum educta erant. Milites centum quinquaginta erant, varijs è centurijs delecti dirigente Mularto ſignifero. Itaque cum armis & inſtrumento omni diſceſſere, dicto juramento, intra ſex menſes ſtipendia nulla ſe facturos, niſi Verdugus Winſchotę ac Slochterę pręſidiarios, quos idem juſiurandum adegerat, implendę fidei neceſſitate exſolveret. Sed Mulartus, quando deſcriptas Verdugo pactiones obtulit, devorare eas compulſus eſt. Ea illi pœna celeratæ deditionis, quam fecerat metuens iram Naſſovij, & ne vicarij militumq́ue XII Octobris die eâdem in arce à Verdugo cæſorum, fatum vindicare arderet. Sub veſperum Guilhelmus Naſſovius Joanni Modæ, vigilum in Cornputij centuriâ præfecto, quòd fortiſſimè Winſchotanum templum defenderat, pretium virtutis conceſſit, ut cum ducentis militibus iret ad recuperandam Winſchotam, quam mox hoſtes dediderunt, poſterâque die inermes digreſſi, proximis ſex menſibus non merituros ſe promiſerunt, juxta Weddana pacta. Quarto decimo Kal. Novembr. Tako Hittinga, vicarius legionis Naſſovij, cum militum nonnullis Midwoldanum templum petit, ac confeſtim in deditionem accipit; obſeſſi arma, ac ſarcinas retinuere. His geſtis, Guilhelmus in Friſiam redit, & XI Kal. Novembr. ſero veſpere Doccomum, noctu Leovardiam venit. Acriter Delegati Friſiorum Adwerderzilam expugnari poſtulabant. At Naſſovius varia cauſſari, vergentem annum, fatigatum militem, & exiguum caſtellorum fructum. Tamen illis vehementer inſtantibus VI Kal. Novemb. ſub medium diei cum milite ac ſenis machinis acceſſit, & petitâ deditione, negatâque, dirigi tormenta, & opus incipi jubet. Subſecuto biduo denſi adeo imbres cecidere, ut aquis omnia complerentur, & opus præpediretur. Igitur cum minimùm quinque dies patrando obſidio requirentur, & militem, ne obſeſſis ſubveniret hoſtis, contrahi arctiùs ſub inclementi cœlo opus foret, vaſa conclamat, veritus ne paucis diebus plures ægritudine milites conficerentur, quàm universâ quæ præceſſerat æſtate: quibus cùm proximo anno utendum, ſeram fore pœnitentiam, poſt damnum, quod prævenire poſſet: maximè quando facilè hoſti hunc locum recipere, aut ſaltem centenis militibus circumſidere. Naſſovio tamen plus odij, & invidiæ non conſummata obſidio hæc apud Proceres, apud privatos, attulit; quam favoris universa præteritæ æſtatis præclara facinora. Per idem tempus Ruina

arx à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

arx à Verdugo capitur, quam Joannes Brunſuicius, centurionis Wevertij cIↃIↃ
vicarius, ne viſis quidem tormentis adeo dedere properavit, ut ipſorum ho- XCIII.
ſtium irriſum promeritus ſit. In Brabantiâ duæ Germanorum centuriæ eo-
dem tempore à noſtris cæſæ, ſignaque Hagam delata ſunt. At Philippus
Naſſovius à multo tempore inſidias Limburgo meditatas, poſtquam è Fri-
ſiâ Noviomagum reverſus, octidui requie equitibus datâ, exſequi ſtatuit.
Itaque magnis itineribus Juliacenſem, & Aquiſgranenſium agrum percur-
rens, nullo hoſtium gnaro in Limburgenſem Ducatum penetrat. Sed noviſ-
ſimâ nocte, dum pylorecte portas Limburgi moliri feſtinat, imprudentèr
primo in agmine equitatum poſuerat; ita ut pedites, intercurrentium aqua-
rum tranſitu impediti, cùm properè adeo ſequi nequirent, ab equitatu diſ-
jungerentur. Adferebant quoque ad excuſationem ſui centuriones, equi-
tem noviſſimo ex agmine ſomno oppreſſum, tardius inceſſiſſe; cujus exem-
plum ſecutum peditatum, quando tenebræ proſpectum totius agminis im-
pediebant, ſegnius progreſſum. Mox quoque nova; & priore longior mo-
ra, ubi proficiſcentes bivio conſpecto, quo itinere irent hæſitavere: nec
equorum cernere veſtigia erat. Itaque Philippus quidem opportuno tem-
pore ad portas venit, & quieta cuncta reperiens, pylorectas portis applicat;
Reliquum erat, ut accederentur, ac impetus fieret. Cæterùm dum pedita-
tum præſtolatur, albeſcere lux cœpit, ipſeque irritis deſtinatis abitum pa-
rat. Dum ad urbem contenderet, ante medium noctis, repente motæ in
viciniâ per omnes pagos campanæ, metum proditionis Naſſovio injece-
rant. Sed equitum uno ad proximas ruſtici ædes ſciſcitatum miſſo, co-
gnovit, ex conſuetudine, eum veſperæ omnium Sanctorum honorem tri-
bui. Nec melius Mauritij Principis aſtus in Brugas, Flandriæ civitatem,
ſucceſſit; cui patrando, etiam Guilhelmus Naſſovius in Hollandiam ab eo
evocatus. Primordia ex voto fluere viſa I V militum millibus, ex varijs præ-
ſidijs arceſſitis, & ignaro hoſte feliciter in Flandriæ litora expoſitis. Tem-
pus exſequendis deſtinatis ſub novam lunam delectum, ob tenebras. At
quantum hac parte ea proderat, non minus ſecum incommodum traxit:
quippe incitatis fluctibus, & longe lateque reſtagnantibus, etiam quà ari-
dum fore iter credebatur, umbilico tenus aquæ adcreverant. Accidit in-
ſuper, ut index itineris aberraret, qui cæteris, tanquam peritiſſimus, prælatus
erat, ſæpiſſimeque nocturnis tenebris devia quæque, ac latebras conſe-
ctandę prædæ perluſtraverat. Nunc verò dum exercitum ductoreſque præ-
cedit, perpendens, quantam in ſe molem recepiſſet, metu obſtupuit. Mau-
ritius, quamvis non iram, vocem tamen tenuit, ne perturbati animum ma-
gis confunderet: ſed ut humaniſſimè compellaret, eximere tamen pavo-
rem nequivit. Et errore, aquarumque tranſitu, tantum temporis conſum-
tum, ut quartâ noctis horâ duabus ab urbe horis abeſſent. Ruricolæ per-
ſenſo hoſte, campanas extemplo pulſant: at non ideo Princeps meditata
omiſiſſet; nunc tempore elapſo, naves repetit, frigoriſque & aquarum in-
commodo, quod æquatum illi cum militibus fuerat, gravem in morbum
incidit: Guilhelmo intentata valetudo. Navium una cum militibus X L dum
properantiùs pergit, merſa eſt. Zelandiæ Proceres, ne Brugæ tentarentur,
plurimùm obſtiterant; urbis magnitudinem, civium frequentiam, & vires
cauſſati, quîs non arduum I V millia hominum depellere. Et ut ſuperaretur
civitas, novas excipere difficultates: requiri validum præſidium, & loca
unde abducatur miles nudari: commeatus numeroſo milite inferendos.
Quippe ſitam urbem in Flandriæ interioribus, cuncta circum hoſtilia, eo-
que Hiſpanis faciliorem oppugnatu. Ut factis ſumtibus graviſſimis, multo
labore ſuſcepto, ultro urbs ſit deſerenda. Sed Mauritius ſpei plenus, præce-
perat animo omnium apud hoſtes rerum perturbationem: quîs potentiſſi-

cIↃ IↃ xcIII. mæ urbis curâ diſtrictis, non ægrè cætera proventura exiſtimabat. Degebat per idem tempus in Flandriâ Swevenſelus, vicarij quondam titulo equitibus ſub Philippo Naſſovio præfectus. Exin deſertâ militiâ, & uxore in Zelandis ductâ, poſtquam bona ejus profligaverat, impetrarat ab hoſte veniam ſedis in Flandriâ ponendæ. Igitur ille, poſtquam tentatam à noſtris Brugam vulgatum eſt, accuſatus, tanquam explorando rerum ſtatu, ſimulatè Regis gratiam ambiiſſet, in carcerem detruditur. Ubi, ut ferebant, diris cruciatibus, immeritò vexatus eſt. nam criminis hujus innocens erat. Sed haud dubiè impiè tranſactam ab eo ætatem juſto judicio divina ira punire voluit. Etenim nonnunquam fallendo tempori diſputare ſolitus, an ullum Numen, an æternæ animæ forent, aliaque id genus plura. Vita quoque illi per potationes, ac libidines acta. Cætera nobilis ortu, eruditione, & multis viſis aut lectis excellebat, variaſque gentes adierat, ac linguas didicerat. Decimo Kal. Decembres Berckâ ſeptem militum centuriæ exceſſerunt, quæ menſibus xiv per ſeditionem exactis, præfectum Rineveldium, & ducum cæteros, cuſtodiæ incluſerant, obſequium abnuentes: jamque ſpem fecerant, nihil penſi habituros, cuicumque oppidum traderent, modò ſtipendia annumerarentur. Eâ in ſeditione notabile viſum, quòd non, ad exemplum cæterorum, ducem unum aut Electum ſibi milites præfecerant, ſed Senatum unius & xx capitum, ternis ex quâque centuriâ delectis, qui optimatum inſtar regebant, mutatis ſubinde Senatoribus, quo plures regiminis partem caperent. Hic Senatus vectigalia nuper mercibus, quæ exportarentur, impoſita exigebat: inſuper Berkæ Epiſcopi portoria, & quæcumque Rhenum, Moſam, ac Vahalim navigantes à Lobeca Hollandiam uſque (quòd à Rineveldio repertum) Regi pendere adſueverant; eorumque ex proventibus donaria in militem erogabant: multo majore æquitate, accuratiore ordine, quàm ab ipſo factum Rineveldio: & laudem eâ re apud nautas ac mercatorum præternavigantes ſeditioſi meruere. Parmenſis dum viveret Colonienſi Epiſcopo, cujus in ditione Berka erat, poteſtatem fecerat, annumerato ſeditioſis ſtipendio, urbem rurſus ſuo imperio adjungendi. Jamque collato à Colonienſibus ære Parmenſis fatum intervenit. Quo obtentu uſus Epiſcopus, nihil novare auſum ſibi dixit, priuſquam adventaſſet, quem ejus in locum Rex Belgarum rebus præficeret. Quod manifeſtè arguebat, Regis amicitiam proprijs illi commodis priorem. Itaque retinuit urbem hoſtis, & ad ultimum pacatis ſeditioſis, Hermannus Bergenſis ſuum præſidium impoſuit. Vectigalia portoriaque, quæ ſpatio menſium xiv conficiebant xc millia florenorum, pro dimidiâ ſtipendij parte illis fuere; reliquum annumeratum eſt. Datæ omnibus honeſtæ miſſionis literæ, & quo viſum quiſque abijt. Etenim verebantur, ne longiùs in militiâ perſeverantes, quondam pœnas ſcelerum darent. Crebri continuo hoc anno ſermones inceſſêre de Erneſto, Auſtriæ Archiduce, Cæſaris fratre, quem Parmenſi ſucceſſurum in Belgarum regimine ferebatur. Sed illum validis cum copijs indies exſpectatum, Turcarum primò ob irruptiones Auſtri, & Hungari diſcedere non paſſi, mox pecuniarum ab Hiſpano mittendarum mora, & pedum ægritudo, retinuere. Magna interim & terribilia de cogendo exercitu ſpargi. Quod maturè circa autumnum cœptum, educendis proximâ æſtate militum millibus xxx, belloque utrâque Rheni ripâ (ut dicebatur) gemino exercitu gerendo. Nec falsò hæc dilata: nam præfectorum complures jam legiones ſcribere orſi erant. Franciſcus Louwenburgicus Dux, cohortes xv, trecentorum ſingulas militum, & equitum millia quatuor: Cimaci Princeps cohortes xx militum, quamque ducentorum. Adhæc Barlæmontius, Swartzenburgius, alijque, ſed exiguo progreſſu. Louwenburgici vicarius Tieſtelingus caſtra cum cohortibus vii Lin-

gam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

gam prope delegerat, & incendij minis extorto Monaſterienſibus ſtipen- cIↃIↃ xcIII.
dio, militem ſcribebat; quod licere ſibi in nationum conterminas Hiſpaniarum Rex rebatur. Eodem more ante triennium Magnus, Saxoniæ Dux, Franciſci Louwenburgici frater, Vechtâ Monaſterienſi oppidulo occupato, ejuſdem gentis tributo, quo agrorum incendia redimebant, nullis Regis ſumtibus, legionem contraxerat. Tieſtelingum Lingani comitatus habitatores duodecim dalerorum millibus, ut ſedem mutaret, emercati ſunt. Itaque in pago haud multum Lingâ abſito conſedit, ubi nocte quâdam à Tranſiſalanis, ac Zutphanienſibus equitibus, de improviſo oppreſſus, miles partim cæſus, cæteri diſperſi. Ipſe xiv Kal. Januarias Dotecomum captivus abductus. Reſiduas octo cohortes Franciſcus Louwenburgicus, ne par fatum ſubirent, Halenum trans Viſurgim amnem in propriam ditionem tranſtulit; ſubditos onerans ſuos, ob utilitates Hiſpani. Sed jam trajecto Viſurgi, Antonius, Comes Oldenburgenſis, tranſitum præter Delmenhorſtam tantæ ſimul multitudini conceſſurum ſe negavit. Quam ob cauſſam Franciſcus auctoramento cohortes ſolvit, multique è gregarijs militibus ad Fœderatos tranſiêre. Cimacus legionem in Flandriâ, Arteſiâ, Hannoniâque collegit, ſpargens limites adverſus Gallum hac manu defendendos; quâ re illecti complures inde oriundi, nomen militiæ dedere, dum in patriâ ſe manſuros ſperant, & Cimacus breviſſimo tempore militum millia iv coacta habuit. Cæterùm ut Covordam ad Verdugum contendere juſſi, & mandata ea in vulgus militum emanarunt, paucis diebus duo millia diffugiunt. Reliquos Decembri menſe Hermannus Bergius Rhenum tramiſit, & Covordam in caſtra ipſe duxit; quibus non unquam Cimacus, non Palantus, nobilis Juliacenſis, qui ſecundus imperio præerat, adfuere. Et priuſquam Februarius menſis finiret, morbi, egeſtas, ac fugæ milites non plures quadringentis ex omni numero reliquos fecerant. Dynaſta Swartzenburgicus, Kerpâ haud procul, legionem ſuam congregabat, occupato ad ſecuritatem Woringa oppidulo, Coloniam ac Noveſium inter ſito. Etiam nonnullos ſuorum Harſtam, (is locus Aquiſgrano propinquus) convenire juſſit; qui à Fœderatorum equitatu cæſi omnes aut diſſipati. Legionum reliquæ, & cum his iv equitum millia à Louwenburgico adunata, in Hungariam abiere, de quibus plura dicere ſupervacuum. Præter hos belli paratus varij quoque de pace nuncij ex aulâ Cæſaris allati in vulgus diſpergebantur: Datum Erneſto arbitrium firmandæ pacis, quibuſcumque legibus vellet; adeoque permiſſum eſſe, ut ſtatum Religionis, regiminis, officiorum immutatum relinquat, ac promittat penes Proceres, & urbes imperij vim; Regi nihil præter inane nomen fere. Hæc prænuncia Erneſti fuere, diſſeminata plebi à cruento bello minis deterrendæ, aut dulci pacis vocabulo illiciendæ. Sed parum fidei pacis nuntij invenere apud jampridem expertos inclementem & præfractum regis animum. Accedebat ipſum Erneſti ingenium, & addicta diverſis ſacris mens, ac Cæſaris acta. Neque credendum videbatur, Regem abruptæ hactenus contumaciæ in defendendâ Religione, & autoritate ſuâ, nunc liberalem adeo fore in utroque. Erneſtum Jeſuitarum ſacris infectum, & in Hiſpaniâ educatum, ac à primâ pueritiâ crudeliſſimum omnium fratrum ſuorum habitum conſtabat. Referebant primarij viri, qui Viennæ apud aulam Cæſaris ipſi habitaverant, Erneſtum, ſuperſtite adhuc parente, admodum adoleſcentem, oblectandi animi, ſolitum è feneſtris prætereuntes canes glandibus trajicere. Ob hæc arbitrari prudentior quiſque, Regem, ſi ex animo pacis ſtudio ſuam negligere majeſtatem agitaret, potius per Matthiam, Erneſti fratrem, id tentaturum, qui ſtatim poſt Gandavenſem pacem in Belgicam profectus, quartum annum imperaverat, ac comiter adminiſtratâ Rep. apud multos voluntatis haud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ xciii. exigua ſemina reliquerat. Ad ultimum quoque, ſiquid de his nuncijs creditum, omne id Cæſaris acta ſuſtulere : quippe per idem tempus Reformati, à magiſtratu Aquiſgranenſi (quæ libera civitas) impetrato, ut ædem exercendis palàm ſacris ædificarent, Cæſarem ſollicitabant, ut probare id vellet, exemplo Auguſtæ Vindelicorum, Francofurti, Spiræ, Wormatiæ, aliorumque locorum. Sed ille ſeriò abrogari id, ac Pontificiam Religionem priſtino ſtatu coli juſſit. Unde parum ſimile vero erat, eumdem Regi autorem fore, ut talia in terris, quas hæreditatis jure accepiſſet, pateretur; quando de pace acturo Regi honeſtâ ſpecie opus erat, quaſi non ſuopte motu, ſed Cæſaris, & Erneſti impulſu, huc permotus foret.

FINIS LIBRI X.

EVERARDI REIDANI ANNALIVM LIBER VNDECIMVS.

BREVIARIUM LIBRI.

PATRES *ducenta florenorum millia ſubmittunt Gallorum Regi, eâ conditione, ut Artheſijs bellum moveret: quod ægre latum Britannis. Iidem Patres decretum faciunt, de cogendis peditum millibus* IV *ac trecentis equitibus. Erneſtus Archidux in Belgicam venit. Super adventu ejus varia judicia, & ſermones: ſed cauſſam ipſam revelant interceptæ literæ. Otio ſuo in contemtum venit. Horrendis tempeſtatibus clades varijs locis acceptæ. Verdugus totam hyemem in obſidio Covordæ perſeverat, multâ militum fugâ, & varijs morbis. Ab exploratore decipitur. Delfſilam prope expugnat. Sylvaducis & Trajectum ad Moſam irrito conatu à Mauritio tentantur. Michaël Renichonus, conſcio Erneſto, à Barlæmontio ad perimendum Mauritium emiſſus. Verdugus ad reddendam actorum rationem Bruxellas vocatur. Guilhelmus Naſſovius à nonnullis accuſatus, quòd Covordam alienare à Friſijs, omniaque caſtella Omlandis tradere, ante redditas impenſas, moliretur. Sed publico in conventu ſe purgat. Mauritius, liberatâ Covordâ, Groningam obſidet, & conditionibus æquis in poteſtatem redigit. Patres Scotorum Regis filium de ſacro fonte tollunt. Ruræmondæ inſidias Philippus Naſſovius ſtruit, ſed improſpero exitu. Hiſpanus miles ſeditioſus, confuſum regimen, & duces diſcordes. Mauritij victoriæ ſiſtuntur miſſis in Galliam auxilijs. Scelerata Eduardi Fortunati, Badenſis Marchionis vita, & infauſtus exitus. Petrus Fourrius, Erneſti impulſu, Principem Mauritium tollere è medio conatur. Lopezius, Elizabethæ Medicus, ſollicitatus ab Hiſpano, ut veneno Reginam & Antonium necaret. Hardeccius Comes ob deditum Iaurinum gladio percutitur. Cæſar ab electione Romani Regis alienus. Italorum Sichemi ſeditio Patrum promiſſis confirmatur. Beaulieus primus occultas literarum notas interpre-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

interpretatus. In Orientali Friſia contentiones ortæ inter Comitem & ſubditos. Galliarum Rex à Petro Caſtellio, incitantibus Ieſuitis, prope occiſus. Quam ob cauſſam univerſi Societatis ejus Gallia pelluntur. Verdugianorum nonnullæ in Omlandos irruptiones. Arnoldus Dorpius captus.

IGITUR; ob cauſſarum ſupra demonſtratas, impi- CIↃ IↃ
gre bellum Patres parabant: monitæque à Senatu na- XCIII.
tiones, ut imminentibus intentæ periculis, conferrent æris quantum ſatis tuendæ Reipublicæ, ac finibus. In his Hollandi, Zelandi, Friſij, & Ultrajectini inſequente anno (is nonageſimus & quartus) ducenta florenorum millia in menſes ſingulos ſeſe daturos promiſere; ſuper vectigalia, quæ advectis aut exportatis mercibus impoſita, tota Belgica tolerabat; ſuper ea, quæ Brabanti, Flandri, Geldriæ, ac trans Iſalam nonnulla, incendij & populationis metu pendebant. Nam Geldrorum, ac trans Iſalam, quod defendi quomodocumque contra hoſtilem vim quiret, conſueta ſubditis onera tributaque ferebat. Pars reliqua, quæ ſub hoſte, vaſtitatis terrore ſtipendium ſolvere adigebatur. Hæc præter, nongenta florenorum millia extra ordinem promiſſa, ſcribundo militi, & ſiquid ultrà neceſſitatum. Dein & ducenta, ſubſidium Gallo; cæterùm eâ lege, ut in Artheſios Hannonioſque bellum transferret. Quod ubi comperit, Bovillionæo Duci ijs in tractibus belli curam, imperiumque exercitus mandat. Huic maximè fidebant Belgæ, tanquam Reformato. Sed mota ſimul Anglorum invidia, qui ſummo ſtudio id conſilij evertere nitebantur. Quippe celerari hâc re belli exitum, quo finito, nec Belgas, nec Gallos, opis ſuæ indigos fore prævidebant. Apertè ſane Budlæus, gazæ Britannicæ cuſtos, Bellovaſio, Henrici Gallorum Regis legato, denuntiavit, nunquam paſſuram Reginam, ut bellum in Artheſia gereretur. Nec multum his abſcedentia Cecilius, Budlæi filius, Gallico legato coram diſſeruerat. Etenim querente illo, Regem ſuum, ſi, quibus ſocium æquum erat, auxilijs à Regina juvaretur, facilè toto belli onere liberari poſſe, inquietos Gallos reſponderat: proin ſatius eſſe, cum Hiſpano eos, quam Britannis committi. Verùm occurrit Gallus, neque bellum à Gallis cœpiſſe unquam, nec jus, quale in Galliam Britanni, eos in Angliam obtendere dictitans. Id verò quiſque mirabatur, centena aliquot florenorum millia mutuò petenti legato denegata. Quin & Gallis, qui Londini degebant, mercatoribus, eam offerentibus ſummam, abnuit Regina codicillos dare, quîs exportare pecuniam Britanniâ liceret. Majorum inſtitutum, & inviolabile edictum obtendebat, de coërcendo intra inſulam quicquid æris in eâ reperiretur. Addidit tamen, conſulturam cum Senatu; & deliberatâ re, poteſtatem facit auri Britanniâ efferendi, dummodo intra quadragena millia omnium ſumma ſiſteretur. Ubi ne id quidem ſatis placuiſſe Gallo videt, paullatim auxit, donec datâ facultate in LX millia, Gallus, repudiatis omnibus, & nihil diſſimulans, non ſic ſociorum rebus ſuccurri objecit: quâ vocis libertate, quod precibus nequiverat, extorſit aſſenſum de universâ quam petiverat pecuniâ. Inter hæc Fœderati Patres decreto ut millia militum quatuor, equites trecenti ſcriberentur, Mauritio & Guilhelmo Naſſovio permittunt militem ex quâ natione, & per quos vellent duces conducendi. Juſſus ab his Franciſcus Verius Britannorum duo millia ſcribere; Eberardus Solmenſis Comes, Arauſionenſis ſorore genitus, tantundem Germanici peditis, aut ſi neceſſitas exigeret, Patreſque cenſuiſſent, quaterna millia, ac trecentos equites. Promiſitque Solmenſis, ſextam intra hebdomadem, ex quo numeratum Francofurti auctoramentum eſſet,

cIↃ IↃ XCIII.

eas ſe copias in fines Fœderatorum adductur um. Advertit id Friſiorum animos, multumque ij contratendebant, ne Germanus miles colligeretur. Nam reputabant Naſſovium, auctu gentilis militis, validiorem fore cogendis ad Mauritij obſequium Friſijs. Dictitare etiam, unâ tantum ex Naſſoviâ domo nunc præfectos legi: ac præter morem, nec ſine periculo, nationum Præpoſitis jus concedi militares duces creandi. Mox quoque laboraverunt, ut in ſcribendo milite Michaëlis Hogelkij operâ Patres uterentur, quem Lubecæ hâc tempeſtate agitantem, ceſſiſſe Belgicâ ob calumnias in Sednitzkium, & infami libello publicè Naſſovium ac milites inſectatum eſſe, in loco commemoravimus. Per hunc, tanquam diſcordem Naſſovio, ſpes illis rem totam ſubvertendi, aut ſuas contra Comitem partes firmandi. Sed facile æmulationem adverſantium vicit Naſſovius, & frequenti in Patrum conventu demonſtravit, neceſſariò militem conquiri liberandæ obſidio Covordæ. Itaque ſine morâ florenorum millia ſex auctorando militi, tricena in ſtipendium primi menſis impetravit. Viſum dein Patribus, Petrum Regemorterum (is inter domeſticos Naſſovij nobiles erat) cum Mauritij & Guilhelmi mandatis ad Reginam mittere, rogaturum, ut, ob impendentia pericula, ſuo ære quatuor militum millia pro Belgis ſuſtentaret. Sed illa adeò apertè abnuit, ut nunquam aſſenſuram crederes. Miſcuitque querelas, ſuas tantum opes, ſuum atteri militem, & Belgarum propter utilitates conflatam ſibi invidiam. At pecuniæ reſtituendæ neminem meminiſſe. Suâ ope Belgas celebribus victorijs nobilitatos, & proventus annuos eorum decies centenis florenorum millibus creviſſe. Contrà ſuas minui opes, intendi paupertatem. Nihilominus Belgarum negotiationem & commercia omnibus Hiſpaniarum portibus vigere; quorum cauſsâ excluſos Britannos. Nunquam immenſam illam claſſem extrui ab Hiſpanis potuiſſe, niſi malos, niſi anchoras, rudentes, picem ijs ſubvexiſſent Fœderati. His alia adjecit, memoratu ſupervacua. Regemorterus ea, ut dicta erant, Patribus è veſtigio tranſſcripſit, ne inanis auxiliorum ſpes in damnum verteret. Quamobrem deſperato, poſſe à Reginâ quidquam obtineri, extemplo IV Germanorum millia ſcribere, & eâ pro copiâ tranſmittere auctoramentum decernunt. Et Regina iterum rogata mille quingentos milites promiſit. Cæterùm id priuſquam Patribus innoteſceret, jam abierant in Germaniam literæ; adeo ut militum binis millibus jurgia Reginæ Belgis ſteterint. Quæ dum geruntur, poſt moram longiſſimam tandem capeſſit iter Erneſtus Auſtriacus. Comitabantur equi ſeptingenti pompæ & oſtentationi, quam bello aptum agmen. Quippe ſexcenti currus trahebant, quîs aulica vehebantur miniſteria. Iter illi per Francos, Wurtzburgum, Palatinatum, Francofurtum, Moguntiam, Confluentiamque, Lutzenburgum verſus fuit. In Palatinatu Fredericus Comes, defuncto Caſimiro, imperium ſuperiore anno ingreſſus, & ob controverſiam cum patruo magno, ſuprà traditam nobis, nondum impetrato à Cæſare ut inauguraretur, ſollicitè reputabat, qualem ſe Erneſto, tam valido comitatu tranſeunti, exhiberet. Nam in urbes arceſque ut amicum admittere anceps: nec temere excludendus erat, quando id magnopere diffidentis indicium. Ob hæc conſiliarios in ſuperiore Palatinatu Ambergæ, haud procul Bohemiâ abſitę, inquirere, ſibique ſignificare jubet, quo tempore, quâ viâ inceſſurus eſſet Erneſtus. Conſiliarij, re cognitâ, quod ſpectatæ fidei viro committendum erat, equitem gregarium, & infimæ ſortis, nuntiare Comiti audita, & Pragam proficiſci imperant. Ille ut urbem ingreſſus, nobili in loco, quo fortè diverterat, mandata ſtatim aperit, ejuſdem impulſu Erneſtum adiens, quamvis non literæ, non indicium erat ullum, quo fidem adſtrueret, adventum ei gratulatur, Comitemque ait impensè ſcire velle, quod tempus & iter profe-

ctioni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ctioni deſtinaſſet Archidux, ut dignis tanto faſtigio honoribus adventan-
tem exciperet. Hæc ille, more legatorum, quîs ſolitum, ubi læta ferunt, CIↃ IↃ
adulationem verbis addere, & veritatem egredi, triſtia aut minus grata deterere. XCIII.
Erneſtus, actis pro voluntate gratijs, certum ſibi dixit, inviſere propinquum ſuum Comitem Palatinum. Ergo ingreſſus Palatinatum, omnium miro favore, & honoribus pro fortunâ regiâ excipitur. Cæterùm aberat Comes, quæſitâ diſceſſus cauſsâ, quò excuſatum conſiliarijs eſſet, in urbes eum abſente Principe non admittere. Graviſſimè id latum Erneſto, multâque cum indignatione ad Epiſcopi Moguntinenſis menſam, hujus ſibi contumeliæ autorem Joannem Naſſovium eſſe, (etenim illum ſuſpectabat) ſeque per occaſionem ulturum dixit. Aderat Erneſto quidam è Societate Patrum Jeſu; iſque inter varia ſermonum interrogaverat Moguntinenſem Epiſcopum, quam ob cauſam inquiſitionem in eos, quos hæreticos ille appellabat, exemplo Trevirenſis ac Wurtzburgenſis Epiſcopi, ſuâ in ditione non exerceret. Unde manifeſtum Belgis, quid ſperare de Erneſto deberent. Et illi quidem pari ratione omnia venerantium officia à Francofurtenſibus delata. Sed non latuere ſuſpicacem animum poſiti pręter ſolitum cuſtodes, & diffidi queſtus, abitum maturavit. Omni itinere pedum valetudine adeo adversâ fuit, ut non niſi aliorum manibus in currum ſublevaretur, aut eidem eximeretur. Lutzenburgi, quam primam Hiſpanicæ ditionis civitatem ingreſſus eſt, dies nonnullos quieti dedit. Medio Januario Bruxellas veniens, haudquaquam ut tantus Princeps excipitur. Primordia præfecturæ per ſegne otium ei tranſacta: non pacis, non belli cura; nec pro ſummâ omnium de illo exſpectatione, qui ardenter adeò adventum ejus expetierant. Famam ejus nulla præclarè geſta commendabant, nec præter faſtum ac ſuperbos mores, quicquam ſermonibus de eo materiem dabat. Quippe nemini aſſurgere, non quemquam honore dignari, exteri an indigenæ, illuſtres ſive infimâ ex plebe forent. Niſi quòd in Petrum Erneſtum, Mansfeldiæ Comitem, ob venerandam ætâtem, ac dignationem (nam Belgarum in præfecturâ eum invenerat) inſigni humanitate viſus, quando capitis tegimentum digitum latum attollebat. Nobili Hiſpano, qui aliquamdiu in cubiculo ejus aperto capite ſtans, tandem, ut ſub Parmenſi ſolitum, texerat, petaſus ab eo qui Erneſti aulę procurator detractus, ipſe notabili contumeliâ foras extruſus eſt. Fortè congruerat, ut eâdem ex gente alij duo veſte pretioſiſſimâ, auroque & argento pictâ, admitti ad Archiducem poſtularent. Quibus ille in diem tertium rejectis, morioni interea ſuo ſimilem per omnia habitum parari jubet: tum, intromiſſis illis, lateri iſtum adhibet, manifeſtè intelligentibus ludibrium Hiſpanis. Sperabat fortaſſe ijs artibus Belgarum amorem: ſed prudentiæ nullus judicarit, offenſis alienis gentem quampiam ſibi conciliare. Neſciebant quoque tam arrogantes Præfectos Belgæ: ægreque hæc Arſchotano, Cimacenſi Principi, & procerum alijs tolerata. At in Cliviâ angi animo, quicumque Reformatorum ſacris, & Patriæ cnpiebant libertati. Quippe verebantur, ne conſcio gentis Cancellario ac Senatu, Sibyllam, Ducis ſororem, ducturus acceſſiſſet, occupando Cliviorum imperio, & excludendis Boruſſiæ Ducis, ac Palatini liberis, qui gener uterque Cliviæ Ducis. Igitur variè nonnulli differere, poſſe Cliviæ imperium, ſi maſcula proles deficeret, à fœminis obtineri; ſed non niſi permiſſu Cæſaris, cujus feudum ea terra: itaque in manu ejus imperium, cuicumque velit, tradere, ac majori natu minorem præferre. Eâque ratione Erneſtum, ſi feudum id à Cæſare conſequatur, Hiſpani opibus ſubnixum, Brandeburgici, ac Palatinorum Comitum inimicitias ſuſque deque habiturum. Id certum, laboraſſe Cancellarium ac Senatum Cliviæ, ut terra ea ſub poteſtatem Cæſaris rediret, aut

cIↄ Iↄ XCIII. cuicumque ille donaſſet. Cæterùm obſtabat furioſi Ducis conjux Maria Solome, Badenſis eadem Marchio, fœmina dominationis avida. Ne civitatibus quidem, quamvis Pontificijs, votum aut animus, habere Principem ex Auſtriacâ domo, metu tributorum, quibus graviſſime ſubditos onerare ad ſuſtentandum luxum, & pompam ſuam, familiare illi generi. At prudentior quiſque, cui ad animum Erneſti ſumma ſuperbia occurrebat, non Belgarum præfecturam, aut Cliviæ imperium, pretium longi adeo itineris illi fuiſſe, ſed Galliarum regnum arbitrabantur. Etenim ſacri fœderis ſocij, oblato Guiſiæ Duci regno, ſi Hiſpani filiam in matrimonium impetraret, repulſam apud Regem paſſi erant, generum hunc abnuentem. Unde in Erneſtum verſæ omnium mentes. Eſſe ei faſtigium, & generis antiquitatem ſupra comparationem Guiſianorum: neque ægrè ſacri fœderis conjuratos, Hiſpanicæ indigos opis, hunc Regem accepturos. Erant qui inanibus perſuaſum acceſſiſſe Erneſtum crederent, aliaque ei de Belgarum rebus Pragæ relata, alia præſentem Bruxellis comperiſſe. Itaque nullo ſatis certo conſilio penatibus digreſſum, nunc multo magis incertum agi, omniſque egentem conſilij. Etenim immenſos exercitus, novos dilectus, & quibus alijs terrere Fœderatos ſperaſſent, evanuiſſe. Æris inopiâ dilabi conficique copias ad Covordam. Hiſpanorum legiones obſtinatis in iram animis ſeditionem continuare. Quid tyronibus ſperandum, ſi veterani ſtipendijs fraudarentur? Sane Erneſtum nullo conſilio patriam reliquiſſe, ipſius quoque Regis literæ teſtabantur, ad legatum Guilhelmum de S. Clemente ſcriptæ, quem, Pragæ per id tempus agitantem, in Belgicam comitari Erneſtum, & ſimul providere juſſerat, ne ille (Regis verba exprimo) aliorum impulſu ageretur ad propriam potentiam tentandam. Scilicet oſtendebat, veterem ſe parentis Caroli curam retinere, ſemper veriti, ne Ferdinandus, aut poſteri ejus, Belgarum imperium affectarent. Hæc ratio, quod nulli eâ domo oriundo, aut Carolus, aut Philippus, committere unquam Belgas voluere. Literæ eæ, quamvis prolixæ, nihil Erneſto quod ſequeretur præſcribebant: tantùm ex re conſuleret, & ſiquid ultrà ſpei, colloqueretur de pace cum rebellibus Belgis. Tres admodum menſes inter Belgas exegerat Erneſtus, cum literæ à Seſſæ Duce, legato Hiſpanico, Româ ad Regem perſcriptæ, omnem dubitationem exemere. Nam diſertim affirmabant, id agi, ut Erneſtus Gallorum regnum obtineret. Jamque eum, & filiam ſuam, conjuratis Philippum Regem obtuliſſe. Qui Guiſię Ducem generum aſpernabatur, quod tenuiſſimâ filiam valetudine, & fato ejus, Hiſpanias omnes Gallis ceſſuras videbat. Sed facilè evanuit, quicquid Erneſto ſpei, ubi potentiſſimæ Gallorum civitates, Lutetia, Lugdunum, Aurelia, Bituriges, ac Rothomagum, deſertis ſacri Fœderis ſocijs, Navarreni obſequium induerunt. Quare Erneſtus ſpe lapſus, bonique conſilij egens, integrum annum nihil in Belgica tentavit, quod memoriam mereretur: omnibuſque gliſcente indies contemtu, ludibrio fuit. Sparſi in eum Bruxellis, & Antverpiæ libelli infames. Ex quîs fuit, qui rhytmo Belgico hoc argumentum contineret: *Erneſtum, ſextum Belgarum præfectum, peſtem deterrimam acceſſiſſe, exhauſturum ſiquid priorum avaritia reliquum feciſſet. Sed quia noviſſimus ſit, eo nihil ipſi ſperandum.* Quę compoſita ad exemplum verſiculorum in Alexandrum inter Pontifices id nominis ſextum.

Sextus Tarquinius, Sextus Nero, ſextus & iſte:
Semper ſub Sextis perdita Roma fuit.

Nam Belgis pręfectorum, quam diu hoc bellum ſteterat, Erneſtus ſextus numerabatur. Margaretæ quippe Parmenſi Albanus, huic Ludovicus Requeſenius ſucceſſerat. Quo functo, Joannes Auſtriacus, exin Farneſius Alexan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Alexander prȩfecturã geſſerat: cujus in locum Erneſtus ſurrogatus. Deci- CIↃIↃ
mo nono Kal. Jan. horrendæ tempeſtates pelago incubuere, hauſtȩque ma- XCIII.
gnarum navium circiter quadringentȩ, ſimul merſi fluctibus quingenti ſocij
navales in oſtio, cui nomen Marſdipio, ſecundos in Hiſpaniã Galliamq; ven-
tos exſpectantes. Inter luctuoſa cladium maximè cõmovit cunctorum ani-
mos Oſtendæ caſus, fere urbi exitiabilis. Periculi culpa penes Eduardũ No-
ritium Prȩfectum Anglum, qui ſȩpius auditis ſermonibus, de extruendo in
aggere ſepto, quod obſeſſo oppido ſuburbanos agros longè lateque flucti-
bus inundaret, improvidè curioſus aggerem paullo ante perfoderat, ma-
giſtratuum & prudentioris cujuſque querelas atque obteſtationes aſperna-
tus. Neque certiſſimis rationibus perſuadere ei quiverant, poſſe per libel-
lam rem omnem explorari; neque opus recurrere ad periculoſum adeo ex-
perimentum, quo, ſiquis ſubito æſtus aut tempeſtas aquas ſupra ſolitum in-
citaviſſet, & oppidum, & circumjectus ager, Oceano facilè obrueretur.
Parumque à noviſſimo diſcrimine abfuit: ſed homines in ſuperiora ædium
confugêre. Portȩ mœniaque cladem haud exiguam paſſa. Haud multo
ante in Terſchellingâ inſulâ Brandarij turris corruit, quȩ ſublimi è faſtigio,
noctu navigantibus lumina prȩbebat. Sex homines, qui forte imȩ turri ad-
ſtiterant, ruinâ oppreſſi: bini, (mirum dictu) è faſtigio incolumes devolu-
ti, vix ullo vulnere. Undecimâ Januarij die Veſalienſis turris, de cœlo ta- CIↃIↃ
cta, cum ipſo templo, pertinaci incendio conflagravit. Primumq; valeſcen- XCIV.
te in faſtigio flammâ, tegularij nonnulli, eodem enixi, aquas fundere. Alij
pernici curſu ad urbis mœnia ruentes, tormenta adverſum flammam diri-
gunt, id reſtinguendȩ eſſe rati. Quod ubi compertum tegularijs, & qui
aquam ſubminiſtrabant, nequiere ſubitum adeo turre decedere, quin mo-
râ & confuſione latiùs ignis ſerperet. Notatum eâ tempeſtate, turbines ſin-
gulis penè momentis huc illuc converſos, totamque urbem circumactos
eſſe. Id Pontificij, qui iſtic habitabant, Numinis iram interpretati, ob tole-
rata in urbe Lutheranorum ſacra, & conciones. Cæterùm paullò pòſt, non
abſimili caſu, turris annexa templo, quod Emmericæ Societati Jeſu datum,
cœleſti igne exuſta eſt. Et quia talium nunc mentio incidit, viſum inſere-
re huic loco, quæ Zutphaniæ poſtr. Kal. Majas hujus anni evenêre. Solenni
urbis mercatu, qui in menſem proximè dictum incidere ſolet, ſub veſpe-
rum, quum jam ſextam horam dies exegiſſet, immanis grando lapſa cœlo
eſt, fabarum primo magnitudine: quæ paullatim aucta, tandem quoque
trium quatuor librarum pilas æquavit. Neque compactæ nivis globi erant,
ſed duriſſimè concreta glacies, cujus pondere perfracta ædium tecta, fene-
ſtræque; adeo ut quod ſolis vitris inlatum erat damni, florenorum IV mil-
libus æſtimaretur. Sed id imprimis mirandum, quod ſolam Zutphaniam,
& qui circum intra tubi jactum jacent agri, ea tempeſtas vexavit. Totam
interea hyemem in Covordæ obſidium Verdugus duraverat, militem cum
ipſa rerum naturâ committens. Non ſæviſſima frigoris vis, non uliginoſum
ſolum pertinaciam rupere, quibuſcum ſolus militi labos fuit. Nam cæte-
rorum ſecurus neque munitiones ducere, neque foſſas complere pretij ra-
tus, fame fatigari obſeſſos poſſe exiſtimabat. Quam ſpem, ex cæſo nuper
commeatu conceptam, falsâ nuntiorum affirmatione, acrius indies rapie-
bat. Et adulto Novembre quinque numero perfugæ bis coctum panem, &
jam mucidum ei oſtentantes, aliquot dies id genus alimentis vitam oppida-
danos ſuſtentaſſe, ægreque paucas hebdomades obſidium toleraturos aſſe-
ruerant. Sed fefellerat eos provida Euſumi cura, qui ut muceſcere biſco-
ctum panem advertit, militibus eum donari priuſquam prorſus corrumpe-
retur, aut pretij parte dimidiâ vendi petiverat, addito, poſſe eâ re annonam
extendi. Nec juſtis poſtulatis aut Patres, aut Naſſovius repugnaverat.

cIↄ Iↄ xciv. Unde Verdugus, quod prudentiâ factum, indicium egeſtatis ratus, quamvis vera alijs nunciantibus fidem negabat. Etenim cum ſexcentos florenos præmium propoſuiſſet captivum ex obſeſſis adducenti, & miles piſcandi gratiâ digreſſus oppido, atque interceptus, ei ſiſteretur, neutiquam credidit affirmanti, quotidie oryzâ obſeſſos veſci. Nam ſuper cæterum commeatum orizâ quoque obſeſſi affluebant, Patrumq́ue donatione binæ in hebdomadem libræ viritim diſtribuebantur. Subinde etiam ad deditionem obſeſſos hortatus, conditiones perquam liberales offerebat Verdugus, conceſſo ſpatio, quod intra, niſi ſubſidium veniret, præſidio digrederentur. Aliàs, ſi fortè terror in rem eſſet, adventare Hiſpanorum, & Italicas legiones, dictitabat; proinde maturarent dum occaſio eſſet: neque enim in illos ſibi id imperij, ut clementiæ ſuæ; etiam quum maxime vellet, obſequi poſſet. Ad priora, omnium ſibi neceſſariorum copiam eſſe Euſumus reſpondit. Neque adeo ſe arrogantem, ut præſcribere Naſſovio velit, quem intra diem ſubveniat. Implenda ſibi omnia fortis militis officia. Quod de Hiſpanis atque Italis legionibus diceret, non dubitare ſe quin, ut nunc, ita & poſtea Verdugus animum ac poteſtatem retenturus ſit, honeſtas conditiones, quîs tot fortes commilitones ſui digni forent, indulgendis. Etiam per Eduardum Enſium, quondam Covordæ Prætorem, Euſumi animum tentavit, multiplicata honorum, & munificum à rege ſtipendium oſtentans: adhæc vicariam legionis ſuæ Præfecturam, aut ſi ſperneret, centena florenorum millia. Quæ ut citra dehoneſtamentum famæ perficeret, conſilium ipſe Verdugus ſuggerebat, de incitandis per alios ad ſeditionem militibus, ut quaſi extorta deditio videretur. Quo patrato, juſiurandum ſe illum adacturum, nulla unquam adverſus Regem facturum ſtipendia, idq́ue pro obtentu fore ad ætatem, deinceps in patriâ per otium tranſigendam. Cæterùm perinde hæc ut priora aſpernatus eſt Euſumus, licet Zwollani nonnulli diffiderent; non alio moti, quam quod Liaukamæ (qui intra mœnia Covordæ Bacchanalia ſe tranſacturum jactaverat) equos quatuor dediſſet; gratis, ſi ante elapſum Paſchatis feſtum oppidum dederetur; ſin longius ſuſtineret, quadringentos ſe Imperiales eorum vicem ſoluturum tabellis hic adſtrinxerat. Sed, quamvis liberatâ Covordâ, fidem non ante implevit, quàm obſeſſæ Groningæ incluſus, & deditâ urbe retentus eſt, donec debitum exſolveret. Februario menſe quatuor equitum turmæ, dum adhuc bruma ſæviebat, in Friſiam tutandis agris contendêre. Quod ubi Verdugo intellectum, non dubitavit ſignificare Euſumo, Naſſovium hâc manu Covordam liberare conatum, infectâ re abſceſſiſſe. Proin inanem jam ſpem de ſubſidijs. Sed falſa hæc non Euſumo minùs gnarum, quàm ipſi Verdugo. Nam alterâ aut tertiâ quâque hebdomade, occultis per paludem tramitibus, literas & nuntios accipiebat. Et quamvis arctiſſimis excubijs omnia ſepta, nec vigilum quiſquam loco decederet, antequam ſucceſſuri adeſſent, nunquam tamen interceptæ literæ. Circa Paſchatis feſtum VIII equitum turmis è Brabantiâ auctus eſt Verdugus: quo numero ad priorem addito equites in caſtris habebat mille octingentos; militiæ pleroſque veteres, & armis inſtructiſſimos. His fretus, nihil tam validum apud Fœderatos credebat, quod reſiſtere ſibi poſſet. Itaque jam audaciùs Euſumum de deditione interpellare. Sed & illi cognita de Naſſovij paratu ad liberandam Covordam fiduciam addiderat: adeo ut non vereretur per cavillationem objectare Verdugo, Friſiorum & Hollandorum moribus neminem ante Kal. Majas ædibus ſuis demigrare. Heîc memoravimus quæcumque Verdugo ad Covordam acta. Ipſe interea miſerijs ſummis, peſtilentiâ, annonæ caritate, transfugijs militum ſuorum, cum diebus numerum minui videbat, nihil æris ad diſciplinam militemq́ue retinendum Rege ſubmittente. Etenim men-

ſibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſibus VIII, quîs obſidium duravit, bimeſtre tantùm ſtipendium milites cIɔIɔ
accepere. Onerabat hæc mala annonæ graviſſima caritas; libra panis atri XCIV.
ſeſtertijs duobus, caſei quaternis, butyri ſeptenis veniebat: eundemq́ue ad
modum cætera. Quare in tantâ omnium anguſtiâ nec licentiùs loca quæli-
bet populantes prohibere poterat. Drentha, Twenta, Benthemenſis Co-
mitatus, Monaſterienſis ager, pro præda ijs erant, nec diu ſuffecere, dilapſis
ruricolis, cunctiſq́ue exhauſtis. Etiam languentium & ægrorum, qui peten-
dis alimentis exire nequibant, ſingulis diebus XXX aut XL moriebantur: horũ
contactu, infecti valentes. Quîs moti centurionum complures, qui è Braban-
tiâ Covordam venerant, quotidie miſſionem, aut ſtipendia petere. Ipſe Ver-
dugus, quãvis alioqui blanditijs, & mitibus reſponſis ſuetus, (abdita ſenſuum
premebat) neſcius tolerandi, duris ſæpe vocibus appellantes increpabat;
abrumpente patientiam, præter cætera, pedum quoque graviſſimo dolo-
re. Acciditq́ue ut Romerius, centurio Leodicenſis, qui turmam LXXX
equitum longioribus tubis armatorum ducebat, pecuniam flagitans, & re-
ſponſo aſperiore dimiſſus, cum omnibus ſuis invito Verdugo diſcederet.
Secuti abeuntem gentilium equitum plures centenis, qui ſub Demetrio ac
Theveſio præfectis merebant; ipſi in caſtris permanſere, ſed ſub vexillo
quiſque Hiſpanos & Albanenſes non plures quindecim numerabant. Pau-
cis pòſt diebus pervicacibus poſtulatis Vallieſius, ſupremus apud Verdugum
præfectus tormentorum, veniam impetravit in Brabantiam abeundi cum
equis CXXX, qui tormenta bellica, globos ac nitratum pulverem antè ſub-
vexerant. Cæterum ij à Doeſburgenſi, ac Doetecomio equitatu, Veſaliam
prope, omnes intercepti: multum conquerente Vallieſio, nec unam ſe tur-
mam publicis regij armamentarij equis tuendis, à Verdugo quiviſſe impe-
trare. Sed Verdugum facilius excuſaveris, quod non incaſſum metueret,
equites obtentu comitandi Rhenum petentes, reditus immemores fore.
Qui vigilibus ſub Cimacenſi præerat, eademque è centuriâ manipuli deca-
nus, ad Naſſovium transfugêre, operam offerentes ſuam. Referebant, octo
priuſquam diſcederent diebus, pedites trecentos, equitum turmas duas,
Veſenio duce, ſponte ſuâ, nec poſtulatâ miſſione, caſtris exceſſiſſe, non de-
ſertorum inſtar, ſed inſtructâ, divisâque in primam, & noviſſimam acie, im-
pedimentis, prædâque, more militari, in medium agmen conjectis. Super
hos LX milites uno tempore abiêre: & Naſſovius per caſtra Cimacenſis (in
quibus ad fugam plerique proniores, eoque Drenthano latere inter paludes
cum parte equitatus collocati erant, ut facilius continerentur) ſchedulas
paſſim diſpergi juſſit, viaticum promittens, repetendo patrio ſolo, his qui
in Friſiam fugiſſent. Simili aſtu Verdugus anno LXXXIV, obſeſſo Otter-
demo, militum complures ad transfugia pellexerat. Erant ſane in caſtris
ejus centuriones, quibus ex omni numero nec unus miles ſupereſſet. Nam
ob morbos, & egeſtatem non gregarij modo milites, verùm & ordinum
ductores transfugiebant. Inter præfectos Comes Schouwenburgenſis,
cujus olim parens Arauſionenſem ſecutus erat, contractâ ex incommodis
valetudine, Groningam primo receptaculum curandæ valetudini, mox &
monumenti locum habuit. Sed è caſtris ruricolas quoque ægritudines, ceu
contactu, inceſſere. Illa vero miſerabilis ſpecies fuit, cum marito & con-
juge eidem lectulo affixis, alter exſpiravit; alter rigentes defuncti artus, octo
continuos dies membris ſuis applicatos ſenſit, viditq́ue. Adeo etiam hu-
manæ ſortis commercium interciderat, & qui humarent requirebantur,
defunctis vicinis aut alio dilapſis. Fuere qui cum uxore liberiſq́ue Gronin-
gam profugerent; ac fato occupatis in itinere matribus, urbem ingreſſi, cur-
rus, triſtiſſimum ſpectaculum, ſugentes exanimæ ubera infantes exhibuere.
Alij ædibus ſuis ob militum truculentiam profugi, & inter ſtirpes ac dumeta
latitan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ latitantes, in quo conſederant loco morbis oppreſſi, ægre infeſtas volucres,
XCIV. & animantes à ſe arcebant. Contrà Covordæ nulli tentata valetudo, nullæ ægritudines; ſingulari Numinis benignitate, & ſi qua humana ratio, victus ſimplicitate. Compertum eſt ſolutâ obſidione, è duobus (plures non perierant) militibus, illum morbo, hunc tormenti globo extinctum. Præcipiti Februario Verdugus ſenas Italorum centurias, & Hibernicas duas, trans Rhenum remittit, Mansfeldij mandatu; qui jampridem, & ante Erneſti adventum, id poſtulaverat, Gallorum in limitibus hac manu uſurus, cujus gentis Regem Artheſios ſe irrupturum promiſiſſe Fœderatis, ut credo, ſciebat. Harum in locum ſubmiſſæ Verdugo tyronum centuriæ tres ex legione Louwenburgicâ, quam Lingâ haud procul (eò convenire juſſa erat) à noſtris cæſam diſſipatamque ſupra docuimus; ejus unicæ hæ reliquiæ, collectæ ex fugâ, ſupererant. Mox & ipſi Verdugo exercitus præfectura in Gallicis finibus decreta: eique ſucceſſor in Friſia ac trans Iſalam Arenbergius deſignatus; ſed haud uſque quaque avidus; quippe honoris aut emolumenti ſpem hic nullam, vel exiguam prævidebat. Jam Verdugum ipſum ſubigendæ Covordæ ſpes omnis adeo reliquerat, ut palam jaceret, nunquam meditatum ſibi obſidium oppiduli, ſolumque acceſſiſſe aperiendo Groninganis itineri; mentiri autem eos qui diverſa ſpargerent. Itaque & ineunte Majo Groninganis magiſtratibus per literas denuntiavit, ſpeculatorum relatu cognoviſſe, Fœderatorum exercitum XIII Maij die acceſſurum. Simul numerum in majus vero prædicans, conſulebat, magiſne in rem videretur Groninganum iter, an quod Lingam duceret, inſidere, an denique inhærere munimentis ad Covordam. Reſponderunt magiſtratus, nec urbem ſuam indigam exercitus, nec alimenta ſufficere poſſe. De altero quod ex uſu putaret ſequeretur. Quinto Nonas Maij miles, hactenus in vinculis à Verdugo habitus, Leovardiam ad Naſſovium venit, ingentibus ſe præmijs ab eo ſollicitatum referens, ut literas à Naſſovio impetraret ad Euſumum, illique perſuaderet, repertum ſibi iter, quo clam obſidentes in oppidum penetraret. Rebatur Naſſovius, obveniſſe caſum ſuis hoſtem artibus petendi: ſed inexploratæ fidei homini rem gravem committere veritus, literas ei tradit, numeris conſcriptas, argumenti inanes; & per alium moneri Euſumum jubet, ne ſcripto moveretur. Militi ipſi ingentia omnia promittit, ſi exacte hoſtilium caſtellorum magnitudinem, ſpatium foſſarum, altitudinem, & reliquam munimentorum naturam cum curâ exploraret. Quod ſi perferendas in Friſiam literas ultro offerret Verdugus, acciperet, ſibique traderet. Ita digreſſus miles epiſtolam Verdugo tradit: quâ ille multum graviſus, cum triduum ſe inveſtigandis notarum ſignificationibus, adhibito, qui talium peritiâ præſtaret Patre Societatis Jeſu, nequidquam ſe ipſum fatigaſſet, rurſum obſignat, militemque ſecreto noctis per vigilias ad oppidum dimiſſum, nuntiare Euſumo jubet, nullam reſtare ſpem auxilij. Etiam ſciſcitaretur, brevine in oppidum nuncij, & quo itinere penetraſſent. Miles mandatorum cuncta Euſumo exponit; qui epiſtolas complures ſe accepiſſe verè teſtatus, iter conſultò aliud oſtendit, & orizâ hoſpitaliter exceptum, cum literis rerum vacuis dimittit. Verdugus, explicandis notarum arcanis, properanter deſcriptas obſignat, & militem nuntiare Naſſovio imperat, Euſumo annonæ abundè eſſe; ne ſubſidium feſtinaretur: ſed milites LX petere; quibus perducendis ſe ducem offerret. Scilicet intercipere hanc manum Verdugus, & parem ſuorum numerum intermittere agitabat, inopinantes & ſecuras cuſtodias oppreſſurum. Miles caſtelli ſitu curioſe luſtrato, ad Naſſovium remeans, narrat ei, ut ab Enſio, Covordæ quondam prætore, epulis largiter exceptus in tranſitu pontis de induſtriâ ſemet, ſed ebrietate ſimulatâ dejeciſſet. Altitudinem ejus pedum modo quatuor,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

quatuor, fundum ſtabilem & arenoſum comperiſſet. Addit cætera conſiliorum Verdugi, adeo ut fidem hominis probans Naſſovius, idoneum putaret deducendis in exitium LX hoſtium militibus. Huic fini literas tradere militi cogitabat, non quâ ſolitum obſcuritate, ſed notis facile intelligendis ſcriptas; verum quæ Verdugum in fœdos errores impelleret. Hæc tamen conſcio Euſumo tranſigenda erant; rogaveratque ille, nequos deinceps nuncios, niſi cunctis ad ſolvendum obſidium proviſis, mitteret Naſſovius; languere alioqui militem, quando toties euntes, remeantes nuncij, ſpem ſemper, non ſolida afferrent ſolatia. Monebat quoque cuncta cum cura perpendi, neque ſubſidia nimium celerari: etenim eſſe ſibi annonam quâ, militum cuique librâ panis in diem datâ, ad Kal. Junias uſque tolerare obſidium poſſet. Quin & durante obſidio fuit, cum ſenas tantùm libras octo diebus habuere. Sed Euſumus intelligens, ne naturale quidem deſiderium eo finiri, auxit modum; donec Patrum munere duo quot hebdomadis orizæ pondo gratis miles habuit. Eâ exhauſtâ, rurſum prior menſura, & caſei ac laridi aliquantum erogabatur. Bynen vero parcimonia adeo extendit, ut cereviſiam certo diſtribuere modo ſupervacuum foret; quippe quâ niſi adverſus ſitim nemo uteretur. Inter hæc nocte, quæ alteram Februarij diem excepit, Verdugus Delfſilã per aſtum propè ſuperaverat. Fuiſſetque victoria haud dubiè major, quàm ſi Covordam longiſſimo, & tanti laboris, tantorum ſumtuum obſidio, in poteſtatem redegiſſet. Conantibus duces aderant Wolfardus Prengerus, & Alexander Grootveldius, qui provecto veſpere è caſtris ad Covordam milites mille, per diverſa itinerum, fallendis exploratoribus, Dammonã perduxerant, locum horæ itinere Groningâ abſitum. Heîc aliquantiſper quiete refecti, concubiâ nocte caſtellum adoriuntur, non occultè, ut ferme in talibus, ſed vi apertâ. Primoque ad terreſtrem conſpecti portam, vigilibus, quid hominum? interrogantibus, mox ſenſuros reſpondent. Simul tympanis claſſicum incendunt, & inter ſonores ſtrepitumque caſtelli latus aquis adſitum, ſerris, brevibuſque anchoris invadunt. Pars rudentibus ſudetum vinciunt, inſiſtentes aggeri, quem per foſſam, ad propugnaculi frontem, operarum incuria continuum jecerat, non ſine diſcrimine caſtelli, & adverſum præcepta. Jam ſerris hiatum hoſtis fecerat, quatuor aut quinûm ſimul hominum capacem; anchoris tamen palorum totum revellere ordinem nequivit. Erantque confeſtim præſidiarij in armis. Sed, quamvis ſtrenuè propugnantes, ſuccubuiſſent, ſi, quibus clamoribus, eâdem & fortitudine hoſtis rem geſſiſſet. Fortè enim, dum pyrius pulvis in militem à præfectis caſtello diſtribuitur, incendiarius fomes ſacco, id genus pulvere differto, incidit, militumque nonnullos aduſſit. Cauſſam dederat feſtinatio, & in repentino caſu concurſus militum: erant tamen complures, qui proditionis pavorem induiſſent: moxque conſternationi novum incrementum, occiſo Tiardo Joanne Wederſpannio, qui præfectus militaris, dum induſio, nec ullo ſuper veſtimento tectus, vallo animosè inſiſtit, ipſeque bipenne armatus militem adhortatur, trajectus glande occubuit. Joannem Cortenortium, Præfectorum alterum, lectulo ægritudo affixerat. Manſit tamen ducum cæteris conſtantia, imprimis Frederico Vervouwio, cenſori militari: & depulſi hoſtes abiere. Neque leve noſtris momentum Tiardus Tiebbeſius, centurio navalis; qui bellicam ſuam ob gelu ſub caſtellum adactam deorſum impulit, machiniſque aggerem, qua hoſtis accurrebat, univerſum infeſtavit: nam rectus, neque ullis erat anfractibus. In caſtello Wederſpannius præfectus cum gregarijs militibus XII cecidit. Cortenortij ſignifer vulnus, nec multo poſt finem accepit. De hoſtium clade nihil pro certo adfirmaverim. Quinos ſub ipſo vallo intra ſudetum ſtratos noſtri numeravere; qui longiùs & extra palos

Mm ceci-

CIↃIↃ XCIV.

cIↃIↃ xcIv. ceciderant, hoſtis avexit, cui cadavera pretium fuere claſſicum renovandi. Hic eventus inſidiarum Verdugi; ſed nec Mauritio deſtinata in Sylvamducis provenere, quam xv. Kal. Apriles tentavit. Uterque tamen ſtudij abunde & animi oſtendit, ſolâ deſtitutus fortunâ: at in his, qui Trajectum ad Moſam oppreſſuri iverant, ne illa quidem alacritas aut conſtantia, fuit, tanto à fortuna longiùs abfuere. Doli index jam ante annos xII exſtiterat Hermannus Goerius, Perſſæ dynaſta, qui ſub Hiſpanorum tyrannide carnificis manu parentem amiſerat. Ab eo tempore multum & ſecreto agitatam rem, interpellaverat inopinum Parmenſis iter ad Spadanas aquas. Etenim jam tum multi milites vicinis tectis, & cellâ ejuſdem nobilis, cujus in ædes Parmenſis diverterat, ducenti abditi latitabant. Nunc rurſum ſexcentos milites ſex centurionum ductu in Leodicenſem agrum miſerat Mauritius, omnibus addictè Goerio parere juſſis. Ipſe Bredâ egreſſus eventum ſpeculabatur, ſi cœpta ſucceſſiſſent, properè advolaturus. Goerius, conandi quippe autor & dux, centurionibus ſe adjungens, ſervum pridie miſſum in urbem cognoſcere jubet, mutatæne excubiæ, clauſæ portæ, an novi quidquam & præter ſolitum, ab oppidanis inſtitutum foret; id indicium ratus occultæ, aut detectæ rei. Ipſe cum militibus ſexcentis Moſâ amne defluens famulo haud procul urbe occurrit, comperitque, centenos tantum, ut ante, milites urbem præſidere: ſed quia Mauritium cum copijs in Brabantiâ agitare rumores attuliſſent, firmatas præter morem excubias, & in ſtatione primò invadendâ milites xxx eſſe. Goerius audita ad centuriones refert, eorumque exquirit ſententias. Illi non conſulere, ſed parere ſe juſſos reſpondent: & Goerius ſuo periculo rem tantam aggredi verebatur. Cujus ut dubium ac nutantem animum notavere centuriones, cœpta omittunt haud dubiè proventura. Id creditur, quemcumque res exitum habuiſſet, partem urbis, quæ ab ortu Moſanæ incumbens ripæ Wika appellatur, in poteſtatem fuiſſe venturam. Forſan & reliquum trans amnem oppidum, præſidio invalido, ac repentino Mauritij adventu (cui promtum tormenta Wikæ impoſita ſuum in uſum vertere) deditionẽ feciſſet. Incuſabant nonnulli gregarios milites, quorũ pleroſq; Mauritius latrocinijs ſuetos ad patrandam rem delegerat, quia id hominum genus pedibus juxta atque equis longinqua itinera conficere adſuetum, devia quoque itinerum, & occultos tramites in Leodicenſi ac Brabantino agro accuratè noverat. Cæterùm & hic & alibi experimenta probavere, prædonibus adverſum inermes viatores, & corripiendis mercatoribus audaciam, ad prælium ignavum eſſe animum. Broggius centurionum alijs, qui adfuerant, præcellens, negabat ſuam alienâ culpam graviorem. Nam nec illi, nec alteri alicui datum in omnes imperium. Sed præcipue negotium evertit, quod diffiſi invicem Goerius ac centuriones, nequaquam conſilia perinde ſociaverant, ac par erat omnem caſum, &, ſi ita ferret, mortem ſimul laturos. Potuit quoque ducis, quippe ignoti, fides pavoris nonnihil intuliſſe animis; veritique hoſtilem urbem talis autoris indicio invadere; quando fraudem hujuſmodi conatibus ſubfuiſſe, crebra hoc bello exempla docuerant. Reverſo Bredam Mauritio, Michaël Renichonus, Namurco oriundus, profeſſione ſacerdos, comprehenditur: & rogatus quo fine acceſſiſſet, moniturum reſpondit de inſidijs, quas per ſubornatos transfugas Bredæ hoſtes ſtruerent: addidit, Fœderatorum ſibi deſideratam militiam. Habitus oris, ſermo, & mores, ſtatim ſuſpicionem injecere: maxime tamen, repertæ apud eum liberi itineris literæ, Barlæmontij manu ſcriptæ, ſignatæque; contra morem virorum principum; quibus receptum talia per ſecretorum miniſtros exſequi. Hinc diligentiùs ipſe, omniaque ejus obſervata. Fortè ſemotis cæteris Andreas Heſſelus, Mauritij Conſiliarius, dum ſolus cum eo, nullâ ſuſpicione interpoſitâ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

poſitâ, alijs de rebus colloquitur, ſubitò nec vultum tenere, & manantem ſudorem notavit: idque trepidantis indicium accipiens, tollendo pavori, ſecurum eſſe jubet, neque enim pœnas ullas, ſed præmia potius meritum, pro fide erga Mauritium. cIↄIↄ xciv. Sacerdos, ſæpius id genus languores inopinanti ſibi ſupervenire, dictitans, potum dari rogavit. Tandem creſcente indies ſuſpicione, perfidiæ incuſatur; adhibitiſque tormentorum minis, ipſo horrore, priuſquam cruciaretur, apertè faſſus eſt, tranſitus cauſſam ſibi ſpem tollendi Mauritij fuiſſe; evictumque ingentibus Barlæmontij pollicitationibus ad ſuſcipiendum ſcelus. Addebat, re cum illo perpensâ, præeuntis veſtigia ſecutum ad cubiculum Erneſti, quò eadem ab Archiduce promiſſa acciperet. Sed ingreſſo Barlæmontio, pudore confuſum ſe reſtitiſſe, & relapſo ſuâ ſponte, ac ſemipatente oſtio, differentes ſuper hâc re Erneſtum cum Barlæmontio audiviſſe. Quin & illum hujuſmodi uſum verbis, *quicquid promitteret cumulatè ſe, & cum fœnore præſtiturum.* Statim vero ſcriptis ab Erneſto codicillis aureos ſibi quingentos adſignatos, ſolutoſque. Demum & ſubjecit, ſenos alios idem ſcelus ſuſcepiſſe. Duos fratres Hiſpanos, Italos tres, Leodicenſem ultimum eſſe Huio oriundum; omniumque imagines à Barlæmontio adſervari: imo cum nonnullis quoque ſermones ſibi fuiſſe. Per idem tempus legio Germanica, cui ſcribendæ Eberardum Solmenſem abiſſe ſupra memoravimus, parata itineri erat. Primoque ſparſi rumores, eam per Bremenſem agrum in Belgicam venturam. Et ne inanes viderentur, Bremam arma convecta, & Paderbornenſi, ac Mindenſi, Epiſcopis, vicinorumque Principum alijs, Fœderatorum Patrum literæ traditæ, tranſitum innoxium poſtulantes. Sed poſtquam cuncta hæc peracta, Veſaliam rectà petunt. Quibus ſupra urbem hanc iturus in occurſum Mauritius, VII Kal. Apriles Hagâ Arnhemum proficiſcitur, frequenti milite convocato. Sed fortè undantior Rhenus præcluſit iter noſtris. Unde miſſi cum navibus, armis, & neceſſitatum cæteris, qui Germanos advectarent. Hoſtis etſi primo animi pendens ob vulgata rumoribus de faciendo per Bremam itinere, tandem re compertâ, cum omni equitatu Veſaliam petit, & quod urbem Eſſamque interjacet iter, horis admodum quatuor, poſt diſceſſum Germanorum, attigit. Mox Covordam repetens, currus trecentos, prædâ onuſtos, in Monaſterienſi agro adipiſcitur. At legionem Germanicam infrequentem faciebant, ſigillatim peditum multi, dein & centuriones duo, cum omnibus ſuis abſentes; qui iter reliquis capeſſentibus, imparati; poſtea ſoli ſequi auſi non erant. Adeo ut pro centurionibus viginti tantùm XVIII; pro militum quatuor millibus non niſi terna numerarentur. Imperij ſumma penes Solmenſem, cujus frater Guilhelmus ordines ducebat. Alter quoque fratrum Otho jure vicario trecenti equitibus præpoſitus. Vergente Februario adventabant jam nonnulli ex conquiſitâ nuper Anglorum legione. Sed aberat Verius Tribunus, quem primo detinuit Regina, negans ante Sidneij è Gallia reditum dimittere velle: exin, quamvis reverſo illo, nihilominus, quoad obſidione Covordam ſolveretur, manſit, non ſponte ſuâ. Egerant id clam nonnulli procerum regni, qui illi tantum apud Belgas honorem, his proſperas res invidebant. Etenim Mauritio plus in ſolo Verio fiduciæ, quam totâ legione: quando etiam abſente hâc virium ſatis, prudentis conſilij nunquam abunde eſſe poterat. Eratque Verius à teneris militiæ innutritus, liberalium ſcientiarum diſciplinâ exercitus, & hiſtoriarũ lectioni, aut quę alia in milite requiruntur, multus vacabat. Accedebat his laudibus, magna virtus, ſobrietas. Ipſeque adeo Guilhelmo Naſſovio congruebat, ut plerumq; eadẽ vellent, eadem nollent. Sub finem Maij, ſecutiſq; diebus, crebras eruptiones Euſumus facit: & die quâdã obſidentium nonnullos, vaccaſq; ſeptem capit: quas totidem avenę ſaccis redimi

cIↃ IↃ XCIV. paſſus eſt, nonnullis annonæ copiam hinc, alijs oſtentationi, & tegendis anguſtijs factum interpretantibus. Iiſdem diebus mittuntur Bruxellis Verdugo coronatorum millia ſeptem & viginti; quæ ſumma exigui pro neceſſitate momenti. Ipſeque Verdugus ſcripſit magiſtratibus Groninganis, promiſſorum quam pecuniæ amplius à legatis allatum: nam vicies centena florenorum millia ex Hiſpaniâ tranſmiſſum iri nunciaverant. Illum per id tempus Bruxellas Erneſtus revocabat, reddendæ rationi pecuniarum ac tributorum, quæ vaſtitatis metu agreſtibus extorta inutiliter profudiſſet, aut averſa caſtris in Hiſpaniam (hæc verba literarum) furtim tranſmiſiſſet. Sed imprudenter profectò Erneſtus virum id auctoritatis, & operæ neceſſariæ, nunc ſibi alienabat. Addebatur literis Bruxellâ ſcriptis, ſucceſſorem ei in præfecturâ Fredericum Bergium deſtinari: qui error priore fœdior: quippe inter experientiam Verdugi, & inſcitiam Bergij nulla comparatio. Reſcripſit Verdugus, promtum ſe reddendæ rationi; cæterùm rogare ſpatium patrando Covordæ obſidio. Venêre ſimul in caſtra literæ Erneſti, & Fontani Comitis, quîs, ut proſpera, ſignificabant, Galliarum Regem ſine cæde aut ſanguine XI Martij die à Pariſienſibus in urbem admiſſum, Hiſpanoſque & externum militem evolutis vexillis, ſonantibuſque tympanis, urbe exceſſiſſe. Regem ipſum, repetitis, quæcumque antè promiſſa, affirmaſſe, cum Pontificijs ad mortem uſque circa ſacra ſe ſenſurum. Hunc in modum ex voto tranſacta omnia. Scilicet patriciæ iſtæ artes, palam læta fingere, quæ occultè animum angebant: & quando mutare non licebat, vulgo perſuadere, ita è re fuiſſe. Quin & fuere qui ferrent, jactaviſſe Erneſtum, *optatum ſibi, ut Trajecto Mauritius potiretur. Etenim quanto ſecundiore fortunâ Belgæ utantur, faciliùs Regem ad pacem inclinaturum: quò omnia ipſe vota dirigat.* Sed apertior hæc ſimulatio, quàm ut crederet quiſquam; eoque magis velatam talibus blanditijs fraudem verebantur. Haſſeletum à Guilhelmo Naſſovio non ſine multo labore, & adverſantium turbine, Tranſiſalanis traditum ſupra memoravimus. Eadem illa factio iram animumque veterem retinens, rurſus hoc tempore acerbis convicijs famam ejus lacerabat; quaſi ſubducere Friſijs Covordam, & inſcijs ejuſdem gentis Patribus, Omlandos exules regimini patriæ terræ imponere, omniaque ditionis ſuæ caſtella ijs reddere niteretur, priuſquam graviſſimos ſumtus, expugnandis, muniendis, ſervandiſque impenſos, Friſij recepiſſent. Id verò omnes graviſſimè offendit; indignantibus etiam his, qui in Haſſeletano negotio pro Naſſovio fuerant. Unde pretium illi fuit, ut priora, ita & hæc crimina, in frequenti conventu eorum, quibus plena poteſtas decernendi à civitatibus ac vicis facta erat, diluere: & vocatis eodem Patrum Delegatis, à gratiarum actione pro collato ſibi honore orſus, *Decem*, inquit, *anni exacti ſunt, ex quo, quamvis adoleſcentem me, Friſij, vicario jure, ſub Arauſionenſi rebus ſuis præficere, & defuncto illo, Præfecti dignitate cumulare dignati ſunt: tametſi mortem Arauſionenſis, & dignitatis meæ exordium, brevi adeo tempore dirimebantur, ut bene de publico interea mereri, aut ſtudij mei experimenta vix ulla dare potuerim; quippe non ætate, non experientiâ multum provectus. Ob hæc æternùm me Friſijs devinctum profitebor, ſperoque Remp. ſi non geſta, at pronum certe animum, & publico egregio intentiſſimum expertam; cui conſectando laborem meum, pericula mea, gregariorum quoque militum laboribus & periculis æquavi. Verùm id grave, tam utilia agitante me, eſſe, qui moram injicere conatibus noſtris, & veſtrum in me affectum diminuere adnixi, crimina ſpargant, quaſi Omlandorum curam veſtris rebus habeam potiorem. Quin & jacere auſi, Friſiam me finitimorum jugo ſubdere, eique Haſſeletum & Covordam præripere conari. Itaque non continui me, quin vobis, quorum juſſis ſubſum, & Patrum Delegatis coram, quos in regimine adiutores à vobis datos, vitæ omniumque actorum mihi teſtes eſſe oportet;*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ XCIV.

oportet; querelas cierem de atrocibus injurijs, de falſis calumnijs. Suadebat id ſtudium probandæ innocentiæ, ſed imprimis publica utilitas: ne ſuſpicione ac diffidentiâ valeſcentibus, præriperetur mihi facultas de publico bene merendi. Reputare ipſi, ullane publico à me utilitas venire poſſit, quamdiu lateri adſtantes habeo, quîs ſuſpecta eſt fides mea? Ægerne valetudinem recipiat à medico, quem ſuſpectum habet, cui medicamenta ſalubria veneni pavorem faciunt? Equidem, dum publici curam geſſi, nuſquam lapſum me, ne ipſe quidem adfirmavero: quippe memor hominem eſſe me: ſed enim ſupremam teſtor veritatem, nunquam ſcientem publicam me utilitatem neglexiſſe, nunquam impedimenta eidem ſtruxiſſe; ſed ſicubi lapſus ſum, id vel infirmitati humanæ, vel imprudentiæ imputandum meæ. Quod ut omnibus manifeſtum fiat, Procerum Delegatos per Patriæ ſalutem, per libertatis caritatem hortor, ne contentur palam exponere, quæ culpanda patraſſe me exiſtiment. Vos quoque rogo, ſine morâ exquirite è Delegatis rem omnem; quo cuncta in hoc conventu ad liquidum perducantur, meaque defenſio integris animis, & amoto livore audiatur. Ipſe interim excedam, ut liberum cuique ſit confidenter quidvis proferre. Neque enim hominum de me judicia, ſed quid objiciatur, quid refellendum habeam, ſcire mihi votum eſt. His dictis magnum toto conventu ſilentium: & Naſſovius, priuſquam abſcederet, libellum tradit, de Omlandorum negotio: quo non temerè, ſed deliberatò omnia ſibi acta, & ſuper rationem officij habitam, quatenus Omlandis præeſſet, etiam Friſiorum ſe utilitatibus conſuluiſſe oſtendebat. Etenim, nunquam ſua Omlandis caſtella reddi ſuaſerat, aut petiverat, quòd falsò æmuli objiciebant: id modò, & jure, poſtulatum ei, ut nobilitas Omlandica, & qui hæreditario jure poſſeſſis locis bello expulſi erant, velut ſocij, arctiore vinculo in conventum Fœderatorum Patrum admitterentur, & Remp. adminiſtrare, patrioque in ſolo jura reddere poſſent; quomodo Geldri, Tranſiſalani, & nationum aliæ (quarum tributa & vectigalia ne dimidium quidem æquabant eorum, quæ ab Omlandis in commune conferebantur) non conventu Fœderatorum Patrum, non dicionis ſuæ regimine arcerentur, etſi cunctas earum urbes Hollandorum aut Ultrajectinus miles præſideret. Friſijs vero ex admiſſis Omlandis non una utilitas. Quippe Fœderatis Patribus quâ parte bellum geri expediret diſſidentibus, dum nationum quæque primam ſe hoſtium injurijs ereptam cupit, Omlandi Friſijs acceſſuri erant, quando idem in rem, idem noxium ambobus. Accedebat, quòd Omlandis voces nonnullorum è Friſiæ Patribus metum injecerant, id agi, ut Friſiorum imperio ſubditi, regimine arcerentur. Quem tolli timorem omnino expediebat, ne forſan, de omnibus deſperantes, aliena ſpectarent imperia, & Tranſiſalanorum exemplo, à Friſijs ſemet avellerent. Quod noxium illis ob acria contentionum inter conterminas gentes, & locorum ſitu ita invicem innexas, ut ſine hâc defendi illa nequiret. At diverſo cuique Præfecto, nullum ne mente quidem concipi arctum adeò vinculum poterat, quin ortis inter nationes diſſidijs (quîs ſuorum quiſque fovere partes ſolet) facilè abrumperetur. Tametſi autem delegatos ſub exitum orationis ſuæ hortatus erat Naſſovius, ut accuratè rem totam perpenderent, quod quamvis ſilente illo, in re tam gravi, factum ab ijs oportuerat, quo procul habitis irâ ac ſtudio, his quibus ſtatuendi poteſtas erat, demonſtrarent, in quis, ſuo judicio, lapſus videretur: tamen uſque adeo exacerbati partium erant animi, ut nonnulli, qui laceratos ſe Naſſovij ſermonibus animadverterant, non ſerium aut grave quidquam, ſed acerbas extemplo ac contumelioſas voces promerent. Nec (quod Naſſovio poſtulatum) errores, aut quæ perperam ab eo geſta erant, objecere, verùm, oneratos ſe ab eo calumnijs, ut alieni nominis obtrectatores: velleque ut re ipsâ probet. Illum plus ſibi in Friſios poteſtatis arrogare, quam in reliquas

cIↄ Iↄ nationes præfectorum quiſquam habeat. Cordi id omnibus ijs eſſe debere,
xciv. quîs publici cura mandata foret; illos enim in miniſtrorum ſuorum injuriâ deſpectos, læſoſque: quod niſi defenſionẽ ſuſcipiant, defuturos poſthac, qui pro patriâ loqui libertate audeant aut velint. Honore, autoritate, jure, ſed debito, nunquam ſe illum fraudaſſe: patriæ libertatem, cæteris omnibus potiorem. Nec præfectis hujuſmodi ſtudium pro calumnijs habendum. Naſſovio ob acres adeò calumnias neceſſitas fuit, promere nonnulla (alioquin reticuiſſet) quibus famâ atque exiſtimatione ejus læsâ, bonis omnibus inviſum & ſuſpectum facere eum tentaverant. Tandem incondito clamore oborto, cum audiri nullus, neminis intelligi verba poſſent, conventu Naſſovius digreditur; & Donia, *Iacta*, inquit, *eſt alea*. Exin magnâ contentione huc incubuere, ut crimina in eum nonnulla, his quibus in conventu jus erat de ſummis rebus decernendi deſcripta traderent. Sed cũ non univerſus conventus ea probaret, ipſeq; inſuper Donia in Haſſeletano negotio diſcors Roordæ eſſet, miſſis reliquis, ſolum ſcripto (quod tribus poſt hebdomadis, paullo antequam conventus ſolveretur, tradidere, ne otium refellendi Naſſovius haberet) Omlandicum negotium urſerunt: & non validis argumentis, ſed ſuſpicionibus quibuſque, ac dicta Naſſovij in peius trahendo, Friſijs perſuadere conati ſunt, eò omnia Comitis tendere, ut factis in Omlandos impenſis Friſij exciderent, vanâque ſpe & fallacibus inducti blanditijs, ſecurè Omlandis caſtella & urbes ſuas redderent, ne initis quidem ſumtuum rationibus. Capitum potiſſima, quæ in pleno conventu Naſſovius objecerat, ſilentio tranſmiſere. Tridui ſpatium, & materiæ abunde ei erat refutandis quorum inſimulabatur, ſed publica quies carior illi propriâ innocentiâ fuit, nec longiùs privatis contentionibus morari conventum voluit. Oſtenderuntque ij, quîs de Rep. ſtatuendi poteſtas ab urbibus viciſque facta erat, in novis delegatis eligendis, & Naſſovium ſe omnis culpæ abſolvere, & publicam tranquillitatem cæteris omnibus habere potiorem. Itaque poſthabitis, quibus aut factioſus, aut commotior animus, ſpectatæ probitatis, & pacis cupidis viris, id muneris contulerunt. Commodùm autem triſtes eæ curæ Naſſovium reliquere, quando ſolvendæ obſidio Covordæ ad exercitum properabat; quò ſummâ alacritate incubuit, plenus ſpei de victoriâ conceptæ, quâ & gaudia faventium, & æmulorum dolorem atque invidiam intenderet. Princeps Mauritius XII Kal. Majas Swollam convenire omnem exercitum juſſerat: quò Guilhelmus biduo ante acceſſit, comitatus centurijs XII, bis mille & amplius militum. Etiam Martenæ miles Haſſeleto deductus, præſidioque oppidum vacavit, quia nihil periculi, valido exercitu locis propinquis agitante. Advenere dein ſub Philippo Naſſovio decem centuriæ, & XII Anglicæ, quîs præpoſitus Verius indies exſpectabatur. Præter has Scotorum centurias decem adduxit Guilhelmus Waddelus, Tribunornm, poſt miſſionem Balfourij, veterrimus. Par Hollandorum numerus Duvenvordio parebat. Maximilianus Horneus Loquerenſis Hollandicas novem, Eberardus Comes Solmenſis duodeviginti Germanorum centurias regebat. At in Bommelianâ inſulâ Hohenloius relictus; cui centuriæ Hollandicæ decem præpoſito Florentio Brederodio, & Ultrajectinæ totidem ſub Arnoldo Groneveldio tribuno aderant, prohibendo hoſtium in Hollandiam incurſu. Sed nec Verdugus ceſſabat militum quicquid dabatur in caſtra convocare. Acceſſerant ei ineunte Aprile ſub Contrerâ, cenſore Regij exercitus, turmæ equitum octo, & XVII ejuſdem menſis die, CCC è Brabantiâ equites. Antea turmas XVII habebat, quas inter ſeptenæ Lotharingorum longioribus tubis, armis, galeis, & ferreis manicis armabantur. Imperium in hos Dynaſta Roſtecoſſius obtinebat. Inter Centuriones Gauchierus, truculentiæ immanis, quadringen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ XCIV.

dringentos ſuâ manu homines, captivos pleroſque cecidiſſe gloriabatur. Eo in numero divini verbi miniſtros tres detractâ veſte à ſe confoſſos. Cerneréque quotidie erat illorum habitu indutum eum, in deſpectum ſacri ordinis; & teſtimonium fortitudinis. Pedites Verdugus ſuam primò, dein Cimacenſis legionem habebat, vicario Pallante; ſed aberat uterque. Hâc in legione milites numerabantur quadringenti: cæteros fatum, aut ſe ipſi fugâ ſubduxerant. Frequentior ea, quæ ſub Bergio, ut circumjacentibus locis præſidere ſolita. Aderant & duæ Lamotij legiones, cui adjutor Georgius Liaucama: ambæ milites C L continebant. Denique & centuriæ tres ex Louwenburgicâ legione, & Lotharingorum duæ, militum ſexagenûm. Has ſuper copias facultas Verdugo ducentos milites ex Groningano ſuburbio, & Omlandis arceſſendi: ſolebatque, urgente neceſſitate, quam celerrimè eas advocare. Iis X V Kal. Majas quingenti è Brabantiâ milites acceſſere, jaculatores omnes Hiſpani, è pluribus dilecti centurijs. Item Sultzius Comes legionem ſuam, & Hermannus Bergius detractam præſidijs manum adduxere, in univerſum bis mille capitum. Igitur recenſito quicquid in caſtris Verdugi militum erat, equites bis mille, peditum quaterna & eo amplius millía reperiebantur. Potiſſimum tamen equitatu confidebat; adeo ut, ſi vera exploratores referebant, adfirmaverit, quindecim millium exercitui ſe nequaquam ceſſurum: ſed ſi X X armatorum millia ſecum traheret Mauritius, nullam in abitu ignominiam fore. Quin & jactaſſe Hermannus Bergius dicebatur, parvi pendere ſe, utrùm peditatu hoſtes prævalerent. Venirent in patentia camporum, ſufficere ungulas equorum ſuorum omnibus obterendis. Septimo Kal. Maj. Mauritius, cum toto exercitu Berchemenſem pontem tranſgreſſus progreditur in ulteriorem Flevi ripam. Ingens planities Covorda tenus jacet, hinc Flevo qui dexter prælabitur, ad ſiniſtram palude clauſa: locis quibuſdam exit in ſpatium dimidiæ horæ, alijs locis artata magis, non amnibus, non rivis interſcinditur. Mauritius jamjam prælio paratum hoſtem adfore ratus, aciem hujuſmodi inſtruit. Dextro cornu centurias decem Philippus Naſſovius regebat, latus amne Flevo clauſus. Lævo, quà irrupturus hoſtilis eques credebatur, Guilhelmus Naſſovius cum Friſiorum centurijs X I I I, & Britannicis X I I ſtabat, trecentorum paſſuum intervallo quâque legione diſcretâ. Philippus Comes, & Angli, ſeptuaginta paſſibus diſtabant. Ponè Scoti erant, & equitum turmæ quatuor, duce Edmondo. Guilhelmum Naſſovium, & Anglos, excipiebat Duvenvordius cum Hollandorum centurijs decem, & turmis quatuor Kinskio parere juſſis. Hunc Riſoirius, Edmondum excipiebat Warmelous; hic quinis, ille quatuor impoſitus turmis. Loquerenus à tergo Philippi Naſſovij, interjectis paſſibus trecentis, legionem ſuam tenuit. Alterâ parte pari ſpatio poſt Naſſovium Everardus Solmenſis conſtitit, cum legione Germanorum: ita ut legionum quæ duæ erant validiſſimæ campeſtre latus occuparent. His ſiniſtra curruum objectu clauſa. In fronte pedes, eques poſterior, contra receptum morem ſtabat, ut hoſtium equitatum in haſtatos invectum, & quomodocumque perturbatum, noſter eques commodo & alacritate majore exciperet. Nam æquo Marte equite in equitem ruente, haud dubiè ſuperior hoſtis, multum pavorem pediti intuliſſet. Præterea non in cornibus, ſed ante haſtatos poſitæ quatuor medij generis machinæ, ne ſervatis ordinibus invadere haſtatos poſſet eques hoſtilis; ſed tormentis inſerere ſe, aut circumvehi cogeretur. Tali acie Dalfſam ventum, horæ itinere Swollâ abſitam, quo ſpatio quicquid minùs æquum erat, complanari Mauritius juſſit; certus deſtinationis obvium hoſtem non invadere, ſed conſtipato agmine ingruentem excipere. Poſtridie eodem modo horæ itinere confecto, Ommam attigit. Sed Verdugus, audito Mauritium adventare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ XCIV. ventare, nocte inſecutâ vaſa conclamat, deſertiſque caſtris, Dennecampum, Oldeſaliæ propinquum locum petit; & quadringentis militibus ſilente tympano Groningam miſſis, caſtella arceſq; relinquit, tuguria incendit. Ita Covorda, obſidio hebdomadas triginta & unam tolerato, liberata; & dirigente Numine Saturni dies obſidendi initium & finis fuit: parvoque impendio tanta noſtris victoria ſtetit. Repertæ in oppido frumenti octo, bynæ ſex vehes, vaſa butyri quinque; atque è veſtigio decretum de cujuſque modi commeatu (quem jam paratum Friſiæ Patres habebant) inferendo in annum integrum. Caſtella hoſtium exciſa, & ſolo æquata ſunt, præter quæ Drenthano latere extremo aggeris incumbebant. Præfectis militaribus data optio, tranſire in alia hyberna, ſeque reficere, an vetere in præſidio manere mallent. Illi hoc potius habuere. Hagam miſſi Caſinus Hellius, & alter è Senatu, Fœderatos Patres conſulturi, Groningam obſideri, an Twentâ ac Zutphanienſi Comitatu ejici hoſtem, ſatius judicarent. Illi ducum & Senatus (tunc Swollæ agitantis) arbitrio rem totam permiſere. Friſiorum Proceres, imprimis qui Roordam fovebant, in Twentanos iri, Groningam jactis circum caſtellis ad extremas anguſtias compelli, aut ferro & igne Omlandos vaſtari ſuadebant, rati ſolis id Friſiorum viribus, & citra gentis ſuæ incommodum fieri poſſe. Contrà ſi Groningam cum toto exercitu tenderetur, militum injurijs ruricolas exponi dictitabant. Sed ſuberat metus, ne, expugnatâ per vim Groningâ, Fœderati Patres cuncta ad urbem, & Omlandos pertinentia in ſe traherent; quod jus in illos recidebat, ubi ſuis armis rem patraviſſent. Itaque ubi nihil impetrabant pro curribus, quos ducentos promiſerant, centum modò & quatuordecim, eoſque tardè adeò miſere, ut primis diebus annonæ penuria in caſtris laboraretur. Quin & literis ad Naſſovium ſcripſere, eſſe Omlandis currus, illi neceſſaria ſufficerent. Et ut quondam, obſeſſo Stenovico, mercedem operarum à Friſijs petendam, Hollandi dictitaverant, quorum maximè intereſſet: ita nunc quoque id oneris in Omlandos Friſij rejiciebant; non exiguo gerendæ rei impedimento. Iiſdem diebus venit in caſtra Eques Verius. Godertus Balenius cum equitum turma Vidrum tranſmittens, haud procul Hardenbergâ ab hoſte deprehenſus equis uno & XX, militibus XXXVI captis, unoq; occiſo, evaſit. Eodemque tempore equites nonnulli è turmâ Warmeloi Zutphanienſem Comitatum ingreſſi prædæ ſpe, equites hoſtiles quinque & XX conciderunt, capto Sottomajore, centurione Hiſpano; quem penes repertæ Verdugi ad Erneſtum Archiducem literæ, abitum à Covordâ excuſantes. Et qui antè vires ſuas in majus vero tollere ſolitus, nunc numernm minuebat. Quippe nongentos tantùm equites, pedites ter mille ducentos ſibi fuiſſe aſſerebat, quo minore culpâ fugiſſe videretur. Sed ex ipſius Sottomajoris ore auditum eſt, XXX millium ſtipendia ſolis trans Rhenum militantibus Regem procurare. Ipſis Kal. Majis ſub veſperum hoſtiles milites LXX Dammonæ conſederant: quo nuncio Delffilam perlato, Simon Lipſichius, centuriæ excubijs præfectus, cum paucis militibus caſtello digreditur, hoſtemque inopinantem aggreſſus, profligat. Primo impetu undecim tantum erant; quîs mox ſexdecim alij ſe aggregarunt. Hoſtes diſſipati, armiſque exuti, aut cæſi, Lipſichius unum tantùm è ſuis deſideravit. Pari modo III Maij die Delffilani milites LIV, Groninganos prædones ſex & triginta, in vadis Ameſihornam propter depræhenſos ſuperarunt; & ſenis occiſis, uno pauciores capti, duæque prædâ onuſtæ naves raptæ. Septimo Idus Maj. omnis exercitus præter Loquerenij legionem, ſexcentorum militum, (quæ Bronckhorſtum ire juſſa ad ſpeculandum, quò hoſtis moveret) Covordam, & hinc Groningam proficiſcitur. Tormenta navibus Swollam delata, ut Auſtrali mari, Vadiſque, & Reidano ſinu Groningam ſubve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſubveherentur. E a tamen omitti ſuaſerat Camminga Friſiorum miſſu pars cIↃIↃ
Senatus, addebatq́ue, ſupervacuis ſumtibus Remp. onerari: gnarum ſibi xciv.
diſcordes cives obſidium nequaquam decimum diem laturos. Sed Princeps incertâ ſpe iturum ſe abnuit, neque ullam tentaturum civitatem, quin vi cogere poſſet. Certum quoque ſibi, cives militemq́ue nihil quod ad defenſionem urbis pertineret, omiſſuros. Etenim civicæ centuriæ VIII aderant, minimùm ter mille hominum. Suburbium Schuitendipa militibus nongentis inſidebatur. Quod perinde æſtimandum, ac ſi in urbe forent: etenim, ſi neceſſitas poſceret, facilè ab Hiſpano faventibus admitti in civitatem poterant, ut pòſt accidit. Nec à fame periculum, provisâ in menſes novem annonâ. Tormentis quoque non alia cis Rhenum urbs inſtructior. Pyrij pulveris libras nonaginta & bis mille congeſtas fuiſſe, confecto obſidio conſtitit. Ita ut civitatem cunctis affluentem, ſi non aliud retineret, vel ſolam ob ignaviæ famam dedituri non fuerint. Die Maij XII Haram ventum eſt, ſemihoræ ſpatio Groningâ abſitam. Hoſtes ultro dilapſi. Sic Ponterbruggam quoque, & quæ alia ijs locis minora caſtella tutandis agris ſita ſunt, ſponte deſeruere. Eademque die abacta oppidanorum armenta. Quîs redimendis, miſſum ſe à magiſtratu ferens, Joannes Buirius, in caſtra venit, cæterùm ut ſitum eorum ſpecularetur. Is nuper Hagam profectus reddendæ rationi bonorum pupillarium, literas liberi commeatus eo fine impetraverat, quarum nondum exactum erat tempus. Guilhelmus quoque Naſſovius, dum Ommæ diverteret, literas ad eum, perferente quodam agreſte miſerat, additâ inſcriptione, *Amico meo.* Igitur huic Mauritius ac Guilhelmus demonſtrant, paratos ſe æqua cum urbe paciſci. Eſſeq́ue ſpem ſibi, ſi ad colloquium veniatur: quantùm ad leges atque inſtituta, urbi ſatisfaciendi. Sin arma malint, eſſe ſibi quo cogant obſtinatos. Buirius his acceptis in urbem regreditur, poſteraq́ue die, cum literis ad Fœderatos Patres, aliâ urbis portâ exiens, Hagam proficiſcitur. Suſpectum id ducibus fuit, utique poſtquam literas quoque ad Groninganos legatos, qui Bruxellis apud Erneſtum morabantur, perferre eum, & familiarem Hohenloio cognorant, jampridem huc intento, ut Groningani Henricum Julium, Ducem Brunſvicenſem, urbi ſuæ defenſorem deligerent: quâ re de Rege juxta ac Fœderatis bene ſe mereri exiſtimabat. Quippe abnuente præſidium civitate, incerta Regi poſſeſſio urbis, & impenſas nihilominus facere cogebatur. Fœderati verò confectum eâ parte bellum, ſine impendio ſuo, & pro hoſte, innoxium vicinum habituri erant. Jamq́ue deducta huc res, ut Brunſuicenſis ſoli ſibi Auguſtanæ religionis exercitium poſtulans, pontificia urbi ſacra relinqueret: præterea leges priſtinas, immunitatem à præſidio, dalerorum millia centum exſolvendis urbis debitis, & inſtaurandis aggeribus. Denique & Hohenloium ſuo nomine urbi præfuturum promiſerat. Sed quia inſuper alia nonnulla petita oppidanis, quæ Duci haud probarentur, pependerat negotium, donec exercitus noſter urbi admoveretur. Tunc, miſſo Buirio, paratos ſe oblata accipere Hohenloio denuntiarunt. Sed ille ſerò hęc poſtulari prudenter reſpõdit, quando ignaris Patribus, nec ſponte eorum cœpta res erat. Literas ad legatos Groninganos Hollandiæ Advocato Buirius tradidit, & ſuſpicionem vitavit. Numeris ſcriptæ erant, legatoſq́ue intra præfinitam diem ſignificare jubebant, quid de auxilijs foret: etenim ſi ſpes nulla eſſet, neceſſariò cogitandum Senatui, quemadmodum ſe ſuoſq́ue noviſſimo diſcrimini eximerent. Cauſſam occultas notas adhibendi dederat Georgius Conſul, qui, cæteris ad colloquium pronis, unus obſiſtebat. Et quia lectas ei literas oportebat, falſum exemplum exhibuerant, perſuaſo eadem utriſque contineri. At noſtri munitiones Helpę contrà portam Dominicam duplices orſi, ad-

CIↃIↃ XCIV. verſum tormenta oppidanorum, & hoſtem externum: ſed hoc ſeriùs factum. Spatij tantum inter urbem & caſtra relictum eſt, ut adacti tormento globi contingere tentoria, ſed incertis & flacceſcentibus ictibus poſſent. Miles in ſalubri, editoque & ſicco conſederat campo, mille admodum paſſibus patente, quem hinc Horndipa, inde Schuitendipa, navigijs haud infrequentia flumina præterlabuntur. Ea ex Drenthanis orta paludibus, per foſſas Groninganas in ſinum Reidanum decurrunt, & ſalſis pelagi aquis permiſcentur. Clauſo munitionibus, quem dixi, campo, velut obſeſſa civitas erat. Nam qui utrimque humiles campi jacent, illis alveis ſecantur ſimul & tuti ſunt. Nec boreali latere ſubveniri urbi poterat: quod evidens argumentum, non ſemper civitatibus adjectas paludes, aut aquoſa locorum robur addere. Nam quantum hinc ſecuritatis adverſum oppugnantes, tantum incommodi, quod nec neceſſaria inferri illis partibus, & minoribus copijs claudi civitas queat. Ad ſeptentrionem infirmior urbs, non perinde propugnaculis defendebatur, atque alio latere, quo portam habet Dominicam. Etenim huic ab occaſu adſitum propugnaculum feneſtellis quatuor inſtructum erat; quarum duæ, illa inferior, altior hæc, in portam obverſæ. Ab ortu lunare munimentum eidem portæ oppidani obduxerant, poſt obſidium anno XCI à Mauritio dimiſſum. Sed quia invalidum exercitum dividere periculoſum, eoque uno tantùm latere oppugnanda urbs erat, prælatum illud, quod ut gloriam, ita & laborem duplicem dabat, in oppugnandâ urbe, & externis auxilijs arcendis; augentibus difficultatem civitatis munimentis, quæ non aliâ parte firmiora erant. Oppidani primis diebus horrendum machinis ſuis intonuere, numeratique jactus quater mille, octo dierum ſpatio: prodente globorum frequentiam ipſo agro, quem ignarus aratro ſulcatum crediturus erat. Duravitque id ad conſummatum obſidium, niſi quod, ut ferme in talibus, acri principio finis ſegnior fuit. Inſtigabant tormentis præfectos importunæ civium voces: quorum ſiquis parciùs utendum pyrio pulvere dictitaſſet, ne maximâ neceſſitate requireretur, occultò Geuſijs addictus differebatur. Itaque tota oppugnatione jactuum millibus ſolum tribus obſeſſi oppugnantibus ceſſere. Sed globorum terror detrimenta haud æquavit, procedente nihilominus opere. Plus ab imbribus nocumenti. Et fuere, qui notarent, obſidionum Mauritij celeberrimas pleraſque imbrium lapſu in ipſis exordijs præpeditas. Sic ad Stenovicum, ſic ad Covordam & Gertrudiſbergam uſu venerat; in hâc tamen minus mirandum, ob anni pubeſcentis ſolitam tempeſtatem: quippe Martio menſe cœpta erat oppugnatio. Nocte, quæ XVI excepit diem, ductæ ad urbem munitiones per ſuburbana civium prædia; ſecutoque mane Anglorum Scotorumque & Friſiorum vexilla XVI, novo vallo infixa ſtetere. Eâdem nocte miles, nuper ab hoſte perfuga, dum herbas radiceſque in hortis urbem propter conquirit, captus ab oppidanis, & vulnere affectus tamen evaſit, ſolâ vultus ac ſermonis confidentiâ. Nam perinde ac ſi nunquam profugiſſet, centurionis præfectorumque ſub quîs meruerat, nomina promtè memorans, & diris devovens vulneris ſui autorem, fidem fecit earundem ſe partium eſſe; & ſimul ſecuritate eos negligentiores advertit, fugâ ſalutem petijt, invenitque. Opus noſtrorum locis duobus cœptum. Friſijs, Scotorum nonnullis, & Hollandis aſſignata regio moli propinqua. Diverſo ejuſdem portæ latere, propugnaculum juxta, adminiſtrare juſſi Britanni & Germani; in univerſum quâlibet nocte milites quingenti in opere erant. Eâdem die Naſſovio utrique per literas poſtulatâ urbis deditione, fortiter oppidani reſponderunt, vim adhibendam. Codicillis ijs & Mauritius ſubſcripſerat, & Guilhelmus, quatenus caſtris in præfecturâ Guilhelmi poſitis, ſummum huic jus erat. Sed firmandæ concordiæ, & amori, Mauritij quoque vocabu-

vocabulum literis adſcribi, pro humanitate ſuâ patiebatur. Et egregij profectò mutuâ caritate fuerunt ſemper, adeo ut Roorda, & qui illum ſequebantur, periculoſam publicæ libertati tam arctam concordiam cIↄ Iↄ xcIv. exiſtimantes, varijs artibus ſpargere diſſidij ſemina inter cohærentes tentaverint. Poſterâ die Everardus Solmenſis, aſſumtâ majore unâ, & medij generis alterâ machinâ, quæ per humilia camporum & recentes foſſas ægre promovebantur, Hogerbruggam contendit. Id caſtellum mille paſſuum ab Groningâ in ortum jacet. Milites L X præſidebant; qui excludi ab urbe, aut ne portæ noctu ſibi non panderentur veriti, ultro profugerunt. Decimoquarto Kal. Junias Guilhelmus Naſſovius cum centurijs X I I Adwerderzilam petit, militibus C X X cuſtoditam, duce Wolfardo Prengero. Eratque hac iter navigijs annonam in caſtra ſubvehentibus: & quia invalidus adverſum machinas locus erat, deditionem poſtulat Naſſovius. Prengerus humaniter, indignum fore reſpondit, ſi ante admotas machinas aſſentiretur: addidit, joco militari, quamvis teneras puellas ſufficere primo impetu. Octo modica tormenta ad manum erant; quæ dum poſtridie admoventur, iterum Naſſovius per Petrum Leovardienſem interpellari Prengerum jubet, & militari jure promiſſo, integrâ illum famâ jam præſidio abire poſſe adjecit, quando his ipſis, à quibus exſpectanda ei ſubſidia, res arctæ forent. Nondum tamen victo Prengeri animo tormenta X I I Kal. Junias intenduntur. Ut bis ac vicies ſonuere, obſeſſi, ſublatis capitum tegumentis, colloquio ſe paratos ſignificant. Sed miles adhuc iratus, & memor triſtis commilitonum caſus, qui ſuperiore anno eodem in caſtello ab hoſte oppreſſi, & ad unum omnes trucidati erant, ingenti ardore, qua cui proximum eſt ſine ordine, ſine imperio in prœlium diſcurrit, ne exſpectato quidem pugnæ ſigno, tam incautè ut plures quinquagenis ſauciarentur. Petrus Douza, vicario jure mari ab Hollandis præfectus, crus tranſigitur. Zacharias, centurio navalis, vir ſtrenuus, cum ſocijs navalibus ſternendo ponti intentus, & Edſardus Douma, ſignifer in prætoria cohorte Naſſovij, proſternuntur. Milites tamen eodem furore ruentes, Prengerum, cum vicario, & caſtellanis omnibus, occidione delent. Quatuor modò aut quini evaſere. Cæterùm partâ victoriâ, fortè ignitum miſſile, ante prælium à noſtris projectum, tunc demum concepto igne caſtellum incendit, eodemq́ue igne nonnulli, qui in ſecreta ſemet abdiderant, hauſti periere: ſaucios, & exanimem Prengerum Naſſovius Groningam per tibicinem miſit, ſuiſque eum verbis nunciare juſſit, non ſuum furorem, ſed Prengeri pertinaciam cædi cauſſam dediſſe. Decimotertio Kal. Junias acri oppidanorum eruptione vulnerati aut cæſi X X X milites. Captivi redemti ſuccenturione graviter vulnerato, & cadavere ejus, qui vicarius centurionis Siccingæ, hâc pugnâ occubuerat. Biduo pòſt remeans Adwerderzila Naſſovius, cum Mauritio, quem Selwardæ obvium habuerat, Hogerbruggam tranſit; cum repente oppidani eruperunt, captatâ denſi imbris occaſione. unde exſtinctis fomitibus ignitis, udiſque militibus, quinquagenos in extremis ſub urbem acceſſibus collocatos concidêre, abductis inſuper captivis aliquot, & duobus vexillis Friſiorum. Conatibus caſum aperuerant non imbres tantùm, ſed & abſentes duces. Etenim è duabus Friſiorum centurijs, id loci excubantibus, alterius centurio & vicarius aberant, &, qui proximo illis imperio, ſignifer, primo impetu procubuerat. Quæ incommoda onerabat præcipitatum opus, & ſtatio anguſtior, quam pro recepto more, quo ducenti milites contineri ijs, & commodè ſe defendere queunt. Nihilominus honorem ſibi quiſq́ue petebat, defixi proximè urbem vexilli, adeo ut inanis gloriæ ambitu etiam remotiſſimis vixdum perfectarum ſtationum angulis ſigna imponerent. In caſtris ſumma cujuſquemodi commeatus copia erat, non è

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ XCIV. Friſia modò, verùm & Emdâ ſubvecti. Quod ægre latum Verdugo, graviſſimeque urbi interminatus eſt, niſi alimenta Fœderatis abnueret. Magiſtratus, tametſi extra bellantium cauſſas ſe eſſe obtendere jure poſſet, ſanxit tamen edicto, ne quis annonam in caſtra conveheret. Sed lixas noſtros ex urbe petere quicquid libitum, quaſi ignari, permiſere. Nono Kal. Junias Britannicus legatus attulit in caſtra Reginæ mandata, de remittendis ſeptem Anglorum centurijs, quas è Normanniâ Verius adduxerat. Verdugus per idem tempus Dennecampi, haud procul Oldeſaliâ, omnes vires ſuas habebat. Militeſque, permittente illo, Twentanum agrum, Sallandiam, & omnem Monaſterienſium ditionem, contra datam tutelæ fidem vaſtavere. Direpta cœnobia, capti homines armentaque, nec, niſi dato pretio, dimiſſa. Dein nobilibus, & qui ea loca habitabant, læſam fidem, nihilque in ejus tutelâ (cujus ſpe tributum pependiſſent) præſidij ſibi querentibus, palam profeſſus eſt, actum de autoritate ſua eſſe, quamdiu pecuniæ à Rege non venirent. Sed hujuſmodi obtentus quærendus erat exhaurire cupienti tractum, quem brevi in hoſtium poteſtate fore prævidebat. Et vel hinc dolus ejus ac Mendonis patuiſſet, quod apertè hic jactaret, nulli apud ſe emtam à Verdugo tutelam prodeſſe, qui non eandem à ſe redemiſſet. Inter hæc Hagam Comitis legati ab Erneſto Archiduce venerunt Otho Hartius, & Johannes Comannus. Adventus potiſſimam cauſſam privata Cimacenſis Principis negotia ferebant, quibus curandis impune accedendi literas à Fœderatis Proceribus acceperant. Adjecerunt tamen Erneſti mandata de offerendâ pace, illumque ſe conciliatorem promiſiſſe. Itaque hortabantur Patres, ne opportunitatem dimitterent. Ancipitem & inſtabilem fortunam eſſe: nec pacis cogitationes ob vetera diffidentiæ omittendas: quippe ſi olim juſtis id de cauſſis fecerint, nunc ſublatas illas, & diverſam rerum faciem. Utrique locum ſuum, & tempus eſſe, quo fidere, aut diffidere, oporteat. Omnia quibuſcumque unquam orbis arſiſſet bella hujuſmodi colloquijs, raro vi aut armis finita. Nunquam æquam pacem proſperè à quoquam rejectam. His dictis legati veniam præfati, ut promere nonnulla injuſſis liceret, immiſſi percuſſoris crimine Erneſtum purgare orſi, ſublime genus ejus & faſtigium ſupra ſuſpicionem ejuſmodi ſceleris eſſe dictitarunt. Quamobrem rogare, ut Renichonus Antverpiam aut Bruxellas mittatur, quo opponi Barlæmontio, & quæ uterque afferret, contendi poſſent. Aut hoc ſi diſpliceret, Bredam in extremos Fœderatorum limites deduceretur. Ipſum Barlæmontium, dummodo tuti acceſſus certus eſſet, eò ad diluendum crimen venturum. Ad verba de pace reſponderunt Fœderati Patres, fraudes plerumque & inſidias hujuſmodi colloquijs ſubfuiſſe; & immiſſos percuſſores ac ſicarios (quorum exempla addebant) ſatis ſuperque documento ſibi eſſe, nihil ab Hiſpano boni exſpectandum. Nunc quoque Gallorum Britannorumque fœdere ſe innexos, abſque illis colloquium accipere nequaquam poſſe. Non ſibi fiduciam in fortunâ mobili, ſed ſummo Numine, ſpem in cauſſæ æquitate. Purgationem Erneſti Patres non attigere, partim quia nihil tale juſſi ab Archiduce legati erant, partim quod inania attulerant de cõmittendis inter ſe Renichono ac Barlæmontio, ob controverſias ſuper acceſſus ſecuritate orituras. Haud dubiè enim Principes, aut magni nominis viros, obſidum loco poſtulaturus ille, nec talium quiſquam temere conditionem erat accepturus. Ut mittã quod ſupervacuum erat inquirere in veritatem alijs jam experimentis comprobatam. Etenim Joannes Gentius, Toparcha Oianus, cui ante Belgicum bellum exercita cum Hartio amicitia, illo & Comanno ſecũ in cuſtodiam adhibitis, & adverſarum ſe patium ſimulans, ita captivum compellaverat. *Falſo*, inquit, *in conſcientiam vocas Archiducem, injurius non in illum modò, ſed & univerſos Bel-*

ſos Belgas. Quippe facile pax conveniret ſublatâ diffidentiâ. Tu verò eam confeſ- cIↃ IↃ
ſione tuâ firmatum is. Quare vera tandem diſſere, & cave Principem id faſti- XCIV.
gij lædere. Renichonus veriſſima ſe protuliſſe, nec revocare poſſe reſpondit. Ipſeque IX Kal. Junias gladio percuſſus, & ſemel affirmatis ad noviſſimam uſque horam conſtanter inhærens, grates Mauritio egit pro clementiâ ſupplicij, & veniam oravit. Eâdem æſtate Scotorum Rex filio auctus, ad eum de ſacri baptiſmatis fonte levandum, Galliæ, Britanniæ, Daniæque Reges, & Fœderatæ Belgicæ Patres invitavit, miſſis Hagam Keitzio, ac Morræo, Dynaſtis. Simul quoque renovari antiquum Scotorum cum Belgis fœdus, & novo vinculo gentem utramque adverſus Hiſpanum conſtringi petijt; addito, huc incumbere ſe, ut Gallo ac Britanniæ Reginæ idem perſuaderet. Patres eo Walravium Brederodium, & Jacobum Valckium Zelandiæ Quæſtorem miſere, juſſos noviſſima pacta anno MDLI Carolo Cæſari cum Scotis inita, quîs cætera omnia contineri videbantur, redintegrare; & ſi idem Galliæ, Britanniæque & Daniæ legatis mandatum intelligerent, commune fœdus percutere: cæterùm eâ lege, ut Palatinus Comes, & Romani Imperij Electorum reliqui admitterentur. Sed fœdus illud demum anno MDXCVI inter Gallos, Britannos, & Belgas initum eſt, excluſo, qui primus mentionem ejus fecerat, Scotorum Rege. Fœderati Patres, ut mos habet, munera Scotorum Regi miſere, duas ſolido ex auro pateras XII florenorum millibus æſtimatas, & donativum ter mille florenorum annuum, quamdiu filius Regis ſupereſſet. Infanti nomen Frederici Henrici, Henrici Frederici inditum. Eliſabetha, honoris credo id Patribus invidens, fortè habitis ſermonibus cum eo quem rerum ſuarum actorem in Britanniâ Belgæ habebant; *Næ magna*, inquit, *hæc rerum eſt mutatio. Superiore anno agitavit ſecum Scotiæ Rex de Belgis extorquendo per pignerationem, quod Stuarto Tribuno debebatur, ſtipendio. Nunc ab ijſdem filium ſuum admoveri ſacro fonti petit.* Per idem tempus iere in Daniam legati Duvenvoirdius vicario jure Hollandicarum claſſium præfectus, Gerardus Voetius judex in conſeſſu Geldrico, ac Reinerus Cantius, Conſul Amſtelodamenſis, vetera inter Belgas ac Danos fœdera confirmaturi. At in caſtris VII Kal. Junias Dominica porta octonis machinis concuti cœpit. Eademque die obſeſſi campeſtribus aliquot machinis in naves impoſitis claſſem annonariam, quæ Hogerbruggæ ſtabant, adoriri agitantes, noſtrorum tormentis inhibiti deſtinata omiſere. Ex urbe nunciabatur civium collegia nonnulla conventu acto, Conſulum Senatuſque arbitrio permiſiſſe defenſionem ac deditionem urbis. Quare excuſſis globis CLXXX machinæ ſiluerunt. Selwardam prope paſcuus ager oppidanis, & armentorum greges erant, quis ſæpius inſidiæ à milite noſtro, ſed incaſſum, ſtructæ. Eâdem die Verdugi literas, quas ad Numerarium ſuum dederat, tubicen Mauritij ad Dominicam portam detulit: ubi orta contentio inter militem & civicas excubias, dum hæ literas ſibi tradi, & alloqui tibicinem cupiunt, illi prohibent. Jamque ad manus ibatur, gladios nonnullis ſtringentibus; ſed cives, quippe validiores, cupita obtinuere. Quarto Kal. Junias actus in patibulum eques gregarius, ſeditionis in caſtris autor, qui jam huc rem deduxerat, ut capitalium rerum præfectus, exitij manifeſtus eſſet, ni Mauritij & ſatellitum ejus interventu, ereptus fuiſſet. Poſtridie erumpentes oppidani pugnam acerrimam edidere, occiſo inter ceteros Wraio Centurione Anglo, raptiſque Friſiorum vexillis duobus, quæ urbis vallo infixere, ludibrium oppugnantibus. Eodem ferè tempore agreſtis de redimendis captivis acturus, in caſtra venit, impetrato commeandi beneficio à Popkone Everardi, qui arcana urbis tractabat. Illi diſcedenti literas ad Popkonem Mauritius ac Guilhelmus tradunt. Qui re cum amicorum fidiſſimis communicatâ, remiſſum agre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ xcIv. ſtem nunciare jubet, obſcuriùs ſcriptas videri, proin petere ut apertè ſententiam exprimant. Adhibito ſuper his Senatu placuit per tibicinem oppidanis conditiones deditionis ſine ambagibus proponi. Qui ſimul ad urbem venit, extemplo intromiſſus, & largiter hoſpitis more epulis exceptus, renuntiat poſtridie reſponſum iri, quando civitas conditiones cognoviſſet. Quartâ igitur Junij die geminas ad Mauritium ac Guilhelmum literas tubicen adfert, quîs otium armorum poſtulabant obſeſſi, ut ſpatium intercederet compellandis legatis Bruxellæ agitantibus, quibus ignaris nihil ſtatuere poſſent. Duces, eo rejecto, iterum monuerunt oppidanos, niſi ludibrio ſe haberent, mitterent ſuorum nonnullos ad colloquium. Sed illi poſt diem ſextum facturos reſponderunt. Interea è perfugâ compertum, Verdugum intra id tempus auxilio ſe urbi venturum promiſiſſe: patuitque petitas inducias, ut interea ſegnis & otioſus exercitus noſter urbi adſideret. Igitur ſextâ Junij die albeſcente luce tribunalia duo adgeſta, & præter octonas, quas diximus, medij generis machinas, tria majora tormenta imponuntur, quîs Dominica porta, & tecta urbis concuſſa. Etiam in hoſtiles machinas vallo inſiſtentes ictus dirigebantur, magnaque eorum pars addito tempore corrupta. Poſtridie Wingardus & Lewardius centuriones, augente audaciam vino, hoſtium mœnia propiùs ſuggreſſi in inſidias præcipitantur. Wingardus, multis affectus vulneribus, capitur: deditâque demum urbe redditus, poſt acerbos dolores ægre convaluit. Extructa deinde caſtella duo ad Reidanum ſinum, tubi circiter jactu ab urbe, magnitudine eâ, ut quatuor centurias caperent. Per idem tempus nobilitas Omlandica, & quibus eâ in gente hæreditario jure loca poſſidebantur, Lopperſumum frequentes convenire juſſi, creandis Delegatis, qui regiminis curam gererent. Sed cum diſcordes non eoſdem omnes vellent, Naſſovio electionem permiſere; à quo delecti Joannes Rengerus Poſtius, Joannes Rengerus Helmius, Ulricus Euſumus, & Bockius Auma, qui tribus menſibus præfecto in decidendis juridicis ac civilibus controverſijs adiutores eſſent. Viderat propè decima ejuſdem menſis dies tranſiectum Naſſovium, dum per cavata itinerum, rudiùs perfecta, incedit. Duodecimâ ejuſdem menſis die Magiſtratus civium nonnullis, Bruxellas ad legatos ſuos ituris, liberum iter petiere, & repulſam paſſi ſunt. Eâdem die Germanum, centuriæ vigilijs præfectum, Anglus occidit. Unde orto tumultu, dum ad ultionem illi, hi ad tutandum commilitonem & gentilem concurrunt, ſui cuique contubernales aggregati, & ſenſim augeſcente numero jam duæ legiones infeſtis armis committebantur: arſiſſetque atrox prælium, niſi Naſſovius uterque, & Verius, maturè interveniſſent. E Germanis excubijs ſub centurione præpoſitus cecidit. Anglus Centurio, & nonnulli utrimque è militum vulgo trajecti. Secutâ nocte Dominicæ portæ propinquari inteſtinis itineribus, & cuniculus molem verſus agi cœptus. Creberrimis tormentorum globis cunctis his diebus Dominica porta petebatur. Etiam concuſſa turris Drenckelaria, civiumque domus, & feneſtellæ tormentorum, quæ in vallo. Noctu candentes globi projecti incendium fecerant, ſed repente oppidani exſtinxere. Tertiâ decimâ die miſſus ex urbe Joannes Buirius literas à Magiſtratu afferebat, colloquium poſcentes: itaque à tormentorum vi adverſus urbem ad diem decimum ſeptimum uſque temperatum. Quartâ & decimâ Buirius cum tubicine in urbem à ducibus mittitur, & poſtridie regredi juſſus ad octavam horam. Oppidanis conditiones in urbe diſceptari petentibus, conceſſum. Jam de obſidibus convenerat, unde bona multis ſpes. & Magiſtratus, civiumque præcipui, quis magnæ res, & hinc damni metus, omnino conſulere facultatibus ſuis decreverant, quando nulla ſupererat ſpes auxilij. Solus pertinaciæ immobilis Conſul Georgius, diſturbare

cuncta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cuncta plurimùm nitebatur. Sequebantur illum aurigæ, & viliſſimorum CIↃIↃ
hominum colluvies, inhians opibus divitum. Illi itaque poſtridie ingenti XCIV.
cum tumultu ante curiam, quò Magiſtratus convenerant, collecti, atroci
omnia clamore confundere, & dira quæque deditionem ſuadentibus com-
minari. Diſcurritur ad ædes Buirij, qui in ſecretum abditus, vitam, non rem
familiarem, retinuit. Perierunt eâ ſeditione civium nonnulli: ſed diſtentâ
interno motu civitate, milites etiam, hactenus in ſuburbio conquieſcentes,
quia præſidium jam inde ab anno LXXVII (quo ſeditionem Billij legio
moverat) civitas abnuebat, naviculis, quarum in promtu copia, foſſam
tranſgreſſi, in vallum connituntur, ſeque turbantibus jungunt. Ob hunc
motum, remanente in urbe tibicine, emiſſus caſtris tympaniſta petendo re-
ſponſo: quem renuntiare Magiſtratus juſſerunt, tibicinem, ob levia conten-
tionum in urbe, ſtato tempore non revertiſſe. Sed ſperare ſe, jam compo-
ſitas illa, & reſponſum poſtridie reddituros. Tunc ſignificarunt, decretum
ſibi hebdomades nonnullas auxilia opperiri. Et niſi præſidij quid veniat,
urbem dedituros, cæterùm petere ut interea induciæ ſint. Abnuerunt op-
pugnantes, & inriſum interpretati, rurſum ad ſolita redeunt. Decimo
octavo die miſſus ex urbe tubicen redimendis armentis. Unde duces hunc
in ſpeciem nuntium quæſitum, & obſeſſos colloquij avidos ſuſpicati, denuò
tibicinem ad oppidanos miſere. Quod ubi fruſtra fuit, cruentum quiſque
exitum urbi ominabatur. Etenim oppreſſa auctoritate Senatus, ſilentibus
ob metum, quiſcunque patriæ ſalutis aut pacis amor, fex, & deterrimus
quiſque, & cum his ſacerdotes, acerrimique Hiſpanorum fautores, rerum
potiebantur: (Georgio inſuper Conſule à ſeditioſis Tribuno civium dele-
cto) quorum alij malitiâ, ac obſtinatione animi, alij ſimplicitate, dum peri-
culi ſui ignari ſunt, ad extremum caſum rem recidere paſſuri; neque tunc
conditionibus qualibuſcumque oppugnantibus digni futuri erant. Interea
pons portæ Orientalis, qui in objectam molem ducebat, tormentis lacera-
tus vix uſum ultra dabat. Decimotertio Kal. Quintiles intercepti milites
duo, cum Georgij Liaukamæ ad Verdugum literis. Numeris ſcriptæ erant,
continebantque, pecuniâ ac milite opus eſſe; ſeditionem ſedatam; milites
paucos cum ſignifero centurionis Sickingæ in urbem perveniſſe; pyrij pul-
veris vaſa tantum quinquaginta reſtare, reliquum abſumtum. Hæc quo-
que, & his ſimilia firmavere civium terni, urbe profugientes. Ab ortu molis,
ubi Schuitendipa rivus urbem alluit, munitio lunari ſpecie pro foſſa jace-
bat, eruptionibus faciendis opportuna, & oppugnantibus ſæpe cladium
cauſa. Itaque contra eam tribunal erectum, expellendis propugnatoribus;
ſed irrito conatu; nam ad ſupremam uſque obſidij diem tenuere. Solum
Drenkelaria turris, angulo civitatis impoſita, quæ lunarem munitionem ex
alto defendebat, diſiecta eſt. Dehinc in effoſſam ſcrobem machinæ demit-
tuntur adverſus feneſtellas propugnaculi ab Occidente portæ Dominicæ
ſiti: unde obſeſſi cuniculos, vineas, ac complendis foſſis intentos tormentis
infeſtabant: adeoque ad artem tormenta ea contra hoſtium machinas diſ-
poſita, ut deditâ civitate retulerint, quibus talium cura, bis adactos à noſtris
globos in orâ ſuarum machinarum involaſſe, & ſine noxa, igne concepto,
quando oneratæ erant, eas diſploſas. His tormentis tandem effectum, ne
operas è propugnaculis hoſtis laceſſeret. Ab eo tempore celerius vineæ
promotæ. Sed aliud quoque obſeſſi repererunt, quo laborantibus damna
inferrent. E turri, quæ mœnibus inter Dominicam, & molem inſiſtebat,
globis nonnullis vineas tranſegere, levi tamen damno. Sed ne vel tantillum
ijs liceret, depreſſis in terram machinis, turris convulſa procubuit. Sexto
Kal. Quintil. vinea Orientalis molis imo ſucceſſit; & inſequente nocte,
facto ad loricam tramite, miles eodem enixus lapidem in pectus vigilis
contorſit,

CIↃIↃ XCIV. contorſit. Idem poſterâ quoque die actum, quo vaccæ quinquaginta oppidanis ereptæ. Quarto Kal. Quintil. è decem Verdugianis militibus Elderwoldæ deprehenſis captus unus, cæteri fugâ evaſere. Referebat is, quingentos milites à Verdugo dilectos, qui perrumpere in urbem niterentur, tranſitum partim per paludes, partim navigijs è Friſiâ Orientali, atque Oldenburgo, per Omlandiam tentaturos, quo latere intermiſerant opus oppugnantes. Prævertendis conatibus diſpoſitus eques, qui aggeribus, Soltcampum Delfſilamque inter, obequitaret. Eâdem die captus obſeſſorum unus molem ab oppidanis novâ foſsâ, & ſudibus ab urbe excludi affirmabat: idemque poſtridie retulit profugus ex civitate Anglus, qui hactenus Regis ſtipendia fecerat: adjecitque, pontem ponè brachium molis jactum, impoſitamque ei mediæ formæ machinam tutandæ foſſæ, ac vincis concutiendis. Celebrem hanc obſidionem Groningæ nomen fecit: quippe remotiſſima totius Belgicæ civitas, & Germanis, præcipuè Anſeaticis, & maritimis urbibus notiſſima erat. Itaque omnibus ea in ore, in animo eſſe: Principem ſane Anhaldium ſpectatorem operum ſuorum Mauritius habuit, ac liberaliter excepit. Eâdem famâ excitus Enno Friſiæ Orientalis Comes mutato habitu caſtra ingreſſus, & contemplatus, nulli agnitus rurſum diſceſſit. Ipſis Kal. Julijs: ſuffoſſo molis latere, cuniculus pedes x x x in longitudinem proceſſerat: dein in duos meatus diſpenſatus, ad formam literæ Y. Etiam frons molis ſuffoſſa, & funibus extracto ingenti ſalicum numero, quæ ſolidando operi ingeſtæ erant, vaſta terræ fragmina corruerunt. Poſtridie Kal. Julias ducum uterque inteſtinos tramites ingreditur, luſtrando loco, qui tribunali ſedes deſignatus. Et brevi adeo is excrevit, ut erectis in eum machinis, totum ſuburbium Schuitendipa, & munitio ſemicircularis, ad jactus paterent. Hâc dum pergunt, glans ex urbe contorta ſcutum, quod Mauritio præferebatur, validè percutiens capiti ejus alliſit. Inter hæc rurſum vineas obſeſſi infeſtare; illæ tamen ſenſim procedentes mœnibus propinquabant. Certum erat, perniciem urbi allaturas; neque ignarum oppidanis; unde quoquomodo occurrendum rebantur. Ademtus erat uſus feneſtellarum in propugnaculo Occidentali; neque è propugnaculis portæ Dominicæ vallum globis tutari, aut turre ſupra memoratâ uti poterant. Itaque medij generis machinâ poſt brachium molis Orientalis, quam diximus, ponti impoſitâ, vineas lacerabant. Quas humo, aliâve materiâ ſolidare, unum noſtris remedium. Erat quidem in promtu alia ratio depreſſis in terram machinis obviam eundi: ſed laborem aperiendâ atque egerendâ humo inſumere pretij non videbatur, quando brevi totam molem cuniculo ſubruendi, ſpes inceſſerat. Tamen ad incerta caſuum, quia tantum operæ in his vineis erat, verſus Drenthelariam turrim aliæ inſtituuntur, ab occaſu ſemilunaris receptaculi, quæ nullis obſeſſorum injurijs paterent. Quintâ Julij die, cum moles L x x x in longitudinem pedes ſuffoſſa, & cavernæ uni x I v pyrij pulveris vaſa, alteri ſena illata forent (universè hæc & illa quinquies mille libras continebant) ſub decimam noctis horam ignis injicitur; monitis ante tormenti ſonitu (quod ſignum convenerat) militibus, ut ſine morâ relictis inteſtinis itineribus longius urbe abſcederent. Momento temporis pulverem ignis corripit, primumque fracto, & cavernis repercuſſo ſonore, nubem ignitam, aſſeribus, humo, lapidibus mixtam, in ſublime elidit. Militum nonnulli è mole in foſſam campum verſus ejecti, & pavore attoniti, dum cunctantur, ægreque animum recolligunt, à noſtris capti. Simul Scotorum centuriæ tres irrumpunt, & nullo repugnante molem occupant. Adeoque ipſam in urbem perrupturi videbantur, ni miles hoſtilis, quem ignis reliquum fecerat, certatim per aſſerem ruens (etenim pons perierat) pondere eum ſuo oneraſſet: quo non ſufficiente illi in aquas devoluti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

voluti, Scoti tranſitu intercluſi. Molis tamen rudera retinuere, ſubmiſſi- CIↃIↃ
que arenâ differti ſacci, quîs pro loricâ uterentur. Sub auroram oppidani XCIV.
creberrima in eos miſſilia effundentes, centuriones duos, milites XXXII
vulnerarunt promiſcuè, aut ſauciavere. Tum inducias poſtulant quæren-
dis, & humandis cadaveribus molis ruinâ obrutorum: quo conceſſo, reperti
centum quinquaginta occiſi, alij de ducentis aiebant. Pridie Nonas Julij
civium nonnulli, recuperandis armentis erumpentes, interfecti ſunt, ſenos
noſtri cepere. Sed cuncti, quos ſubjectus moli ignis, aut rupto aſſere foſſa
hauſerat, milites fuere; unde intravit pavor civium etiam illos, quîs præfra-
ctus antè & implacabilis animus erat: maximè cum quatuor locis propin-
quare vineas, & par priori periculum ſingulas promittere cogitarent. Nam
ad propugnaculum Orientale, duobus ad Dominicam locis, denique etiam
ad Drentelariam turrim agebantur. Commotis ob hæc mentibus, Buirium,
vix nuper violentis eorum manibus evaſum, ire in caſtra, & nunciare ju-
bent, nullam in ſe moram, quin colloquium cœptaretur. Mitterent modo
Fœderati in urbem, à quibus deditionis leges tractari vellent. Abnuit Prin-
ceps, & ſi rationem ſalutis haberent oppidani, mittendos in caſtra, qui con-
ditiones acciperent, tunc in urbem obſides venturos. Ita VII Idus Jul. ur-
be digrediuntur Coſſ. Joannes Ballenius, Eduardus Elſius, Fredericus
Moienſtenius, Eduardus Ulgerus: Popko Everhardi à ſecretis, Crito judex
Epiſcopalis; Commendatarius Warffumenſis, Alexander Grootveldius
centurio, Frederici Bergij vicarius, & cum his civium nonnulli; qui epulis
à Mauritio excepti poſtulata urbis aperuere. In civitatem obſides ierunt,
Georgius Dynaſta Swartzenburgicus, Hermannus Witenhorſtius Sonfel-
dæ Toparcha, Vandernotius præfectus militaris, Jacobus Giſius, & Frede-
ricus Vervouius. Petiverunt obſeſſi anteactorum oblivionem: auxilia Fœ-
deratorum Hiſpanis, externoque militi, pellendis: dein ut ſancirentur,
quæcumque Groningæ, ut Romani Imperij civitati, Edſardus Orientalis
Friſiæ Comes anno MDVI, duodecim poſt annis Geldriæ Dux Carolus,
anno ejuſdem ſæculi XXXVI Carolus Cæſar, & LXXXII Philippus Rex,
largiti eſſent, & jurejurando ſanciviſſent. Collegia opificum, ſacra Ponti-
ficia eodem quo nunc ſtatu; Eccleſiaſticis bona, Magiſtratibus honor ſuus
ſervaretur. Civitatem non arce, non vectigalibus, non tributis, aut cenſibus
ullis onerandam. Dederentur ſibi, aut ſolo æquarentur, caſtella omnia Om-
landorum, excepta Delfſila: hanc ſe, ubi ad tempus retinuerint, reliquorum
exemplo demolituros. Civitas & Omlandi corpus unum deinceps con-
ſtituerent, tributaque & vectigal pro jugerûm, quæ Omlandi haberent nu-
mero, penderent. Debita obſidij tempore, aut ante contracta, ex annuis
Omlandorum cenſibus ſolverentur. In rationes accepti æris ne inquirere-
tur. Agrorum venditiones ob debita, ſententiæ, decreta omnia, rata eſ-
ſent. In exilium actis non niſi ſponte Magiſtratuum, & tanquam hoſpiti-
bus, venire in urbem liceret. Externis quibuſque, Occidentalibus Friſijs,
non ſpectato ſacram an civilem vitam tranſigerent, jus eſſet in urbe
manendi, abeundi, revertendi. Occidentales Friſij exſolverent debita à
gentilibus ſuis, qui Groningam conceſſiſſent, in bellicis, in privatis rebus
contracta; aut quicquid de cœnobiorum ſuorum facultatibus oppigneraſ-
ſent. Iiſdem Eccleſiaſticis victus in poſterum, & cuncta eodem pertinen-
tia ſufficerentur. Legatis Bruxellæ agitantibus liberum eſſet in urbem re-
dire. Civium quotquot captivi gratis dimitterentur. Immunitas à vecti-
galibus, tributis, & ſiqua alia id genus onera, in biennium civitati daretur,
ut eſſet unde templa, turres, diſiectas domos, aggeres, ſepta, obices, cæte-
raque inſtaurarentur. Idem ſupra quoque, ſed laxius aliquanto petierant.
Adverſus ea Omlandi demonſtrare, nunquam ſe junctos urbi, nunquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ XCIV. idem corpus fuiſſe. Etenim Groningam in agro Drenthano ſitam, anno poſt milleſimuun quadrageſimo, Ultrajectinorum Epiſcopo ab Henrico tertio donatam; neque ex illo in numero urbium Romani Imperij fuiſſe. Poſtea ſexto poſt mille quingentos anno ab Epiſcopo deficientem primò Edſardum, Orientalis Friſiæ Comitem, ſibi principem delegiſſe: octennio pòſt, Geldrorum Ducem. Cujus in ditionem ſe quoque anno MDXXI veniſſe, & ab illo tempore uno Principe uſos. At nunc, evoluto ſummis rebus Hiſpaniarum Rege, jus omne reverſum ad eos, quibus antea poteſtatem Hiſpano dare per leges licuiſſet. Semper quoque in ſacrorum juriſdictione Omlandos Monaſterienſem, Groninganos Ultrajectinum Epiſcopum ſpectaviſſe. Tamen non abnuere ſe novum cum urbe fœdus, dummodo ſeparatim ſua quiſque tributa ac vectigalia penderet. Quantum ad bona Groningæ in ſolutionem debitorum diſtracta, ea ne dimidia quidem juſti pretij parte, abſentibus poſſeſſoribus, & nulla debitorum initâ ratione, divendita eſſe: quare æquum reſcindi cuncta, & poteſtatem cuique fieri intra præfinitum ſpatium, quo venum iſſent pretio, ſua redimendi. Rogare ſe, ut tanquam Fœderatorum Belgarum fidi ſocij, rebus ac juri ſuo reddantur, atque adverſum opprimentium injurias defendantur. Ægre hæc lata nonnullis Friſiæ procerum, quod ab annis decem tributa vaſtitatis metu ex Omlandis ceperant, omniaque eorundem caſtella in poteſtate habuerant: itaque ſummo ſtudio colloquium urbis cum Fœderatis Patribus, ſuam in utilitatem vertere tentaverunt. Conventum Leovardiæ egerant anno MDXCII Novembri menſe: quo decretum, ne quod colloquium cum Groninganis inſtitueretur, niſi adhibitis in conſilium Friſijs. Dein ut publicis collegijs ac regimine arcerentur Omlandi, donec & contentiones cum Groninganis compoſitæ, & Friſijs impenſæ eorum ditioni pecuniæ redditæ eſſent. Cæterùm ut decretum id invalidum videre, frequentes ad Senatum in caſtra conveniunt, ſpe reliquos ſuffragiorum numero vincendi. Mox ubi à Senatu objectum, communis fœderis legibus, nulli nationum finitum egredi numerum, nec ſententiam cuiquam niſi dicto jurejurando, ac legitimè vocato ferre licere; ad alias tranſgreſſi artes, huc incubuere, ut ſuorum nonnulli, obſidum nomine, aut quâvis aliâ ſub ſpecie in urbem irent, civibuſque ſuggererent, quæ, & qualia ſtipularentur. Quod & Carolo Roordæ apud Joannem Buirium, cum primùm ex urbe mitteretur, factitatum. Igitur perſuadent, veniſſe jam tempus pro legibus Patrijs loquendi. Proin paciſcerentur, ut, quem habituri deinceps eſſent, præfecto, mandata, & poteſtatis limites ipſi ponerent. Exemplum è Friſijs capiendum, quorum Patres ſæpe aſpernaretur Naſſovius, quod poteſtatem à Fœderatis Proceribus accepiſſet. Conſulum, Senatorum, Magiſtratus dilectionem ſibi retinerent, nullo hìc præfecti jure. Simul æs pro militum hoſpitijs offerebant, ſi Friſium urbi ſuæ præſidium paciſcerentur: cum cæteræ Geldrorum, Hollandorum, ac Tranſiſalanæ urbes id de ſuis proventibus exſolverent. Adhæc auxilium quoque ſuum in omnibus adverſus Omlandos controverſijs, & Academiam Franequerâ, Groningam tranſlaturos promiſere. Denique etiam peculiare ſibi fœdus cum ijs, & proprium præfectorum rei maritimæ collegium in urbe fore. Addiderant complura id genus ſpecioſa, & urbi ad ſe trahendæ, quo auctis viribus Omlandos premerent. Quæ tametſi pleraque prudenter Naſſovius evertit, querebatur tamen Senatus centum millium damno his pollicitationibus Remp. affectam: quod æris, ſublevandis obſidij ſumtibus exigi ab Groninganis potuiſſet, haud ægre aſſenſuris, tanquam imminente, ni pacta mallent, exitio. Rejectis ergo prioribus poſtulatis, hujuſmodi conditiones præſcriptæ ſunt. *Condonantur Groninganis cuncta hactenus quoquomodo patrata. Ipſi in poſterum*

Fœdera-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ XCIV.

Fœderatis adhærebunt incorruptâ fide; auxilia ferent, expellendis Hiſpanis, ac cæteris libertatis hoſtibus. Iura, leges, inſtituta, atque immunitates priſtinas, incolumes habebunt. In conventibus Fœderatorum Procerum civitas & Omlandi ex præſcripto eorundem Patrum agent. Iidem nunc motas, aut in poſterum orituras controverſias dijudicabunt. Præfectum utrique Guilhelmum Naſſovium, ille poteſtatem habebit, quantam codicillis Patres dederint. Sacra non alia, quàm Reformata colent. At ſentire circa divina quod volet, cuique liberum. Eccleſiaſticorum res, cœnobiaque ſtatu, quo impræſentiarum, relinquentur, donec de Groninganâ & Omlandorum Rep. Fœderati Patres conſtituerint. Præſidium quinas aut ſex centurias, à Patribus mittendas, in urbem accipient. Caſtella, munitiones, an demoliendæ, an ſervandæ, Patrum judicij eſto. Cenſus & tributa, ducendo communi bello, civitas & Omlandi conferent proportione facultatum ſuarum, & ejus, quod à nationum reliquis penditur. Cenſus jam ſoluti, & quorum confectæ rationes, non retractabuntur. quorum adhuc infectæ rationes, coram vetere Magiſtratu inibuntur. Exulibus, eorumque hæredibus, ædes, & quæ bonorum nondum vendita, reddentur: quæ vendita debitorum cauſſâ, vel quia publicata, eodem quo diſtracta ſunt pretio, intra proximos quatuor annos redimendi jus erit. Civium tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, remanere in urbe licebit, ſed dicto fidelitatis Sacramento: id ſi facere gravabuntur, in loca ab hoc bello vacua concedent, & bonorum uſumfructum habebunt. Tabulæ, quîs, oppigneratis cœnobiorum proventibus, Abbates, & Antiſtites qui Groningam conceſſere; de ſolutione debitorum caverunt, cognitioni ac judicio Procerum & Magiſtratuum, quorum in ditione cœnobiorum quæque ſita ſunt, reſervabuntur. Legati Groningani Bruxellis agitantes poteſtatem habebunt intra menſem abhinc tertium in urbem revertendi. Civium captivi, pretio libertatem recipient. Vrbem regent Magiſtratus hâc vice à Mauritio, Guilhelmo Naſſovio, ac Senatu delecti: in poſterum priſtinus mos retinebitur: niſi quod pro fabarum diſtributione, & delectione quinque hominum, ex XXIV *juratis civibus, quorum antea ſortes dejici adſuevere, Guilhelmus Naſſovius durante hoc bello electionem faciet. Civitas & Omlandi, ut convênit, nulli Regum, Principum, aut Rerump. inviti tradentur, neque urbs caſtello onerabitur. Pecuniam Regis, bellicumque ejus apparatum, machinas, annonam, aliaque id genus, Fœderatis Patribus tradent. Hiſpanus miles urbe excedet.* Hæ conditiones, dum in caſtris manent legati, in urbem miſſæ, ut ocius deliberato, ſine morâ reſponderent. Quamobrem illo die (decimus Junij erat) quies ab oppugnatione, & conceſſa armentis oppidanorum paſcua. Poſtridie lætum civitatis reſponſum adfertur, ac legati ſub veſperum ad ſuos rediere, jam tranſactâ re, niſi quod minuta quædam conſultationibus ſuis reliquerant. Ad ultimum III Idus Quintil. in conditiones, quas dictum, convenit, quîs utrimque ſignatis, præſidiarij urbem intrant. Prætoria Guilhelmi Naſſovij cohors erant, & Nielus Friſiorum legionis Tribunus, & cum his centuriones, Wingardus (is, ut antè memoratum, captus à Groninganis, nunc cum urbe ipsâ receptus eſt) Steenhuiſius, Cobhamus, atque Appelus Hollandus. Decimo octavo Kal. Sextil. digreditur urbe Georgius Liaukama, cum centurijs novem, mille & quingentorum circiter militum: quam mox ingreſſi Naſſovius uterque, Magiſtratuum gratulationibus in foro excepti: ubi urbem colluſtraverant, ſub veſperum tentoria repetunt. Poſtridie regreſſi manſerunt. Decimo ſexto Kal. Auguſt. in majore baſilicâ B. Martini, dimotis Sanctorum ſimulachris, concio habita. At tertiâ & viceſimâ ejuſdem menſis, abrogato vetere Magiſtratu, Guilhelmus Naſſovius, & quaterni è Senatu, novos rectores urbi delegere. Ad conſulatum evecti Mello Coenderus, Joachimus Altingius, Hermannus Coningius, Egbertus Alberda. Poſtridiè collecti ante curiam cives in verba Fœderatorum Patrum juraverunt.

cIↄ Iↄ xciv. verunt. Et ſecundam in curam, præter ſenas centurias, quas collocatas in urbe diximus, par numerus ſuburbio Schuitendipæ imponitur: quo illæſis pactionibus, ſecuritati proſpiceretur adverſum gravem adeo civitatem, & ut nuperrimè hoſtilem, ita ingeniorum magna diverſitate. His tranſactis Mauritius v Kal. Sextil. per Friſios Hollandiam repetens, Dockemi, Leovardiæ, Franequeræ, & Harlingæ ſummis honoribus, & fauſtis urbium acclamationibus exceptus eſt; & die uno, altero, ſingulis in urbibus quieti dato, iter perſequitur. Quintâ Auguſti die Omlandorum conventus publicè actus, cui nemini intereſſe datum, niſi ejurato Rege, ſacramento ſe Fœderatis obſtringeret: quod multi abnuêre. Interea (IV Id. Auguſt.) Philippus Naſſovius Ruræmondam aſtu tentat, ſpe portas pylorecte moliendi. Duabus horis ac dimidiâ ſub mœnibus miles conſtiterat, cum vigilum unus, tympani temere offenſi ſtrepitu audito, tubum diſplodit. Paullo poſt & circitores repetunt quatuor, quinque ictus: exin rurſum quies, & certus deſtinationis Naſſovius. Sed ignei operis artifex, tuborum ſonitu perculſus, & eruptionem metuens, in ſecretum ſe abdiderat: nec repertus à quoquam: ita re infectâ diſceſſum eſt. Eadem tempeſtate militum haud exigua manus Verdugum, quamvis invitum, & nequidquam retinentem, deſerit. Oldeſaliæ adhuc propinquus agitabat: quare Berkenſes monet, bellicis quæ in Rheno erant navibus, tenerent abeuntes. At Clivij, malum ſibi à tantâ copiâ veriti, trajecturis navigia ſubmiſere. Ita in Brabantiam tranſgreſſi, ubi plus in milite irarum, minùs ſoluta ſtipendia, perpetuis Erneſtum ſeditionibus diſtinebant. Vix duæ Hiſpanorum legiones, ad Paulinum fanum viginti & duobus menſibus per ſeditionem tranſactis, ære dato conquieverant; cum Itali & Albanenſes equites mille, pedites mille ducenti, occupato Sichemo oppidulo, in ſeditionem prorupere. Exemplum ſtatim ſecuti Duinquercæ præſidiarij: pars Hiſpani erant, qui præfectum ac duces ſuos urbe pepulerunt. Nec multò pòſt militum alia manus penſandis, quîs fraudati erant, ſtipendijs, Amandi fanum; & rurſum ab his diverſi Capellam, Thieracenſis Ducatus oppidulum, occupant. At præcipiti autumno etiam, qui ad S. Amandi agitabant Hiſpani, ſeditionem reſumſere. Sic ut eodem tempore quatuor ſeditiones Regis in partibus arſerint. Qui Sichemum occupaverant Itali nihil potius habuere, quàm poſitâ ſeditionis ſpecie, ordine cuncta, & Reip. in modum adminiſtrare. Igitur ducem (Electum ipſi nuncupabant) & Senatum ſex hominum deligunt, additur qui à ſecretis eſſet. Hi literas ad circumjectos pagos dedere, incendium, cædem, rapinas, & hoſtilia quæque minati, ni tributum penderent. Super cætera vectigalium ac tributorum, etiam mercium ſingulis, quas in oppidum è propinquo agreſtes venum deferrent, pretium impoſuere. Signum Electo, quo literas obſignabat, examen apum, antecedente agmen, quæ præ cæteris corporis magnitudine conſpicua. Adſcriptum erat, *mens eadem omnibus*. Cuikani ut tributum ijs penderent, nec populationis, nec ullo alio metu, adduci potuere. miſſiſque ad Hermannum Bergium nonnullis ſuorum, denuntiant, ſi vel modico auxilio juvarentur, arma adverſum ſeditioſos capturos. Id nonnulli è Cliviorum nobilitate in hoc bello otioſi Mauritio retulere, addito, paratum auxilio Bergium, dummodo certum haberet, nihil ſuis à Fœderatorum milite metuendum periculi. Itaque fuere qui exiſtimarent, æquum prorſus eſſe, ut Mauritius Kuikanos, gentem ſibi ex hæreditate propriam, tributi onere, & injuriarum metu levaret. Alia Mauritio & Guilhelmo Naſſovio mens, qui ſeditiones hoſtium alendas ſibi, adeo non exſtinguendas, rebantur. Fortè per idem tempus edicto Patres ſanxerant, nequis ulla omnino cibaria in hoſticum deveheret. Unde Bredani, Gertrudenbergenſes, &

Heuſdani

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Heuſdani cauſſam cepere interdicendi agreſtibus, ne frumentum in hoſti-
lia oppida deportarent. Quod ubi Electo compertum, centurioni Bredano cIɔ Iɔ
ſignificat, non ſuæ modo Reip. (hoc enim vocabulo utebatur) verùm & xcIV.
Fœderatorum militi id noxium. Quippe ſi eodem modo & ipſe ruricolas
Bredam deferre merces ſuas prohibeat, deteriora tantùm utriuſque vecti-
galia fieri, & ſedibus ſuis pelli agreſtes. Centurio Bredanus, Patrum man-
datu, reſpondit, ſolutum ruſticis in poſterum fore, Sichemi merces ſuas
diſtrahere: obtulit ſimul ſtudium & operam ſuam, ſiquam navare eorum
Reip. poſſet. Quæ brevi militum maximo confluxu crevit; Hiſpanos ta-
men nullos admiſere. Averterant credo animos data Hiſpanis, qui ad
Amandi fanum ſeditionem moverant, ſtipendia, & reſumtum obſequium:
ſibi contrà nihil æris oblatum indignabantur. Hunc in modum non militia
modò, ſed & regimen adverſis in partibus confuſum. Fremere vulgus, pri-
mores conqueri, indignari urbes. Urebat optimatum animos perfidia Re-
gis. Quippe anno unde octogeſimo, Artheſijs, Hannonijs, cæteris natio-
num, quæ defecerant, promiſſum ab eo, regimen penes Senatum, hunc ex
indigenis fore. Conſtiteratque ad tempus dicto fides ſua. Sed poſtea Hi-
ſpani, palam pervertere Senatum non auſi, effecere apud Regem, ut belli-
cus etiam Senatus inſtitueretur. Qui ſub ſpecie militarium rerum, omnem
alterius poteſtatem, omnium rerum arbitrium in ſe traxerat. Eo in Senatu
erant præter Erneſtum, Fontanus Comes, Ivarræ duo Hiſpani, Chriſtopho-
rus Morus Luſitanus. Dux Arſchotanus, Comites Mansfeldij, & primorum
alij, ut otioſos ſe, & inania tantum nomina adverterunt, contemtum tole-
rare neſcij, domum quiſque ſuam abiere. Et Decembri menſe Bruxellas ad
Procerum conventum vocatus Arſchotanus, palam ſe acceſſurum negavit,
niſi à conventu Fontanus abeſſet: abfuitque hic. Carolus Mansfeldius ſub
ſpecie honoris Cæſari commendatus gerendo in Hungariâ adverſum Tur-
cas bello. Nec ille conditionem abnuit, quo offenſas vitaret; quippe placi-
dus animi, & rixarum vitator. Averſas jam ante procerum mentes irrita-
bant porro arrogantes Erneſti mores. Ille tamen, ut ſolitum, egit, non Prin-
cipes, non optimates, non indigenas, aut exteros, honore ullo dignatus:
quamvis gnarus aliter deceſſoribus ſuetum. Sed aſpernabatur, & velut
Turcicus Imperator, inter mancipia agitabat; infra faſtigium ſuum,
quod otio & inertia deſtruebat, ratus, ſiquem quomodocunque venerare-
tur: documento egregio parum ſani judicij, & exiguæ experientiæ: quîs, ſi
rectè æſtimaveris, haud ſanè abundabat. Acta illi ætas per ignaviam & li-
bidines, aut provocatos hinc pedum dolores. Æmulum in his Fontanum
habebat, vitijs haudquaquam inferiorem; & contra Hiſpanorum ingenia,
vinolentiæ immodicum. Decima illi hora ſomnum finiebat. Sæpe & ſum-
to cibo, ad lectulum ſe recipere. Noctes potando, aut cum mulieribus,
quamvis ſexagenario major, trahere. Ferebant fuſtibus aliquando Antver-
piæ verberatum, dum improvidè impuros implere ignes ſatagit. Etenim
fœminam aliquando ſuo nomine ſalutari, & conveniendi poteſtatem peti
juſſerat. Quod illa, quippe caſta, abnuit. Maritus, ut comperit, monet
conjugem parum prudenter eam id dignitatis virum ædibus ſuis prohibuiſ-
ſe. Proin epulas appararet, omnino decretum ſibi Fontanum, pro fortunâ
excipere: poſſe enim in aulâ utilem quondam favorem ejus eſſe. Mulier
ignara quorſum tenderet, nec dolum ſuſpicata, ad cœnam Fontanum ad-
vocat. Qui ſimul intromiſſus, involat maritus & fuſte occiput duabus pla-
gis convulnerat. Fontanus autem tegendæ ignominiæ, finxit, lapſu ſedis,
in quâ fortè à ſomno deprehenſus fuiſſet, accepiſſe. Hujus ingenij, his mo-
ribus viro res Regis innitebantur; unde cuncta in deterius iviſſe nullus mi-
retur. Suprema ærarij cura penes Stephanum Ivarram, virum certè egre-

 gium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIƆ IƆ XCIV. gium, ſed in quo laudum cæteras ſuperbia obumbraret: quæ tanta illi, ut cunctos præ ſe Principes, primores contemneret. Adeo ut Carolus Mansfeldius per id tempus ſupremus militiæ præfectus, qui ingenti ſtipendio fruebatur, furore ardens aliquando ædes ejus irruperit, transfixurus, niſi ille averſo ædium oſtio digreſſus, iræ ejus periculoque ſemet ſubduxiſſet. Provocârat Mansfeldij iram Ivarras, dum immenſa & nimia ejus ſtipendia dictitans, ſupremum militiæ ducem appellare abnuit; literis inſcribere ſolitus, *militum quibuſdam tractibus præfecto.* Hâc Mansfeldij & Ivarræ diſcordiâ moti Hiſpani, non niſi gentilium præfectorum accipere imperia voluere. Itaque & Marchionem Warenbonnium aſpernati, quem Burgundiâ ortum Artheſijs Rex præpoſuerat. Eum ſanè, ut Cameracum ad exercitum venerat, Auguſtinus, Tribunus Hiſpanus, hujuſmodi verbis compellârat. *Non ignarum ſibi, quo ortus genere, quâ in Regem fide exiſteret. Credere quoque ad cætera bello egregium. Sed ita militem animatum, ut ne Deo quidem, ſi cælo deſcendat, niſi Hiſpanus ſit, parêre velit.* Erant quoque in Chriſtophoro vis animi, & prudentia. Sed recentis inter Belgas nondum autoritas coaluerat. Alioqui Mori, & Idiaqui Cantabri conſilijs, poſt Regem, omnis Hiſpania regi ſolitæ: unde notabile nonnullis viſum, Regem tantos viros à latere ſuo abeſſe paſſum. Didacus Ivarra literis ad Idiaquum de Regis in Belgicâ & Gallicâ rebus conqueſtus, nullam reſtituendi ſpem ſcripſerat, niſi rationem Rex reperiret ingentes exercitus longo tempore ſuſtentandi: dein & ſtipendia accuratè numeranda, & idoneo duce opus. Etenim nunquam in has curas Fontanum venturum. Paſtranæ ducem militiæ rudem, Erneſtum valetudinarium, & laboribus imparem. Nec præter hos cuiquam ſummam rerum tutò committi. Non prudentiæ cuiquam, non animi ſatis eſſe ore aut manu. Clementię, tantopere laudatę, adjiciendam ſeveritatem, alioqui infructuoſam illam. Erneſtum verò Angelũ nuncupabat, quaſi ſtolidum, aut pecudẽ diceret. Nimium apud illum Belgas, Germanos, Italos poſſe, & ſuſpiciones in fideliſſimos miniſtrorum Regis ſpargere. Similia quoque Stephanus Ivarra differens, querebatur, nequaquam ſe aut apud Erneſtum, aut in Senatu, quo par ſit loco, haberi. Omninò Regis res plus miniſtris ejus autoritatis poſcere: & dignitate vitaque multandos, qui contra niterentur. Ne difficultates quidem omnes commonſtrare Erneſto auſum ſe, metu lachrymas provocandi, quod naturâ inſitum illi. Ut de Belgis, Germanis, Italiſque, ſic etiam de Meduanio Duce, Bruxellis per id tempus agitante, queſtus Ivarra, nihil ab eo exſpectandum dictitans, niſi ut cum Gallo in gratiam reverſus, quo nunc amore Hiſpanos, eodem pòſt odio proſequeretur. Unde duplex Regi detrimentum. Quippe pro ſocio, & amico habitum, arcana Reip. & deploratas res, animoſque Belgarum introſpexiſſe. Nec fruſtra Ivarræ ſuſpecta Meduanij fides: etenim ſuper turbida Reip. extremam quoque Regis egeſtatem cognoverat: quia debita ab eo Bruxellis contracta (x v i florenorum millia erant) honoris ergo exſolvere cupienti Erneſto, deeſſe pecunias ab Ivarrâ reſponſum erat. Civitates faſtus & ignavia Erneſti averterant; dein quòd ſummam de eo ſpem evanuiſſe, & Hiſpanorum præſidijs onerare eum urbes velle adverterant. Sic ſanè Inſulenſes & Namurcenſes miſſis ab eo præſidiarijs portas occluſere. Plebes compertâ regentium diſcordiâ, cum malè cuncta adminiſtari, rapi trahique agros, nec memorià dignum quidquam geri videret, prorſus langueſcere, & mœrore angi. Quod ubi primoribus cognitum, promſere ſolatia, adventare ex Italiâ innumeram militum vim: ſed enim in Longobardiâ totam illi æſtatem exegere. Adhibebant & alia fomenta, inanem pacis ſpem, Germanorum Principum opera faciendæ. Sed hæc ipſi Regis legato, Guilhelmo de S. Clemente, irriſui fuiſſe, vel literæ ejus indicaverint, è

conventu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

conventu Imperij Ratiſbonæ habito, ad Erneſtum ſcriptæ. Quis firma- CIↃ IↃ XCIV.
bat, majores, quàm pro merito, grates ſibi Belgas acturos, ob ea quæ no-
viſſimo Imperij conventu decerni impetraviſſet. Etenim inſtitiſſe, ut Ger-
mani ex fœdere Burgundico, Auguſtæ Vindelicorum anno MDXLVIII
inito, auxilia Regi ferrent, & Fœderatos ad pacem vi adigerent. Nec du-
bitare quin obtineri potuerit, ſi paullo feliciores in Belgicâ, Galliâque
Regis res fuiſſent. Nunc ſtatutum de tentandâ per legatos pace æqui con-
ſulendum, quando ut non utilitas, ſic neque ulla hinc damna ſequantur:
quippe erigi animos, & adverſus deſperationem firmari. Sed vanæ profe-
ctò legati ſpes. Etenim plebs, compertâ ad ultimum veritate, & exſtinctis
inanibus, eo acrius patientiam abrupit. Nocebat maximè prodigalitas, &
parum ſedula ærarij cura: culpæ primus Parmenſis erat. Neque ignarum
id Erneſto, & ſeriò occurrere decreverat. Sed nequaquam ex Auſtriacâ
domo, cui ex ſuperbiâ & luxu celebritas, petendi erant, qui huic malo re-
media quærerent. Et ut Erneſtus huc niteretur, parato ære, ac multo qui-
dem opus erat. Nam non niſi debitis in ſolidum, aut ſaltem partim exſolu-
tis, ad veterem formam collapſa revocari quibant. Accedebat incommo-
dorum reliquis, quod Americana claſſis, quotannis decies & octies cente-
na ducatorum millia, ut ferebant, advehere ſolita, (quorum quadringenta
millia Regi, cætera mercatoribus cedunt) longiùs quàm pro conſuetudine
aberat. Nam civitate, cui à Dei Nomine vocabulum, ſolvens, ob adverſa
tempeſtatum, in itinere, quinque alioqui diebus conſummari ſolito, ad tri-
geſimum hæſerat diem. Unde ortæ per navales ſocios, per militem ægri-
tudines adeò numerum attrivere, ut ſuperſtites, tutandis opibus, (ſiqua ho-
ſtium vis ingrueret) invalidos ſe arbitrarentur. Mercatorum ditiſſimis, qui
in adventum claſſis ingentem æris vim mutuò dare ſueti, debitum ſolvere
Rex, illi alijs nequibant. Igitur ad tuendam Regis & mercatorum exiſti-
mationem edicto pronunciatur, bonæ fidei fore, qui quotmenſibus cente-
ſimam debiti pro fœnore penderet: creditores in ſolidum appellare ante
adventum claſſis prohibiti. Ne in Hollandiâ quidem aut Zelandiâ, pecu-
niæ, quâ ante copiâ, apud mercatores reperiebantur: quod prudentior
quiſque non reverſæ claſſi adſcriptum ibat. Æris egeſtas militem, ſolutus
miles Remp. & regimen ſolvit. Multaque Erneſtum, quæ alioqui nun-
quam cogitaturus, temerè tentare neceſſitas adegit. Ut plerumque qui
neceſſariò, idem & carius emit. Nam Erneſtus ubi militem diſtribuere per
urbes nequidquam tentavit, quia non aſpernandus illi copiarum numerus
(nuper enim Helvetios bis mille, Burgundos mille quingentos, novum mi-
litem acceperat, & pacatis inſuper duabus Hiſpanorum legionibus, millia
circiter XI in univerſum coacta habebat) ut militem blandiente otio ad fla-
gitia prolapſum diſtineret, quamvis imminens hyems, proſperorum ſpem,
ſiqua eſſet, adimebat, Cameracum obſedit, urbem nequaquam hoſtilem.
Quippe Balaignius urbis præfectus non alio ſua dirigebat, quam ut neutri
bellantium parti adverſus, quietam præfecturam haberet, optaſſetque ve-
terem rerum ſtatum manere, ac regiæ ditioni parcere. Erneſtus cum ju-
ſtum obſidium multa requirere videret, itinera urbis inſedit, contentus pro-
hibere, necunde commeatus in eam inferretur. Ubi nihilominus importa-
ri annonam advertit, Cameraſinum exurit agrum, ſummo dolore Artheſio-
rum & Hannoniorum: etenim prævidebant, abs ſe repetitum iri, quicquid
cladis Cameracenſes accepiſſent. Adeò ut omnium Hiſpanorum odio non
minore exarſerint, quam cùm anno MDLXXVI pax Gandavenſis facta, ob
iram nationum. Et ſpes inceſſerat, poſſe primorum nonnullos in noſtra
trahi, ſi alia apud Fœderatos Reip. forma, & ſecretè agitanda cum multis
communicari nequaquam opus fuiſſet. Ne ipſe quidem Taxius, Regi à
conſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ XCIV. conſilijs, periculum diffitebatur. Eoq́ue ſuadere Regi, ut priſtinam in Senatu poteſtatem Belgarum primoribus reſtitueret. Adjungendos tantùm Hiſpanos aliquos: idq́ue aptum alliciendis multitudinis animis, ubi rectorum pleroſque gentiles cerneret. Quantum ad Hiſpanos Senatui inſerendos, obtentum id habiturum, quaſi non ob regiminis, ſed pecuniæ curam fieret, cujus ingens vis ad ducendnm bellum ex Hiſpaniâ tranſmitti ſolita, plerumque Reip. quoque curam ſecum traheret. Hoc regiarum rerum ſtatu tanto opportunior caſus obveniſſe videbatur Groningæ victoriam perſequendi: imprimis vigente adhuc anno. Cæterùm Patres multum urgenti Buſenvallio (is decretum Regi ſuo affirmabat, Artheſijs Hannonijſq́ue bellum inferre, quod quoniam ex uſu Belgis, juvare ſocium Regem æquum videbatur) auxilium centurias XXV, turmas quinas promiſerant; mittendas tertiâ hebdomade poſtquam Rex advocâſſet. Interea conſultabant, quo itinere & miles tutiſſimè ad Regem penetrare, & præſidium ab eo obviam mitti poſſet. Promtiùs huc Patres inclinabant, quòd Regem, ſuperiore hyeme eadem agitantem, à propoſito Britanniæ Regina averterat: itaque nunc utendum animo ejus, dum caleret, rebantur; quippe levamentum hinc oneris ſibi. Igitur cum indies Regis literas de mittendis auxilijs exſpectarent, & reliquum exercitum, exauctoratis nuper Germanorum centurijs XII (quæ ſe eodem quo Belgæ ſtipendio merituras negaverant) invalidum adverterent magnis rebus ordiendis: cum inſuper Groningæ oppugnatio, quà ſaucijs atque ægris, quà interemtis, magnā exercitus partem attriviſſet; reliqui poſt graviſſimos labores quietis egerent: nihil ultrà tentatum. Jam October menſis, & hyems impendebat, cum pleriſque Regem hyemi militum iter ſubjecturum non exiſtimantibus, Grollæ obſidium decernitur. Id oppidum, inter prima hoſtilium, præſidium validum, præfectum clari nominis Joannem Comitem Stirumbium habebat. Niſi quòd domicilia mollibus tectis, frugibuſq́ue nuper illatis, & adhuc in ariſta latentibus, plena, opportuna noſtris erant injiciendo igni. Brefurtum, quod in propinquo, per oppignerationem viduæ Anholdij ceſſerat; cui hâc tempeſtate cum Verdugo colloquium, de educendo præſidio, quando extra bellantium cauſas oppidulum foret. Nec Verdugus, quamquam ſæpe antehac recuſato, abnuebat; quippe Fœderatorum vires metuens, viduæ, quam Patribus, parêre Brefurtum præcupiebat. Cætera ijs tractibus oppidula Oldeſalia, Enſcheda, Gora, & Otmarſa; ut præſidio infirmo, ita annonæ belliciq́ue apparatus penuriâ laborabant. Et pecuniæ jam antea inopes conſternaverat diſceſſus Verdugi, adeò ut prope ad famam exercitus deſerturi mœnia viderentur, & ſpes erat, poſſe ante hyemem hoſtes Zutphanienſi ac Twentanâ ditione exturbari. Etenim cæteris ſubactis, nequaquam Linga reſiſtere quibat. Ob hæc miles omnis, eques, pedes, IV Kal. Octobr. vetere dierum numero, Doeſburgum convenire juſſi. Jam ponte junctus Iſala, jam in promtu tormenta, & reliquus belli paratus, mileſq́ue Doeſburgum pars, Arnhemum alij, cum Mauritio, & Guilhelmo Naſſovio convenerant. Quæ ut Verdugo comperta, caſtris ad Oldeſaliam digreſſus, Berkam petit, manifeſto indicio, non decretum ei multum pro illis tractibus niti: quam opinionem firmavere mox nuncij, Grollâ, Oldeſaliâ, & Lingâ allati. Igitur cunctis expeditis, & iter molientibus, cum ſpes inceſſiſſet pellendi trans Rhenum hoſtis, Buſenvallius Arnhemum venit, Fœderatorum Patrum codicillos ferens, quîs jubebant pro XX, centurias duodetriginta, & quinas ei turmas tranſdi. quod ſupererat exercitus (nam quinquaginta tres centuriæ erant) ſatis eſſe expugnandæ Grollæ, & Twentâ pellendis hoſtibus, rebantur. Sed falsò, quippe vix quatuor millia reſtabant: multis paſſim ægris per civitates diſtributis, ob humentia pluſquam

ſolita,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIƆIƆ XCIV.

ſolita, anteactæ æſtatis, & incommoda caſtrorum. Itaque, tametſi acriter Patres urgebant, negavit Mauritius, ullam ſe urbem tentaturum. Nec omittebat monſtrare pericula, ac arduam rem. Excubare quottidie duo millia, in opere ſexcentos: quod ſpatium quietis habituros? Avelli adhæc omnem equitatum, præſidio futurum militi per hoſticum ad Gallos eunti. Ne decus quidem partum expugnationibus Zutphaniæ, Daventriæ, Noviomagi, Stenovici, Covordæ, Gertrudenbergæ, & Groningæ; obſidio, etiamſi proveniret, haud multum profuturo, periclitandum. Quare ſignificarent Regi, elapſam æſtatem, hyemem fore prius, quàm in Galliam miles perveniret, nec tum ullam utilitatem. Adderent, ſpem, & ſummam, Dei munere, opportunitatem, victoriæ inſiſtendi. At pulſo trans Rhenum hoſte, majora illi auxilia ſubmitti, pariterq́ue illum Artheſios & Hannonios, ſe Flandriam premere poſſe, clauſo inter utrumque hoſte. In hæc reſponſum Regis opperirentur; & ſpatium eſſe, quando tertiâ demum hebdomade poſtquam Rex vocaſſet, auxilia mitti convenerit. Et profectò juſtior ſcribendi cauſſa erat, quod Rex mutato priore conſilio, novum, & periculoſius iter propoſuerat. Nec ambigebat Mauritius, poſſe his rationibus Regi ſatisfieri: ægrè interea ferens, Patres (quos Hagâ diſcedens obnixè rogaverat, nequid ignaro ſe de auxilijs ſtatuerent: diſertim addito, irrita alioqui fore, quæ in Drenthanos Twentanoſq́ue molirentur) promtè adeò poſtulanti legato etiam majores, quam convenerat copias, promiſiſſe. Unde Buſenvallius autoritate eorum ac fide fretus, nullis ſe rationibus à propoſito dimoveri patiebatur. Quæſiverat fortè ex eo Guilhelmus Naſſovius, cur milite quàm pecuniâ juvari Rex mallet, præſertim quando, hanc & minore detrimento ſuo, & ſine periculo tranſmittere Patres poſſent: militum contra iter ſubjectum caſibus, & numerum atteri. Reſpondit Buſenvallius, Regem profuſum, nec militem perinde, ac pecunias prodigentiæ obnoxium eſſe. Tandem igitur cœpta (quorum paratus centenis florenorum millibus ſteterat) deſeri, & in Galliam centurias XXVIII, turmas quinas mitti placuit. Non tamen eò plenus numerus fuit: ſerò enim Zelandorum miles acceſſit. Imponitur copijs hiſce Philippus Naſſovius, qui Rheni primò ripas legere, dein per Lutſenburgum ducere juſſus, poſtrid. Kal. Octob. Arnhemo digreditur. Biduo pòſt cum reſiduo Fœderatorum equitatu, & peditum quingentis, Franciſcus Verius ſequitur, ſecundum Moſæ alveum, quo hoſtilem equitatum (cujus turmæ lectiſſimæ XIV in Brabantiâ erant) tranſitu amnis prohiberet, ne adoriri Naſſovium, aut claudere iter poſſet. Quinto aut ſexto die poſtquam iter ingreſſi, hoſtiles equites mille quingenti, pedites quinquies mille, Trajecti Moſam amnem tranſeunt, Verioq́ue (nam ille diſcrimini proximus) neceſſitas allata ad Naſſovium properandi. Simul copias junxere S. Viti fanum petere agitavere, exin per Lutſenburgum ituri, quo Duci Bovillionæo Baſtonacum, bidui itinere proceſſuro, occurrerent. Sed prævertit hoſtis. Itaque per Eifaliam, Arenbergam, Blankenhamum, ac Prumam prætergreſſi, ad Moſellam contendunt. Quinis aut ſenis quibuſque longioribus horis caſtra ponentes. Eundem ad modum iter quoque hoſtis celerat, relictis Daleni impedimentis. Ac fortè Prumæ caſtra habente Naſſovio, in pago horæ tantùm itinere abſito hoſtes conſederant: ne in pugnam iretur fecit, quod propinquum adeò hoſtem uterque ignorabat. Tertiâ decimâ Octobris die, trajecto Moſellâ, Sarbruggam Naſſovius proficiſcitur, & in itinere cognoſcit Hermannum Bergium, tranſmiſſo amne, adventum Caroli Mansfeldij opperiri. Naſſovius Veriuſq́ue re deliberatâ, cum maturè adeſſe hoſtium peditatum nequire, & cum ſolis equitibus certamen fore animadverterent, inſtructâ acie Metas petunt; ſed campum ingreſſi, quem prælio ab hoſte delectum ferebant exploratores,

cIↄIↄ xciv. neminem repererunt. Tertio Kal. Novembres Bovillioneo junguntur, cujus in exercitu Gallorum legiones quinque, Helvetiorum centuriæ VII, equites mille trecenti, & tormenta majora tria erant. Codicillis data ei ab Rege poteſtas in Hiſpani ditione belligerandi, oppugnandi urbes, & in deditionem quibuſcumque vellet conditionibus accipiendi, aut vi expugnàndi. Expugnatas pro arbitrio dirueret, aut præſidio firmaret, denique ageret, adminiſtraret cuncta, quaſi præſente Rege. Igitur poteſtas ampla, vires patrandis deſtinatis exiguæ erant. Etenim auxilia Belgarum, mille quingenti milites, nec ultra erant: ijdem magnam partem inermes, cum plerique tædio itineris haſtas & arma projeciſſent. Præterea nec Bovillioneo adhuc palam poteſtas data belli Luxenburgenſibus inferendi, ut ex literis ejus compertum; quîs non diſſimulabat, nimium properaſſe auxilia Fœderatos. Ipſe cum Rege deliberaturus Lutetiam proficiſcitur. Interea Belgarum miles per diverſa Galliarum, hac illac petendis alimentis, abductus, & itinere magis, quam ab hoſte attritus eſt. Adeoque nullus hujus expeditionis fructus fuit, cujus ſpe Patres occaſionem gerendæ rei, ſi unquam, opportuniſſimam, non dimiſerant tantum, ſed & periculo omnem expoſuerant equitatum: quippe promtum hoſti invadere redeuntes, aut iter intercludere. Accedebant pericula domeſtica, majora ob intempeſtiva hyemis. Nam adſtrictis glacie amnibus facilè hoſti intima Hollandorum adire. Quod quamvis non tentatum, neque ullæ incurſiones factæ, hoſtium ſeditionibus, non Patrum prudentiæ adſcribendum, qui temerè profectò terras ſuas nudaverant. Gelu enim pubeſcente Novembri obortum erat, dum nihil adhuc certi de reditu equitatus; unde multi verebantur, ne interjecto validis cum copijs hoſte, hærere, ac ſegne apud Gallos otium terere cogerentur. Verio tamen aliud iter repertum Waleſi, mille paſſuum infra Moguntiam, & nonâ Novembris die Rheno trajecto, per Dietzanos, Naſſovios, Wiedam, Seinam, ac Ducatum Bergenſem: dehinc Coloniam, Veſaliamque prætergreſſus, ad Belgas remeavit, multis in itinere equis amiſſis, dum ſubſequi nequeunt, confecti itineris magnitudine, quod millia paſſuum Germanicorum centum ſeptuaginta. Inter cætera, quæ expeditio hæc noxia tulit, illud potiſſimum, quod eques peragratis Germanici Imperij compluribus terris, laſciviæ, ac licentiæ militaris, ſigna haud pauca reliquerat: ut mos corruptæ hoc ſeculo militiæ; & quamvis cæterorum comparatione, Belgarum modeſtiam commendares, auditum tamen compertumque de ſtupris. Quæ petulantia multos Auguſtanæ confeſſionis Principes, multas civitates, Fœderatis haud alienas, avertit. Bovillioneus non multò pòſt Mauritij ſororem matrimonio ſibi jungit, quod nequaquam ingratum Patribus. Eâdem tempeſtate Argentinenſes Magiſtratus Mauritio denuntiavere, Gallum cum Lotharingiæ Duce de pace colloqui. Ingentem ſe pecuniæ vim obtuliſſe Regi, ſi pace, aut armis efficeret, ut locis ditionis ſuæ, quæ complura occupaviſſet, Lotharingus cederet. Regem, rejectâ pecuniâ, poſtulaſſe ut equites octingentos, pedites quater mille, per quadriennium ſuſtentarent. Sed id ſupra vires ſuas: itaque rogare ſe Mauritium, ut precibus moveret Regem remittere de poſtulatis, habitâ virium ſuarum ratione; aut pacem ſuſpenderet, donec polliceretur Lotharingus redditurum, quæcumque in eorum ditione occupaſſet. Sed literæ eæ ſerò, & non niſi factâ jam pace, Mauritio redditæ. Alioqui & multum Patres, & Mauritius hîc potuiſſent; nec voluntas deerat pro Argentinenſibus loquendi: quippe quorum intererat Lotharingi vires infringi, tanquam Hiſpanum militem è Burgundiâ in Luxemburgum aſſiduè per terram ſuam tramittentis. Nec Regi leve emolumentum, ſi dimidium poſtulati numeri per biennium Argentinenſes aluiſſent, à quo nequaquam abhorrere viſi.

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Nam impenſæ octingenta florenorum millia ſuperabant. Adeoque, niſi dux Argentinenſibus, & boni conſultores defuiſſent, etiam ſine auxilijs externis hâc manu exturbare terrâ ſuâ hoſtem quiviſſent: quippe tormentis abundabant. Sed, quia nunc mentio urbis ejus facta, operæpretium videtur memorare, quę haud procul tractibus illis evenere, quamvis à Belgarum rebus longiùs digredi decretum alioqui non erat. Cæſar ob prodigentiam, grandia debita, & flagitia Eduardi Fortunati, Badenſis Marchionis, Bavariæ ac Lotharingiæ Ducis, regere terras ejus, ac proventus in debitorum ſolutionem vertere juſſerat: præfinito, unde quotannis Eduardus ſe ſuoſque ſuſtentaret. Sed ille parum præſcriptâ pecuniæ ſummâ contentus, Marco Fuggero, ditionem ſuam, & hæreditarium in eam jus vendit, quotannis ſibi Imperialium millia VII & XXX, donec ſupereſſet, pactus. Eduardum ſanguine non alius propius contingebat Erneſto Frederico Marchione Durlacenſi. Is indignè ferens, non tantùm Eduardo alios tutores, & ſe longius ſitos, Cæſarem dediſſe: ſed & Fuggerum, mercatorem, & Hiſpano addictum, ſuum deinceps vicinum, in eo fore Marchionatu, cujus ipſe nomen & inſignia uſurparet: eâque re ſimul divelli in partes Marchionatum ratus, vicinos Auguſtanæ confeſſionis Principes, Palatinum ac Wirtenbergenſem, conſilium & opem flagitat, etiam Argentinenſes, quibus ſuſpecta Lotharingi potentia. Nam quem terris ſuis excedere cupiebant, nunc in dies creſcere, & imperio ejus omnem pene ditionem ſuam undique claudi, ægerrimè ferebant. Itaque libenter auxilia tulere. His jutus Erneſtus, Aquas Helvetiorum, atque Etlingam urbes, Raſtadium ac Stolhovam arces, brevi in poteſtatem redigit. Simul in manus venere Ambroſius Pirellochus, Alpeſtri Rhætiâ oriundus, & Franciſcus Muſcatellus Vicentinus, Italiâ uterque pulſus, & Eduardo Fortunato ſcelerum adjutores. Ii interrogati profitentur, inſidias Erneſto, & venenum ab Eduardo paratum, quò, defuncto illo, Marchionatus univerſi ſolus potiretur. Repertus flagitio hujuſmodi dolus. Oenophorus erat affixo (ut mos Germanis) tubo, quem duos in meatus diſpeſcuerant, quorum, altero innoxius liquor, altero venenum flueret. Et pocillator applicato tantum digito, aut converſo alterum in latus urceo, vinum, aut venenum, quo, libitum meatu fundebat. Perfecto inſtrumento parantur Francofurti epulæ, vocatuſque ad eas Erneſtus: & Italorum, quos diximus, alter, miniſtrando potu dilectus, merum uni, venenum alteri obtuliſſet. Sed fortè Erneſtus, neceſſitate quadam obtentui ſumtâ, non acceſſerat. Eduardus ſpe lapſus, & cognatum quoquomodo tollere certus, ad veneficia tranſgreſſus erat, & ſimulachrum è cerâ efformatum, incantamentis devoverat, præſente Erneſto igni admoturus, quod liquefactum tabe eum attaminaret. Inventumque penes Italos id ſimulachrum eſt, & cum eo inſtrumentorum alia huc pertinentia. Quos Marchio, ut veneficos, vitâ multavit: cæterùm prius confeſſionem eorum (inter cætera & latrocinia à ſe exercita, & cuſam adulterinam monetam, variaque cum Eduardo nefariè patrata fatebantur) excipi juſſit: adhibitis ſuper complures graves viros, quatuor utriuſque religionis Spirenſibus tabellionibus: nequis conficta, ad obtentum occupandi Marchionatus, arguere poſſet. Plura id genus infanda & ſcelerata de Eduardo, de Philippo, ac Jacobo propinquis ejus, Aquenſibus itidem Marchionibus, referre poſſim: quorum majores Auguſtana ſacra, & amplexi fuerant ipſi, & palam doceri in terris ſuis juſſerant. hi degeneres ab eorum inſtituto, Pontificiam religionem repoſuerant. Sed præ cæteris memoranda Eduardi parens Cæcilia, Guſtavo Suecorum Rege genita; quæ, conjuge liberiſque relictis, diverſa terrarum nulli agnita peragravit; ſæpe, ut olim Meſſallinam ferunt, in lupanaribus divertit. Noviſſimè fœdam Antverpiæ vitam tranſigens, permittente

CIↃIↃ XCIV.

CIↃ IↃ XCIV. urbis Magiſtratu, à Carolo filio capillis per plateas raptata, & pedibus protruſa, luxato brachio, poſt miſerandos clamores, extra mœnia abrepta, ac remoto ab hominum acceſſibus loco incluſa eſt. Cæterùm hæc extra inſtitutum noſtrum: addere tantùm libet, Carolum paullò pòſt, valetudine correptum attritumque, donec extingueretur. Quippe immanem filij truculentiam adverſum matrem, quamvis merentem, ut præter naturam erat, ita & immortali Deo diſplicuiſſe credendum. Et verè reputantibus, Numen juſto judicio perſequi inviſum genus voluiſſe, videatur, quòd recta quondam ſacra amplexi, imaginum venerationem induiſſent. Philippum Marchionem, ut à votivo itinere domum redierat, repente morbus corripuit, triduoque pòſt (annus LXXX, viceſima Junij dies erat) profluvium ſanguinis ex hominibus amolitum eſt. Sororem ejus Sibyllam Salomen, Cliviæ Duci nuptam, turpiſſimarum libidinum, & temerati non uno adulterio corporis, propria convicit ſoror. Ad ultimum in lectulo exanimis matutino tempore inventa eſt; laqueo illiſas fauces prodentibus veſtigijs. Jacobum Marchionem reſtituere Pontificia ſacra meditantem, ipſo quem perficiendis deſtinatis delegerat die, (erat is ſeptimus Auguſti) anno XC de improviſo fatum rapuit. Ipſe denique Eduardus anno ſupremo ſæculi decimi ſexti, octavâ Junij die, temulentus, in arce Caſtellaunâ gradibus præceps devolvitur, ac cervicibus, ſpina dorſi, brachiorum altero, crure utroque fractis, finivit. Firmabant domeſticorum nonnulli, duabus ante horis querulam vocem è foſſa arcis ſemel iterum auditam, *væ miſeræ animæ meæ*. Octobri menſe Bergis ad Zomam laqueo eliſis cervicibus in partes diſcerpitur Petrus Fourius, aliquot abhinc annis de prætoriâ Arauſionenſis cohorte miles; exin Crucij Centurionis vicarius. Poſtea Gallorum militiam ſecutus: in Waloniam, quæ patria illi, ad ultimum redierat; ubi primò adductus, ut ſtipendia Regis faceret, ut non impromtum ſemet oſtendebat, ad perimendum Mauritium ſollicitatus erat. Fatebatur ipſe, integrum ſe diem in Erneſti cubiculo, cum Morienſardo, Aſſonvilio, Lamotio, & Belgâ cui ſecreta Archiducis innitebantur, tractaviſſe de patrando ſcelere, è lectulo cuncta audiente Erneſto. Nec promiſſis ſolùm ac jurejurando, verùm & manu ſancitam abs ſe cædem. Addebat conſilium illorum, ut rurſum prætoriæ cohorti Principis Mauritij ſemet inſereret; ac primam in occaſionem, tubum haberet glandibus duabus, vel longiore unâ oneratum, quo venantem, aut equorum exercitio occupatum, vel denique templo remeantem proſterneret. Quin ipſius Erneſti verba extulit, quis ſe adhortatus, filiumque vocitans, in paradiſum rectà iturum adfirmaviſſet, ſi conſtans fidei tyrannum illum è medio tolleret. Hæc aliaque de Erneſto, ſupremâ neceſſitate obſignavit. Poſtquam ſceleris famam nuncij diſtulere, mora injecta Germanis, de pace in conventu Ratiſbonenſi acturis. Videbant jam ſuſpectum omnibus Erneſtum, nec perſuaſum cuiquam iri bono eum conſilio in Belgicam veniſſe. Succurrebat ſimul, ſuperiore anno iiſdem fraudibus petitam Britanniæ Reginam: & Belgas ſine Eliſabetha, aut Gallis, pacem non accepturos, gnarum illis. Eliſabethæ valetudines Ruius Lopeſius, Medicus Luſitanus, multis ab annis regere ſolitus erat. Hunc promiſſis ducatorum millibus quinquaginta impulerat Hiſpaniarum Rex, ut Eliſabethæ Antonioque venenum pararet. Provecta viro ætas, ſupra ſeptuageſimum jam annum erat: Reginæque animum continuâ, per multos annos fide & induſtriâ devinctum ſibi multo magis conciliaverat, oſtenſis adamante ac pyropo pretioſiſſimo, ab Hiſpaniarum Rege donatis ſibi. Fortè evenerat, ut Reginæ morbo afflictæ medicamen offerret. Illa aſpernata, neque eo tempore ſibi adlubeſcere dictitans, ipſum pro ſe haurire, quaſi jocabunda, juſſerat. Ubi haud contanter paruit, major eſſe indies, & fidei

ſupra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſupra ſuſpiciones. Igitur Hiſpani impulſus promiſſis, jam ſignificaverat, cIↄIↄ
quantum ad Antonium patratam rem, primamque ei ægritudinem læta- XCIV.
lem fore. In Reginam tentare nolle, niſi accepto pretio, aut ſaltem codi-
cillis, quîs numerandum juberet, fidis Antverpiæ mercatoribus traditis.
Cujus rei interventu cuncta emanarunt: ipſeque & cum eo duo ſceleris in-
ternuntij, Emanuel Ludovicus, ac Stephanus Ferrera de Gama, compre-
henſi, & pariter Londini in membra dilacerati ſunt, conſtanter ad extre-
mum uſque ſpiritum in confeſſis perſeverantes, veniamque orantes, cum
deteſtatione Regis, ac Hiſpanici Senatus, quorum pravo impulſu ſcelus
ſuſcepiſſent. Lopeſium, Judaica fovere ſacra, inter cruciatus compertum.
Fatebatur idem, veneno à ſe ſublatum Franciſcum Walſingamum, quon-
dam Reginæ ab arcanis. Eliſabetha his cognitis legatione Erneſtum adire
agitabat, eique demonſtrare, Chriſtophorum Morum, Senatorum Regi
fidiſſimum, Fontanum Comitem, & Stephanum Ivarram, qui Bruxellis cum
Erneſto aſſidui, nefarij facinoris primos autores fuiſſe, eoſque ad ſuppli-
cium depoſcere: ſin abnueretur, Regem ipſum, & Erneſtum, ad infamiam
conſcientiæ tracturam. Itaque, præmiſſo nobili, tutum legatis acceſſum
poſtulat. Dedit Erneſtus codicillos, ſed adjecto, nequid contra Regem,
aut miniſtros ejus, promerent. Adhæc nequaquam pro majeſtate Regi-
nam compellans, *tu, tuique* voces in literis uſurpaverat. Ipſa inſcriptio vilis,
Sereniſſimæ Britannorum Principi. Quamobrem ob deſpectum, dein quia
latè addita ab Erneſto verba patebant, legationem Regina omiſit. Et Ri-
chardoto Hiſpanici Senatus præſidi, ſcribere Senatum ſuum juſſit, omnium
ſe oculis ſubiicere, & vulgare palam libello velle, quibus inſidijs, quam ne-
farijs petita fraudibus foret. Implevitque minas, & multorum quoque per-
cuſſorum, quos Societatis Jeſu Patres ei immiſerant, nomina inſeruit.
Præter exacerbationem animorum, ob infanda flagitia coortam, Ungari-
cum quoque bellum acturos de pace Germanos retinebat; cujus curâ Cæ-
ſar diſtentus, Belgarum paullatim obliviſcebatur. Fuere qui certò crede-
rent, militum partem, Erneſto ante deſtinatum, in Ungariam abductam
eſſe. Ubi XIII Kal. Octobr. Ferdinandus Comes Hardeccius Javarinum
urbem, aliquot hoſtium incurſibus ac prælijs ſuſtentatis, dedidit. Com-
meatus, pyriique pulveris abunde illi, ſed præſidium invalidum, magnam
partem ex agreſtibus collectum. Terrorem parum antè conſtantibus auxe-
rat repentinus Matthiæ Archiduci ex inſula haud procul Javarino, ubi ca-
ſtra habebat, diſceſſus, adeo præproperus, ut fugæ perſimilis eſſet. Hardec-
cio Auſtriaci proditionis crimina objectabant; ſed apud rerum capitalium
judices non niſi ignaviæ ac negligentiæ poſtulatus, quòd inſtructus ter
mille viris ad arma gerenda idoneis, vini urnis bis mille, farinæ modijs mil-
le quadringentis, promiſcui generis machinis centum & unde ſexaginta,
pyrij pulveris triginta mille libris, quod globis, quod omni bellantium pa-
ratu proviſo, cum liberaturos, ſaltem ſubſidio venturam legionem Burga-
vicam, Poſonij, propinquo loco, agitare ſciret, tamen nullâ adactus neceſſi-
tate, deditionem feſtinaſſet, atque adeo omni annonâ, bellico apparatu in-
corrupto in Turcarum manus tramiſſo, eorum auxiſſet vires. Contrà Har-
deccius, invalidum præſidium, ignaros belli agreſtes obtendere. Sæpius
anguſtias ſuas Matthiæ denuntiaſſe, atque iter oſtendiſſe, quà in urbem mi-
les penetraret. Se tamen, quamvis nullo ſubſidio miſſo, complures hoſtium
impetus depuliſſe, ſed non citra cædem aut ſanguinem ſuorum. Imprimis
verò conſternatos oppidanos ſubito diſceſſu propinqui exercitus. Erat ſane
his rationibus momentum ſuum; ſed cum Matthiæ dedecore junctum, &
incerto uter culpæ potior, minorem plectendum plerique conſentiebant.
Hardeccius igitur capitis damnatus, tormentis ſubiicitur, & rogatus an

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ cum Sinane Baſſa clam conſilia ſociâſſet: quâ de re nihil ultrà proditum·
xciv. Ante deditionem dierum aliquot inducijs cum Turcico duce factis, fortè jaculator ex urbe, pactorum ignarus, Turcarum præfectos nonnullos tranſiecerat. Id Hardeccius, quia laude quàm pœna dignius, impune ſivit. ſed paucis pòſt diebus levi, & quæſitâ de cauſſa, in patibulum eundem ſuſtulit. Quam fortaſſis innoxij hominis mortem vindicare ſupremo Numini placuit. Cum Hardeccio ſimul ad ſupplicium abreptus Italus, caſtrenſium operum gnarus. Proditionis in eum crimen ferebatur, quòd Turcarum duci effigiem, ſitum, & opera urbis accuratè deſcripta tranſmiſerat. Erant autem per id tempus in Chriſtianorum partibus confuſa turbataque omnia. Summam Imperij Matthias Archidux tenebat, rudis militiæ: Franciſcus Saxo Louweburgicus, equitibus præfectus, ut bello nequaquam melior, ita vinolentiâ deterior. Sed illo ad aliam perducto dignitatem, ſucceſſor datus Burgoviæ Marchio, adoleſcens, & militiæ inexpertus. Genitus erat Ferdinando Archiduce, & Philippina Welſerinna, quam ſtirpem ut imparem, nec legitimam, Archiducum reliqui deſpiciunt. Hinc factum, ut inermes Tartari incuſtoditum amnem tranarent, & quinquaginta millium exercitum, tutum inſulæ naviumque præſidio, omnibus affluentem, validâ defenſum urbe, terrore concuterent. Galliarum ſanè Regis ad Cæſarem legatus, adeo ſecuros agitare Auſtriacos ſcripſerat, tanquam nullo hoſte. Firmabantur hæc literis Guilhelmi de S. Clemente, Hiſpanici legati: qui Ratiſbonæ agens trium ſpatio menſium quinquagies centena florenorum millia epulis profligata eſſe aſſeverabat: interea militem perire egeſtate, omneſque ſecuros perinde ac ſi centum millium itinere Turcæ abeſſent. Ab Hiſpaniarum Rege nulla Cæſari hoc bello auxilia: quippe una illi cura, Belgas Galliamque ſubigendi. Interceptæ Regis ad legatum ſuum literæ, quîs magnifica polliceri, & vanâ ſpe implere Cæſarem jubebatur. Cæterùm certi quidquam promittere caveret. Poſſe muneribus Turcas componi. Hæc taliaque, etiam poſt deditum Javarinum, aliæ quoque literæ firmabant. quîs priores interceptas Rex queſtus, nihilominus eandem in ſententiam complura ſcripſerat. Unde & Germani Principes, qui Auguſtana fovebant ſacra, conquerebantur, ſacramento ſuo rogatum adverſus Turcas militem à Lodroniæ Comite abſtrahi; qui, connivente Cæſare, ſcriptam Algeri pro Rege Hiſpano legionem, in Pedemontanos abduxit. Igitur dilati de immiſſis percuſſoribus, & proſperis Turcarum rebus nuntij, moram Germanorum legationi injeciſſe videbantur: alioqui prudentiâ Hiſpanici legati, quicquid ibi decretum, ut pro Rege, ita Fœderatis parùm æquum erat. Jam Germani Cæſaris arbitrio legatorum delectionem permiſerant; iſque Moguntinum Archiepiſcopum, Saxoniæ Electorem, Saltzburgenſem, Palatinum Niuburgicum; ex urbibus, Coloniam, & Noribergam nominaverat: quîs diverſæ circa ſacra opiniones. Horum ſingulis imperatum legatos duos deligere, ut in univerſum duodeni forent, & ſeni Erneſtum, par numerus Fœderatos Proceres eodem tempore adirent, præparaturi partium animos in adventum Principum, à quibus mitterentur. Imprimis juſſi repetere civitates Imperij, & multitudini pronam Cæſaris, ac Germanorum voluntatem ſignificare. Quod Patres (ut literæ Hiſpanici legati ferebant) ſuppreſſere. Scripſerat idem, ſi legatos Belgæ non admitterent, convocandos qui à Cæſare ad pacem tractandam delecti, & deinceps ſtatuendum, quod in rem videretur. Si audirentur, & colloquium de pace procederet, deligendos Cæſari adiutores legatorum, ad curanda neceſſaria. At unum illud diſplicere ſibi, quòd Germani omnium Belgicæ nationum, etiam quæ Regi parerent Delegatos, intereſſe colloquio cupiant. Forſan idem & rebelles poſtulaturos, neque id periculo vacare: quippe ple-

beios

beios pleroſque à nationibus deligi. Quin ne ſatis quidem id pro faſtigio CIↃ IↃ
Regis, cui jus eſſe oporteat, pacem an bellum ſuâ in ditione malit, ſtatuen- XCIV.
di. Sed enim ſi pacis amore id quoque largiendum Rex putaret, poſſe ut difficultates præcidantur teſtationem interponi. Eodem conventu actum de Romano Rege eligendo; cæterùm ſecretò, & intra cubiculum Cæſaris: ſolus Hiſpanicus legatus urgebat; tamen publicè in conventu mentionem facere prætermiſerat. Nunc, juſſu Regis, oſtentabat Cæſari imminentes clades, turbas Imperij, damnum Auſtriacæ domus, ſi incerto ſucceſſore defungeretur. Diſtractum in partes Imperium iri, hinc Bavaro, inde Gallo propriam potentiam affectantibus. Ex hæreticis verò principibus eſſe, qui quamvis neutri illorum Cæſareum optent faſtigium, turbari tamen res haud ægrè laturi ſint, quo Auſtriaci arceantur. Etenim jam vulgo ferri, palam jactaviſſe Wittenbergenſem Ducem, ſatis diu in Auſtriacâ domo imperium conſediſſe. Palatinum quoque Comitem (quem penes, defuncto Cæſare, interregnum ſit) lætum fore diuturnis controverſijs, quò longiore potentia fruatur. Eadem, poſtulante Hiſpano, Pontifex Romanus per nuncios ſuos, Madrucium Cardinalem, & Cremonæ Epiſcopum, Cæſari demonſtrabat. Nec aliò tendebant Electorum cæteri. Et jam huc perducta res, ut terni Electores, & cum his Saxoniæ Adminiſtrator, fidem darent delecturos ſe, quem Cæſar voluiſſet. Adjecerat inſuper Saxo, ire ad Brandeburgicum velle, eandemque illum in ſententiam trahere. Cæſar velut promtus, & conſilium ſecuturus, differre tamen rem, tradito principibus more, quîs ſuſpecti de ſucceſſore ſermones, quia Orientem plerique ſolem venerantur. Fortè quoque alienior illi animus, quòd fratrum aliquo ad regium faſtigium evecto, donandæ neceſſariò ditiones erant, quîs fortunam ſuſtentaret. Addidit & cauſſam alteram Guilhelmus de S. Clemente, Cæſari, ubi inclinationem Hiſpani in Erneſtum comperiſſet, formidoloſam ejus potentiam eſſe. Quippe ſi Erneſtus Romanorum ipſe Rex, Hiſpani filiam inſuper, & Belgarum terras dotis nomine acciperet, abunde illi virium ad deiiciendum Cæſarem fore. At Saxoniæ Adminiſtratorem ſummis laudibus cumulabat, adeo non alienum à Pontificijs ſacris dictitans, ut ſpes ſit brevi ijſdem acceſſurum: favere adhæc Auſtriacis. Quam ob cauſſam cùm Guilhelmus de S. Clemente, tum Havræus Marchio, autores Regi erant, ut ſtipendio eum annuo, ſin id nimium, triennali donaret. Etenim utilèm Regi miniſtrum non modò in pacis negotio apud Belgas, & Romani Regis electione fore, ſed & alibi, ſiqua rerum mutatio exſiſteret, aut Cæſareum faſtigium vacaret. Iidem quoque Regem hortabantur, ut liberalitate augeret Philippum Ludovicum Niburgicum, Comitem Palatinum, & tractandæ paci à Cæſare dilectum. Poſtea anno MDXCV Adminiſtratoris Saxoniæ ad Hiſpanum literæ in Galliâ interceptæ, magnoque ejus dedecore quaquavorſum dimiſſæ ſunt: nam ſervilibus blanditijs & adulatione Electoris dignitatem dehoneſtaverat, dum ſummo ſe ſtudio operam paci daturum promittit, quò obſequio ſubditi, majeſtati Regiæ ſua auctoritas redderetur. Scilicet ejuſmodi periculis, & emanare obnoxia ſunt omnia Regis arcana, dum in extremum Europæ angulum ſepoſitus, per literas cuncta abſens regere cupit. At in Belgica durabant interea in ſeditionem, qui Sichemum occupaverant Itali: & intentante minas Erneſto, centurionem, ſupremumque vigilum Præfectum, ad Patres Mauritiumque mittunt, oſtenſuros, nequaquam ſe Hiſpano ſubditos, ſed mercede militare, quâ ſi fraudentur, nulli obſtrictos. Reſiſtere invadentibus velle, ſenſurum Erneſtum cum veterano ſibi milite rem eſſe. Tamen in omnem caſum rogare, ut, ſi Erneſto procumbant, tutum ſibi perfugium in Fœderatorum terras detur. Si impetrent, viciſſim jurejurando ſe obligare paratos, quamvis

accepto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xciv. accepto ſtipendio, pro Hiſpano, aut adverſum Belgas arma nunquam laturos. Patres, dicto juramento, adſenſere. Decembri menſe Sichemum, incluſis Italis, obſidere Erneſtus aggreditur. Sed illi acriter eruptione factâ, quatuor Hiſpanorum centurias proſtraverunt, quinquaginta ſuorum amiſſis. Cæterùm admovente machinas Lamotio, inſtructâ acie, cum uxoribus liberiſque oppidum deſerunt, & Tilburgum primò, hinc Langſtratam perveniunt; quæ tutior illis ſedes, & opportuna ſubvehendis ex Hollandiâ commeatibus. Mittuntur ad eos ab Erneſto primarij viri, veniam antè patratorum, ſtipendia, & militiæ pertæſis honeſtiſſimam miſſionem offerentes. Sed diffidebant Itali, multò magis, ubi interceptis, quæ per Gallias in Hiſpaniam ferebantur literis, nullam ſui mentionem factam cognovere. Fatale prope omni hoc bello Regis literis, ut interciperentur, magno Fœderatorum emolumento. At Patrum epiſtolæ vix ullæ unquam hoſtium in manus venere, dum aquâ plerumque, nec extra Belgicam eunt; aut ſi longiùs, in Galliam, Britanniamque. Terrâ ſi deferrentur, breviſſima erant itinera. Contrà Hiſpani literæ vaſtiſſimis ſpatijs inter Hiſpaniam, Latium, Belgicam, & Brabantiam, innumeris obnoxiæ ſunt periculis. Sed quod mirandum, quamvis intricatiſſimis ſcriptas notis, ſemper intellexerunt noſtri: Hiſpanus vix unquam adſequi mentem quivit epiſtolarum à Patribus exaratarum. Primus omnium Carolus Beaulieus, Valentianis oriundus, ſcriptas Middelburgi anno MDLXXIII à Mondragono literas explicuerat, & pertæſis longi obſidij Vliſſinganis conſtantiam addiderat: quos poſtea urbis potitos primo Annalium libro demonſtravimus. Idem quoque literas ab Eliſabethâ ad ſe miſſas expoſuit; quîs cuncta Hiſpanis in Hiberniam meditata, & conſcij inſidiarum Hiberniæ Angliæque primores viri detegebantur. Nec, revelatis ſemel inſidijs, unquam Hiſpano tentata per dolum Britannia; ſed ad vim tranſgreſſus, immanem illam claſſem apparavit. At non inexhauſtum Beaulieі laborem, non aſſiduas vigilias, paria ſunt præmia conſecuta. Quod indignè adeò tulit, ut pertæſo infructuoſi ſtudij, literas ab eo tempore paucas explicandi aut ſcientia, aut voluntas fuerit. Itaque à Budlæo, Senatore Anglo, aliquando ad priorem operam ſollicitatus, abnuit, apertè ingratum illi animum, & malè penſatam diligentiam ſuam objectans. Ipſe ego ex ore dicentis audire memini, tam arduum, tam tædioſum eſſe abditos notarum ſenſus inveſtigare, ut aliquando triduum mente captus jacuerit. Beauliei in curas qui ſucceſſit Aldegondius, præmia, & gloriam majorem tulit, ac diutius in ſtudio perſeveravit. Miraculi propè ac Numinis afflatus videbatur, implexas literarum formas, & perinde ac hominum cogitatus abſtruſas, conjectare. Etenim expoſitæ à Beaulieo & Aldegondio epiſtolæ, quæ non pro literarum numero notas tres modo & XX, ſed & trecentas continerent; quarum una ſæpe urbis aut regionis eſſet nomen, ſæpe & otioſa prorſus, ac fallendis ſcrutantibus immixta. Quales à ſignificantibus diſcernere, ſtupendi & ſupra humanum modum ingenij videbatur. Quin & ignari ſibi ſermonis epiſtolas Beaulieus expedivit. Conſtat juvenem Brugenſem, Haïæ (is Regi à ſecretis fuerat) miniſtrum, ſchedas Arauſionenſi nonnullas miſiſſe: & quamvis anno LXXXI Madriti in partes dilacerato juvene, notas, tametſi ſemilacera ſcripta erant, ad ſolitas literarum formas revocatas, lectaſque eſſe. Eodem anno bellicas quatuor naves Patres inſtruxerunt, per Septentrionis maria iter ad Indos quæſituras. Hæ medio æſtatis Veigatium fretum ingreſſæ, bipartitò inceſſere, binæ Tartarorum litora legentes, in boream ibant, donec ad gradum Æquatoris decimum ſupra centeſimum progreſſæ, plana litora, brevia, & nebulis denſatum aëra repererunt. Itaque ad latus Novæ Zemblæ, quod Orienti proximum eſt, curſum flexerant. Reliquæ navium Corum verſus profectæ,

ſupra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſupra Novam Zemlam, patentem Oceanum conſpexerunt, locis nonnullis cIↄ Iↄ
trecentorum in altitudinem paſſuum, & ſupra gradum elevati poli ſeptua- xciv.
geſimum ſextum particulam viceſimam attigere. Utræque ante hyemen in patriam regreſſæ, certæ deſtinationis, inſequente anno ulteriora explorandi: nam ſupra Novam Zemlam, quos tractus incurioſè terrarum deſcriptores exhibuere, ad Indos commodiori itinere perveniri poſſe exiſtimabant. Eâdem tempeſtate in Orientali Friſia, & Emdæ inter Comitem populumque contentiones erupere, quîs, aliquot abhinc annis, ſuperba avaraque Comitis imperia materiem & incrementum dederant. Pauca, ut exempla duri regiminis, referre viſum. Pleriſque ditionis ſuæ nobilibus, quibus de capite cognoſcendi jus erat, vim Comes inferebat, qua in dicundo jure, quà in venatu, ac privatis bonis. Unde Spiræ, apud judicum conſeſſum, ſexcentæ admodum lites illi cum ſubditis pendebant. Cæſar, ordinis equeſtris urbiumque rogatu, nobiles & Juriſconſultos nonnullos ex indigenis delegerat, cognoſcendis & dijudicandis cauſſis non modò in quibus provocatio facta erat, (quæ confusè antea & ſine ordine in domeſtico Comitis conſilio tractabantur) ſed & litibus, quæ Comiti cum ſubditis erant. Id Comes omnibus modis prohibendum exiſtimabat, quo nobiles, & ſubditorum alios, dum Spiræ procul à patriâ cauſſæ diſceptantur, fatigaret, & facultatem præcideret, lites per conſeſſum genticum celerandi. Quâ in re multò clementiùs ipſi Hiſpano cum ſubditis actum. Nam ſæpe infimus quiſque adverſus ipſum Regem judicum ſententiâ ſuperior cauſsâ evaſit. At Comes bonis, quæ ſacris uſibus deſtinata, & tertiam propè Emdanæ ditionis partem faciunt, pro lubidine ſuâ abutebatur: nec grandi alieno ære conflato vel obolum ſolvere. Agreſtibus operas cum annis multiplicare. Quæ primùm ære ab ijs redimi paſſus, aliquot poſt annis rurſum eos cum equis curribuſque præſtò eſſe, & neglectis domeſticis, ſuis uſibus ſervire adegit. Quin & pecuniam inſuper exigebat. Conjux ejus, quæ Suecorum Regis ſoror, perſæpe ab Emdanorum civium uxoribus linteamina commodatò ſumſerat. Quibus, honore Principis, tenuiſſima quæque & ingentis pretij mittentibus, reſtituere poſt abnuit, addito, civibus agreſtibuſque craſſiora ſufficere debere. Comes ipſe fœminæ, à quâ æs acceperat, oſtensâ ejus cautione ac ſigno, mutuum repetenti, pecuniam negavit, tabellas, quîs debitum profitebatur, eripuit. Ciſtam opulenti nautæ (qui vulgo in itinere ſubmerſus ferebatur) deferri in arcem juſſerat, addito obtentu, perituras alioqui pecunias hæredibus ſe reſervare. Poſtea reverſus nauta, cum, ciſtâ multo labore receptâ, pecuniarum partem deſideraret, rem Comes traxit, donec in Hollandiâ detentis ejus bonis, reddere compulſus eſt. Joannem Amelungium, civem Emdanum, quem conſilium Comitis ab uxore, temerati conjugij reâ, diviſerat, cum pòſt, ter ex umbone proclamato nomine, alteram conjugem duceret, falsâ delatione dimiſſæ, & præmio quingentorum dalerorum illectus, in carcerem detruſit, & bona univerſa, quæ dalerorum millibus x x æſtimabantur, eripuiſſe non contentus, inſuper deſponſatæ, & liberorum, quos illa ex priore marito ſuſtulerat, etſi culpæ huic nequaquam illi conjuncti forent, facultates omnes in fiſcum redegit, quod viro ex legibus à conjuge diſparato nubere non dubitaſſet. Molitoribus duobus de conducendâ molâ contendentibus, bis ab utroque muneribus acceptis, priori molam locavit: alteri munera repetenti, abnuit, falſa ementitum eſſe dictitans. Fortè acciderat ut vadimonio ſe pro eo ſubditi obſtringerent, & cum creditor inſtaret, bonâ fide quicquid debebatur Quæſtori ejus annumeraverant. Sed ille ſecundo à creditore repeti debitum paſſus, quidquam ſolutum negavit: promtiùs, quia Emdani nihil doli ſuſpectantes, pecunias annumerarant, ne poſtulatis quidem tabulis, in teſtimo-

CIↃIↃ XCIV. nium ſoluti. Itaque iteratò appendere æs coacti, codicillos manu Comitis ſubſcriptos exegere, quîs ſatisfactum ſibi fatebatur. Nihilominus ſic quoque impudenter negare ſolutionem auſus, quem ab arcanis habebat, ut falſarium inſectatus eſt; donec ad ultimum à Spirenſi conſeſſu exſolvere nomen, & prædes tum à ſortis, tum ab uſurarum debito, liberare adactus eſt. Ruſticis nonnullis, quorum ager conterminus illius fundo erat, ut permutarent ſecum perſuaſerat, non deteriorem ſui agri portionem daturum pollicitus. Cæterùm ubi accepit, & retinuit ſuum, & erepta reddere abnuit. Indies præterea tributis ac vectigalibus novis ſubditos onerabat. Denique urbi cultum veræ religionis eripere agitans, cum palam ac ſubitò perficiendi facultas deeſſet, Flaccianum miniſtrum unâ in parte civitatis ſacra ſua docere juſſit, quò civium animi diverſa in ſtudia ſcinderentur. Unde ſuſpicio inceſſit, uxoris impulſu, cujus frater ac propinquus Sueciæ Poloniæque Reges Societatem Jeſu fovebant, Pontificia quoque ſacra eum inducturum. Et quo celeriùs deſtinata provenirent, incremento & commodis urbis ubique officiebat. Emda ante motas Belgarum res nec famâ, neque mercaturâ celebris erat; & durabant adhuc, qui primam è portu mercatoriam navem ſolventem adſpexerant. Sed concurſu exulum Belgarum, quîs perfugium erat, cum ob propinquitatem, tum regimen matris Edſardi, quæ Oldenburgenſi Comite genita, maximè autem quia palam reformata ibi ſacra vigebant, brevi civitatis numerus excreverat ad civium millia ſex, qui ſexcentis majoribus ac minoribus navigijs mercaturam exercebant, adeò ut mœnibus urbis habitantium non capacibus, ſpatium extruendis domicilijs circumſpectarent. Nec Valderâ ſuburbio alius opportunior locus: ſed Comes ſubiicere Magiſtratibus abnuebat locum, quem ſeparato ab Emdanâ Rep. imperio, regere per Prætorem ſuum ſolitus, & inhabitantes ad miniſteria ſuâ pro lubidine compellere. Ob hæc Valdera vacabat. Quin & in ipſam civitatem injurius Comes erat, dum paulatim conſulum electionem in ſe trahit, diligens plerumque, quos coërcendis civibus idoneos putaret. Neque ut Emdæ hactenus, & per totam Belgicam receptum, duplicem à Magiſtratibus numerum commendari patiebantur. Itaque & nunc ad conſulatum evexerat, ſtudijs liberorum ſuorum præfectum, hominem Geldro nobili, ſed extra conjugium genitum, aſpernante civitate externum; & ne legitimo quidem ortum matrimonio. His, aliiſque id genus oneribus partis utriuſque voluntate tollendis, Equeſtris ordo, & civitas, tributum ſingulis capitibus, nullâ exceptione, divitibus, egenis, opificibus, qui diurno quæſtu famem propulſarent, atque adeo ancillis imperavere. Quo collecto, Comes pecuniam tradi, civitas abrogari primò quorum cauſsâ tributum coëgiſſet, urgebat, ſolutionem abnuens, ni impoſitis à Comite oneribus levaretur. Unde nova rurſum diſſidijs incrementa, ne minis quidem temperante Comite. Dixerat fortè Enno filiorum Comiti natu maximus, non antè rediturum civitati obſequium, quàm exemplum in ſex ſeptem turbatores à parente ſuo ſtatueretur. Quod ubi civibus compertum, centeni aliquot concurſu ad ædes ejus facto conclamant, ne motus paucorum culpam faceret, ſi videre omnes cupiat, adfore ſtatim millia complura. Et Comes quidem in Emdanâ arce, in alijs locis milite ſe munire, eique ſuſtentando, tributa ruricolis imperare. Contrà cives trecentorum è ſuis excubias diſpoſuere, inſeſſâ, pro ſtatione, curiâ. Ad hos ſtatim Comitis literæ adferuntur, quîs ſignificabat, mirari ſe tempore pacis, nec ullo ab hoſte metu, ſuam in curiam cives coïre. Illi non Comitis, ſed ſuam curiam, ſuiſque extructam impenſis eſſe reſponderunt. Interea & legati ad Cæſarem iverant, queſturi de acerbis Edſardi imperijs, eumque rogaturi, ut cauſſæ cognitionem exciperet. Miſſus eodem à Comite Cancellarius, &

promtiùs

cIↃIↃ XCIV.

promtiùs auditus, ſecundum adeò reſponſum retulit, ut typis excuſum, celebrioribus urbis locis Comes affigeret, graviores inſuper minas intentans, & ſolito inflatior. Quæ ubi cognita civibus, & Coſſ. affirmavere, ſui judicij rem non eſſe, illos adverſus Comitem, cui juramento ipſi obſtricti forent, defendere: novos Conſules, ac Magiſtratus, & Tribunos ſex urbanos creant, quorum in urbe terni, quinque ſinguli centurias; totidem Valderæ ternas quiſque civicas centurias obtinebant. His Vicarios, præfectorumque alios adjungunt, & jurare in tutelam civitatis jubent, additâ ſacramento formulâ, *nulli noxæ fore*. Mox præſidiarios XL arce depellunt, negatis alimentis, nec præterea hoſtile quidquam in eos tentatum. Arcem vigilum præfectus faciliùs dediderat mandatu Comitis: quippe abire potius præſidio eum juſſerat, quàm pateretur tormentis illam lacerari. Nihilominus non alterius flagitij conſcius, nedum compertus, poſtquam ad Ennonem venit, ſubterraneam in ſpecum, ſqualore & tenebris tetricam, ab eo detruſus, annum integrum aſello arefacto, & aquâ, nec ullis præterea alimentis, ne pane quidem, victitans, miris ad ultimum artibus effugit. At Edſardus miſſis ad Fœderatos Patres legatis, injuriâ ſe carpi queritur, tanquam ſacra novare agitaſſet. Contentiones ob faſtigium ſuum ortas: ſeque non niſi oblitos modeſtiæ cives, & excutere imperia tentantes, ad obſequium cogere. Rogare etiam vicinitatis jure, ut opitulari ſibi velint. Obtulerunt Patres operam ſuam componendis diſſidijs, urbemque ad concordiam cum Principe hortati ſunt. Nec illa abnuebat: ſed Comes nullo Patribus reſponſo dato, militem contrahit, facultates Emdanorum civium diripit, & in fiſcum redigit. Gritam Enno cum militibus trecentis occupat, prævertendis, ut ferebat, civibus, quaſi eum occupare locum paraviſſent. Exin quoſdam Hiſpano quondam ſtipendiarios, & piraticâ celebres, cum bellicis navibus emittit, & Emdanorum navigia obſervare jubet. Cæterùm ut concordes nihilominus cives agitare, nec direptis aut redactis in fiſcum bonis moveri quemquam videt, adulto Aprile, Conradum Weſterholtium, Cancellarium ſuum, ad Fœderatos Patres mittit, non modò civitatem eorum conciliatu pacari ſibi, ſed & fœdus cum Belgis poſtulans arctum adeo, de mutuis auxilijs contra quoſvis hoſtes, ut ſuſpecta Patribus res fuerit. Itaque Caſinum Hellium Geldrum, Reinerum Cantium Conſulem Amſtelodamenſem, & Chriſtophorum Arnſmam Juriſconſultum Friſium, legatos mittunt. Hi ut integrum à partium ſtudio animum oſtenderent, neque Comitem adierunt, nec civitatem, ſed præmiſſis ad utrumque nuntijs deſignari locum petivere, quo convenirent. Interea Groningæ ipſi manebant. Mandata Patrum erant, hortari Comitem ad moderata, & controverſias inter eum urbemque mollibus verbis ſopire. At ſi rejectis his bellum Comes capeſſeret, denuntiarent etiam Patres, nequid eorum Reſp. capiat detrimenti, arma adverſus eum neceſſariò ſumturos. Edſardus dilatis aliquamdiu legatis, in reditum Cancellarij, quem Hagam miſerat; tandem reſpondit, niſi præſentibus Cæſaris legatis, & antiquatis quæ nuper novata in Rep. forent, nihil ſe tractare poſſe. Quibus verbis haud obſcurè poſtulabat, novo Magiſtratu abrogato veterem revocari, civium centurias dimitti, foſſas arcis à civibus completas repurgari. Nam in his controverſiarum potiſſima verſabantur. Inter hæc Enno militem ad Ameſin rapit, & Knokam munitionibus firmat, prohibendis itinere Emdanorum navibus. Hoc modo cum dies ex die duceretur, & metuerent Magiſtratus, ne corruptis ab Edſardo civium nonnullis, diſcordia exiſteret, legati aſſiduis poſtulatis quorundam è Magiſtratu, quamvis ſæpè recuſato ne pacem impedirent, nonâ Junij die quinas peditum centurias præſidio urbi miſere. Quod ſimul cognorunt qui Knokam munire agitabant, abeunt,

cIↄIↄ coeptumque opus deſtruunt. Poſtremò XVII Kal. Jul. pax inter Comi-
XCIV. tem & urbem his legibus convenit. Ut Reformata in urbe ſacra colerentur; miniſtri Flacciani loco moverentur. Præcones divini verbi plebes deligeret, Comes ſanciret. Conventus ſacri ordinis ut ſolitum agerent. Leges incorruptæ integræque ſervarentur. Vectigalia manerent, Tributa ac reditus ſuos civitas ipſa haberet, diſponeretque, excluſo Comite. Conſulibus, qui in præſens regerent, ac unius & quadraginta virorum collegio, finem Magiſtratus cum anno fore. Januario menſe, & ſecuturis annis, regentium (erant hi Coſſ. quatuor, Senatores VIII) dimidia pars abrogaretur, atque ex XL viris duodeni commendarentur Comiti, ex quibus in locum duorum Conſulum, & IV Senatorum, Magiſtratu abeuntium, ſeni ſine repulſa deſignandi eſſent. Publicas dignitates Magiſtratus cui viſum conferret. Valdera Emdanæ urbi conjungeretur, quique eam inhabitarent, in parem juris ac libertatis conditionem, ac civitas erat, reciperentur, neque à Comite ad operas aut miniſteria cogi poſſent. Pro hoc beneficio quotannis urbs mille ſeptingentos imperiales Comiti penderet. Signum excubiarum, & claves urbis penes Conſules forent. Cauſſas civiles Coſſ. & Senatus deciderent, horum decreto qui non ſtetiſſet ad conſeſſum judicum provocarent. Iidem Coſſ. & Senatores noxios comprehenderent, & exilio, vel virgis, vel inuſtâ tergo notâ punirent. Capitalium jus in exteros Comes diceret: in cives duodeni judices, quorum ſenos Comes, reliquos urbs cõſtitueret: mulctas ex æquo dividendas. Comes nullas civitates, nulla munimenta cis aut uls Ameſin extrueret: nec oppidani, inſcio Comite, novi quidquam molirentur. Arx campeſtri latere nullum aditum; quâ parte urbem reſpicit, non foſſam, aut vallum, nec præſidiarios, aut tormenta haberet plura, quàm nunc in ea reperirentur. Civitas florenorum XX millia, inſtaurandæ arci; octoginta in privatos Comitis uſus, quatuor penſionibus ſolveret, aut uſuræ nomine quotannis de centenis, nummos octonos. Milites intra menſem utrimque dimitterentur. Hæc Emdæ: in Galliâ XVII Kal. Januar. (veterem ſequor numerum dierum) Henricum Regem è Picardiâ Lutetiam reverſum, in cubiculo, circumſtante Principum ac nobilium coronâ, & adhuc ocreatum (adeo ex itinere recens erat) Petrus Caſtellius cultro invadit. Is patre, pannos Lutetiæ venum dante oriundus, octo aut novem decem annos natu, frequentia adeuntium incuſtoditus cubiculo ſe inſeruerat. Sed fortè Rege inclinato, ut Principum unum humilius ſalutantem ſublevaret, culter in os adactus, labiorum ſuprema diſſecavit, dentemque eliſit. Caſtellius è veſtigio comprehenſus, triennium ſe ſub diſciplinâ Societatis Jeſu operam ſtudijs dediſſe fatetur, & ibidem edoctum, fas eſſe Regem à Pontifice haud dum ſancitum, trucidare. Exin XIV. Kal. Januar. damnatus, candentibus primo forcipibus vellicatur, tum quatuor equis in partes diſcerpitur. Ante ſupplicium tamen, tormentorum cruciatibus ſubactus, ſceleris conſcios edidit. Statimque Societas Jeſu, & quicumque ſub ea adoleſcebant, Lutetiâ, cæteriſque urbibus, & omni Galliâ pelluntur, bona fiſco addicta; & capitis in eos poena ſancita, qui liberos ſuos illi ordini erudiendos traderent. Paucis ante diebus ab eodem Rege per literas bellum Artheſijs Hannonijſque indictum erat, niſi efficerent ut Hiſpanus miles Galliæ limitibus imminens, imprimis hi, qui Cameracum arcemque Cameraſium premebant, tractibus ijs decederent ante Kal. Januar. neque ullum deinceps Gallorum terris damnum inferrent. Addiderat, ſilentium ſibi pro detrectatione fore. Igitur Bruxellas ea de re acturi Proceres convenere. Erant, & in his Epiſcopus Atrebatenſis, qui pacem cum Gallo faciendam cenſerent. Quippe hanc non honeſtam minus & utilem Regi fore, quàm bellum grave & ſumptuoſum. Alij pacem quoque cum

Hollandis,

Hollandis, & nationum divulſarum cæteris, ſuadere. Rogatique, quâ ra-
tione eæ huc perduci poſſent, Hiſpanos & externum militem Belgicâ avel- CIƆIƆ XCIV.
lendum, reſponderant. Neque enim aliud remedium diffidentiæ. Sed Fon-
tanus abundè prudentiæ Regi eſſe dixit, ſtatuendo quid è re ſua eſſet, & ſer-
mones de abducendo milite, in crimen Majeſtatis accipiendos. Acerrima
hujus anni hyems fuit. Etenim gelu circa feſtum Martini obortum decem
hebdomadas continuum duravit: niſi quòd ſubinde diem unum alterum
intermittebatur, ut aucto frigore atrocius ſæviret. Torrentes, ſtagna, pa-
ludes glacie duratæ, maximæ molis machinas tramittebant. Unde non
minima è felicitatibus Belgarum fuit, quod opportuniſſimo tempore, die-
bus circiter XIV poſt obortum gelu, equitatus revertiſſet. Acceſſit alterum
quoque commodum, dum Itali & Albanenſes, potiſſimum regij equitatus
robur, tumultuantur. Alioqui è Brabantiâ Hollandorum intima penetrare,
& Hagam Comitis uſque, rapinis, populationibus, igne cuncta pervaſtare
potuiſſent. Itaque nihil à Brabantico exercitu tentatum. Diverſis tracti-
bus plures in Friſiam excurſus Verdugus fecit. Quintâ Decembris die Ol-
deamtam ingreſſus, Winſchotâ captivos XXX abduxit. Ulterius vagatu-
rum metus militum noſtrorum coërcuit; dein gelu, fortè eâdem die remiſ-
ſum. Admirandæ patientiæ exemplum tunc agreſtium unus præbuit, qui
in caminum enixus, igne à militibus ad coquendos cibos excitato, fumum,
favillas, calorem duabus toleravit horis, & nulli conſpectus evaſit. Quartâ
decimâ ejuſdem menſis die reverſi hoſtes, denuo Friſiam irrupturi vide-
bantur, ſed Oldeamtam ac Noricum uſque progreſſi verterunt iter, abdu-
ctis in captivitatem nonnullis, qui datâ pecuniâ, publicæ tutelæ eſſe me-
ruerant. Octavo Kal. Januar. quem nativitas Servatoris celeberrimum
fecit diem, tertiò exeuntes, Groningæ ipſo concionis tempore propinquan-
tes ignem domicilijs nonnullis injecerunt. Damſterdipam, quod flumini
vocabulum, Dammonâ ac Delfſilâ tenus dolabris agreſtes aperuerant, reli-
ctâ quibuſdam locis glacie, trium aut quatuor in latitudinem perticarum,
quâ equis & carpentis ſuis commearent. Id opportunum nunc hoſti, & flu-
vium tranſgreſſus, ſimulat ſpeciem vaſtaturi campos qui circa fertiliſſimi
jacent. Erat per idem tempus Groningæ Naſſovius, ſed abſque equitatu.
Is CCCC milites occurrere hoſti jubet, monitos prius uti cunctanter & cir-
cumſpectè, nec tam longè proficiſcerentur, ut intercludi ab urbe poſſent.
Mendo, qui hoſtili equiti præerat, miratus tantam ex urbe manum adeſſe,
rogitare agreſtes, cives ne arma cepiſſent, quæve fiducia eſſet nudare ur-
bem? Centurionibus noſtris, pugnæ cupidine flagrantibus, obtemperare
mandatis Naſſovij, difficile erat. Itaque longiùs procedunt: nec mora pe-
nes hoſtem quin certaretur. Sed cum ſpatium perruptam glaciem inter at-
que aggerem, equites haud plures ternis caperet, noſtri, obverſis haſtis,
acriter reſiſtunt. Et Mendo ſine mora pedem refert, abductis Gorechto
multis agreſtium, qui ære tutelam Verdugi emerant. Suidlaræ lacum tran-
ſeuntes pondere ſuo glaciem oneravere, equiteſque unus ac XX in aquas de-
lapſi, amiſſis equis evaſere. Alio loco ſeni eâdem ratione in aquas devoluti.
Nonnullis, ut memorabile, obſervatum eſt, quod trinis, quas dixi, irruptio-
nibus, ſimulatque hoſtes noſtrum ingreſſi ſolum, repentè mutari aër, & diſ-
ſolvi gelu viſum, eoque in ſua vix reverſo, acrius intenſum eſt. Eâdem tem-
peſtate Arnoldus Dorpius, ob immenſas opes Divitis vocabulo celebratus,
quondam Guilielmo Arauſionenſi à conſilijs, & Zirizeæ præfectus, Hagæ
comprehenditur. Cauſſa fuit, quòd exemplum fœderis, proximâ æſtate
inter Danos ac Belgas initi, ad Othonem Hartium, Erneſti Cancellarium
miſiſſet: idque poſtea Carolus Egmondæ & Aſſonvillæ Comes, Hiſpani
Regis legatus, Din aniam contendens ineundo fœderi, ſimul prohibiturus

cIↄ Iↄ ne Belgis per Septentrionem iter in Sinam concederetur, Regi, ejuſque
xciv. Senatui objecerat, non ſine Fœderatorum Patrum ignominiâ. Dorpium ejus rei participem Meninus, Adſeſſor Dordrechtanus, fecerat. Qui ad expurgationem ſui adferebat, nunquam de fide Dorpij ſe dubitaſſe, aut veritum ne vir maximas Belgarum dignitates functus, exemplum fœderis hoſti tranſmitteret. Nihilominus munere Meninus deturbatur. Inter ſchedas Dorpij repertum à manu ejus ſcriptum, quo Erneſto ſuadebat, ut exiguo Comitatu in Hollandiam ipſe veniret, & præſidiarias urbes prætergreſſus Hagæ Comitis demum ſe agnoſcendum cunctis daret. Certum, ſi inermis acceſſiſſet, & de pace proponeret, non honeſtè modò, ſed & magnificè eum exceptum iri; & multis qui nunc maximè obturbarent, metum, cæteris, præ timore ſilentibus, loquendi fiduciam facturum. Addebat, quemcumque res eventum ſortiretur, ut pacem acciperet nemo, Proceres tamen illæſum eum libentiſſimè dimiſſuros. Quippe verè affirmare ipſum poſſe, nec capta unquam ſibi adverſum Fœderatos arma, nec capere meditatum. Solum pacis ſtudium cauſſam adventus ſibi; illam quando abnuant, iterum ad fratrem remeare velle. Dorpius dato vade cuſtodiâ emiſſus, & primo ædibus, ſuis; mox, conceſſo eo, Hagâ Comitis exire prohibitus. Accuſatus eſt à ſupremo Procuratore, ſed, addito tempore, in oblivionem paullatim cauſſa abijt. Nec multa præterea ulla ei irrogata. Exeunte anno Senatus à Fœderatis Patribus poſtulavit, ut in ſequentem annum quintum & nonageſimum, præter ducenta florenorum millia, quotmenſibus pendi ſolita, Hollandis, Zelandis, Friſijs, atque Ultrajectinis millia nongenta (quæ quia extra ordinem quatuor jam continuis annis collata erant, pro ordinarijs habebantur) & præterea ſeptingenta florenorum millia imperarent: ſuper commoda ex his rebus quæ extra fines avehuntur, & quicquid incendij & populationis metu Brabantis, Flandris, ulterioribus Geldris, alijſque tractibus extorqueretur. Adhæc à Geldris xvi millia ſingulis menſibus, ſemel extra ordinem xxv millia petiverunt. Eodem modo novem millia quotmenſibus, & ſemel xvi millia extra ordinem à Tranſiſalanis. Hollandi ſoli parabant ſe ad millia ducenta in ſingulos menſes Fœderatorum Univerſitati pendenda, tum ordinariâ, tum ſuperindictitiâ collatione.

FINIS LIBRI XI.

EVERARDI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

EVERARDI REIDANI

ANNALIUM LIBER DUODECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

HUIUM ab Heraugerio captum amiſſumque. Philippus Naſſovius in inſidias non ſine periculo delapſus. Regina mutuum repoſcit. Cliviorum res. Groningæ cum Omlandis controverſia deciſa. Erneſtus defungitur. Rhenus, Vahalis, Iſala, & Moſa abundant. Galliarum Rex de Patrum otio queritur. Pecuniam militis loco poſcit. Querelas movet de Belgarum in Hiſpanias navigatione. Fœderatæ nationes, dum qua parte bellum gerendum ſit diſputant, tempus & occaſionem negligunt. Vires Hiſpanorum. Colloquium de pace. Pontifex Gallum Hiſpano reconciliare nititur. Philippus Naſſovius è Galliâ redit. Patres quatuor naves emittunt, per Septentrionem iter ad Indos quæſituras. Totidem aliæ à mercatoribus adornatæ, eaſdem terras per meridiem petunt. Navales paratus Anglorum. Belgarum naves in Hiſpaniâ correptæ, & dimiſſæ, deprecatu Cardinalis Alberti, ut favor ei Belgarum quæreretur, quorum deſignatus erat Præfectus. Duinquercani damna ingentia inferunt. Galli Hano potiuntur. Caſtelletum Fontanus capit, Durlanum obſidet, ubi Lamotius occubuit. Grollæ obſidium, interventu Mondragonij, deſerit Mauritius. Philippus Naſſovius inſidias hoſti ſtructurus, ipſe opprimitur: extinguitur cum eo Solmenſis Comes; Erneſtus Naſſovius vulneratur, & redimitur, Ludovicus Comes ſauciatur. Res Gallorum. Fontanus Durlanum & Cameracum ſubigit. Pontifex, Gallum cui aquâ & igni interdixerat, execratione ſuâ abſolvit. Londini ſeditio adverſum peregrinos mota. Hibernorum nonnulli rebelles. Dracus Eques moritur. Regina intempeſtivè mutuum à Belgis repetit. Albertus Cardinalis idem & Archidux Præfecti titulo in Belgicam venit. Carolus Mansfeldius rebus in Vngariâ bene geſtis, partâque gloriâ defungitur. Moſcorum Dux fœdus cum Cæſare init. Auſtriorum adverſus Cæſarem motus. Taxij Lipſijque diverſa de pace & indutijs judicia. Iuliacenſium & Cliviorum ſtatus. Werda arx capta: & Lira, ſed mox amiſſa. Henricus Bergius capitur. Antonius Luſitanus, Verdugus, & Mondragonus moriuntur. Madriti comprehenſi complures puerorum ſtupris polluti. Quæ ſibi in Septentrione viſa compertaque, reverſi inde nautæ retulerint.

AUSPICANTE

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcv. AUSPICANTE anno, qui poſt mille quingentos nonageſimus quintus numerabatur, Bovillionæus, motis copijs, & Belgarum auxilio, oppidula Ivoſium, Fertam, & Chevancium arcem in Lutſenburgis per dolum capit. Sub idem tempus Mauritius inſidias jam ab annis duodecim in Huium meditatas, patrare ſtatuit; properus tentandi, ut tramiſſo Moſa (nam Huii ponte lapideo amnis jungebatur) Bovillionæo ſe adgregaret. Suberat altera quoque ratio, quod ſeditioſi Itali, relicto Sichemo, Hollandorum finibus propinquabant, inſtante hoſtili exercitu. Unde veritus Princeps, ne mutuis conſilijs innexi diſſidium ſimularent, quo majore poſtea pretio vires jungerent, diſtinere alibi hoſtem agitabat. Simul ſeditioſis, quos finibus vicinos hærere anceps; deſerere inconſultum erat, commodam Huii ſedem fore: neç periculum oppido, quando Fœderatorum milite arx teneretur. Igitur præmiſſa manus nocte quæ VI Kal. Februar. præceſſit, oppreſſis cuſtodibus arcis potitur. Rupes prærupta erat, & quia adſcenſum abnuere videbatur, incuſtodita. Per hanc noſtri connixi, in feneſtram arcis evaſere. Heraugerius Centurio, qui Diepenbecæ cum copijs eventum opperiebatur, ut ſucceſſiſſe intellexit, confeſtim advolat, & oppidum ſubigit. At Bovillionæus ſpeciem ſimulans Malmedium, vicinaque loca adgreſſuri, Hiſpanorum eodem copias pertraxit. Unde Philippus Naſſovius, vexandis hoſtibus, digreſſus, ipſe in inſidias præcipitatur, ac prælio ſibi iniquiſſimo cum equitibus LX, adverſum quingentos dimicans, omnes ſuos amiſit, cæſos, aut captos. Smeltſingius & Contelerus equitum præfecti, & centurio Botſelerus, vivi in manus hoſtium venere. Naſſovius, cum quinis equitibus, virtute ardentis equi, à periculo evaſit, ac dimidium deſideratus diem, ad ſuos redijt. Biduo pòſt Bovillionæus equites nonnullos in ſuburbio Virtoniano, viciniſque locis opprimit, pars interfecti, alij capti; quorum libertate redemti, quos ſtatim captos diximus, equitum præfecti duo, & Botſelerus. Hæc ſumma omnium quæ Belgarum militi in Gallicis limitibus acta. Hyemem totam equitum quinque turmæ, peditum centuriæ XXII, in oppida Ivoſium, Fertam, ac Chevancium arcem diſtributæ, otio ſegni magis quam molli trivere, dum fame, alijſque miſerijs conflictantur. Quippe ſummâ rerum omnium caritate, vix denis in diem ſeſtertijs pane vitam ſuſtentabant. Et aquâ (quod inſolitum Belgis) adverſus ſitim uſi, provocabant ægritudines, quîs multi periere. Indignum Regis juxta ac Patrum famâ erat, tantos labores, tantas pecunias huic expeditioni impenſas: opportuniſſimam occaſionem pellendi trans Rhenum hoſtis, neglectam: objectum prope exitio equitatum Fœderatorum; Hollandiam aſpero hyemis hoſtium incurſibus expoſitam: vicinorum in Imperio Romano, & non infenſos, & ſocios, Palatini ditione tenus, tranſeuntis militis petulantiâ exacerbatos: denique arrectas in eventus exſpectationem Germaniam Galliaſque; & interea nihil memorabile geſtum, nullum tantorum laborum pretium reportatum eſſe. Eodem tempore per Thomam Budlæum Eliſabetha datas mutuò pecunias ac militem ſuum remitti poſcit. Dictitabat, Patribus domeſtica primùm curanda, nec æquum ut ſocijs oneri ſint, quando Gallis auxilia ſubmittant. Nam in deterius trahebant Angli, quod Fœderati, ſubſidijs à Regina, miſeratione rerum afflictarum, impetratis, non ſe ſuaque juvarent, ſed exterarum gentium ſtudia, & decus affectarent. Erantque illis, auxilia liberaliter adeo Gallis miſſa, materies arguendi Patres. Quare enim alijs ſuccurrere, ſi ipſi egeant? At Patres, non ambitione, aut oſten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

aut oſtentandi ergo ſubmiſſum Gallis militem dicere, ſed neceſſitate, quo cIↄIↄ
illuc bellum transferretur. Plus fructus Reip. in Gallijs à milite allatum, xcv.
quàm ſi in Belgicâ manſiſſet. Nam pertractis eodem hoſtibus reſpirandi ſibi ſpatium, alioqui pro peditum ſexcentis, ac ducentis equitibus, quos nunc Regina ſuſtentaret, majora ſubſidia, & promiſſa peditum quinque, equitum duo millia, neceſſariò petituros ab eâ fuiſſe. Quo reſponſo Budlæus utcumque acquieſcens abſceſſit. Regina repetitis literis parati æris decies centena florenorum millia confeſtim, tantundem quotannis reddi poſtulavit, donec mutuum recepiſſet. At in Juliaco ac Bergenſi ditione, Proceres earum gentium, arce atque urbe Duſſeldorpienſi occupatâ, conjugem Ducis cuſtodiæ, miniſtrorum ejus ternos carceri incluſerunt. Quippe ſuper libidines & fœdam vitam, etiam occultis artibus aluiſſe inteſtinos motus, & ſuum in commodum vertiſſe comperiebatur, quo hæredes legitimos excluderet. Dux ipſe mentis impos, & hactenus cuſtoditus, emiſſus erat: nam cuſtodiâ habebatur vix ſano citra periculum mentis tolerandâ, nedum eâ capto. Exin Aprili menſe Duſſeldorpium Brandeburgici, Niuburgenſis, ac Sueibrugenſes legati convenere. Conjux Ducis ad firmandas partes ſuas, Luchtenburgi Comitem, affinem ſuum evocat. Qui XL jaculatorum comitatu accedens, cum ſeptenis tantùm hominibus in arcem admiſſus eſt. Swartzenburgius, è nobilitate Juliacenſi, legionem patriâ in terrâ ſcribebat, velut contra Turcas. Interea cum milite per Juliacenſem Bergenſemq́ue agrum huc illuc volitabat, multis ſe Hiſpanorum aggregantibus, ut non modò conſilijs ſuorum in Senatu, ſed militum quoque vi, cuncta traherent. Contrà quorum ex legibus ſucceſſio erat, cuncta ſua per conventus tranſigere. Maturè quidem Mechbachium legatum ad Fœderatos miſerat Brandeburgicus, fœderi firmando; & parati Patres Cliviam & Juliacum in ejus ditionem redigere; ſed ſumtus belli, quinquaginta imperialium millia in menſes ſingulos flagitabant, per dimidium annum, aut circiter pendenda. Id abnuerat Marchio, partim conſilio militarium præfectorum, pecunijs & privato compendio inhiantium; partim Cæſaris artibus, ut ſuis locis oſtendemus. Groningæ, jam menſes aliquot, vetus cum Omlandis controverſia diſceptabatur, Guilhelmo Naſſovio, Cancellario Leonino, Johanne Wittenio, & Sebaſtiano Losâ componere partes tentantibus. Cæterùm cum pervicacius utrique in ſimultatibus perdurarent, neque de Rep. certi quidquam ſtatui poſſet, confuſa omnia agebantur, non citra damnum gentis utriuſque. Etenim Friſiorum Proceres non modò adhuc tributa capiebant, quîs, hoſtili Groningâ, cladem agrorum ruricolæ prævenerant, ſed novos inſuper cenſus extra ordinem imperare: interea quoque Fœderati Proceres vectigalia vino, cereviſiæ, cornutis animantibus, conſitiſq́ue arvis impoſita accipiebant: quamvis in hæc, non niſi abrogatis tributorum reliquis, Groningani conſenſiſſent. Etiam portoria abeuntium, aut illatarum mercium, & Fœderati, & Friſiorum Patres petebant; cives, incolæ, duplicato onere premebantur. Abbates, & Eccleſiaſtici, retentas poſſeſſiones, furtivis ſubdoliſq́ue contractibus alienabant, magno reformandæ religionis impedimento. Ob hæc Naſſovio, ejuſq́ue adjutoribus, partes permiſerunt, ſententiam de principe controverſia, quæ regimen ſpectabat, pronunciare, & remedium memoratis ſupra malis ponere. Itaque VII, Id. Februar. ſtatuitur, *Civitatem & Omlandos corpus deinceps unum, ſed bipartitum, indivulſo imperio æternùm fore. Collegium* VIII *virorum habituros, cui urbis nomine quaterni, totidem Omlandorum miſſu intereſſent. Vectigalium, tributorum, bonorum ſacris uſibus adſcriptorum, commune ærarium, commune ſigillum ambobus, communem ſcribam, communes Quæſtores, & miniſtros fore, qui publica munia fungerentur. Diſcordes ſuffragio præfecti diri-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ xcv. *mendos.* Cognitio quæſtionum de collegio judicum, de jure mercatus, & officinis cereviſiarijs, quæ in agris, quia minore periculo differebatur, ad Fœderatos Patres rejecta. At Omlandis graviter accepta, quæ de uno corpore, & ſuffragiorum æqualitate arbitri pronunciaverant. Sui ſe olim juris, nec ulli obnoxiam, aut innexam gentem fuiſſe. Nunc cum urbe conjunctos, juris dimidium & plus eo amittere: quippe prima ſuffragiorum penes urbem: quod perinde æſtimabant, ac ſi Groninganis ſubderentur. Sed Naſſovius, & arbitrorum cæteri, ſpem quietis nullam videbant, ſi aut diſcreti manerent, aut fœdere ad tempus certum jungerentur, quale anno MDLXXXIII initum. Nec alterutrâ partium ſuperiore major ſpes tranquillitatis. Nam concordiæ optimum vinculum æqualitas. Erant qui in peius traherent, quod diſſidentes Naſſovius eſſet diremturus: & propriam potentiam ab eo quæſitam interpretabantur. Contrà Guilhelmus plus invidiæ hinc ſibi, quàm gratiæ exſpectandum dictitare. Etenim utriſque accedere nunquam poſſe, at non raro ambos offendi. Partem unam ſi ſequatur, indignari diſſentientes, & odia recondere. Brevem verò alijs meriti memoriam. Quippe humano ingenio gratiam oneri, ultionem in quæſtu haberi. Nec alibi perinde atque hic eam rem obtinere, quando etiam adjuta ſuffragio pars, nullum beneficium aut favorem agnoſcat: quia nihil niſi jus ſuum adeptam ſe arbitretur. Eâdem tempeſtate Italorum ſeditionem Erneſtus compoſuit. Tiena ijs ſedes adſignata, & miles duodenos in diem ſeſtertios, eques duosdetriginta habuit, donec ſtipendia in ſolidum ſolverentur. Sed IV Id. Febr. interveniente Erneſti fato, inrita cuncta fuerunt: & Italorum legati ut ſolitum, Hagam Comitis ultro citroque commearunt. Imminente ſupremâ neceſſitate Erneſtus, impulſu Hiſpanici Senatus codicillos ſignavit, quîs in Fontanum ſumma rerum transferebatur, donec adeſſet, quem Rex Belgis præponeret. Fontano prima novæ præfecturæ Huij obſidio. Miſſus ab eo Lamotius cum equitibus mille quingentis, peditum ſeptenis millibus, tormentis XV. Oppidum Heraugerius cum ſuis tutabatur, nullis auxilijs Italorum jutus, quamvis promiſiſſent. Nec à Bovillionæo opis quidquam, quem, ſubſidia alioqui miſſurum, propria diſtinebant. Ob hæc diffiſus loco Heraugerius, honeſtam deditionem meditabatur. Cum Leodicenſibus intuta pacta putabat, veritus ne aſperati fidem frangerent. Itaque in adventum Hiſpanorum diſtulit. Lamotius primo acceſſu invalidum oppidulum petere inſidiis ſtatuit. Quod ubi Heraugerio compertum, quadringentos milites paratos noctu in armis tenet: & Hiſpanos poſtquam in oppidum ſcalis tranſgreſſi prædam cupidius ſectabantur, inopinos adgreditur, multoſque occidioni dat. Quo certamine civium complures, quamvis nihil hoſtile tentantes, ab Hiſpanis noſtriſque trucidati. Exin tormenta Lamotius erigit in montem, arcem contra ſitum. Arx ipſa anguſtæ rupi, & nudæ indita, non vallo, non propugnaculis defendebatur. Murum, & lateritiam turrim, haud invalidam habebat, circulari formâ, & ſexdecim in latitudinem pedum. In hâc & rupis præcipitio (quæ adſcenſum negabat) potiſſima ſpes Heraugerij. Cæterùm poſtea eventus docuit, nequaquam opus perinde ac credebatur validum, neque ſolidum murum eſſe, ſed interiora lapidum fragmentis, aliaque materie differta. Unde factum, ut poſt jactus mille admodum & quingentos, diſiecto exteriore muro, ingeſta materies ſponte devolveretur, ſuoque lapſu arcem & milites nudaret. Heraugerius itaque deditionem facit, & noſtri armati omnes Bredam revertuntur. Incedentes contra datam fidem Hiſpani ſpoliaſſent, ni additus præſidio equitum præfectus, noſtros ad defenſionem hortatus, Hiſpanis, ſi vim facerent, ulturum ſe perfidiam denuntiaſſet. Fortè congruerat, ut Leodicenſes legati Huium (nam eorum ditionis

erat)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

erat) reſtitui ſibi apud Patres urgerent, extra bellantium ſe cauſſas & iram cIɔIɔ
eſſedictitantes. Quibus per hebdomadas ſex nunc hâc, nunc aliâ morâ in- xcIv.
jectâ, dilatis, ad ultimum Patres, firmitudine arcis freti, reſponderant,
prius Epiſcopo Berkam ab Hiſpano repetendam: id ubi impetraſſet, etiam
ſe Huium reddituros. Hoc reſponſo ante medium diei dato, vergente luce
deditum eſſe oppidum adferebatur: quod parum ex dignitate Patrum. At
non ut verbis, ita & factis vicinæ nationes medias ſe in hoc bello gerebant.
Pleræque Hiſpanica arma & potentiam ſpectare. Erneſtus Bavariæ Dux,
Coloniæ, Leodici, & Monaſterienſis Germaniæ partis Epiſcopus, Berkam,
Colonienſium oppidum ad Rhenum ſitum, quaſi per diſſimulationem te-
neri à Parmenſi, magnaque inde Fœderatis damna inferri, patiebatur. Pòſt
quoque, ubi per Parmenſem licebat, neglexit tamen oppidum ſuæ ditioni
reddere. Contrà capto à noſtris Huio, ipſe Bruxellas profectus, expugnari
oppidum poſtulavit. Heraugerius quicquid expugnatâ Bredâ gloriæ ſibi
quæſiverat, dedito Huio propemodum amiſit. Sanè Patrum nonnulli, quîs
ignaris inſidiæ in Huium tractatæ erant, graviter infenſi, literas Epiſcopi
Leodicenſis promſere, quîs haudquaquam pro ſtrenuo duce in defenden-
do Huio eum ſe geſſiſſe affirmabat. Etiam verſus nonnullos ex Herauge-
rij literis excerptos tramiſerat Epiſcopus, velut in contemtionem Patrum
ſcriptos. Quîs innixi illi, gravia in Heraugerium crimina ferre. Sed Mau-
ritius, & Patrum ij, quibus gnarâ res tota, patrocinium ejus ſuſcepere, leve
hoſtis teſtimonium dictitantes, & ſi ex Heraugerij literis judicandum, to-
tam epiſtolam tranſmitti par fuiſſe, ut præmiſſa ſubjunctaque incorruptæ
veritatis indicium facerent. Huium non ante ſolutas obſidij impenſas ab
Hiſpanis Leodicenſes receperunt. Iiſdem diebus trecenti equites Bergis
ad Zomam digreſſi, parem hoſtilium peditum numerum obvium habuere.
Qui viribus ſuis adverſus impetum equorum diffiſi, manus ſupplices tende-
bant, ſed fortè turmæ apud noſtros præfectus unum ex hoſtium ducibus
privatam ob ſimultatem transfixit: quod gregarius miles earundem par-
tium conſpicatus, & cauſſæ ignarus, expedit arma, tubumque exonerat.
Hinc prælium ortum, victique hoſtes, occidioni omnes dantur. Martio
menſe Rhenus, Vahalis, Iſala, ac Moſa, notiſſimi Belgarum amnes, dere-
pente ſupra humanam fidem abundavere; omnibuſque aggeribus perruptis
aut ſuperatis, hominum ac jumentorum ſtrages miſeranda fuit. Rhenus
Wageningam Rhenamque inter exundans, portam Wageningæ pervertit.
Exin Velavianis agris ſuperfuſus, Amersfurti, ubi nulla unquam hominum
memoria fluvius is viſus, muros, propugnacula, portas, præfixaſque ſudes
arraſit, vel impetu ſuo abripuit; magnâ oppidi calamitate. Et quia pleraque
ijs tractibus inculta humus eſt, ac fœcunda gignendo ſolo ad ignium pabu-
la, adgeſti ex eâ materie teſſellarum acervi, fluminis impulſu rapiuntur;
tanto ruricolarum detrimento, ut ſoli Ultrajectini, Amersfurtenſes, & qui
ejuſdem ſunt ditionis, accepta damna quadringentis florenorum millibus,
& ultrà æſtimarent. Idem amnis haud procul Veſaliâ ripas egreſſus univer-
ſam fere Dotecomum mœnibus ac propugnaculis nudavit. Zutphaniæ
Daventriæque relabentes aquas urbium quoque quamvis valida propugna-
cula ſecuta ſunt. Betuana inſula, tam quæ ſuperiore, quàm quæ inferiore eſt
poſitu; Vianenſis ager, & Dordrechtowarta, aliaque loca, fluctibus obruta
jacuere. Notatum per idem tempus, alia quoque loca exundatu amnium
afflicta, & in his Noribergam, Gedanum, Argentinam, Bremamque. Eo-
dem tempore equites ducenti hybernis egreſſi, & ſecuriùs in pago quodam
agitantes, noctu ab hoſtibus oppreſſi, equos centum quinquaginta amiſere:
fueruntque hoc anno non raræ id genus clades equitibus noſtris illatæ. Ita
capto Huio, dum prædâ equis impoſitâ, graves & impediti Brabantiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ XCV. repetunt, quadringenti ab LXXX hoſtilibus equitibus cæſi fugatiq́ue, cùm, pravo ſtudio, armis quàm ſpolijs exui quiſque mallet. Ibat jam in æſtatem annus, nec tamen adhuc Fœderatis motum quicquam, aut neceſſaria bello comparata. Segnes ad conferenda tributa ac vectigalia nationes erant. Miles nullus ſcribebatur, neque his quæ aderant copijs, ſpes magna gerendæ rei. Quippe præterquam quòd ante actâ æſtate attritus, & necdum ſuppletus exercitus erat, diminuerant quóque numerum abductæ in Galliam centuriæ XXII. Sub hæc Buſenvallius acceſſit, dolorem ac ſollicitudinem Regis ſui memorans, ob ſegnitiem Fœderatorum. *Etenim illorum otio ſpatium hoſti omnes in Galliam vires vertendi. Regem caritate Belgarum palam hoſtilia adverſus Hiſpanum ſumſiſſe, & jam in Lutzenburgo bellum cœptaſſe. Etiam è Cameraco (quo plures milites conventuri eſſent) Arteſios Hannonioſq́ue infeſtare, & Warenbonnium Marchionem diſtinere, ut nihil otij cogitationibus adverſum Belgas ſuperſit. Eundem ad modum miſſo, in Burgundiæ Comitatum Tremblecourtio, Feriæ Ducem, apud Caſtellanos Comitem Stabuli, cum ſcriptis nuper Hiſpanorum atque Italorum denis millibus, retineri curâ tuendæ Burgundiæ. Si Regem tanta molientem cœptis inſiſtere Patres velint, omnem ijs ignaviam ejiciundam. Iniquum eſſe, ut Rege ac Gallis ad quævis audenda patrandaq́ue promtis, & nulla diſcrimina recuſantibus, ne pecunias quidem Fœderati ſuppeditent. Si quæ meditentur, occultè habenda putent, ſaltem ne omnino ignarum Regem paterentur. Illi ſanè nihil tam minutum aut ſecretum eſſe, quin, priuſquam ordiatur, Patres faciat certiores. Affirmaſſe Cammingam Doniamq́ue Friſiorum Delegatos, ſolam gentem ſuam, captâ Groningâ, tria militum millia ſubmittere Regi poſſe. Groningam Dei munere in poteſtatem redactam, nihilominus nunquam deſidem adeo Belgarum rem fuiſſe. Vnde materiem nonnullis belli pertæſis, aut alia agitantibus (ut diverſa fere hominum ſint ingenia) Regem ad pacem cum Hiſpano hortandi. Etenim non illo ſtatu eſſe Gallorum res, quin, ſi deſtitutos ſe ab ſocijs videant, facere pacem poſſint.* Orare porro legatus, quandoquidem uſus docuiſſet Belgicum militem, aëris victuſq́ue Gallici inſuetum, morbis tentari, & conſumi, pecunias potius, quàm militem Regi Patres ſubmitterent. quò novâ legione conquiſitâ, duæ & XX centuriæ ad ſuos remitterentur. Ad ultimum ſubjecit, *aſſiduis ſubditorum querimonijs Regem fatigari, quod impune quaſcumque merces in Hiſpaniam Belgæ deportarent. Durum Gallis aſpectare tendentem ad hoſtes belli apparatum, & ademtam nocendi licentiam, imprimis quum eo itinere ipſi prohibeantur. Si nullo modo commercijs Hiſpanorum carere Patres queant, quia ſubſidio hoc niti ſalutem & opes Reipubl. ſeq́ue impares alioqui bello gerendo aſſerant; cogitandum eſſe, quo modo ſubditorum querelas ſopire Rex poſſit. Proin ſancirent, ne mercatores Belgæn, iſi impetrato ab Rege commeandi beneficio, illuc navigarent. Ipſi bellum impigre urgerent. Quo manifeſtum cunctis eſſet, nihil commerciorum uſu de vetere Hiſpanorum odio, aut bellandi cupidine remitti.* Hæc Buſenvallius. At Patres, quamvis credito magis è re ſuâ eſſe milite, quam pecuniâ, Gallos juvari, tamen morbos, aliaq́ue incommoda reputantes, cum ob annonæ caritatem averſari tractus illos militem ſuum viderent, adſenſere poſtulatis Buſenvallij de mittendis quotmenſibus florenorum circiter millibus XX. Quo impetrato, protinus Vaſconum legionem Bovillionæus colligere cœpit, ſucceſſuram duabus & XX Belgarum centurijs. Quantum ad alterum legato petitorum, de educendo ex hybernis exercitu, ac laceſſendo hoſte, quo Gallorum Regi belli moles minueretur, Patrum penè nullus non cenſebat æquiſſima poſtulari, & movendum in hoſtem, quo ſocio Regi animus, partis victorijs cumulus novus adderetur. Sed quam in partem iretur diſſidebant, rurſumq́ue vetus & toties agitata quæſtio renata eſt, cis an trans Rhenum bellum gererent. Hollandi & Zelandi dicere, quandoquidem

Emdanæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ XCV.

Emdanæ urbi, magno Belgarum momento, auxilia mitti neceſſitas poſceret, vires magnis conatibus, aut obſidijs impares. Itaque ſatius videri, ut ſubitaris militis aliquantum ad Sylvamducis aut Sevenbergam conducatur, quæ à Gallis hoſtem retrahat, & quod copiarum illuc confluerit, intenta ſit. Nam Germani Bruxellis præſidium agitantes ſtipendia flagitabant, præfectumque Berenſteinium, & ducum ſuorum alios nonnullos in cuſtodiam dederant. Quîs opprimendis, priuſquam ſeditio coaleſceret, Hiſpanorum legiones duæ ad urbem venerunt. Sed cives implacabiles odij in Hiſpanos, Germanorum tolerare petulantiam maluerunt, & junctis viribus illos urbe prohibuerunt. Ferebatur quoque, primorum adverſis in partibus nonnullos, tædio Hiſpanici regiminis, occaſionem colloquij cum Fœderatis quærere. Denique obtendebant Hollandi exhauſtum ærarium, nec quidquam æris in promtu eſſe, quo magna tentarentur. At miſſis in Brabantiam aliquot millibus, quæ ſolùm ad ſubita belli intenta agitarent, parci impenſis curruum, navium, equorum quîs eæ trahantur, parci foſſorum pretioſo labori, & quæ alia paratam pecuniam requirant. Contrà nationum reliquæ tendere, haudquaquam exiguâ manu ſatisfieri Gallorum votis poſſe, quæ, parum formidabilis, deterrere ab incepto hoſtem nequeat. Conſuli & Gallorum, & patrijs rebus, ſi Twentanâ ac Zutphanienſi ditione hoſtis exturbetur. Non numero præſidia, non annonâ aut munimentis valere oppida. Ipſum hoſtem tractus illos pro amiſſis æſtimare. At pulſo trans Rhenum Hiſpano, conjungi omnes Fœderatorum vires, in Brabantiâ Flandriâve Gallis propinquari, & majora præſtari auxilia, aut denique à ſolis Fœderatis oppugnari Hiſpanum poſſe; ſi fortè pacem cum Hiſpano Henricus faceret, quod in timore Patribus, ex quo diverſa in ſacra tranſierat. Ita contentionibus primùm, exin contatione nationum in pendendis tributis, tempus effluxit: quibus non collatis, nullas Mauritius aut Senatus, de ſuſtentando exercitu rationes inire poterant. In Friſiâ conventus, qui tum his, tum alijs de cauſſis XIII Kal. Apriles cœperat, cum Maio menſe, nec antè finitus eſt. Pleriſque plus ſtudij pro partibus ſuis, quam egregio publico. Inter cætera diſputatum de abolendo vectigali, quod vino, cereviſiæ, ſali, ſaponi, atque aceto impoſitum erat. Etiam Hollandis & Zelandis diſcordiæ ſuper accipiendis pecunijs, quæ ex mercibus avectis aut importatis proveniebant. Unde tantum moræ Zelandorum tributis ac vectigalibus illatum, ut demum vigente Junio penderent, quæ auſpicante Januario ſoluta oportuerat. Geldris ac Tranſiſalanis vix erat, quod in commune conferrent. Quippe urbium pars altera hoſtibus poſſeſſa, & omnis fere ager vaſtitatis metu tributarius. Etiam aſſiduæ per ea loca expeditiones ruricolas exhauſerant. Hollandi autem quorum tributa ac vectigalia alterâ parte cæterarum ſimul nationum proventus ſupergrediebantur, niſi promtis reliquis, conferre quidquam abnuebant. Ne centena quidem florenorum millia in futura tributa prorogare, quis initium fieret, & ex hybernis miles educeretur, voluere. Hunc in modum tempus & occaſio gerendæ rei dilapſa, mirante Gallorum Rege, & vicinis populis, qui partarum nuper victoriarum continuam ſeriem repetentes, cum neque in melius Hiſpani res, nec noſtras in deterius mutatas viderent, variè hanc contationem interpretabantur. Unum erat, quod moram injicere viſum, equites mille ſexcenti, peditum duo millia, in Juliacenſi agro, & vicinis ditionibus, ſcripta adverſum Turcas. Quod ſuſpectum noſtris. Quippe deſtinatus Ungarico bello miles, & leviore impensâ, & minore damno, ſubditorum Imperij colligebatur illis Germaniæ tractibus, qui Orienti propiores, quàm juxta Rhenum & Belgas in occaſum vergentes: quando hîc ſcripti priuſquam Ungariam attingerent, duûm jam menſium ſtipendia

cIↄ Iↄ xcv. meruerant: ne damnorum cætera memorentur, à tanto agmine univerſam Germaniam peragrante. Ob hæc plus à Fœderatis, quàm ſi palam hoſtiles fuiſſent, metuebantur. Nam quia Cæſari ſe ad Ungaricum bellum ſcriptos ferebant, nullus invadendi obtentus: alioqui concidere, ac diſſipare univerſos in arduo non erat, ſi, ut hactenus, apertè Hiſpani partes Swartzenburgius foviſſet. Martio menſe habere dilectus cœperat, hærebatque etiamnum Junio ijſdem locis, metum Reformatis, ac Palatino Brandeburgicoque faciens, quibus hæreditarium in Cliviam jus, nec adhuc in regimine curatum quidquam: fiduciam his, qui Remp. ad Auſtriacos trahebant: Fœderatos Patres ambiguis diſtinens ſuſpicionibus. Hoſtiles vires & exercitus majores hoc tempore erant, quàm proximis ſex annis habuiſſe eum conſtabat. Lutzenbergenſes cum peditum ſenis millibus, equitibus M D. adverſus Bovillionæum Verdugus tutabatur. Hannoniæ fines prohibendis Gallis cum millibus aliquot Warenbonnius inſederat: quam exinde curam ipſe Fontanus ſuſcepit. Comes ſtabuli apud Caſtellanos peditum millia X, equites M D habebat in ſuperiore Burgundiâ, quos promtum paucis diebus Verdugo jungere. Millia quatuor Hulſtam juxta conſederant. Multi ad hoc & innumeri præſidijs deduci, qui Tienam inſederat ſeditioſus Italorum equitatus pacari, poterant. Sed exercitus longis diſcreti ſpatijs, quibus agebant tractibus neceſſitate attinebantur, adeo ut conventuros vix quiſquam crederet; proinde nec illorum metu cogitata Patres omiſiſſent. At timor, ne palam hoſtilia Swartzenburgius indueret, aliquid moræ adferre videbatur. Simul pacis ſpe Patres tentabantur, pronum huc animum ſimulantibus primorum nonnullis, qui ſub Hiſpano erant, imprimis Croio genere. Marchioni Havræo hoſpitij & convictuum uſus cum Maldræo Tornacenſi nobili olim fuerat. Quem in Hollandis, unde uxorem ſumſerat, degentem, per literas ſuper hâc re compellavit. Maldræus rem ad Mauritium ac Patres refert, ijque cognito literarum argumeuto, Marchionis rogatu poteſtatem Lisfeldio, Brabantiæ Cancellario, fecerunt, impunè in Zelandiam veniendi. Cæterùm ut referente eo comperere, Fontanum, & Hiſpanorum alios, quique his favebant, conſilij participes eſſe, protinus res diſplicuit. Mittuntur tamen conditiones, non abnuere colloquium Patres, ſi Belgarum cæteris in animo ſit, inſerere ſe Fœderatorum vinculo, & communibus viribus Hiſpanos omni Belgicâ ejicere: quo nomine etiam Lutzenburgum ac Burgundiam ſuperiorem comprehenderent. Reſcripſit Havræus, ſed ſilentio prætermiſſis, quæ Patres propoſuerant, iterato colloquium, præparandi utrimque animis, & codicillos petijt, quis poteſtatem Patres duobus aut pluribus darent, tutò in Hollandiam veniendi. Patres renuntiare Maldræum juſſerunt, quandoquidem conſtet Hiſpanos in partem curæ & conſcientiam negotij adhibitos, nullâ ſe ratione adſenſuros; cum Belgis ſolis, excluſo Hiſpano, de pace paratos agere. Etiam Hollandiæ Patres (præteritis Fœderatis Proceribus) monuit per literas Cæſar, ut paci concordiæque animum adverterent. Subjecitque, fixum ſibi Belgas, diuturno feſſos bello, quieti tandem reddere, & quamprimum legatos componendis deſtinatis miſſurum. At Hollandiæ Proceres, Cæſaris aperire literas gravati, Fœderatis Patribus eas offerunt, qui, poſtulato eorum hanc in ſententiam Cæſari reſponderunt. Abundè, quæ ante triennium dynaſtæ Reidano, ſuperiore anno legatis Erneſti reſpondiſſent, oſtendere, cur ſuſpectum Fœderati colloquium de pace haberent. Eundem ſibi animum adhuc non manere tantum, verùm & horrendis ſceleribus (immiſſos Gallorum Regi, Eliſabethæ, ac Mauritio percuſſores deſignabant) omnium irritatas mentes. Itaque rogare, ut Cæſar & Germani Principes labori ſuo parcant. Sub idem quoque tempus nunciabatur, Romanum Pontificem, &

Princi-

Principum alios, multos eſſe in reducendis ad concordiam Gallorum Re- cIↄ Iↄ
ge, & Hiſpano. Cæterùm apertè hunc abnuiſſe; haud obſcuro indicio, xcv.
multò minus placabilem odij in Belgas; & pacis præſcriptione diverſa tegi. Nihil igitur hæc de pace vulgata Fœderatorum conatus retinuerunt. Sed potiſſima contandi cauſſa, nationum ſegnities in conferendis pecunijs. Ineunte Majo equites Belgarum, mox & pedites Ivoſio diſcedunt: quamvis multùm rogante Bovillionæo, manerent donec Vaſconum legio conveniſſet. Verùm nihil apud invitos, ob ſummam rerum caritatem, preces aut imperia ducum valuere. Et ſuâ ſponte equites deni duodeniq́ue ſimul dilabebantur, unde Bovillionæus & Naſſovius veriti ne ſigna omnes deſererent, imminentem neceſſitatem prævenerunt: ac Philippus Naſſovius IV. Non. Mai. equitum quinque turmas ad Rhenum ducit, perque agrum Moguntinum, Naſſovios, Weſtphaliam, ac regionem Brandeburgicam, in Belgicam revertitur. Pridie Nonas Maii Belgarum pedites Ivoſio ac Fertâ digreſſi, Diepam contendunt, & conſcenſis navibus circa exordium Junij menſis Brilam advehuntur. Fertam oppidum protinus obſidet Verdugus peditum ſenis millibus, equitibus mille quingentis. Cæterùm virtute ac fortitudine Bovillionæi re infectâ diſcedere compellitur. Bovillionæus invalidum oppidulum, & dum obſidebatur, fortè igne in pyrium pulverem delapſo, propè dimidiâ parte hauſtum, deſerit, mœniaq́ue demolitur. At apud Fœderatos Patres multum Buſenvallius de præpropero militum abitu queſtus eſt: & Patres, ut fidem facerent indignè quoque ſe tuliſſe, equitum præfectos edere nomina juſſerunt eorum, qui præcipuè turbaſſent, ſtatuendo exemplo. Pubeſcente anno magnus apud Fœderatos navalis paratus fuit. Proceres IV naves, quæ ſuperiore anno ignotum adhuc iter per Septentrionem ad Sinenſes, Indos, ac Japonenſes tentaverant, denuo explorare juſſerunt, pervius Oceanus, an concluſus eſſet. Etiam centurionibus mandatum, ſi ſpem adſequendi deſtinata viderent, Americæ litora Septentrionem atque occaſum interjecta adire, ac idoneos portus, & inhabitantium amicitiam quærere. Quîs per ſigna aut quâ commodiſſimum ratione demonſtrarent, venire ſe à populo mercaturam in omnibus orbis oris exercente, & illorum quoque expetere commercia, ob mutuas utilitates, accipiendis, quîs carere illi poſſent, afferendis quorum egerent. Hæ naves Junio menſe ſolverunt. Præterea Societas à mercatoribus nonnullis privatim inita, quis quaternæ naves inſtructæ, maxima vehium trecentarum. Tormenta ſimul omnes centum vehebant. Quorum duo vaſtiſſimæ molis globos librarum XXXII jaculabantur. totidem medij generis machinæ: reliquæ minores; quippe quarum quæ maximæ globos librarum XVI capiebant, minimæ novenarum, nec infra. Tormenta ea, pyriumq́ue pulverem, & quæ alia huc pertinebant Patres & urbes Hollandorum mutuo dedere. Neceſſitatum reliqua privato ære coëmta. Et ſic quoque accenſis mercibus, navium ſingulæ florenorum millibus centum ſtetere. Unde manifeſtæ immanes regis impenſæ, anno LXXXVIII in claſſem factæ. Cui mali, rudentes, anchoræ, pix, aliaq́ue id genus ex Septentrionis tractibus petita, & pretio duplo majore coëmenda fuerunt. Conſilium his navibus erat Indiam petere, ſed per meridionalem plagam. Quippe certum iter quamvis longius, propiori, ſed incognito, præferebant. Pericula ab hoſtibus aſpernabantur, firmatis prælio animis. Accedebat ſpes, ſi proſperè prima ceſſiſſent, paciſcendi cum regulis inſularum Orientis, quîs aromata gignuntur, ut merces ſuas Belgis deinceps venderent; nec ut hactenus, Goam aut Calechutum ad Hiſpanos deferrent. Quæ ubi Britannis comperta, anxiè inquiſivere, quam inſularum noſtri peterent: ſed taciturnitate res cohibita, & qui in conſcientiam aſſumti erant, jurejurandum adacti, nihil enuntiaturos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ turos. Martio menſe iter ingrediuntur, apertoque Oceano, qui Afros & XCV. Americam interjacet, diſtractam à ſuis Hiſpanicam navem, opulentam mercibus, obviam habuere. Hiſpani jam conclamatas res ſuas arbitrati, præter ſpem intacti evaſerunt, & Olyſſiponem poſtea reverſi, multâ cum jactantiâ, non auſos prælium Belgas retulerunt. Sed noſtris ſeriò interdictum erat, ne quemquam occurrentium ultro invaderent: itineris perficiendi curam primam habere, & ſi quis laceſſeret reſiſtere juſſi. Interea impigrè etiam Britanni claſſem quadripartitam LX navium inſtruxerunt. Dracus navibus decem majoribus, & pinaſſis ſex è Reginâ præpoſitus. Reliquas ſuo periculo & ære privati paraverant, ducibus Comberlandiæ Comite, Gualtero Raleo, & Dudleio Liceſtrij Comitis notho. Aderant tormenta, navales ſocij, & militis tantum, ut ſena millia exponi in terram poſſent. Idem cunctis, & ardentiſſimum erat votum, Hiſpanicæ claſſi occurrere, quam ſuperiore anno haud reverſam, duplicatas nunc divitias advecturam conſtabat. At ex Hollandiâ, Zelandiâ Friſiâque mercatoriæ naves plures mille ducentis Germaniæ maritimam oram; aut Hiſpanias petiverunt, quæ promiſcuè numeratæ duodenos minimùm homines ſingulæ vehebant; adeò ut navalium ſociorum cenſerentur quadringenti ſupra XIV, millia. Eaque ratio, quòd Gallorum ac Britanniæ Regibus navigationem in Hiſpanias abrumpi poſtulantibus, non adſenſerint Patres, otioſam alioqui tantam multitudinem fore cauſſati. Igitur illo ex numero naves quadringentis non pauciores, Olyſſiponem, S. Lucam, Gades, alioſque Hiſpanorum portus adierunt. Ubi connivente Rege, quia neceſſaria advehebantur, inter medios armorum ſtrepitus mercaturam exercebant, multùm mirantibus finitimis, imprimis Germanis, qui ſæpiùs à Rege appellati, ut commercia cum Belgis abſcinderent, mirari ſe reſponderant, id Regem rogare, qui non in Hiſpaniâ tantùm, ſed & Antverpiæ, Gandavi, ac Brugis, Hollandos Zelandoſque exercere mercaturam pateretur. Adeò indiga alterius gens quæque erat. Hoc tamen anno omnes, quas dixi, naves detineri Hiſpaniarum Rex juſſit, ademtis velis & clavis, navigandi inſtrumentis, ne quo diſceſſum molirentur. Impulerat huc, ut ferebant, mercator Hollandus, in regia tranſgreſſus, & Duinquerkæ habitans, qui Artheſiorum & Hannoniorum miſſu in Hiſpaniam profectus, demonſtraverat Regi, fruſtra bello Hollandos fatigari, quamdiu commercia manerent: interea ſubditos Regis, qui mediterranea loca incolerent, ad ſummam compelli egeſtatem. Proin niſi occurreret, nequaquam Artheſiæ aut Hannoniorum vires bello gerendo pares. Sed Majo menſe univerſæ naves dimittuntur, & per codicillos poteſtatem accepere, quocunque vellent, abeundi, atque in Hiſpanias revertendi. Addebatur, dari id accuratis Alberti Cardinalis precibus, qui fortè per id tempus Belgarum præfectus erat deſignatus. Unde ſuſpicio pleriſque non tam Artheſiorum aut Hannoniorum miſeratione retentas naves, quam ut Alberto, recens Belgis præfecto, materies daretur tali beneficio Hollandorum ſtudia in ſe trahendi. Perinde atque elephantum domituri verberibus alij irritant alij unguento, manibus, atque alimentis demulcent. Cujus doli bellua rudis, eum à quo clementer habita, amore ſummo proſequitur, & contrectantis ducentiſque manus haud abnuit. At Luſitanicus Senatus per Emanuelem de Palatio, mercatorem, cæterùm ſui ordinis virum, Belgæ, qui gentilium mercatorum negotia curabat, denuntiari juſſit, ſi Gallos ac Britannos claſſibus in poſterum juvare ſuperſederent, nunquam Regem naveis eorum detenturum. Majo menſe Hiſpanica claſſis Olyſſiponem adfertur, nihil ab Anglis detrimenti paſſa, qui ulteriora petentes in Braſiliâ Fernambuccam expugnarant, direptamque deſeruerant. Mox Trinitatis Inſulam adgreſſi, caſtellum ab Hiſpanis Orenoquo amni impoſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

impoſitum, ceperant, cui præfectum in Britanniam captivum adduxere. cIↄIↄ xcv. Paullò pòſt adventum claſſis, quam quingenties centena Carolinorum millia advexiſſe ferebatur, anguſtè iterum Hiſpanis à pecuniâ erat. Quod miratus Rex, mercatorum pervolvi codices, & inquiri jubet, quinam pecunias exteris gentibus ſubmiſiſſent. Etiam Belgarum (paullo poſtquam diſcedendi veniam acceperant) merces recenſeri, & quid cuique proprium foret, adnotari imperat. Ob hæc cum Olyſſipone & Hiſpali quererentur mercatores, pari ratione ſecum quoque acturos Belgas; reſpondit Rex, nihil ſe publicare; ſed tantùm mercaturæ ſtatum introſpicere velle. Etenim intellectum ſibi Belgas, quà parati æris, quà in mercibus, infinita millia in Hiſpaniâ poſſidere. Eodem anno, Norvegiam Hollandiamque inter, naves v & xxx, petendo ligno egreſſas, Duinquerkanorum navis una invaſit, omneſque nautas tradere ſibi compulit. Sine præſidio exiverant, nec in tanto numero naves plures unâ machinis inſtructæ erant. Quæ ſola evaſit, ejuſque præſidio tutæ tres aliæ. Hoſti ex redemtione nautarum centena florenorum millia provenerunt. Sic quoque Junio menſe miſſis, quæ Duinquerkam & Moſam amnem obſiderent, navibus nonnullis, quo tutiori itinere è Galliâ Arauſionenſis vidua trajiceret, multi nautæ, multi mercatorum capti, dum abundè ſibi præſidij exiſtimant in navibus excubare ſolitis. Una hoſtilis tricenos nautas, ex quâque nave uno abducto, Duinquerkam captivos advexit; navibus, quia rapi nequibant, dimiſſis. Alia earundem partium navis à noſtris expugnata, receptique cum ea captivi tres & xx, qui jam libertatis pretium florenorum millia xLIII promiſerant. Centurio Nielus Coſterus, fortiſſimè dimicato, ad ultimum deſperans ignem pyrio pulveri injecit, ipſe præcipitem ſe in fluctus dedit. Hoſtium xLIII in manus venere, ac Roterodami in patibulum acti. Reliqui tres & octoginta acerrimâ pugnâ editâ, occubuerunt, egregij virtute, & quamvis victi, laude victoribus digniores: quippe pluribus unam opprimere navim ut non arduum, ita nec tantæ laudis. Decimâ Junij die ſimul & Caſtelletum obſedit Fontanus, & Paulinus Comes, cum Bovillionæo, Hanum Picardiæ arcem atque oppidum expugnaverunt. Gomerus arci præfectus (Orvillerio affini commendatâ arcis tutelâ) Bruxellas fortè abierat, Fontanum rogaturus, quod præmium daret fidem pro Rege retinenti. Quo Bruxellis in carcerem dato, Orvillerius Paulino Comiti ſignificat, traducere ſe arcem ad Gallos velle, ſi mercedem dignam Rex rependat, & vinculis affinem ſuum eripiat. Comes, & Bovillionæus, quanquam ingentia, & certa Orvillerius paciſcebatur, ipſe non niſi nudis ſe promiſſis adſtringebat, ob momentum loci tentandum aliquid cenſuere: itaque per fidos homines bis explorato oppidi, & rerum cunctarum ſitu, primâ luce arcem ingrediuntur, & præſidiarios oppidi invadunt. Mille ducenti erant, promiſcua turba ex Hiſpanis, Walonibus, ac Germanis: qui raptim obductis per diverſa platearum munimentis, prælium acerrimè ciebant. Noviſſimè internecione deleti omnes, victoriam & oppidum Gallis reliquere. Fontanus interea cœptis ad Caſtelletum inſiſtit, admotiſque machinis, xvII Kal. Jul. per deditionem loci potitur. Orvillerius captâ à Gallis urbe, arcem retinebat, agitans quaſi partium neutri infenſus vel obnoxius, donec promiſſæ ab Rege pecuniæ numerarentur. Erant illi in arce Hiſpanici generis captivi complures, quîs captivum redimere affinem cogitabat. Sed ij conciliatis ſibi vigilum nonnullis, eorum ope arcem ipſi occupant. Orvillerius quanto inopinus caſus, tanto perturbatior, captivis quæcumque poſtulabant concedit. Septem aut octo tantum milites, in turriculam confugientes, arma capiunt, ſeque Hiſpanis opponunt, quoad exciti ſtrepitu & rumore Galli accurrunt, arcemque ignaviâ Orvillerij deſtitutam expugnant. Gomerus poſtridie

cIↄIↄ ad Hanum capite truncatur: ita perfidiæ pœnas ambo dederunt: & qui
xcv. bellantium partem eludere utramque agitabant, ſuis ipſi artibus capti. Cameraci conſcientiæ Fontani impliciti erant Sacerdotum & oppidanorum nonnulli, qui portarum unam pandere illi promiſerant: ſed detecta res, & ſupplicium de conjuratis ſumtum. Exin motis caſtris Durlanum circumſidet, ubi colluſtrans locorum naturam Valentinus Depardieus tormenti globo exanimatur. Is Lamottæ Toparcha, Grevelingæ, & armamentario Regis præpoſitus erat. Vir prudens, ætate provectâ, & ſcientiâ belli inſignis. Nam conſilio manuque promtus per juſtos militiæ gradus, à gregario milite, eò faſtigij enixus erat. Armamentarij cura in Alfonſum Mendozam transfertur. Durlano pyrium pulverem inferre Galli tentaverunt, ſed improſpero conatu, cæſique feſto S. Jacobi, quem fauſtum nationi ſuæ diem Hiſpani habent. Villerius quoque Rothomago & mari apud Gallos præfectus capitur, agnituſque ab Hiſpanis, quòd à Sacro Fœdere deſciviſſet, nec iræ ulla alia cauſſa, trucidatur. Eodem tempore (Julius menſis erat) Swartzenburgius cum bis mille ducentis equitibus è Belgicâ in Ungariam proficiſcitur. Secuta eum peditum millia aliquot, hactenus in Treveris morata. Quinto Kalend. Jul. Mauritius Hagâ Arnhemum contendit, Selmam, qui Zutphanienſium locus, convenire juſſis militibus. Quartâ Julij die Grollam obſidet. Id oppidum quondam Carolus, inter Cæſares Quintus ejus nominis, munire pretij exiſtimaverat. Modicum adſurgit vallum, quinis defenſum propugnaculis, quorum ſingula inter octingentorum paſſuum ſpatium eſt. Sed pernoxium obſeſſis, quòd ſubduci è foſsâ aquæ poterant. Præſidebat Joannes Comes Stirumbius, cui centuriæ x i, ſed infrequentes, & militum non amplius ſexcentorum. Ne tormentorum quidem juſtus numerus. Quaterna modò erant, nec capacia globorum, qui plus duabus libris ac dimidiâ penderent. Unde facilè promotum opus, ſextâque obſidij die ad foſſas perductum. Caſtra circum urbem poſita & communita. Goram caſtellum in propinquo hoſtes extemplo deſeruerant, & Grollam euntes à noſtris intercipiuntur. Cæſi x x x, præfectorum unus cum ſignifero in poteſtatem venit. Reliqui neceſſitate adacti in veterem ſedem refugiunt. At diverſis tractibus Hulſtâ copias hoſtis abducit, militis quantum ſatis ad tutelam caſtellorum relicto. Manum quoque in Brabantiâ ad Turnhoutum cogit, cui ſe junxit Mondragonus, quatuor inſtructus machinis. Hinc in metu Fœderatis ne Tholam aut Bommelowartam irrumperet, aut Crepicordium, Sylvæducenſibus infeſtum caſtellum, obſideret. Igitur ſine morâ miſſæ à Patribus centuriæ nonnullæ, quæ flumine pro munimento utentes, repellere hoſtem ſperabant. Sed ille Turnhouto Weerdam petit, & militem undique præſidijs evocat, curâ tantâ, ut caſtellorum ad Scaldim nonnulla Antverpianis civibus cuſtodirentur. Mauritius ut hoſtem contrahere copias, & jamjam ſubſidio venturum obſeſſis intellexit, tantò celerandæ victoriæ intentior, caſtra primo circum Grollam caſtellis, aggeribus, propugnaculis firmat: & tribus ſimul locis vineas per foſſam inſtituit. Quâ diligentiâ ſtimulatus Mondragonus, ſummopere feſtinare, adeo ut tertiâdecimâ Junij die, ſecundum veterem ſupputationem, Moſam haud procul Venlonâ, poſtridie Rhenum amnem, Berkam juxtà, tranſiret, cum peditum ſeptenis, equitum duobus millibus: quo in numero bina millia expleverant Helvetij: cæteri Belgæ, & Walones. Quos ut Rhenum acceſſiſſe nuntiatum eſt, Mauritius, ſiquid fortè celeritate efficeret, dirigi tormenta, & poſtquam ter diſploſa erant, dedi oppidum jubet. Interea, ſuperato jam Rheno, Luppiæ propinquare Mondragonum nuntij ferebant. Quamobrem cum latiſſimo caſtrorum ambitu diductus miles, ſimulque externum depellere hoſtem, & reprimere oppidanos in arduo fo-

ret,

ret, cēnſuit Mauritius ſolvenda caſtra, & ſub veſperum conclamatis vaſis cIↄIↄ
poſtridie (xv dies Julij erat) obſidium deſeruit. Ingens in caſtris appara- xcv.
tus, aſſeres, longurij, ligones, aliaque quæ capi curribus nequibant, ne
hoſtis potiretur, exuſta. Etiam trecenta cereviſiæ dolia lixæ reliquerunt,
quâ ad ſatietatem hauſtâ, miles quod ſupererat effractis vaſorum fundis,
effudit. Primis caſtris Borckeloam, horæ itinere à Grolla, exin Lochemum
ventum eſt. Tum relictis Zutfaniæ majoribus tormentis, ſenas medij ge-
neris machinas Mauritius aſſumit, & hoſtem petit. Caſtra Silvoldæ ponun-
tur, Ulftâ haud procul, ut Doetecomo, Anholto, & Herembergæ, exiguis
oppidulis, in propinquo exercitu præſidium eſſet. Certum erat Mondra-
gono protinus Transrhenana repetere: quod ubi Mauritio compertum, in-
dignum famâ ſuâ rebatur intactum è manibus hoſtem emittere. Tamen
hoſtilium caſtrorum ſitus vix ullam conatibus occaſionem dabat. At Grolla
eò anguſtiæ redacta erat, ut alterum jam diem pane obſeſſi carerent, nullâ
ſuper ſpe, niſi auxilia celerarentur. Nihilominus Patrum nonnullis perinde
gratum accidit caſtra à Mauritio ſolvi, ac ſi victoriâ inſigni potitus fuiſſet.
Quippe verebantur, ne memoriâ ante geſtorum fretus, ætate inſuper & ani-
mo vigens, ambigua prælij tentaret. Mondragonus Boeckholtum propter
conſederat, unde ob duras ſubvectiones Biſſelicum ad Rhenum movit, &
paucis poſt diebus trajecto Luppiâ, Walſomi caſtra locat. Mauritius ab-
euntem è veſtigio ſecutus, relicta ejus caſtra occupat, junctoque navali
ponte Rheno, ambo exercitus duarum tantùm horarum itinere, & Luppia
flumine diſcernebantur. Undecimo Kal. Septembr. Philippus Naſſovius
multo veſpere, cum quingentis equitibus Luppiam tranſit, ſtationarios ho-
ſtium equites ſub auroram oppreſſurus. Sed ipſe infeliciter inſidijs corri-
pitur. Etenim Mondragonus extemplo omnem equitatum ſilentibus tu-
bis exire, & ſtationarijs ſe jungere equitibus juſſerat: dubium cujus indi-
cio. Nam ipſe monitum ſe ab equitibus nonnullis ferebat, qui noctu ad pe-
tendam è noſtris prædam egreſſi, equorum veſtigia notaviſſent. Sed in
ſuſpicione duo perfugæ Britanni erant; quorum alter anno poſt Londini la-
queo punitus, ſupremis verbis indicio ſuo proditam rem profeſſus eſt. Igi-
tur Naſſovius, ubi deſtinato loco propinquatum, anguſtum tramitem, qui
in aperta campi ferebat, ſuorum nonnullos tranſire, & colluſtrare campum
jubet. Renunciatur ab hoſte teneri. Naſſovius ſolitas tantùm excubias
deſignari ratus, de reliquo equitatu nihil ſuſpicabatur, ut demum campum
ipſe ingreſſus advertit. Equitum exigua eum manus comitabatur, ſequente
reliquo agmine: & ne ſic quidem paucorum aut fidem aut operam egre-
giam in ſe expertus eſt; plerique fugam fecerunt. Adeo ut ſolus penè cum
fratrum utroque, & Erneſto Comite Solmenſi, ac domeſticis miniſterijs
relinqueretur. Tamen invictus animi ingruentium impetum ſuſtinet, ſuos
interea adfore ſperans. Sed ij ſegniter inceſſere, ob itinerum pericula, ut
ferebant. Philippus ipſe glande veſicam trajicitur, adeoque propè admo-
tus corpori ejus tubus, ut flammam veſtis comprehenderet. Noviſſimum
agmen Ferdinandus Kinskius, turmæ præfectus, dirigebat, qui increpans
fugitivos, cæteroſque adhortatus, fortiorum haud exiguam manum in ho-
ſtes rapit, acerrimeque dimicans vulnus, paucis pòſt diebus finem acce-
pit. Effecit tamen ut pede relato Naſſovium hoſtis omitteret, quem noſtri
equo imponere tentaverunt, ſed ille jactationi impar, cæteris ſaluti ſuæ
conſulere juſſis, convolutam modò veſtem ſupponi capiti poſtulat, mortem
exſpectaturus. Ardebant adhuc jacentis veſtimenta, & aquarum penuriâ,
quippe omnia circum ſteriles arenæ obtinent, injectu ſabuli oppreſſus ignis
eſt. Hunc in modum ab hoſte deprehenſus Berkam deducitur, comitante
equitum uno, qui petente Naſſovio, ſuprema in eum officia functurus, indi-

cIↄ Iↄ xcv. viduus ei adhæſerat, quanquam olim regis in partibus militato, &, ſi adgnoſceretur, certus exitij. Duodecimâ noctis horâ peccatorum pœnitens, & miſericordiam Numinis ſupplex implorans, vitam clauſit. Acceſſere decumbentem Mondragonus & ducum cæteri, ſtudio viſendi. Quorum ſingulos ille compellavit, ſuperatis majore patientiâ doloribus, quam pro mortis propinquitate: adeò & noviſſima vitæ ingens, & dignus genere animus, comitatus eſt. Poſtremus omnium Hermannus Bergius cubiculo exceſſit, non caritate, aut ſolandi cupidine, ſed probra jaciens, ſtolidè eum Fœderatorum partes regijs prætuliſſe. Quæſitabatque quid præmij, quid mercedis ſperaret? Nihil ad ea Naſſovius, ſolùm mitteret id genus ſermones, nunc intempeſtivos, rogavit. Eodem cubiculo Erneſtus Comes Solmenſis attinebatur, & non multis pòſt diebus ſupremam neceſſitatem implevit. Erneſtus Naſſovius, Philippi frater, non agnitus ab hoſte, cum nonnullis equitibus redemtus eſt. Tertius fratrum Ludovicus, Luppiam ſaucius tranavit, & hoſtium effugit manus. Paullò pòſt Mauritius Meurſam arcem dolo incaſſum tentat. Jam miles foſſam, quæ altiſſima præfluebat, compleverat, & ignaris cuſtodibus in vallum connixus, infixarum ſudium nonnullas convulſerat: ſed quia laboris potiſſima, noctis exigua pars ſupererat, cœpta omiſere. Apud Gallos hoc anno res non uſquequaque proſperæ. Quippe Henrico Regi bellum in hoſtiles Belgas promittenti, Patres, haud citra diſpendium rerum ſuarum, quingentos equites, peditum duo millia ſubmiſerant. Sed quàm nullo digno operæ pretio tempus triverint, ſuprà retulimus. Bovillionæo, cui ſuprema belli cura impoſita, poteſtas, & imperium ab Rege ampliſſimum (qui & palam edicto, quicquid Hiſpano ſubditum, hoſtile pronuntiaverat) ſed non miles, non machinæ, non reliquæ belli neceſſitates erant. Accedebat novum malum ex domeſticâ æmulatione, dum conſiliariorum Regis potiſſimi, ob diverſa ſacra infenſi Bovillionæo, tum & ægre ferentes contra opinionem, contra conſilium ſuum, illius tantùm impulſu bellum Hiſpano Regem denuntiaſſe, impedimenta gloriæ ejus parare, ac famæ præripere materiem omnibus modis nitebantur. Imprimis Nivernenſis Dux, qui pecuniam militibus deſtinatam alios in uſus vertit, ipſos occultè ad ſeditionem incendit. Et, quo nihil magis noxium, procul Picardorum terrâ, in Burgundiam ſuperiorem Rex & exercitus abducti erant. Unde non modò Hiſpanos nequaquam infeſtare, ſed ne propria quidem tueri Bovillionæo licebat, paſſim ferro & igne vaſtitatem hoſte inferente. Burgundicum bellum tali ex cauſſa ortum. Pace inter Regem ac Lotharingum firmatâ, otijque impatientibus ducibus juxta ac militibus, Tremblecourtius & Auxonvilius propoſuere de invadendo Burgundiæ comitatu. Is ſub Auſtriacis fuerat, ex quo Maximilianus, noviſſimi Burgundiæ Ducis filiâ in matrimonium adſcitâ, comitatum ademerat Ludovico, inter Gallorum Reges, qui idem nomen habuerant, undecimo. Notabatur, ſecurum ijs tractibus Hiſpanum occaſionibus faciliùs patere: & ademtâ hâc ditionis parte claudebatur iter novo militi ex Italiâ adverſum Gallos aut Belgas venturo. Sed imminebant Helvetij, ex fœdere cum Hiſpano obligati Mediolanenſem ditionem, ac Burgundos, adverſus hoſtium externorum quoſvis tutari. Igitur ne bello huic arma ſua interponerent, præfertur nomen Mauritij, qui Burgundorum oppida, & Toparchias complures hæreditatis jure à Chaloniâ domo acceperat, & quomodo juſtus obtentus erat repetere armis, quæ in fiſcum ab Hiſpano redacta, ita Helvetijs cauſſa abſtinendi bello, quod Regi non cum hoſte externo, ſed ſubditis eſſet: quibus facilè redituram concordiam & obſequium, ſi ſua cuique tribueret Hiſpanus. Sic Tremblecourtius & Auxonvilius multa cum Gallorum manu Burgundiam irrupere, maximoq;

gentis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

gentis terrore, & ferro, & omni clade bellorum graſſati, ſed commodo cIↃ IↃ
ſuo nullo. Primis omnium Mauritij ſubditis incendium belli incubuit, & xcv.
ſiqua alia invalida loca. Nam Dolam, Graium, & Veſontionem, quæ expugnata retinere, & totam defendere Burgundiam poterant, intacta prætermiſerunt. Nihilominus tantùm terroris incuſſum Regi, ut Feriæ Ducem, Comitem ſtabuli apud Caſtellanos ac Longobardis præpoſitum, movere cum XII millium exercitu, ac Burgundorum tutari terras juberet. Hujus acceſſu eodem quoque Galliarum Rex pertractus, VII Kal. Jun. (veterem dierum ſupputationem ſequor) egregio certamine cum hoſte conflixit. Complures urbium in Burgundiæ Ducatu, ipſumque caput gentis Divionũ, in partes Regis tranſierant. Qui arcem Talanum, Diviono haud procul abſitam, circumſidere adgreſſus, ubi intellexit Feriam & Meduanium, trajecto ad Graium amne; ſubſidio obſeſſis venire, mille equitum manu in occurſum hoſti proficiſcitur. Milites Luxam propter (hæc media inter Divionum ac Graium jacet, pari ab utrâque urbe intervallo) convenire juſſit. Namque ſolitum Gallis, quò & alimenta & diverſoria paucioribus faciliùs ſufficerent, non univerſo ſimul agmine, ſed catervatim incedere. Rex cum Bironio, equitum magiſtro, tempeſtivè accedens, tametſi paucos ſuorum condictum in locum veniſſe advertebat, ipſe cum LX, Bironius cum L equitibus in hoſtem vadunt, qui de improviſo in conſpectu fuit. Rex ternas hoſtium catervas, primam trecentorum, alteram ducentorum, tertiam CL equitum in fugam dat, ipſe tertio certamine vix equitibus XXV comitatus: cæteri hoſtem conſectabantur. Pari ratione Bironius duos ingruentis hoſtis globos profligat. Fugientes ſe ad Meduanium receperunt, qui equites CCCC ſylvam juxta tenebat. Inſequitur tamen Rex, & ipſum in fugam conjicit Meduanium; ſed ſimul pedes hoſtilis in oculis fuit, vertit iter, & ſuos effuſiùs ruentes colligit. Interea deſtinatum in locum plures jam equites convenerant. Igitur bipartito aciem inſtruit, ſexcenti admodum erant. Hoſtes quamvis numero bis mille, prælium non auſi, & utrimque ſine pugna diſceſſum eſt. Perierant ex Hiſpanicis CXX, Galli quaternos modò, & captivum unum deſideraverunt. Aliàs quoque tramiſſo Arari Bironus inopinantes hoſtium equites oppreſſit, & pluribus cæſis, ſigna equeſtria quatuor, captivos non paucos abduxit; quos inter repertus Alfonſus Idiaquus præpoſitus equitatui. Rex victoriæ Bironij inſiſtens, iteratò hoſtilem equitatum pellit ad foſſas Graij urbis, in quam Feriæ Dux ſeque, & copias ſuas receperat, morbis ac transfugijs plurimùm attritas, unde pugnam tentare inauſum illi. Eo ſucceſſu multa Burgundici Comitatus exigua oppidula in poteſtatem Regis venerunt. Helvetijs poſtea Hiſpani legatus objecit, quod nulla Burgundis auxilia tuliſſent. Sed illi non ſine cauſſa abſtinuiſſe armis reſponderunt, quòd inviſi Burgundis ut hæretici laceſſerentur. At Henrico etiam Burgundici Ducatus oppida nonnulla acceſſerunt, hactenus Meduanio obſecuta: cujus in fide nunc urbium nulla, excepta Cabellione, quæ ſedes illi, & valido inſeſſa præſidio. In Burgundico comitatu nullum dignum præſidio locum Gallus expugnavit. Minutis tantùm oppidulis incendij & populationis metu pecuniam extorſit; præſidia haud impoſuit, quia pretium non erat. Interea abductis procul viribus, Hiſpani acribus Regis edictis, quîs bellum denuntiaverat, exſtimulati, numeroſas copias Picardorum in finibus conduxerant, quîs Fontanus Caſtelletum primò, exin Durlanum expugnavit. Præſidebat urbi Gamachius, cum Gallis mille ducentis, accenſis nobilibus centum. Et quamvis valido adeò præſidio, à multo tempore nullam Galli fœdiorem deditionem fecerunt. Quippe ſtrages XXI Julij die tormentis edita, vix quidquam adferre momenti oppugnantibus poterat. Miſſi eâdem die à Fontano, qui ruinam in-

cIↄ Iↄ xcv. troſpicerent, & ſi poſſent, occuparent. Hi in diſiecta venientes, vacuum defenſoribus locum advertunt, ſimul victoriam conclamant, quâ vociferatione reliqui exciti certatim accurrunt, & ſine prælio urbis potiti, cuncta victa occidioni dederunt. Compertum pòſt Gamachium, uſitato id temporis præfectorum more, propriam magis potentiam, quàm Gallorum commoda quæſiviſſe. Etenim veritus, ne regiorum multis in arcem admiſſis, nullam ipſe niſi obſequij gloriam haberet, Gallorum pleroſque in urbe reliquit, & ad extremam neceſſitatem iſthoc remedio reſervato, cum paucis fidiſſimorum arcem ipſe retinuit. Sed adeò inopinus Hiſpanorum incurſus fuit, ut, priuſquam ſubvenire eſſet, ipſe, & arx, oppreſſi ab hoſte tenerentur. Idem mox fatum urbem involvit. Quæ ubi proſperè provenerunt, tantum hoſti animus crevit, ut Cameracum, civitatem potentiſſimam, obſidio cingeret. Potiſſima Fontano ſpes ex civium irâ, jampridem regium Balignij faſtum, & ſuperba imperia ægrè tolerantium. Balignius multos annos dubius inter utramque partẽ nutans, ſpe bonâ & hos, & illos, impleverat; ſed victorem ſemper meliore; ut regiminis ipſe potiretur. Itaque nunc Hiſpani, nunc Gallorum, ſubinde & Fœderatorum Patrum pecuniâ, commeatu, & pyrio pulvere jutus erat. Et paullò ante obſidium publicæ annonæ partem venum dederat, addito obtentu, nequire ſe alioqui militem continere. Conjugem ejus nuper ſuſpectam cuſtodiæ hoſtes incluſerant: ſed mox dimiſſa, auxit opinionem de fide ejus ambigentium. Venerat in urbem Nivernenſis Ducis filius, cum equitibus trecentis, ad firmandos civium animos, ne dubitarent omnia Ducem tentaturum, filio & urbi ex hoſtium manibus eripiendæ. Exin fano S. Dionyſij præfectus quingentos in urbem equites adduxit, tantâ Fontani indignatione & irâ, ut Tribunum, cujus ſtationes Gallos tramiſerant, gladio percuteret. Militum circiter millia XII, machinas majores, aut medij generis quinquaginta in caſtris habebat. Artheſij, Hannonijque, ut infidis adeo vicinis liberarentur, omnibus rebus oppugnantes adjuverunt. Diverſa in parte etiam Rex ſummâ diligentiâ liberandæ urbi incumbebat. Quo fine quatuor millia Germanorum, ab Erneſto Aquenſi Marchione dimiſſa, Sancius confeſtim in verba ejus adigit. Miſerunt etiam Belgæ peditum duo millia, imperioſis adeò literis Regi flagitata, ut, niſi impetraret, neceſſariò ſe facturum, quòd Fœderatis pernoxium eſſet, minaretur. Aderant præterea Vaſconum totidem millia, nuper ſcripta, & Fœderatorum ære ſuſtentata. Britanniæ quoque Reginam rogat, ut haſtatorum IV millia ſcribere ſibi in regno ejus liceret, vadem ſolutionis Lutetiam offerens. Sed illa Hiſpanorum ſe irruptionem exſpectare reſpondit; nec pati res ſuas, ut virium quidquam abducatur. Adjecit tamen, Caletum, Dipam, ac Bononiam præſidijs ſuis cuſtodire ſe paratum. Cæterùm id ſuſpectum Gallis: quare Belgarum milite urbes illas firmaverunt. Hæc quamvis tanta, tantoque parata ſtudio, fruſtra fuere. Nam Balignius è civitate in arcem compulſus, & urbs dedita eſt. Paucis pòſt diebus etiam arcem dedit. Conjux ejus, animo ſupra fœminam, repentino dolore extinguitur; dum ſe ſperato faſtigio dejectam videt. At Cameraci jus ac potentiam omnem in ſe Hiſpanus traxit. Epiſcopo præter ſacrorum curam & juriſdictionem nihil relictum: exemplo Caroli Cæſaris, qui eandem cum Ultrajectinis viam inſtiterat. Henricus Cameracum deditum Lutetiæ cognoſcens, quanquam hyems imminebat, exercitum in Picardos rapit, & caſtellis claudere Feram adgreditur. Jam in gratiam à Pontifice acceptus erat, unde credere aliqui, pacem cum Hiſpano facturum, dixeratque ipſe nonnulla eam in ſententiam. Sed alia animo agitare oſtendit. Quippe, miſſo ad Fœderatos Patres legato, profeſſus eſt, ſubditorum ſibi nonnullos, belli cladium, & vaſtitatis à milite

inlatæ

inlatæ pertæſos: quorum prævertendæ deſperationi, pacis ſe identidem injicere mentionem, at diverſa animo premere. Firmabatque, cum à Pontifice abſolveretur, diſertim ſtipulatum ſe, ne ſocias gentes, cujuſcumque religionis forent, deſerere, aut initis renuntiare fœderibus cogeretur. Itaque paratum arctiori fœdere Belgis ſe innectere, & ſecuturo anno, perpetuò mercenarij militis VIII millia, præter nobilitatem (nam & hanc, ſi ita ferat, & prælij ſuſpicio ſit, convocari poſſe) in finibus Artheſiorum & Hanoniorum ſuſtentare. Hæc Gallus. At Londini Julio menſe atrox populi ſeditio adverſus exteros mota eſt, quam componere niſus Prætor urbis (Majorem nuncupant) ſaxis penè obrutus eſt. Alterum quoque motum hoc anno eadem civitas vidit, & miraculo erat, tot externos mercatores, ſe ſuaque omnia ibi credere. Imprimis Belgas, quibus crimina ſtruere Burlæus, gazæ Britannicæ cuſtos, omnibus modis nitebatur. Quippe mutuo ab ijs quingentos florenos flagitarat, mercedem nautis militem in Belgicam tranſlaturis, additis etiam minis. Perinde ac ſi tantillum pecuniæ magnum ad res Reginæ momentum forent, quæ decies centena florenorum millia & eo amplius, Belgarum bello quotannis impendebat. Eodem anno Hibernorum pars rebellavit, ubi plus molis Reginæ, quantò Tir-œnus Comes, rebellium dux, prudentior vir, & belli artibus egregius erat. Quondam inter Anglos moratus militarem ibi ſcientiam hauſerat. Miſcebant quoque ſe Hiſpani, & Scotorum qui Septentrioni propiores (ignarum parendi genus, & feris Hibernis haud abſimile) multa millia navibus in Hiberniam tranſmittebant. Regina, adigente neceſſitate, mittit militem opprimendis rebellibus, tandem quoque è Britanniâ Aremoricâ Noritium advocat, qui magnam cladem Julio menſe ab Hibernis acceptam, paullò pòſt in ijſdem ultus eſt. Aremoricam, & portuum ibi potiſſimos, frequentes Hiſpani tenebant: qui opportunitate trajectus uſi, Cornubiam irrupere, ac divite prædâ, multiſque hominibus, quos inter nobiles nonnulli, abductis, abierunt. Exſpirante Auguſto Dracus Eques, claſſe bellicarum XXX, & longarum aliquot navium, quæ tormentis IV vehendis ſufficerent, ex Angliâ ſolvit: & Fortunatas primum inſulas advectus, quamvis Hiſpano ſubditis, nihil damni intulit. Exin Occidentem petit, Panamam, & portum cui à divitijs vocabulum, tentaturus. Sed enunciavit conſilium intercepta ab hoſte navium una. Nihilominus Nominis Dei civitatem, & Rio de la Hacha diripuit. Univerſa claſſis inſequente anno in Britanniam remeavit, deſideratâ navium unâ. Militum quartam partem morbi hauſerant, quos inter Dracus fuit, & qui proximum ab eo locum tenuerat. Sub hæc Thomas Budlæus Reginæ juſſu Fœderatos Proceres conveniens, priora poſtulata repetit de reddendis pecunijs. Decies centena millia confeſtim, & tantundem in annos ſingulos efflagitabat. Subdidit etiam, niſi obtineret, certum Reginæ palam vulgare, quam mala ſibi pro ingentibus beneficijs gratia relata ſit. Etiam ſine morâ revocaturam auxiliares copias, & alienam alioqui à clementiâ ſuâ viam recuperandis pecunijs quæſituram. Triſte id Patribus accidit: nam acerbis adeo cenſibus, quîs & Reginæ ſatisfieret, & bellum duceretur, plebem onerare, durum; poſtulata abnuere anceps; juxtaque ſuſpectum erat, quod Regina jaceret, nequaquam ſe legibus fœderis cum Belgis initi ſtare velle. Quippe illis convenerat, debita non ante confectum bellum repeti. Notabatur eas hoc anno Belgarum res fuiſſe, ut languorem ac mutationem animorum in plebe omnes exſpectarent. Naves in Hiſpaniâ detentæ, & in Belgarum facultates, quantum credidiſſet quiſque aut deberet, inquiſitum erat, quo in fiſcum bona eorum redigerentur. Hâc re interruptus mercaturæ, & commerciorum uſus, quo cuncta Fœderatorum nitebantur. Harengarum piſcatum, & navigationes in

cIↃIↃ XCV.

quaſvis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ xcv. quaſvis alias oras, magnis cladibus perturbaverant Duinquerkani: quorum ſolos piratas è redemtionibus trecenta florenorum millia acquiſiviſſe, manifeſtum, & conſtans fama erat; graviſſimâ ſociorum navalium indignatione, adverſum rectores Reipublicæ. Gedanenſes edicto, nequis frumentum alias ad gentes deveheret, annonæ ſummam caritatem attulerant. Galli dubia fides, & plerique ambigere, an poſt abſolutionem Pontificis, pacem cum Hiſpano facturus, ac ſolos Belgas in tanti belli diſcrimine relicturus eſſet. Jam inritum Grollæ obſidium, inriti ſumtus ac labores, & collapſa exiſtimatio, nec eadem quæ ante gloria. Contra apud hoſtes proſperorum teſtimonia Caſtelletum, Durlanum, Cameracum, brevi tempore expugnatæ. In Hiſpaniâ ingens navium paratus; inceſſerantque rumores claſſem non minorem illa anni duodenonageſimi inſtrui, ſed prudentiùs regendam. Adventabat ex Hiſpaniâ Albertus Cardinalis, dulcem pacis nuntium ferens; quo antehac nationum urbiumque complures ad defectionem illectæ. His tam grandibus incommodis novum addere cumulum, & populum gravioribus tributis, & Reginæ poſtulatis in triſtitiam dare, ad Hiſpanicum jugum proxima erat via. Ne Reginæ quidem vel ſtatim, vel apertè affectas res demonſtrare dabatur. Quippe teneræ dominantium aures nudam veritatem haud accipiunt. Igitur, quod utiliſſimum viſum, Senatui ejus oſtenditur, quàm intempeſtivè nunc pecuniæ repeterentur; quanti periculi eſſet per omnes nationum, & procerum conventus, qui urbibus cuncta renuntient, palàm dicere, non decretum Reginæ pactis ſtare. Ipſi Eliſabethæ perhumaniter, ut in tali argumento, ſcriptum eſt, & paucis affectæ Fœderatorum res expoſitæ. Adjecta tamen venerationis teſtimonia, nihil Belgas antiquius habituros, quam ut oſtendant, quantùm ſibi in Reginæ amicitiâ ſitum exiſtiment. Illa excuſationem accepit, &, omiſſis prioribus, auxilium petivit navium xxx, præfinitâ magnitudine, ut cccc, trecentarum, ducentarumque vehium, cujuſque generis pari numero mitterentur, & milite, navalibus ſocijs, annonâ, ac cæteris belli neceſſitatibus proviſæ in ſex menſes: quas cum navibus ſuis Hiſpanicæ claſſi opponeret. Poſtulavit præterea, quandoquidem nunc reddere debitum Patres nequirent, ſaltem oneris parte ſe levarent, & quod ſub ſignis haberent Britanni militis, ſuo ipſi ære alerent, exceptis Brilæ ac Vliſſingæ præſidijs. Res Hungaricæ (breviter percurrendæ nobis, quia Hiſpani, Auſtriacorum, & Romani Pontificis artes adverſum Belgas plurimum infregerunt) proſperè magis nunc, quam ſuperiore anno, proceſſerant. Muhammed Turcarum Imperator, interfectis fratribus, & parentis Senatorum vetuſtiſſimo quoque ordine ſuo dimotis, & in multis novato rerum ſtatu, recenti, & necdum coalita autoritate, ab urbe, unde in cætera regimen, longiùs abſcedere non auſus, ſedem imperij premebat, virium potiſſima Conſtantinopoli retinens. Ea res Mansfeldio, qui bello huic adminiſtrando à Cæſare dilectus, occaſionem dedit Strigonium obſidendi. Militem, ſeverâ coërcitum diſciplinâ, ducere foſſas, munitiones facere, comportare vallum cogebat: & quo exemplo acriùs incitaret, verſari inter operas, ligonem ſubinde ipſe tractare: quâ diligentiâ ad extremas anguſtias obſeſſos compulit. Turcicos præfectos Budâ, & aliunde ſuppetias Strigonio venientes, obviam profectus, fudit, ipſe haud diu victoriæ ſuperſtes, ſanguinis profluvio extinguitur. Belgarum bello averſam à ſe fortunam magis quàm faventem expertus erat. Felix eo, quod ſuprema vitæ inſigni victoriâ decoravit. Et ſi ſecundas deinceps res ijs tractibus habeant Chriſtiani, non alterius virtuti id adſcribetur: quippe qui vincere hoſtes primus docuerit: ſin in peius labantur, triſtem mortalibus fati ſui memoriam relinquet. Strigonium non multò pòſt ipſis Kal. Septembr. deditionem fecit. Per idem tempus Moſcorum Dux

fœdus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

fœdus cum Cæſare init; eumque centenis Rubelorum millibus donat, qui cIↃIↃ
nummus duobus coronatis ſolaribus æſtimatur. Fœdus ei & amicitia cum xcv.
Perſarum Rege erat, & contermina utriuſque imperia ad Caſpium mare.
Unde ſpes, per hunc, Perſica denuo auxilia adverſum Turcas impetrandi.
Tractabat quoque Cæſar cum Polonis, nec ſine ſpe, ut diuturnam pacem
cum gente Turcarum abrumperent, & vires in perniciem communis ho-
ſtis verterent: ſed corrupit negotium Poloniæ Regis, & Maximiliani
odium. Etenim Maximilianus, Cæſaris frater, quo tempore Sigiſmundus
Rex conſalutatus, idem faſtigium ambierat. Et quamvis inferior viribus
pulſus, regium tamen nomen uſurpabat. Cæſar eum bello in Hungariâ ſu-
periore præpoſuerat, finitimâ Polonis terrâ. Quâ re graviter offenſus
Sigiſmundus, tanquam periculoſo, ejuſdem nuper faſtigij competito-
rem, validâ manu imminere finibus. Et fortè orto inter Polonos ac Se-
venbergenſes certamine de Moldaviâ, Maximilianus Sevenbergenſium
Duci auxilia miſerat; ſimul ſpes omnis, de Polonis in ſocietatem belli tra-
hendis, evanuit. Etiam atroci tumultu Auſtria concuſſa, ob acerbiſſimos
cenſus, oneraque ſubditis impoſita à miniſtris Cæſaris, & Comitum ac Dy-
naſtarum nonnullis, quîs Auſtria abundabat, promto Cæſare ad largiendos
honorum titulos. Ingens vis hominum, quinquaginta millia in unum col-
lecta, bipartitò ad ripas Danubij conſederant. Aderat quoque veterani
militis bona manus, & prudenter adeò cuncta dirigebantur, ut miles à Cæ-
ſare ex Hungariâ contra eos evocatus, irritâ re, nec ſine damno ſuo, remea-
ret. Interea cum diebus confluentium quoque numerus augeri, commu-
ni omnium indignatione, ob dura & intoleranda imperia. Quâ neceſſitate
adactus Cæſar in primorum nonnullos exemplum ſtatuit: tum ſubditorum
preces & remedia quærere velle dictitans, petit ut exiguum è ſuis nume-
rum perferendis querelis mittant. Sexdecim delecti ad Cæſarem, cæteri
domum quiſque ſuam ivere, interpoſitâ fide, denuo conventuros, ſi fide pa-
rum bonâ agere Cæſarem, ac deſideria ſua fruſtrari viderent. Fuit hic mo-
tus inter ea, quæ Cardinali Alberto, Cæſaris fratri, deſtinata apud Belgas
evertêre. Eum è Luſitaniâ adfuturum continui hoc anno rumores inceſ-
ſerant: ſed Bruxellas demum Februario menſe anni MDXCVI venit. Ibant-
que rumores, per illum Belgas, & pacem, & libertatem, & priſtinas leges
recepturos; at jã manifeſto experimento adprobabatur, Cæſarem, quamvis
Turcarum bello implicitum, ijſdem malis ſubditos ſuos premere. Sed nihil
æquè Patrum animos advertit, quàm interceptæ ad Philippum literæ. Scri-
pſerat eas Joannes Baptiſta Taxius, à conſilijs Regi, & apertè firmabat,
minimè paſſurum Senatum Hiſpanicum, ut pacis conditionibus Hiſpanus
miles Belgicâ exigatur. Etiam Cæſarem & Germanos Principes inride-
bat, quòd velut arbitri utriuſque partis agerent, quîs nullum hâc in re jus
foret. Addebatur, non inconſultum quidem videri, ut ſubditos ſibi Belgas
colloqui cum rebellibus Rex patiatur, omiſsâ nominis ſui mentione; ſed eâ
lege, ut acturos de pace legatos nequaquam Brabanti, aut Belgicarum na-
tionum aliæ deligerent, verùm Fontanus Comes. Ille mandata daret; ad
eum, non ad nationum Proceres legati de cunctis referrent. Denique, ad-
jiceret idem, quod maximè ex uſu Regis. Et ſi neutiquam à ſacris ſuis ab-
ſtrahi rebelles poſſent, autorem ſe eſſe, uti largiatur ijs Rex opinionem
ſuam ſequi. Cæterùm cuncta hæc ſubdolis artibus. Epiſtolæ hujus exem-
pla confeſtim tranſmiſſa ad Cæſarem, ad Saxoniæ Ducem, & Philippum
Ludovicum, Comitem Palatinum, tanquam delectos tractandæ paci: roga-
tique ij, quandoquidem fraudis plena omnia viderent, ne jam incaſſum ſe-
que & Belgas fatigarent. Scripſerat inter cætera Taxius, nullâ ratione ad
inducias Regi deſcendendum. Quippe, pacis dulcedine perceptâ, ſi nego-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcv. tium non procederet ſubditos ſegniores fore in tolerandis belli oneribus. Diverſa Juſto Lipſio mens, qui reducendis ad obſequium Belgis, nihil perinde atque inducias, eſſe rebatur: quîs Regis potentiam & autoritatem creſcere, Patrum minui; aſperatas mentes mitigari, & nationes urbeſque rebellantes quotidianâ conſuetudine, ac commercijs, facilè iterum coalituras. Denique potentiori ex inducijs plus commodi, certe minus periculi. At cum Alberto Philippus Arauſionenſis in Belgicã venit, ab anno hujus ſæculi ſexageſimo octavo in vinculis apud Hiſpanos detentus. Eum Fœderati Patres, per literas de receptâ libertate gratulati, rogavere, quando varios rumores, & magna per illum ſeſe effecturum hoſtis ſpargeret, ne in ditionem Fœderatorum, niſi ſe præmonitis, accederet. Suprà memoravimus, quemadmodum Brandeburgicus, & Palatinus, de fœdere cum Belgis ineundo agitaverint, quò firmarent ſibi ſperatam Cliviæ ac Juliaci hæreditatem. Quod ubi Cæſari per exploratores compertum, ſpem bonam Principibus facit, curaturum ſe, nequid de jure ſuo amittant. His promiſſis inlecti, antè meditata omiſere, & Pragam contendere legatos ſuos jubent. Quibus totam æſtatem nunc hâc, nunc aliâ morâ, aut excuſatione dilatis, reſpondetur, Cæſarem, affirmantibus medicis, ac prudentibus viris, ſpem certam concepiſſe, brevi Cliviorum Ducem redditum iri valetudini ſuæ. Proin novandi tempus non videri. Exſpectaturum, donec mentem Dux recipiat; interea miſſurum, qui ſuo nomine terras illas regant. Nec miraretur quiſquam, quando non ſanguinis tantùm nexu proximus ipſe, ſed & obnoxias haberet gentes illas; quippe Ducibus non niſi in feudum datas. Mota hoc reſponſo Principum ira; ſed quid potiſſimùm inciperent, diſſentiebant. Cliviorum & Juliacenſium primores, animadversâ eorum contatione, occultè Fœderatis Patribus denuntiant, neceſſariò ſibi aut induendum Hiſpani jugum, aut cum Belgarum cæteris pro libertate pugnandum eſſe. Non eſſe in arduo ſibi Equeſtrem ordinem, atque urbes fœderis nexu conſtringere, quo Ducis faſtigium, inſtituta, ac leges patriæ aſſerantur, & externa excludantur imperia; ſed requiri auxilium, & mutuas pecunias. Etenim regimen & ærarium in Cancellarij ac Senatus manu. Ob hæc jure vicinitatis ſubſidij aliquid hac tantum vice rogabant. Nam ſimulatque Reip. potiti fuerint (facileque id fœdere, quod dictum, confieri poſſe) abunde virium eſſe patrandis deſtinatis, nec in poſterum à Fœderatis opem petituros. Quatuor ſe millia eſſe eorum qui feuda poſſiderent. Stare ſecum pleramque Cliviorum, Bergenſem, ac Marcanam nobilitatem; urbes omnes, exceptis Emmericâ, Calcariaque: adeoque jam ſpem feciſſe hoſtium caſtra confeſtim invadendi. Patrum nonnulli prorſus ad laborandum huic rei, & oblatã nunc occaſionem avidè arripiendam rebantur. Etenim Fœderatorum imperium, qua ab ortu Rheno jacet, terris illis claudi. Simul per Juliacenſem agrum iter ad Bovillionæum, inde in Galliam patere. Periculosè differri, quando hoſtis properet. Non adeò nuper contatos Patres in cauſsâ Emdanorum, quamvis non tantum illic periculi. Urbes illorum tractuum, ut invalidæ ſint, eſſe pro munimentis amnes Rhenum, Ruram, Luppiam. Sic complura infirma oppidula, Doeſburgum, Doetecomum, Lochemum, ſic Herembergam, & Anholtum defenſa. At Patrum plerique, licet, utcumque res caderet, nullum Fœderatis periculum erat traxiſſe finitimos in ſocietatem belli: dictitare tamen, dubiâ in re nequaquam vicinos ad arma concitandos: præſertim ubi ſpem proſperorum excidij metus ſuperet. Paratum bello hoſtem, & Fœderatis potentiorem. Adverſarum partium regimen eſſe, multaque per diſſimulationem nunc concedi Reformatis, qui ſi moveant, ſæviendi cauſſam. Conjuraturos in perniciem Reformatæ religionis, quà inhabitantes ea loca Pontificios, quà vicinos Epiſcopos.

Cuncta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ xcv.

Cuncta hæc Patrum culpam fore: & hoſti jampridem dominationi illarum gentium, & obtentui, ſiquis detur, inhianti, optatam hanc occaſionem, nec ſine prætextu fore, quaſi Patrum cœptis compulſus arma memoratis gentibus intuliſſet, alioqui nunquam tentaturus. In fluvijs non id munimenti, ut hoſtis prohiberi poſſit, terrâ in partes diſtractâ, & Hiſpano faventibus regnatâ. Non poſſe Fœderatos procul abſita tueri, & Reip. vires abducere. Nec, ut Clivij differant, ſemel tantum impenſas faciendas, ſed ubi ſuſcepta res ſit, perſeverandum eſſe. Quippe corrumpi finitimorum ditionem, perverti facultates: nec cœpta deſeri poſſe. Ob hæc ſuadere Patres, ne temere quidquam moverent, & ſi quietos vellent adverſarios, exemplo ipſi præirent. Opperirentur, donec animum promerent Principes Germani. Interea clam civium optimum quemque foverent, publicè præſenti cuncta ſtatu relinquerent. Hæc ſententia prævaluit. Cæterùm ad Mauritium ac Mondragonum ut revertamur, hic Biſſelici, ille ad Cæſarowartam caſtris ſe tenuerunt, non ſpe ullâ rei gerendæ, quippe pares utrique vires, ſed quia glorioſum ſibi uterque rebatur in hyberna poſteriorem redijſſe. Unde & Mondragonus miſſo ad Mauritium tubicine, quaſi per jocum queſtus eſt, ſine cauſsâ ſe, graviſſimâ ætate (nam nonagenario haud multò inferior erat) compelli ad toleranda caſtrorum, & ſeneſcentis anni incommoda. Mauritius, ut prior ex hybernis moviſſet, ita prior domum reverteretur, ſibique id honoris daret. Fidem ſe interponere triduum modò, nec longiùs in caſtris manſurum. Paullò pòſt tamen vaſa Mondragonus conclamat, & undecimo Octobris die flumen trajicere ſuos cœpit, quinque turmis in Twentanam ditionem, vetera hyberna, remiſſis. Quod ubi Mauritio cognitum, cum univerſo equitatu digreſſus, noctu pontem petit, quo Dorſtam propter Luppia jungitur, ſpe intercipiendi, quas diximus, turmas. Dein ubi jam tranſgreſſas amnem intellexit, equorum veſtigia ſecutus adeò celerat iter, ut Guilhelmus Naſſovius, qui primo in agmine armatum tubis longioribus equitem ducebat, hoſtium noviſſimis à jactus ſpatio immineret. Illi viſis noſtris feſtinant greſſum, & anguſtijs captis rurſum reſiſtunt. Non putabat Naſſovius ſatis ſibi eſſe præſidij ad invadendum, & dum reliquos opperitur, campo hoſtes ceſſerunt, noſtris Enſchedâ tenus continenter inſequentibus, nullo pretio laboris, niſi quod currus aliquot rapti. Nec multis pòſt diebus etiam caſtra Mauritius linquit, Veriumque Equitem, cum Britannicâ legione, oppugnare ex itinere Weerdam arcem jubet, quinquaginta militibus inſeſſam. Is primâ die tormentis ſedem haud ſatis idoneam delegerat, unde aucta fiducia obſeſſis. Poſtridiè, tranſlatis aliò machinis, deditionem præſidiarij obtulerunt, non accipiente Verio, niſi victoris ſe arbitrio permitterent. Ubi non abnuerunt, milites xv Grollæ præſidium agere ſolitos, & ſubitò noſtrorum acceſſu Weerdæ incluſos, confeſtim dimiſit. Centurionem Pruiſtium Doetecomium, in patibulum ſuſtulit, quòd, invalido fretus loco, morari victoriam, & machinas exſpectare haud dubitâſſet. Militum gregarij in partes duas diviſi, ut, forte jactâ, ſemet abſolverent, aut damnarent. Mondragonus interea ad Moſam ſuos tenebat, ubi ſeditionem propter ſtipendia movente exercitu, tranſitum in Brabantiam ſimulat, & dimidiâ copiarum parte tramiſsâ, utroſque diſcrevit, ne vitijs vires accederent. Quarto Nonas Octobr. Carolus Heraugerius, centurio Bredanus, peditum DCCC, ducentorum equitum manu, quos ex præſidijs evocarat, Lieram per dolum occupat. Hiſpani & cives fortiſſimè repugnantes à quartâ matutinâ ad nonam diei horam reſtitere, quando fori ac platearum potitus Heraugerius, tamdiu continere à populatione ſuos nequivit, donec invalidam por-

cIↄIↄ xcv. tam, in quam Alphonſus Luna cum xl militibus perfugerat, expugnarent. Is, ſimulatque certari cœptum, curſores Antverpiam Machliniamque dimiſerat, auxilia petituros. Centuriones noſtri, quamquam propè à ſemihoræ itinere adventantem per patentia camporum hoſtem eminùs viderent, militem tamen ut arma caperet perpellere non potuerunt, tanta in prædatione libido erat. Quiſque ſpolia & captivos ſuos pertinaciſſimè retinere, & quadringenti ſuper prædam ſuam fœdè proſtrati. Præfectorum nonnulli, quamvis à ſuis deſerti, ne ignominiæ aut cladi ſupereſſent, ſtrenuè dimicantes occubuerunt. Cum cæteris Heraugerius effugit. Reperti etiam, qui de ſalute ſolliciti, maturè ſe raptaque Bergas ad Zomam, aut Bredam contulerant; manifeſto documento, pugnæ duces, militem prædæ vacaviſſe. Cladi huic ſoluta diſciplina cauſſam dedit, quæ omni hoc bello collapſa ac diſpreta jacuit. Non ducum imperia miles accipere, non duces autoritatem aut reverentiam ſui parare poſſe. Quippe favore & ambitu, non meritis, ad imperia perducti, epulis, laſciviæ, aleæ, & ſiquæ id genus inter milites corruptelæ, plus temporis, quàm militaribus exercitijs dabant. Itaque primùm vitijs certare, ſuaque prodigere; mox omnium inopes ad malas artes tranſgredi, & falſo militum numero delato, publicas pecunias privatum in quæſtum vertere; quo non aliud magis noxium ærario, aut viribus exercitus. Eandem ob cauſſam gratior illis miles, qui divitem prædam, quàm inſignem fortitudinis famam, reportaverat. Turpe compendium flagitia, gravibus pœnis coërcenda, non licita modò, verùm & laudabilia fecerat. Accedebat, quòd præfecti ſuæ quiſque centuriæ ſtipendia accipere ſoliti, rudem & ignavum militem florenis octo, quàm ſtrenuum duodenis mallent conducere. Neque hic pravæ cupidini modus. Ubi numeranda militi ſtipendia, pro victu, pro armis, pro veſte, & ſiquid ultrà tale excogitare dabatur, quantùm poterant, detrahebant. Hinc illis copia omnium, inde luxus. At in vulgo militum multi inopiâ, multi alijs afflicti incommodis, per ærumnas miſerabilem vitam tranſigebant. Et ſiqua fortè occaſio prædæ pateret, ceu rapaces lupi avidè involantes, nullius periculi metu pravam lubidinem ſiſtebant. Contrà diverſa hoc tempore Hiſpanorum inſtituta. Ibi vulgaris veſtis, victus parabilis, omnium denique frugalitas ducum, ſummos juxtà, & imos commendabant. Militi gregario ditiora ſtipendia. Equidem non negaverim, multa quoque ab illis protervè in ruricolas patrata, actas prædas, commiſſa impune flagitia, non ſocios, non vicinos violentas manus effugiſſe; ut dubium ſit Hiſpanicus, an Fœderatorum miles, hâc parte culpâ dignior, ut finitimæ etiam nationes ambigerent, utros odio acerbiore proſequerentur; ſed ſeveritas, & militaris diſciplina apud hoſtem vigebat, & ſæpe pœnam ſubiere, qui utilitatem publicam neglexerant, aut imperia detrectarant. Sic, ut ſuprà memoratum, à Fontano capite plexus Hiſpanicus Tribunus, quòd excubiarum incurioſior fuiſſet. Sic anno MDLXXXII Parmenſis eâdem pœnâ affecit equitum aliquot præfectos, quòd mandata de invadendo Noritio (quem per Flandros incedentem non itineris modò natura, quippe latus utrumque aggeribus munitum, ſed & conſerti implicitique haſtarum mucrones defendebant) fieri nequaquam poſſe rati, re infectâ remeaſſent. Decimo octavo Kal. Decembr. digreſſi Noviomago præſidiarij, Wierdam, Brabantiæ oppidulum, oppreſſerunt, abducto in captivitatem Henrico Bergio, qui unâ cum turmâ cuſtodiam agebat. Locus ob infirmitatem à noſtris deſertus eſt. Ejuſdem anni menſe Auguſto, Antonius, Luſitaniæ regno pulſus, ſupremam neceſſitatem implevit, haud procul Lutetiâ Pariſiorum; ubi obſcurus, & exiguo ſervitiorum numero vixerat. Notabantur in jecore veſtigia veneni, quod à Lopeſio præbitum ei ſuprà memoravimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

muſ. Per varios caſus & pericula vitam tranſegerat; multiq́ue mirabantur, cIↄIↄ
primò Luſitanorum cæde Marocci factâ, exin prælio victum ab Hiſpano, xcv.
evaſiſſe. Sed ille errabundus omnem Luſitaniam peragraverat, mutatis in ſingulas noctes latebris, quo falleret inquiſitores, quos ingentibus præmijs Philippus accendebat, donec tandem à Belgico nautâ in Angliam delatus eſt. Adeoq́ue in ipſo itinere magnus inopinantem terror perculit, occurrente nave Hiſpanicâ. Sed nauta, homo ingenioſus, peſtilentiâ infectos vectores ſuos ſimulans, fugavit Hiſpanos. Antonio recuperandi regni ſumma ſpes in inveterato Luſitanorum in Caſtellanos odio. Etenim duo impoſtores, quorum uterque, ſed diverſis temporibus, Sebaſtianum ſe finxerat (ſed agnitus hic ad remos damnatus, ille in prælio occubuit) adeò favorabile ſuum fecerant nomen, ut ingens ad eos hominum concurſus fieret. Inceſſeratq́ue opinio, ſi eorum alter ſeptingentis, quos ſecum trahebat, viris, rectà Olyſſiponem, caput gentis, petiviſſet, regni fuiſſe potiturum. Conſtat fuiſſe è potiſſimis Luſitaniæ primoribus Comitem quendam, qui Olyſſipone per id tempus agitans, jecerit, *certum ſibi, impoſtorem hunc eſſe. Nihilominus ſi in urbem veniret, ſe ut non primum, ita nec noviſſimum fore, qui adeptum ei faſtigium grataretur.* Adeò ut Luſitani, exuendo Hiſpanorum jugo, fraudatoris imperia fuerint accepturi. Unde conjectu facilè majora pro Antonio promtè tentaturos: ſed ille nihil in Chriſtianis Principibus opis invenit. Turcici autem Imperatoris auxilia, qui exercitus, & longarum navium quantum ſatis offerebat, rejecit; nequaquam barbaris aditum in orbem Chriſtianum patefaciendum, & conſcientiam recti regno potiorem ratus. Pecunias à Turcarum Cæſare petiverat, ſed ille, *in longâ majorum ſerie neminem ſe reperiſſe*, reſpondit, *qui expulſos Principes pecuniâ juviſſet; ſolitos militem mittere.* In Britanniâ agitanti per legatos Maurorum Rex obtulerat, ducenta ſe coronatorum millia Londini numeraturum, ſtruendis navibus, quîs in Africam trajiceret. Eſſe ſibi in vinculis VIII millia Luſitanorum, ſtrenuos omnes, & militiæ gnaros, hos dimittere, & ſimul cum eo tranſire in Europam velle, ut erepta reciperet. Ceterùm id quoque recuſatum Antonio, metuenti, ne Mauri, quorum in Arragoniâ, Valentiâ, Murciâque ſupra LX millia pœnæ metu religionem Chriſtianam ſimulare ipſe Rex non ignorabat, ejus adventu exciti inſurgerent, & ingentibus cladibus Chriſtianum orbem contunderent. E Luſitanis Gonſalus Meneſius mercator, qui Olyſſipone Lutetiam conceſſerat, quatuor bellicas naves milite, & cunctis neceſſarijs inſtructurum ſe offerebat, quîs Indiam Antonius peteret. Et haud dubiè gentilibus eum ſuis, ibi rerum potientibus, gratiſſimum hoſpitem futurum. Monſtrabatq́ue rationem, quâ paucis annis conquirere poſſet opum, quantum ſatis, conducendis copijs, ad ſubjugandam Luſitaniam. Mox cum nobiles Antonij ætatem, itineri imparem cauſſarentur, (quinquagenario haud multò major erat) Gonſalus, cui vicies centena coronatorum millia in bonis erant, paratum ſe dixit militum XII millia ſuſtentare, ſed hâc lege, ut ſtipendia ipſe numeraret, & ſubactâ Luſitaniâ ab Antonio reciperet. Verùm id honoris invidit ei Didacus Boteillus, alijq́ue è nobilitate Luſitanicâ, quîs mercatores deſpectui, & Judæis pares æſtimantur. Jamque increpitabant, tanquam vi adacturi, ut pecunias ſuas Antonio crederet. Quo metu ſubactus Gonſalus gemmas ac monilium alia collegit, & quicquid parati habebat æris, trajectis nominibus, Conſtantinopolim tranſtulit, eodemq; ipſe clã commigravit. Hiſpaniæ quoque Rex Antonio quadringenta ducatorum millia in annos ſingulos, dein Neapolitanam præfecturam, & quingenta millia ad ſolutionem debitorum obtulerat, ſi juri ſuo in Luſitaniam renuntiaret. Sed ille priora etiam abnuit, nedum hoſti ſalutem ſuam crediturus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcv. Septembri menſe, fato ſuo functus eſt Franciſcus Verdugus, qui emtâ in Lutzenburgo Toparchiâ, procul bello ac turbis, quietam ſenectam tranſegerat. Bona ejus Bruxellis publicâ auctione venum data, & ne ſic quidem ſatisfactum creditoribus, quos inter orta lis, cujus prima ratio haberetur. Certè mirari libet tantam paupertatem in viro, cui ſumma cura opes corradendi. Sed multi eas non furum ſcelere, aut prodigentiâ abſumtas, verùm in Hiſpaniam tranſmiſſas credebant. Verdugus abjectus ortu ad celſum faſtigium pervenerat. Ipſeque, Agathoclis exemplo, identidem id inter jocos, & riſum, memorare adſueverat. Matrem ejus inteſtina, aliaque mactatorum animantium membra repurgaſſe, ac venum proponere ſolitam ferebant. Ille primò in Hiſpaniâ inter pueros Regij ſacelli adlectus, mox miles, IV coronatis ſingulos in menſes meruit, tertius ipſe pallij dominus, quo per vices, nunc ille, nunc commanipulones ornati cernebantur. Dein centurionatum adeptus Mansfeldij Cômitis filiam, ſed notham, matrimonio ſibi junxit. Vir erat virtutibus dubium an vitijs inſignior. Ingens in eo animi vis, ſed comitiali morbo obnoxius ſæpe à furore parum aberat. Laborum tolerans idem, & diligens, tum ſcribendo, quâ re etiam eos ſuperabat, quos à ſecretis ſibi eſſe voluerat, tum lectione hiſtoriarum, ut experientiam ſuam augeret. Aderat & eloquentia, & comitas, & humanitas etiam adverſum hoſtes. Fidei cuſtos in levibus; fallax ſi perjurij notam quæſtus magnitudo mereri videretur. Avaritiam ne æquitate quidem coërcebat. Animus occultus, & ſimulator ſui: ſubinde tamen rupta patientiâ non tenebat iram: adeo ut Groninganos Senatores immani aliquando voce perculerit. *Creditis*, inquit, *adulatorem me veſtrum huc veniſſe? Acceſſi viros laqueo, mulieres ſtupris vexaturus.* Libidinum ac perierandi adeò immodicus, ut peccatorum ei veniam promittere Arnoldus Paſtor Groninganus abnuerit. Obijt eodem anno Mondragonus, ab exercitu in Antverpianam arcem reverſus. Fuitque hic annus triſtis Regi ſupremis neceſſitatibus ducum & ætate, & experientiâ præſtantium. Etenim Carolus Mansfeldius, Mondragonus, Lamotius, ac Verdugus interierant. At Madriti in Hiſpaniâ eodem anno multi è nobilitate, & primorum alij, ob ſtupra puerorum in cuſtodiam dati. Aſcolitanus Princeps, extra conjugium Regi natus, cum ejuſdem criminis poſtularetur, Marocum ad Mauros perfugit. Quos contra Hiſpaniarum Rex, tanquam exigua ei cum Gallis ac Belgis moles eſſet, novum quodammodo bellum cœptavit, propinquum Mauritanæ Regis (qui ab aliquot annis profugus inter Hiſpanos egerat) milite adjuvans, ut gentem ſibi ſubjiceret. Interea reverſæ è Septentrione Fœderatorum naves, non multò longius Veigato ſe progreſſas referebant, ad gradum uſque ſeptuageſimum quintum elevati poli. Ibique medio autumno glaciem non VIII aut novem tantum, ſed denûm, & XI in altitudinem paſſuum reperiſſe. Sed affirmare ea loca habitantes, aſperrimam ſuperiorem hyemem fuiſſe. In Veigato inſulâ rhedas pellibus, & arvinâ balenarum onuſtas, homines tamen nullos invenerant. Continentem contrà ſitam incolunt, qui ſe Samiutas nuncupant. Linguâ Ruthenorum utuntur, ſeque pulſos Veigato dictitabant à populis Septentrioni propius ſubjectis. Ipſi egentes homines, nigro colore, ſtaturâ brevi, ſimo vultu, ac minutis ſunt oculis. Carnibus crudis veſcuntur, panem ignorant. Adverſus ſitim aqua eſt, veſtis è pelle. Unum genti ſtudium caprearum venatus, quarum ingens illis tractibus copia: eſtque noſtris capreis genus validius: quippe jugum ferre adſuefactę, vehiculum inſidente homine trahunt. Medio hyemis continua ſex hebdomadas nox eſt. Nunquam tamen adeò illis tenebræ denſantur, ut ferarum venationem impediant. Terrarum ſolas novere, quæ Petzorum Obiumque amnes interjacent;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cent. Sed noſtri navim Ruthenicam ijs locis offendêre, haud abſimilem vectorijs, quîs Belgæ utuntur. Ea Geliſſam fluvium petebat, adferendis pellibus, & pinguedini ac dentibus marinarum belluarum: ajebatque ibi ſe hybernaturam. Quod inauſum noſtris ob portuum inſcientiam, & innantes Oceano glaciei moles. Igitur ubi fretum Veigati transgreſſi (quod duûm millium in latitudinem, quinum dierum itinere in longitudinem porrigitur) aperto mari aliquamdiu proceſſere, cujus altitudo c & LXXX paſſuum comperta. Exin Euro flare occipiente, retro curſum legunt, gelu veriti, quamvis Samiutæ nonniſi Africo ſpirante gelare ſuis in tractibus firmabant. Septembri menſe ternos falconis pullos albentes è nido ſuſtulerant, qui recentis carnis inopiâ, in itinere perierunt. Etiam candidam pellem immanis urſi adportabant, quem non incruentâ ſibi cæde proſtraverant, ſociorum duobus laniatu belluæ amiſſis. Denique & volucrem attulere colore, & magnitudine mergo perſimilem. Interiora nihil præter adipem erant, qui apud Samiutas in uſu medentium eſt. cIↄ Iↄ XCV.

FINIS LIBRI XII.

EVERARDI REIDANI

ANNALIVM LIBER DECIMVSTERTIVS.

BREVIARIUM LIBRI.

TRIBUTA *ac vectigalia à Fœderatis nationibus collata. Super ijſdem in Friſiâ diſputatum ab urbibus agriſque. Centuriones in partibus noſtris, falſo numero delato, publicum fraudant. Albertus Cardinalis militiæ diſciplinam atque ordinem reſtituit. Caletum, Ardreſiumque expugnat. Gallorum cum Anglis fœdus. Fera ab Galliarum Rege ſubacta. Eliſabetha claſſem in Hiſpaniam mittit, duce Eſſexio, cui Gades expugnatæ, exuſtæque, & quicquid ijs tractibus navium aut maritimi paratus Hiſpano erat, corruptum, vel everſum. De Covordâ muniendâ deliberatum, cæterùm nihil decretum; dum de præſidio imponendo contenditur à finitimis nationibus. Epternacum à Fœderatorum milite direptum, deſertumque. Caleto Ardreſioque in poteſtatem redactis, & dubijs Patribus quonam Albertus moturus eſſet, Hulſtam obſidet, quam poſt multa prælia, & acrem oppugnationem, Solmenſis Comes dedit. Eum paullò pôſt Zelandi munere dimovent. Galli diu otioſi tandem Artheſios invadunt. Alberti artes in movendis ſeditionibus, & auro corrumpendis, qui in Fœderatorum partibus erant. Patres admittuntur in ſocietatem fœderis à Gallis ac Britannis initi. Legati à Patribus ad inaugurationem Frederici, Daniæ Regis, miſſi, honorificè excipiuntur. Miſſi quoque ad Reginam legati, acturi de pecunijs, quas mutuo Fœderatis dederat.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

derat. Cimaci Princeps à Bironio cæſus. Patrum equitatus in Brabantiam irrumpens Bruxellas uſque pervadit. Seditio Herentaliæ orta. Alberti artes in Friſiâ Orientali, & Iuliacenſi Cliviorumque ditione. Quarum gentium regimen ſuſcipere Cæſar ab Hiſpano rogatur. Medicus furioſo Cliviæ Duci mentem reddere conatur. Colloquium de pace. Proditio in Scotiâ. Navium paratus apud Hiſpanos. Summa rerum omnium caritas apud varias gentes. Interdictâ navigatione in Hiſpanias mercatores Belgæ ad Salis inſulas, Guineam, & Braſiliam naves mittunt. Patrum miles ad finem uſque Auguſti in caſtris retentus, rogatu Galli, nec quidquam memorabile patratum. Gallorum perturbatæ res. Vngarici belli ſtatus. Claſſis adverſum Anglos ab Hiſpano parata perit. Pluribus exemplis comprobatur Hiſpanos mari infelices eſſe. Obſervatum decimo quoque anno in ſenarium deſinente, memorabile aliquid in Belgicâ eveniſſe. Muriumgliriumque exundatio, præcipuè locis argilloſis.

cIↄIↄ XCVI. INEUNTE anno, qui poſt mille quingentos ſextus & nonageſimus erat, Senatus Reip. neceſſitatem, & quanta arcendo hoſti ſubſidia requirerentur, Fœderatis nationibus propoſuit, poſtulavitque ut præter conſueta tributa (ducenta florenorum millia quotmenſibus erant) & emolumenta quæ ex mercibus illatis aut exportatis, vel in hoſticum tranſvectis provenirent, præter ea quæ vaſtitatis metu hoſtilis ager penderet; vertentis anni ſpatio quater ac decies centena florenorum millia conferrent. Adhæc millia ducenta, ſubſidium Gallo, & dimidium ejus ſummæ firmandis limitaneis urbibus. Nihil à nationibus detrectatum, ſolique Hollandi, confectis rationibus, pararunt ſe, ad tricies ac ſepties centena florenorum millia colligenda, non ad ordinaria tantum tributa, aut quæ ſuper indicta, ſed ſeorſim quoque onera ſua. Ob hæc cenſus, portoriaque omnia octavâ ſui parte adauxerunt. Etiam litigantibus, & fori cauſſis impoſitæ exactiones, unde florenorum L millia quotannis proventura ſperabant. Poſteaque autumno ejuſdem anni novum excogitavêre tributum, cujus emolumenta quotannis ducenta florenorum millia æquarent) in omnes qui ſericâ veſte, vel argento auroque prætextâ uterentur, ſuper ea, quæ in talibus pendebant venditores. Eundem in modum de tributis quoque Friſij conſultavere, & conventus Leovardiæ Kal. Decembrib. cœptus, tertium duravit menſem, nullo adhuc ſatis certo decreto, ob certamina, quæ diminuendo Naſſovij faſtigio & poteſtati, indies augeſcebant. Acceſſerant inſuper urbium agrorumque diſſidia, de ratione conquirendi æris altercantium. Tendebant urbes, imprimis adſcribenda cenſui bonorum immobilia. Agris placebat, manere vectigalia tributaque cereviſiæ, vino, ſaponi, ſali, alijſque id genus impoſita. Id non tam abnuebant urbes, quàm ſubeſſe fraudem querebantur. Quippe, nocturnis tenebris, per aggeres, aut ſecreta itinerum, annonam & quæcumque ad victum pertinerent, in agros convehi, fraudandis exactoribus. Igitur remedium ſtatuitur, nequæ deinceps naves in pagis vecta exponerent, ſed in urbes cuncta deportarent. Hinc neceſſariò cuncta peterent pagani, proximo triennio, interea in integro agris manſurum jus ſuum, & immunitates, quas ante habuiſſent. His quæ diximus tributis ac vectigalibus ſuſtentanda erant peditum duodequadraginta millia, equites plures mille octingentis, juxta contentum militaribus indicibus numerum. Sed compertum fraude centurionum, qui falſo numero delato quæſtui militem habebant, plus quam tertiam partem deſiderari, & exceptis præſidijs, vix quinque millia educi poſſe. Ob hæc ſeriò Patribus agitatum, quo potiſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

potiſſimum modo huic malo occurrerent. Varieque volvebant, ſtipendia
ſigillatim militibus ipſi annumerarent, an augerent, an denique ſpatia men- CIↃIↃ
ſium (qui dies XLVIII complectebantur) contraherent, adjectâ pœnâ, XCVI.
ſiquis falſo numero publicum fraudaret. Cæterùm tantæ hîc difficultates, ut vetere, quamvis depravatâ, formâ, relinquenda cuncta eſſent. Et, quæ hactenus regiorum res turbaverat, pecuniarum prodigentia, eadem nunc apud Fœderatos valeſcere. Simul fortuna in partium illam inclinavit, ubi meliori cuncta ordine gerebantur. Ærarij curam Parmenſi neglectam revocare Fontanus cœperat. Sed tanta corruptorum moles ſupererat, ut tam ille, quam Stephanus Ivarra, acerbis libellis apud Hiſpanos proſcinderentur, tanquam prodigi, & privato dediti compendio. Exin multa Albertus correxerat, autoritate, & viribus Fontano major; undecies quippe centena florenorum millia in menſes ſingulos ad bellum Belgarum in Hiſpaniâ decreta erant. Proceſſitque exacta ſolutio ad Octobrem uſque menſem anni MDXCVI. Idem ante omnia militiæ leges typis excuſas vulgavit. In quîs ſalubria non pauca. Sanxerat enim, nequis ſigniferi munus, nedum celſiores ordines obtineret, niſi trium ſtipendia annorum meruiſſet. Aurei velleris Equites, Comites, Dynaſtas, quicumque Tribunatu fungebantur, ponere dignitates juſſit, nemine ad eum ordinem admiſſo, præter Centuriones, aut quibus ob virtutes per juſtos militiæ gradus promotis, cauſſa nulla erat ad aulam potius quam in exercitu manendi. His ita conſtitutis, copias recenſet, & relicto urbium ſuo cuique præſidio, peditum millia XV, cum equitatu, rebus gerendis educere ſtatuit. Æqui ac diſciplinæ militaris ſumma illi cura. comitate & officijs ſtudia primorum, promto aditu & reſponſis, etiam humillimi cujuſque amorem provocare. Literas ad præfectos, ac militum duces, non, ut deceſſoribus ejus receptum, Regis ſigno, ſed ſuo ſæpius obſignavit. Adoleſcente vere ex hybernis movens, & rebus velut liberandæ Feræ compoſitis, quintâ Aprilis die Caleto incubuit: ac ſine morâ tormentis litori impoſitis, turrim portui imminentem (Riſbanum nuncupant) expugnat. Fœderatorum ſtationariæ ad Duinquerkam naves, aliæque repurgando ab hoſtibus mari emiſſæ, confeſtim ante urbem anchoris jactis, machinis ſuis interpellare cœpta nequidquam tentavere: ac poſtulante Vidoſano, qui Caleto præerat, tormentorum magiſtros XV, (nam deerant illi talium gnari) & pulveris nitrati aliquantum, in urbem miſerunt: etenim ea portus latitudo erat, ut ſecundante vento, prætergredi Riſbanum daretur, ſed non extra pericula tormentorum. Paulò pòſt Gallorum mille quingentos navibus Paullinus Comes adduxit. Cui Belgæ obtulere militem ſe in urbem perducturos, exiguo diſcrimine paucorum è machinis jactuum, & haud dubiè nonnullis in vanum globos caſuris. Sed ille nequaquam conſultum ratus periculo ſuos exponere, vertit iter, regreſſuſque ad Regem, fruſtra tentari, nec ullam ſpem patrandæ rei, affirmavit. Septimâ decimâ Aprilis die, portarum unâ tormentis leviter concuſsâ, in deditionem oppidum conceſſit, eâ lege, ut civibus facultates, & vita incolumes eſſent; præfectus cum milite, & quicumque vellent, in arcem abirent, & ſenûm dierum inducijs interpoſitis, de cunctis Regẽ faceret certiorem. Interea Princeps Mauritius, præſidij, quantum tutò liceret, Zelandiâ, alijſq; locis, deducens, eodem feſtinaverat; ſed Paullinum Comitẽ abiiſſe, deditamque urbem intelligens, revertitur. Eum ad ſe Rex vocabat, cum quatuor militum millibus diei tantum itinere à Bononiâ agitans, ſignificaveratque, octo aut X millia ab Elizabetha brevi adfore. Sed Mauritius excuſavit domeſticâ ſe neceſſitate, Zelandiam, præſidiaque nudata obtendens. Regi nequaquam id virium erat, ut ſimul obſidium Feræ continuare, ac laceſſere Albertum poſſet, cujus caſtra quantò tutiora ob

CIↃIↃ ſciſſam rivis terram, tanto Gallis magis acceſſus in arduo. Proinde quod XCVI. ſupereſſe unum videbatur, placuit præſidium augere. Reperitque Bovillionæus, quemadmodum terreſtri itinere, quadringenti in arcem milites perducerentur. Hanc quartadecimâ Aprilis die, albeſcente aurora, XX tormentis majoribus bipartito diſpoſitis converberare Archidux cœperat: quibus ſeptuagies diſploſis, irruunt oppugnantes, arcemque capiunt, Vidoſanum, & Gallos penè omnes interficiunt. Sexaginta admodum, aut ſeptuaginta Belgæ, duarum centuriarum reliquiæ, domuum ſe munimento tutabantur: nec arma poſuere, priuſquam militiæ jus promiſſum ijs, ſervatumque eſt. Hunc in modum celeberrimum Caletanum portum, ob quem tot Britannorum cum Gallis certamina fuere, nihil niſi neglectæ munitiones perdidere: nam lateritio tantum muro, ad veterum morem, cincta urbs erat: arcem, præterquam quod perangusta, quatuor tantum propugnacula defendebant. Quæ negligentia eò minus veniam merebatur, quod æſtate anteactâ Hiſpaniarum Regis ad Fontanum literæ interceptæ, ac Gallorum regi traditæ erant: quis omnibus viribus Cameraco incumbere Fontanus jubebatur: ſubjectaque cauſſa, indecorum regi conditam à parente civitatem ſub hoſte relinquere. Iiſdem literis Fontano mandatum, Caleto potiri adniteretur; quippe ex uſu id Regi. Unde patratis prioribus, Caleti tantò majorem haberi curam par fuerat. Cæterùm faciliùs Galliarum Regem excuſaveris, quod plus eâ tempeſtate præfectis in urbes poteſtatis fuerit, quam ipſi: quem inſuper Vidoſanus ſecurum fecerat, fidem jactando, & fortiter defendendæ urbis promiſſis. Poſtea tamen apparuit, privati quæſtus cupiditate, nequaquam pro opinione regis validum præſidium habuiſſe. Quippe de octingentis ſcripſerat, quibus additi quadringenti in arcem recens miſſi, mille ducentos feciſſent: ſed non is numerus repertus, quando Hiſpani irrupêre. At Alberto Archiduci, oppugnatio ea Paciottum, architecturâ inſignem, abſtulit: militum perpauci periere: adeo ut proſperum magis ſucceſſum ne votis quidem expetere potuerit. Etenim primo adventu non celebrem tantum famam adeptus eſt vicinis in gentibus, ſed opportuniſſimum quoque locum, mari oppugnandis Britannis Belgiſque, in quo Regi potiſſima rerum ſita. Nam anno MDLXXXVIII ingentes illi Hiſpanicæ claſſis conatus non aliam ob cauſſam interciderant, quam quia portu deſtituebantur, Parmenſi cum omnibus viribus, ab exiguo Belgicarum navium numero, Duinquerkæ incluſo: quâ tamen ipſa longè commodior Caletanus portus: cum illinc bis de menſe tantum incitatiſſimo aquarum æſtu, at Caleto ſingulis diebus ſolvere ac adpellere naves detur. Itaque Hiſpaniarum Regi, ſiquando novam inſtruere claſſem viſum fuerit, promtum pro portu Caletano, (qui ducentas circiter naves capit, centum ſingulas vehium) in anchoris tenere navium etiam vaſtiſſimas, & propè adeò ſub urbem, ut minores naves, earum præſidio, egredi tutò poſſint. Contra ad Duinquerkam, ubi brevia, à litore procul galeones arcebantur, & Fœderatorum naves, quas intactas vada tranſmittebant; cum nullum à magnis navibus periculum extimeſcerent, minores egredi portu prohibebant. Accedebat, quod nullas unquam raptarum à Fœderatis navium Duinquerkam trahere hoſtis poterat, cui hactenus ſatis, nautas abduxiſſe: nunc naves, nautas, cuncta capta Caletum rapere erat. Ob hæc ante omnia ſedem hanc navali bello deligere, ac Caletum quamvis contra vim munimentis firmare Albertus ſtatuit. Amplificatoque ſpatio, ipſum ſuburbium incluſit: cæterùm opus ob magnitudinem parum procedebat. A Galliarum Rege miſſi in Britanniam Bovillionæus, Sancius, & Calvardus, auxilia rogaturi: nec quamvis communem utraque gens hoſtem haberet, vetera æmulationum depoſuerant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Eſſexius Comes, qui (ut infrà demonſtrabimus) adverſum Hiſpaniam, aut ſubditas genti huic inſulas profecturus, validam manum coëgerat, Viqueſio Bononiæ præfecto paratum ſe demonſtrabat, vi Caletum repetere, priuſquam ab Archiduce munitionibus firmaretur: ſed cuſtodiri à Britannis urbem poſtulabat: quod Galli abnuerunt. Quamobrem legatis cuntanter à Reginâ reſponſum, & poſtremò, non ultra x x v coronatorum millia mutuo impetrata. Interea, dum Caleto Albertus curas vireſque impendit, Fœderatorum equitatus in Brabantiæ partem, quam Gallicam vocant, expeditionem fecit, ac exuſtis pagis aliquot, ulteriùs proceſſuris ſeditioſi Itali, & mille quingenti equites ſe objecere: quorum hi, in Hannoniâ ab Archiduce relicti, ut Feræ, ſi ſolutâ obſidione Gallorum Rex Caletanis ſuccurreret, commeatum inferrent. At Cardinalis, exiguo ſpatio quieti dato, Ardreſium petit. Id oppidum terreſtri itinere in Galliam euntibus obſtabat, jam olim prohibendis Anglorum incurſibus ædificatum. Præſidium erant militum millia duo. Et quando prævisâ hoſtium vis, nec ſubitò, ut Caletum, opprimebatur, ſpes erat diutius ſuſtentaturum. Nihilominus ſimulatque machinæ ſex & triginta urbi admotæ, jugum oppidani accepere, non prælio, non clade ullâ, ſed ſolis minis territi: nam extremam perniciem, & atrociſſima quæque Albertus denuntiabat, ſi tormentorum vim exſpectarent. Unde latiùs terror in limitaneas urbes manavit, advertitque non Gallorum minus quàm Britannorum animos, ut rebus ſuis invigilarent. Itaque Regina annumeratis (quæ diximus) coronatorum millibus x x v, jamjam abiturum Bovillionæum revocat; & confeſtim colloquium orditur, de conjungendâ perpetuo fœdere gente utraque. Quod quartadecimâ Maij die, inter legatos, ac Senatum Reginæ, his legibus convenit. *Vt auxilia adverſus Hiſpanum alter alteri ferrent, arcendo aut inferendo bello: nec pacem, niſi communi conſilio, facerent. Principum alios, quicumque creſcentem Hiſpani potentiam, & ambitionem ſuſpectarent, eadem in pacta pertraherent: quibus perfectis, exercitum communibus auxilijs colligerent: interea mitteret Regina quatuor militum millia, quorum ſtipendia poſtea à Rege refunderentur.* Ardreſium amiſſum non tanti Henrico fuit, ut Feræ obſidium omitteret, quod non minore conſtantiâ urgebat, quàm Hiſpani, duce Alvaro Oſorio (aderat etiam Montelimari Seneſchallus) deſperatione ſummâ tutabantur. Nulla tormentis in obſeſſos vis facta, non cuniculi, aut ſimile quidquam actum; ſed cuncta fame fatigandis obſeſſis compoſita, & aditus caſtellis ſepti: cæterùm quia non perpetuo opere clauſum oppidum, furtim ſubinde miſſa ab hoſte annona eodem inferebatur. Tentatum deinde Regi mergere fluctibus obſeſſos, aggere obſtructo amne: primo non ſine ſpe, quippe jam duorum in altitudinem pedum ſuperfuſæ urbi aquæ erant; mox tamen dilapſæ, invalido coërcendis ijs aggere, adeo ut experiendo edoctus Gallos ſtruendis aggeribus ineptos, poſtea quoties id genus opera orſus eſt, ex Hollandiâ talium peritos arceſſiverit. Jam Majus menſis cœperat, quum colloquium poſtulantes obſeſſi abſurda adeo propoſuere, ut ad ludibrium magis, quàm ſerio promta viderentur. Paucis pòſt diebus uxores liberoſque ejiciunt, quos tubis in oppidum redigi rex juſſit, obſeſſi eâdem vi arcebant. Ita è miſerabili turbâ aliquot hoſtium ſociorumque telis cecidere. Qui ſupererant, triſti ſpecie ſub urbis mœnia conſederunt: unde motus rex miſeratione, poſtulatorum pleraque obſeſſis conceſſit. Conditiones honeſtæ, & perquam liberales erant: nam permiſſum quoque tormenta Gallicis inſignibus notata avehere. Superiùs memoravimus, quemadmodum Regina autumno proximè acto, admonita de ingenti navium apud Hiſpanos paratu, omnia adverſus eos neceſſaria comparaverit: quam ad rem graves

cIↄIↄ xcvi.

cIↄ Iↄ XCVI. adeò ſumtus facti, ut quamvis nuntio ac metu Hiſpanicæ claſſis vaneſcente, Regina ultro Hiſpaniam invadere decreverit. Impellebat huc maximè Robertus Eſſexiæ Comes, tum juvenis annorum VIII & XX, qui ingenio, alijſque virtutibus inſignis, & altus animi, ambitione propriâ, materiem hinc famæ, & imperium claſſis affectabat. Itaque ille rumores de Hiſpanicâ claſſe apud Reginam ſemper in majus vero attollere, quò muliebrem animum, à ſanguine juxta & impenſis abhorrentem, flecteret neceſſitatis perſuaſu, ut potiùs bellum procul terris ſuis gereret, quàm miſerias ac triſtia ejus coram intueretur. Æmulorum alios obviâ humanitate ac promiſſis, alios territando vicit, minitans dejecturum ſe eos gratiâ apud Reginam omneſque Britannos. Nonnullos, quos nihil abſente ſe pro ſano facturos arbitraretur, itineris comites aſſumſit, gloriæ, & opum ſpem oſtentans: interea ſecuritati ſuæ conſulebat. Dein quo facilius cuncta procederent, nec immenſis ſumtibus Regina terreretur, multos ſuo privatim ære milites, multas naves armare. Collegitque ſuâ, & propinquorum fide, ſexcenta florenorum millia. Principum adhæc nobiliumque non paucos eo exemplo incitavit ad inſtruendas bellicas naves. Adeo ut in claſſe centum L navium, quarum IV & XX Fœderati Proceres miſerant, XX tantum nec plures à Reginâ eſſent: eædem tamen, quà mole, quâ ſplendore, flos ac potiſſimum claſſis decus erant. Plerique, ob amiſſum Caletum expeditione hâc deſtituros Anglos crediderant, idque Gallorum Regi optatum: ſed Eſſexius conſiderato, quicquid rebus præclarè apud Gallos geſtis gloriæ & fructus adquireretur, non ſibi, ſed alijs acceſſurum; ſubire pericula, & capeſſere hunc laborem ipſe maluit, tanquam famæ parandæ materiem. Et ne ſic quidem omnia illi ex voto. Quippe Carolus Houwardus mari apud Anglos præfectus (quem licet obtrectaturum omni itinere præſciret, comitem tamen neceſſariò ſumebat, ob autoritatem apud navales ſocios) tardè ſuppeditare neceſſitates claſſis, moras nectere, modò hæc, modò illa injicere trahendæ rei. Poſtea cum tempore animum quoque Regina mutavit, Eſſexiumque jam Plemuthi apud claſſem agitantem, ſeriò per literas, uti maneret, admonuit, perhumaniter innuens, ambitione actum, contra omnium conſilia ſententiaſque expeditionem urgere. Addebat, ſi maneret, factos ſumtus reddituram ſe. Eſſexius, ſi pro imperio Regina id juberet, nequaquam ſe contra tendere poſſe reſpondit, alioqui ſi animo ſuo morem geſturus ſit, profectionis certum. Igitur tertiâ decimâ Junij die Plemutho digreſſa claſſis, non ante quam S. Lucam, ac Rotumum inter conſpecta ab Hiſpanorum longis navibus, quæ Gades nuntium tulere. Prid. Kal. Julias jactis ante portum Gaditanum anchoris, militem confeſtim ſcaphis Eſſexius imponit, in terram expoſiturus, ne ſpatio interjecto durius cum parato hoſte certamen foret. Cæterùm prævalido vento præpedita illo die res. Stabat eo in portu claſſis parata itineri in Orientem: aderantque bellicæ regis naves una & viginti, in his quatuor vaſtiſſimæ magnitudinis SS. Philippi, Thomæ, Andreæ, ac Matthæi nominibus, appellatæ. Tormenta ex ære fuſili quatuor & quinquaginta, homines ſeptingentos ſingulæ vehebant. Duæ adhæc Epidauriæ naves, quarum quæque tormentis quinquaginta duobus ad bellum inſtructa in uſus regios. Ternæ inſuper Fregattæ, quis machinæ ex ære XVIII; his pro ſaburra ejuſdem generis tormenta erant, ſed abſque rotis aut plauſtris quis vehi ſolent. Ea vis, ut poſtea captivi prodidere, congeſta ad inſtruendam claſſem tunc Olyſſipone agitantem. Aderant denique navium reliquis prætoria, & quæ huic proxima dignitate, præſidium claſſi Orientem petituræ, quarum & hæc & illa tormentis XL munita. In univerſum hæc tertia circiter pars maritimarum Regis virium erat. Navium reliquæ Olyſſipone, alijſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

que Hiſpanorum portibus tutandis relictæ: dubio adhuc, quam partem conatibus ſuis Angli deſtinaviſſent. cIↃ IↃ XCVI. Cæteræ quæ in portu Gaditano conſtiterant naves, mercatorum erant, nonnullę machinis IV & XX, quædam paucioribus inſtructæ. Hiſpanicæ pleræque è Cantabriâ, Gallæciaque, exceptis Epidaurijs tribus. Præterea ſub mœnibus urbis naves longæ ſtabant duæ & XX, quæ primo veſpere pugnam cum Britannis cœptavere, & ſtatim ad ſtationem regreſſæ ſunt. Super has Philippus Neapoli, Siciliâ, & Genuâ omnes navîs longas, Britanniâ Aremoricâ militem ſuum evocavit. Melitenſes quoque equites rogavit, ut ſubmitterent ſibi, quicquid longarum haberent navium. Cæterùm id à Gallicâ nobilitate impeditum. Kal. Quintil. ſub ortum Solis Hiſpanica claſſis Portum Regalem petit: & ſolæ quatuor galeones altius paullò in ſinu Gaditano contra Pontalum conſtitere: quod vocabulum loco haud procul urbe, ubi ſalem accepturæ naves ſaburram exponunt. Naves longæ ad urbem manebant, Anglos exſcenſu in terram prohibituræ. Simul ſublatis quoque velis urbem Britanni prætervehuntur, galeones primùm, exinde inſulam invaſuri. Cæterùm id agitantibus ante omnia naves longæ ab urbe retrò Pontalum propellendæ erant. Itaque Verius equitum magiſter, aſſumtis humilioribus aliquot navigijs, horam integram, & eo amplius, cum longis navibus conflixit. Quæ ingentibus damnis affectæ, quinis earum laceratis, aut corruptis, jam recipere ſe ponè galeones cœperant. In eas dirigit naves ſuas Eſſexius, nec tamen cominus certamen inire quivit, prohibente aquarum deceſſu. Itaq; jactis in loco anchoris, tormenta quatuor continuis horis utrimque ſonuere, opperiente æſtum Eſſexio. Medio tempore navis Hollandica centurionis Guilhelmi Henrici, proprio igne correpta in ſublime abripitur. Auxit ea res animos oppidanorum, &, gaudij ſignum, ingentem clamorem ſuſtulere. Cæterùm mox ſublatis anchoris, & impulſis in vada galeonibus, vectores deſiliunt, & fuga ſalutem petunt. Comes Eſſexius ſine mora pinaſſas, & minores aliquot naves immittit, prohibituras ne ignem navibus hoſtis injiceret. Sed vix lateri hæſerat una earum, cum galeo, cui S. Philippi vocabulum, ignem comprehendit: quo incendio hauſta quoque Britannorum navis, homines in navigia evaſere. Pari modo denominatam à S. Thoma navim flamma abſumſit. S. Matthæus & Andreas ſervatæ, & vadis poſtea deductæ ſunt. Hæc conſpecta oppidanorum animos fregere: quippe fiduciæ illis potiſſima in galeonibus, & longis navibus. Jam mediam dies horam exegerat, cum Britanni, nullo reſiſtente, ad Pontalum exſcenſum in terram fecere. Quorum octingenti, quod primum agmen, ad urbem contendunt. Venerant Gades per idem tempus nonnulli è nobilitate Xeritana equites, qui aggregatis ſibi equitibus ſexcentis, digrediuntur urbe. In hos prælium ordientes Eſſexius jaculatores ſexcentos, Ludovicus Naſſovius, ex voluntariâ nobilium Anglorum legione, quadringentos haſtatos rapit. Confeſtim pulſi hoſtes, ſine ordine, ſine imperio, qua cuique proximum eſt, trepidi in urbem refugiunt. Nonnulli, omiſſis equis, pedibus ſe intra portas recipiunt: pars equis in propugnaculum connixi, quod cœptum, neque dum conſummatum erat: nam Rex, nuntiato Anglorum adventu, vallo & propugnaculis circumdari urbem juſſerat. Hos cum haſtatis inſecutus Naſſovius propugnaculum ſcandit, quod quia imperfectum, necdum annexum erat urbi, quam veteres muri claudebant. Hiſpani igitur equis deſilientes vallum aliqui ſuperant, alij quâ parte urbis mœnia pelago imminent, evaſere: ſimul oſtenſo Britannis, qua perrumperent, itinere. Imprimis tamen valli & urbis ſitum exactè explorant. Ubi ſimulatque Eſſexius omnia confuſa turbataque videt, dat pugnæ ſignum; nec mora, vallum tranſgreſſi, plateas, forumque occupant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ xcvi. quinque & xx tantum militum jacturâ: in quibus Winkefeldius, olim Gertrudenbergæ præfectus idem & proditor. Hoſtes, quà cives Gaditani, quà milites (duæ centuriæ erant) in arcem diffugiunt. Quidam tectis domiciliorum (quæ plana ibi) conſcenſis, ſaxa, lapides, & quicquid fors dederat, in ſubeuntes devolvebant, non ſine clade Britannorum: ſed mox deditionem fecere. Qui in arcem confugerant, ut dederent appellati, abnuêre, ſpe auxiliorum, quæ jamjam Hiſpali adventura credebant: at ubi pontem, quo continenti inſula jungitur, tribus Anglorum legionibus inſeſſum cognovere, (quas Eſſexius, ſimulatque terram conſcenderet, eo ire juſſerat) noctu ad pacta deſcendunt, centum viginti millia ducatorum pro incolumitate polliciti: facultates in prædam Anglis ceſſere. Ipſi in Britanniam, obſidum nomine abducti, ibique in cuſtodia extincti ſunt, vetante Rege à propinquis quenquam redimi. In urbe atque arce ſimul hominum millia erant IX, cætera imbellis turba, millia VI armis gerendis apta: erat ibidem armamentarium Regis, quo congeſta arma inſtruendo VI millium exercitu, dein mali, rudentes, aſſeres, & omnis generis navalis apparatus. Hunc in modum captis Gadibus Eſſexius poſtr. Kal. Julias ſubductas in Portum Regalem naves invadere agitabat, cum Petrus Herriera Cenſor militaris, & mercatorum nonnulli acceſſere, rogantes, ut redimere ſibi naves fortunaſque ſuas liceret. Etenim ex prædâ à milite direptâ vix ullum publico emolumentum; contrà pecunias, quibus redimeretur, in manu ducis, ex quibus utilitatem militi, & ſubſidium exſequendis deſtinatis. Nec latebat id Eſſexium: itaque quamvis centies centenis ducatorum millibus univerſa omnium ſumma æſtimaretur, tamen quintâ ejus parte redimi claſſem ac merces paſſus eſt, cæterùm exemtis Regis navibus. Vix ea pacti mercatores erant, cum juſſu Medinæ Ducis, claſſis tota incenditur. Quippe tertiam partem maritimarum Regis virium flammis abſumere, ſubditos ejus centies centenis ducatorum millibus ſpoliare malebat, quàm pati ut quinta ejus ſummæ portione hoſtes ditarentur. At galeonum, quæ in Portum Regalem ſe receperant, incendium effugerunt. Etenim ſimulac Anglorum legiones ad pontem excubantes, deſertâ ſtatione, ad urbem prædæ ſpe tetenderant, remis ad pontem properavere, & perfractis, quîs innitebatur, columnis aliquot, evaſerunt: quod iter hactenus nulli tentatum, nedum penetratum. Exin conſultavere Angli, retineri urbem, an deſeri è re eſſet. Comes, quamvis nihil tale à Regina juſſus, illuc inclinabat, paratus ipſe cum Verio, equitum magiſtro, & voluntaria Anglorum nobilitate, militumque millibus quatuor ſedem ibi figere. Validum à natura, & opportuniſſimum locum eſſe, univerſæ Hiſpaniæ bello laceſſendæ. Auxilia ſemper mari ſubmitti, dejectoque ponte quantumvis immenſis exercitibus non niſi trajecto freto oppugnari urbem poſſe. At Anglorum navibus univerſam patere Hiſpaniam. Deinde & anguſtiſſimas fauces à meridie urbis perfodi, committi maria poſſe, quo diſcreta urbs inſula ſit. Haud dubiè Marocci Feſſæque Regem, juratum Hiſpani hoſtem, auxilia laturum. Ipſeque Comes, *Si cœpta*, inquit, *ſuccedant, pulcherrimam Principi noſtræ victoriam paraverimus: ſin fortuna ſecundare ea abnuerit, ego profectò honeſtiorem tumulum Gadibus non inveniam.* Sed Houwardus, mari à Britannis præpoſitus, repugnabat, nec juſſiſſe Reginam, & duras ſubvectiones obtendens. Jamque commeatus partem è claſſe ſumere agitabat Comes, relicto, quantum reliquis ad iter in Britanniam, nec ultra, ſufficeret: promto etiam huc Belgicæ claſſis vicario: ſed Houwardus non modò è navibus quidquam accipi prohibuit, verùm & oryzam, oleum, frumentum, panem biſcoctum, aliaque in urbe, ac navibus cibaria, quaſi neſcius, corrumpi à navalibus ſocijs paſſus eſt. Alimenta au-

temè

tem è Britanniâ, aut Belgicâ petere, anceps, ob dubia tempeſtatum. Nec cIↃ IↃ XCVI.
plus certi de Maurorum ſubſidijs, aut animo Regis, nullis adhuc colloquijs,
nullis pactionibus tentati. Accedebat, quod regiâ centum millium itinere
mari abſitâ, integrum menſem, dubiæ ſpei exſpectatione, otiosè claſſem
conſumere, haud conſultum videbatur. Ob hæc opulentâ Gaditanorum
prædâ navibus impoſitâ, incensâque urbe, ſextâ decimâ Julij die vela Bri-
tanni fecerunt, alios quoque Hiſpanorum portus, & claſſes regias adgreſ-
ſuri. At Gades tam validam, tam opportuni ſitus inſulam, Anglos deſeruiſ-
ſe mirabantur cuncti, qui perpetuum inde bellum cum Hiſpano, & ad ex-
tremum quoque perniciem ejus exſpectabant. Ergone unam ob prædæ
ſpem tantos ſumtus factos? Regiam prorſus claſſem apparatam, nec ullos
præterea fructus victoriæ? Igitur indignari, quicumque Britannorum re-
bus cupiebant; Hiſpanus contrà reſumere animos, ac decus gentis ſuæ tol-
lere, tanquam non auſis adventum militis ſui exſpectare Britannis. Cæte-
rùm, rectâ æſtimatione, quamvis multo ſumtu, magno labore, ingentibuſ-
que periculis parta retinere ſatius fuiſſet: ingens tamen clades Hiſpanorum
fuit, plurimumque infracta Regis potentia, cæſaque, aut incenſa, virium,
quaſcumque mari habebat, pars tertia, ut ſupra demonſtravimus. Attinuit
ea calamitas claſſem bellicarum navium XXX, quę Olyſſipone inſtrueban-
tur, Caletum & Aremoricam Britanniam petiturę, gerendo mari bello ad-
verſum Belgas ac Britannos. Huic enim armandę conquiſitę machinę
ſexcentę, quę ternis, quîs vehebantur, fregattis, ad Regalem portum in-
cenſis, depreſſę erant. Prætoria deſignata, quę à S. Philippo vocabulum
habens, eodem in Portu flammis perierat: &, ſi vera captivi fatebantur,
una hæc vicies centena ducatorum vehebat millia, ſtipendium maritimo
militi, & ſubſidium bello contra Gallos Belgaſque. Igitur in univerſâ,
quam ſupra memoravimus, claſſe, accenſis tribus fregattis, quę pro ſaburra
machinis oneratę, tormenta plus quàm mille ducenta numerabantur.
Quorum complura poſt diſceſſum Anglorum profundo Hiſpanos eduxiſ-
ſe credibile eſt. Sanè à ſolis Belgarum ſocijs navalibus ſexagena è depreſ-
ſis, aut exuſtis navibus, extracta conſtat. Fatebatur quoque Judex
Gaditanus, ac Petrus Herriera, hujus claſſis excidio, quâ non alia
mercibus opulentior ad Indos profecta unquam eſſet, nullam regi ſpem
ſolitos ex Oriente proventus proximo anno exſpectandi; qui centies cen-
tenis ducatorum millibus æſtimarentur. Sed potiſſimum victorię pre-
tium in eo, quod detecta Hiſpaniarum imbecillitas, & hinc incitamentum
cunctis invadere eas parantibus. Quippe quacumque pedem Angli po-
ſuerant, terror ac fuga. Non ordo, non imperia ulla ad reſiſtendum, ac
inſuetæ armis gentes. Et qui diſſitis longè tractibus potens, domi iner-
mis ac nudus Rex erat. Gadibus digreſſi Britanni, iterato terrâ conſcen-
sâ, Pharum urbem incendêre: præſidiarij omiſſis tormentis ex arce ultro
dilapſi. His rebus geſtis urgere victoriam, ac Olyſſiponem, Baionam, Co-
ronam & S. Andreę, alioſque Hiſpanorum tentare portus decreverat Eſ-
ſexius: ante omnia tamen, quamdiu alimenta ſuppeterent, exſpectandum
Hiſpanicę claſſis, adventum cenſebat, quam ex Indiâ ſeptuagies centena
ducatorum millia advehere nuntiabatur. Sed Houwardus domum prope-
rans, ſine morâ eodem curſum direxit, deſerto Comite, qui horas IV & XX
ſolus in Oceano, & ab omnibus deſtitutus egit: donec intellectâ re Hol-
landorum vicarius, cum navibus ſuis, quas XXIV habebat, flexit iter, erran-
tem Eſſexium quæſiturus, quem Plemuthum uſque comitatus eſt, cui
ſummę pro hoc merito grates à Reginâ actę: & Houwardus, non niſi diei
ſpatio ante eos Plemuthum attigit. Direptę Gades etiam Belgis merca-
toribus, maximè his, qui Amſtelodami, Middelburgi, & Harlemi habita-
bant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ XCVI. bant, damna gravia attulere. Etenim Fœderatis, quia Hiſpanorum illos tantùm pro hoſtibus habent, quibuſcum bella gerunt, cum cæteris Regis ſubditis aſſidua, durante bello, commercia exercebantur. Adeo ut linum, ac ſubſerica veſtis, aliæque Belgarum merces, per id tempus Gadibus repertę, pretium tercentum mille florenorum excederent. Quod ubi Reginę auditum, ei quem rerum ſuarum Actorem in Britanniâ habebant Fœderati, dolorem ſuum ſignificavit, & potius, ſi præſciſſet, expeditione abſtituram fuiſſe; neque enim victorię lætitiam æquare dolorem ſuum ex detrimento mercatorum. Cæterùm culpa vix excuſabilis erat, quod Eſſexius & Houwardus priuſquam iter ingrederentur, libello, quem excudi curaverant, in Hiſpanias miſſo, nautas, & mercatores, quicunque Regis ſubditi non forent, de adventu ſuo præmonitos, ſi conſulere rebus ſuis vellent, domum quemque ſuam repetere, aut in Britannicam tranſire claſſem juſſerant, addito, alioqui damna illis eadem, quę hoſtibus impendere. Et quamvis Belgarum nonnulli mandatis obtemperaſſent, nihilominus quinquaginta florenorum millibus ſpoliati ſunt, avaritiâ Houwardi, hoſtiles pecunias eſſe prætexentis. Poſt diſceſſum Britannorum ſummo ſtudio affectas mari res reparare Rex cœpit, convocatiſque Hiſpaniarum Proceribus, grave tributum imperavit, quâ de re in contextu hiſtorię memorabimus. Eâdem tempeſtate cometes de cœlo in occaſu æſtivo Belgis fulſit, conſpectuſque etiam Gadibus eſt. At in Belgicâ dum abductis viribus Gallię Albertus incumbit, Guilhelmus Naſſovius Friſios, Groninganos, Omlandos, Drentanoſque hortabatur, ut munitionibus Covordam firmarent ac communes limites clauderent. Nam Covordā propter, in Friſiam ac Groningā tendenti exercitui, unum, & opportuniſſimum iter erat. Utilia ſuaderi omnes capiebant, prę cæteris maximè huc Friſijs inclinantibus. Itaque ab architecturæ ac belli peritis cognoſci naturam loci, ac varias deſcribi formas operis juſſere, eam, quę optima videretur, electuri. Propoſitumque de novem propugnaculis, & aliquot paſſuum millibus ambitu complectendis, quo ter mille militum, ac ſeſqui mille equitum capax locus eſſet. Adeo ut non facilè hoſtis Friſiam petens, tam validum præſidium à tergo relicturus videretur, ſed primas in Covordam vires verteret. His conficiendis decreta florenorum millia ducenta, promtis omnibus conferendo æri; & Groningani atque Omlandi Friſiorum poſtulato (hi maximè urgebant, quippe plura cæteris poſſidentes plura amittere, ac impenſas facere majores poterant) tertiam huius ſummę partem, Drenthani quartamdecimam obtulere: ſed cui nationum cuſtodia Covordę committeretur, diſceptabant. Friſij cuique proportione ſumtuum quos faceret, plus, minusve in cuſtodiâ juris concedendum dictitare. Et ſi Groningani, Omlandi, Drenthanique impenſarum conferre dimidium vellent, præſidij quoque alteram partem ſimul impoſituros. Cæterùm eâ conditione, ut, qui imperium in arce haberet, centurio ſuę gentis foret. Hæc nationum cæteris nequaquam probari, metu, ne poteſtate ſuâ Friſij abuterentur: quâ de cauſsâ æqualitatem urgebant, ut tertiam quiſque præſidij partem conſtitueret: exemplo communis Belgarum fœderis, qui licet opibus tributiſque impares, in ſuffragijs, ac regimine, juris tantundem haberent: aut ut Naſſovij arbitrio, qui Friſijs non minus quàm Groningę, Omlandis, ac Drenthanis, pręfectus eſſet, permitteretur militem, quem vellet, Covordę imponere. Friſijs neutrum placuit. Eæ diſceptationes Tranſiſalanos excivere, iique ſuo in ſolo ſitam Covordam dictitare, & Friſios viciṅaſque gentes contendere de partiendis in quę nihil juris haberent. Itaque Fœderatis Proceribus monſtrabant, nequaquam expedire, ut munimentis Covorda firmaretur: quippe venturum quondam fortè tempus

illud,

illud, quod urbis jure donata, mercaturam Daventrię, Swollę, & Campo- cIↃIↃ
rum in ſe traheret. Si omnino munienda ſit, æquum eſſe, ut ſuo Præfecto xcvi.
pareat. Fœderati Patres, quandoquidem Covordam ne Friſij quidem, aut Groningani, vel Omlandi, extra ditionem ſuam eſſe abnuerent, & omnis controverſia inter Drenthanos ac Tranſiſalanos erat, conſultum videri dixerunt, ut Friſiorum atque Omlandorum præfecto ſeparatim codicilli traderentur de cuſtodiâ Covordę ex ſententiâ Senatus procurandę. Darent hoc gentibus illis, quarum maximè intereſſet, quando Friſiorum limites Covordâ clauderentur, Tranſiſalanis nihil in eâ præſidij vel utilitatis. Cæterùm Friſijs non id minus, quàm priora diſplicebat. Etenim Covordam ob loci opportunitatem in poteſtate habere, non potentiam Naſſovij augeſcere deſiderabant; vetera factionum retinentes. Hujuſmodi ob certamina omiſſa res, ac Friſiorum aperti limites manſere. Eſtque hoc documentum, quę popularis ſtatus incommoda ſecum trahat. Majo menſe Ebternacum, Lutzenburgi oppidulum, à Fœderatorum equite oppreſſum, diſiectâque pylorectis vi portâ, direptum, rurſuſque deſertum eſt. Abbatem oppidi dominum, cujus latè autoritas, & juriſdictio valebat, captivum Noviomagum avexere. Sed ille libertatem uno, & quadraginta florenorum millibus redemit, tanto opibus Henricum Bergium ſupergreſſus, qui ſuperiore captus anno, quinis tantum millibus libertatem receperat, poſteaque, cives Wierdenſes, quanquam à noſtris ſpoliatos, ſarcire detrimentum ſuum coëgerat: obtendens, eorum ſe negligentibus excubijs abductum, exegitque pro damno quod ipſe, & equites accepiſſent, tria & xx millia florenorum: adeo etiam quæſtui illi captivitas fuit. Interea Caleto Ardreſioque ab Archiduce expugnatis, Oſtendæ metuebatur. Quamobrem ſummâ diligentiâ munitionibus urbis noſtri incumbebant, & quinquaginta florenorum millia, quę liberando Caleto Fœderati contulerant, Oſtendę impenſa. Albertus univerſum exercitum in Arteſiâ Junio etiamnum menſe retinebat, arcendę Gallorum irruptioni. Interea ſedulo conquirere, quæcunque obſidijs urbium uſui futura eſſent: varioſque rumores ſpargebat, quo Patres, dum ubique providere nituntur, diducerent vires: etenim hoc anno invalidas copias habuere. Centurię xx anteactâ æſtate Gallorum Regi ſubmiſſę, duodenę Germanorum exauctoratę, bis mille ducenti Angli cum Verio ad Gaditanam expeditionem miſſi, nec ſupplemento aut novorum militum quidquam ſcriptum erat. Brugenſes, & Flandrorum qui in Occidentem vergunt, Oſtendę obſidium urgebant: eaque ſpe omnia Alberti juſſa promtiſſimè exſequebantur. Nonâ Julij die Oſtendam Mauritius ingreditur, non ſponte Patrum: quippe verebantur ne obſidio urbem, illum urbi hoſtis includeret. Ibi mandatis quæ ad munitiones urbis pertinebant, ac modico præſidio relicto, quod primum ſuſtinere hoſtium impetum poſſet, in Zelandiam revertitur, Patribuſque demonſtrat, ex uſu Reip. facturum videri, ſi ad Oſtendam ipſe maneret. At Patribus non is animus, nec conſultum dicere, ut ſeque & Reip. dignitatem in caſum det: nedum ut urbe incluſo illo, quæ diſtrahendo hoſti cœptari poſſint, omnia negligantur. Ita Hulſtum prope conſedit, copiarum maximâ cum parte, & navibus: confeſtim Oſtendæ (ubi primo obſidij die nequaquam naves excludi aditu in urbem poterant) aut Hulſtæ militem immiſſurus: vel Bredæ, aut Tholanæ inſulæ, ſi illuc ſi hoſtis vertiſſet. Omnibus enim his metuebatur, non objactata modò rumoribus, ſed & hoſtis ipſius opera, cui ſubinde tentatum aliquid, firmandis noſtrorum conjecturis. Tertiâ Junij die Ekeloam caſtris motis, tormenta Brugas devehi Albertus jubet. Hulſtum conatibus ejus deſtinatam inde credebatur. Sed ſuberat metus, ne propere Oſtendam raperet agmen: unde, non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIƆIƆ XCVI. auſus Mauritius Oſtendâ centuriam vel unam firmando Hulſto evocare: alioqui, nullo ibi ab hoſte metu, quinas vel ſenas deducere licebat. Die ſextâ progreſſus hoſtilis exercitus Gandavum tranſit, octodecim machinas, & innumeram vim navium quis plani alvei, ſecum trahens. His auditis, illicò Mauritius Hulſtum tendit, auctoque aliquantum præſidio, per literas Patres monet, uti militum quicquid præſidijs tutò deduceretur eodem mitterent. Urbes nonnullas civicis ex Hollandiâ Zelandiâque cohortibus munirent, cæterùm curarũ potiſſima Brabanticis intenderent: quamvis enim Hulſtum peti pleriſque perſuaſum erat, opportuniſſimus tamen hoſti in Bredam caſus obveniſſe videbatur. Septingenti tantum milites præſidebant, & primâ nocte occupari claudique urbis itinera, tridui ſpatio admoveri tormenta poterant. Duobus locis, ubi munitiones ducebantur, propemodum patebat urbs. Jam horrea in ſuburbanis agris frumento differta, & nuſquam pabuli equitibus copia major. Igitur his de cauſſis auctum præſidium, uſque dum centuriæ tres & XX, equitum turmæ IV, in urbe eſſent: ac ſuper frugum veches quingentas, nitrati pulveris libras ſexagies mille, quæ proviſæ erant, aliquantum ejuſdem generis immiſſum. Etiam Bergæ ad Zomam valido præſidio tenebantur. Tholam quoque majoribus, quàm hactenus, copijs defendi par erat: adeo ut diſtractus tot varijs curis Mauritius, vix duo millia in caſtris retineret, quîs hoſtis cœpta interpellare nequaquam erat. Quo magis nonnullorum mirari dementiam libet, imprimis Zelandorum, qui tuenda tantum parta, ac liberandas graviſſimis exercituum obſidionumque ſumtibus nationes contendebant. Quippe præterquam quod impenſæ hujus anni priorum temporum ſumtus ſuperavere, etiam tot urbium pericula accedebant; adeo ut veriſſime feratur, qui arcere vim, nec facere ſuſtinet, exitij certum eſſe. Decem aut duodecim dies ad Gandavum ac Waſiano in agro hoſtis conquieverat, circumjectis formidoloſus oppidis, cum tandem equitum peditumque parte ad Antverpiam tranſmiſſa, raptim Turnhoutum proficiſcitur, complanatis quibuſdam Brabantiæ itineribus. Spargebatque famam & terrorem de duobus exercitibus: quibus conſtituendis venturos è Burgundiâ equites ſexcentos, trecentos ex Treviris, ſcriptos ſub ſpecie Hungarici belli. Forteque per idem tempus compoſita Italorum, ſæpius memoratorum, ſeditio, annumeratis ter & vicies centenis florenorum millibus. Quæ cuncta ſuper veterem timorem Bommeliam quoque urbem, & cognominem inſulam formidine involverunt, ubi invalida præſidia. Etiam Noviomago metuebatur, cujus in conſpectum poſtr. Kal. Julias hoſtis venerat, cognoſcendo ſitu, quantum priora ejus facta conjectantibus videbatur. Ob hæc Patres Galliarum Regem rogavere, ut XVIII centurias, liberando Cameraco ſubmiſſas, remitteret, Artheſiamque irrumperet. Irruptionem Rex nullam fecit, militem remiſit, & commodum ij acceſſere eodem tempore quo Scaldim hoſtes trajiciebant. Hâc, & nonnullâ adjunctâ manu Mauritius, ex agro Hulſtano Bergas ad Zomam tendit, relicto Tholanis aliquanto præſidio, quo utrique loco conſuleret, & è propinquo hoſtis deſtinata ſpecularetur, ac ſiqua opportunitas, commeatus intercluderet. Cæterùm ſimulatque eo venit, hoſtis noctu Hulſtanum in agrum tranſportare ſuos orſus eſt. Tria circiter millia per limoſa inundati agri captato aquarum humillimo deceſſu, tranſiere, & interfluentem alveum duobus navigijs, quà incuſtoditus erat, ponte junxerunt. Ibant rumores, ortum in exercitu hoſtis certamen, qui præcederent. Barlotius, alijque ſorte agi contendebant: Hiſpani, adhuc memores improſperè tentati tranſitus in Bommelianam inſulam anno MDLXXXV, agmen ſe ducturos apertè abnuebant; nec trajecturos, niſi ponte ſtrato, alijſque prægreſſis. His & Albertus acceſſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ceſſit, indulgentiâ in Hiſpanos, tanquam florem regij exercitus. Itaque decretum, uti cum Walonum legione Barlotius, cum Germanicâ Tieſtelingus anteirent. Hi duobus navigijs milites circiter quingentos aut ſexcentos tranſmiſere. In propinquo receptaculum noſtrorum militum erat: quibus præfectus, ut hoſtes ſenſit, inopinantes invadit, ſed in fugam tanto impetu actus eſt, ut receptum hoſtes irruperint, occuparintque. Adverſùm hos Solmenſis Comes cum militibus quadringentis Hulſto digreditur: ſed nocturnis tenebris, cum non ſocium quiſquam, non hoſtem noſceret, atque invicem miſcerentur, terror quàm clades major fuit. Nonnulli effuſo curſu alveum, quem tranſierant, repetentes, fluctibus hauriuntur. Unde Solmenſis cæſum, aut merſum aquis hoſtem ratus, in urbem ſuos reduxit, capto vexillo uno, armiſque, & multâ veſte occiſis detractâ. Tieſtelingus & Centurionum unus, domo Italus, occubuere; Barlotius ſauciatus. E noſtris Niveltius Botleiuſque Centuriones capti, Solmenſi crus trajectum eſt. Appetente luce hoſtes, ubi nihil quod reſiſteret advertêre, munitionibus ſe in aggere firmant: ac præſidio caſtelli, quo noſtros exegerant, plures ſenſim trajicere cœpere: donec trium millium numerus eſſet. Tardè ea res procedebat: nam & anguſtus parumque idoneus pons erat; & à Fœderatorum claſſe, ſimulatque huc appulſa, tormentorum jactibus multum moræ inlatum. Multoque damni amplius faciebant machinæ, quæ in Moervaerta collocatæ. Adeo ut ſpes inceſſerit, poſſe jam tranſgreſſos à ſuis intercludi. Octo diebus ſummis in anguſtijs verſati; non nave, non curru, ſubvecti commeatus; quippe inepto ponte, capitis periculo alimenta ſupportabantur, & qui perferrent, ſæpius tormentorum globis abrepti. Die, quæ trajectum hoſtium præceſſit, miles adſpectantibus & inſequentibus noſtris, Hulſto profugit: ac pernici curſu, ad aquas contendens, inſilijt, defenſuſque ab hoſtium jaculatoribus, evaſit: unde ſpeculatorem, & ſuam in excubando negligentiam noſtri agnovere, documento in poſterum, ut diligentius attenderent. Juſſerat Pr. Mauritius, diſponi per aggerem nocturnas excubias, quæ in hoſtem intentæ, prima ejus cœpta prohiberent: (nec arduum id; quippe duobus tantùm navigijs ei tranſitus tentatus) ſimulque reprimerent eruptiones eorum, qui receptum occupaverant: quo facto ægrè cæteri tranſmiſſuri erant; ſed neglectum utrumque. Nihilominus ſic quoque hoſtes, priuſquam ſe munirent, ejicere Mauritius decreverat, ni ſubita tempeſtas militem, quem properè Bergis ad Zomam adduxerat, in terram exponi vetuiſſet. At Zelandiæ Proceres, legatione ad ſociorum reliquos dimiſsâ, oſtendebant, ſolis ſibi hoſtem incubuiſſe, regiumque exercitum, tot nobilitatum victorijs, jutum annonâ cæteriſque neceſſitatibus à potentiſſimis Europæ civitatibus, Antverpiâ ac Gandavo, unam Zelandiam premere: juſſumque ab Rege inſulas, maritimamque oram oppugnare: proin orare, ut quicquid virium haberent, verterent in auxilia ſua, ſeque conſilio, pecuniâ, milite juvarent. Igitur è Friſiâ, Geldriâ, Tranſiſalanis, adhæc oppidis Oſtendâ, Bredâ, Tholanâ inſulâ, ac Bergis ad Zomam, quibus antea metus ab hoſte, Hulſtum centuriæ mittuntur; quorum pars urbi impoſita, pars Cruningæ in caſtris à Mauritio retenta. Mox decretum de ſcribendis militum duobus millibus in Britanniâ, Scotiâque, & oppidanarum cuſtodiarum millibus ſex, quæ dimidiato ſtipendio mererent, in Fœderatâ Belgicâ conducendis. Etiam Britanniæ Reginam rogari placuit, ut hâc rerum neceſſitate duo millia ſubmitteret, ſecundum Equiti Verio promiſſa, quum bis mille ducentos Anglos ad claſſem abduceret. Denique & viſum à Galliarum Rege petere, ne verſo in Belgas hoſte, otioſè tempus & occaſionem effluere pateretur; ſed accepta ante detrimenta ultum iret. Interea hoſtis limoſa agri cratibus virgultiſque

cIↃ IↃ xcvi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ xcvi. ſolidaverat, & correcto ponte, pro libitu militem machinaſque tranſducebat. Ita ſub veſperum octavâ Julij die munitionibus ſuis aggerem attigit, qui continuus ab urbe Moervaertam uſque procedebat. Moervaerta caſtellum eſt paſſibus ſexcentis quingentiſve ab urbe ſitum, latere quo Scaldis decurrit. Aggerem hunc, quo caſtellum urbi adnectebatur, ſuperioribus diebus bis, nec ſine clade ſuorum, ſuperare hoſtis fruſtra tentaverat. Cæterùm nonâ Julio luce ortâ, ſummâ vi medium aggerem adortus, potitur, ac centuriæ, quæ decem præſidebant, in Moervartam pars, aliæ ſe in urbem receperunt, non ſine notâ ſegniter geſtæ rei. Unus omnium Theophilus Dammannus Centurio, non degeneris animi, ſuſtinuit hoſtem, & cum ſolus longiùs nequiret, fortiſſimè dimicans occubuit, vel exemplo ſuo commilitonum incuſans ignaviam. Moervaertæ poſterâ die tormenta hoſtis admovit, expugnavitque. Milites enim cum vallum, è paludoſa contextum humo, globis tranſigi viderent, colloquium poſtularunt, eodemque veſpere factâ deditione, homines nongenti admodum, explicatis vexillis digreſſi, promiſſa fecere, Hulſtum ſe non propugnaturos. His patratis, urbi hoſtis ſucceſſit. Sed diverſo latere, quo Axela, & Naſſovianum caſtellum jacet, nulla hoſtium vis: patuitque ad ſupremam oppugnationis diem. Hâc recens miles, hâc commeatus, cæteræque belli neceſſitates in urbem, hâc ſaucij & ægri ex eâ venere. Unde ſpes retinendi Hulſti; tametſi terreſtre latus invalidum faciebat, flexum circularem in formam, vallum; & ſine propugnaculis. Cauſſa præcipua ex fiduciâ, quòd præſidio caſtellorum, quæ aggeri indita, hoſtem alvei tranſitu arceri poſſe noſtri ſperaverant. Nec, prohibito illo, opus munire urbem, niſi parte quâ aquis admovetur. At alij exiſtimare, labores & ſumtus tot circum oppidum caſtellis impenſos, in ipſum Hulſtum vertendos fuiſſe. Quippe firmato munimentis oppido, & illi, & circumjectis agris conſuli. Neque enim hoſti, de expugnando Hulſto deſperanti, agros pretium tanti laboris forè: Cui nunc inritamentum ſit urbis infirmitas. Interim Solmenſis molem pro oppido properè excitat, ac intus lunari munimento ſatis capaci vallum ab urbe ſeparat. Forteque ſub idem tempus proſperæ eruptiones ab obſeſſis factæ turbando hoſtium operi. Dein Baxius, equitum turmæ præfectus, Bergis ad Zomam navibus in Flandriam tranſiiciens, hoſtium quadringentos, palantes, & petendo commeatu, alijſque neceſſitatibus, longius à ſuis digreſſos, concîdit, captis ſexagenis. Prima hoſtium vis fuit contra molem obductam portæ, cui à ſacris virginibus vocabulum. Fronte cunei in modum procurrebat, quam ſummo ſtudio ſuffodere adnixi. Cæterùm cum latus utrumque diſpoſitæ in vallo machinæ defenderent, & operæ, jactibus noſtrorum pateſcentes, abriperentur, duos aggeres tranſverſos utroque molis latere jacit; quorum objectu ademta facultas ex oppidi vallo molis frontem proſpectandi: poſteaque minore periculo operę adminiſtrabant. Tertiâ & viceſimâ Julij die, ſecundum veterem ſupputationem, tormentis circiter quindecim moles pulſabatur, ac ſub veſperum impetus ab hoſte factus: qui primos militum ordines crure tenus armaverat, ut impenetrabiles tuborum glandibus eſſent. Pridie ejus diei cum centurijs quinque in urbem veniens Erneſtus Naſſovius, auxerat obſeſſorum animos. Quatuor ſecutis diebus majore vi quaſſata moles, & nequidquam crebris incurſibus impetita. Non pauci tamen defenſorum, oppugnantium plures cecidere. E noſtris Pironus, Solmenſis vicarius, & Balfourius Centurio, vulnerati. Apud hoſtes Barlotius Tribunus ex denis ſuæ legionis centurionibus unum tantum ſuperſtitem, nec in totâ legione milites plures c c habebat. Ipſe graviter ſauciatus, ac Antverpiam deductus eſt. Roſneus, caſtrorum præfectus, & obſidij non hûjus tantùm, verùm & ante

Caletani

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Caletani auctor, globo obtruncatus, non exiguo Archiducis damno. Eum
nobili genere apud Lotharingos oriundum, à primâ adoleſcentiâ belli ſtu- CIↃIↃ
dia tenuerant: & exordio Gallicorum motuum ſteterat pro Reformatis. XCVI.
Mox ubi in exitium eorundem Pontificij Principes conjuravere, Guiſius,
exercitâ viri prudentiâ motus, magnificis præmijs ſtipendioque in partes
ſuas traxit. Sed annis proximè exactis, tanquam Henrico Gallorum Regi
favens, arcana identidem nonnulla ſignificaverat, vera, aut ejus ſpeciem
habentia. Inter ea fuit, quòd Feræ ſuccurrere Albertum velle, regemque,
ut caſtellis ſupra ſolitum ſe firmaret, præmonuerat, quo minor de Caleto
ſuſpicio eſſet. Roſneo in caſtrorum præfecturâ Hermannus Bergius ſuc-
ceſſit. Vix memoraveris, quàm prodigus vitæ militum ſuorum Albertus
fuerit. Vulgatumque dictum ejus, *animas Deo, corpora Regi nata.* Sanè
adeò nullam tulit moram, ut inanes tantum gerras, in ſpeciem, & fallendis
noſtris diſponi juſſerit, quas ponè operi miles vacaret: quâ feſtinatione tor-
mentorum magiſtros hoc obſidio tricenos amiſit. Nitrati pulveris multo
minor apud eum æſtimatio, quem ſæpe ſupervacuè profundebat. Sic mœ-
nia urbis nonniſi factis aliquot jactuum millibus occupavit; quod, ſine tor-
mentorum vi, milites vel x x tutò patrare potuiſſent. Comitis Solmenſis,
quem penes ſumma rerum, aſſidua de augendo præſidio poſtulata erant,
promtè adeò ſubmittente Mauritio, ut ad ultimum in urbe centuriæ ſex &
x x x, in caſtello Naſſaviano quaternæ numerarentur. Nec minore con-
tentione pyrium pulverem, & commeatus conferri Zelandiæ Proceres
poſtulabant: cunctaque à Fœderatis nationibus, (licet ſubinde quereren-
tur, ſemper Zelandos abunde proviſum urbi dictitaſſe, & maturius neceſſi-
tatem revelandam fuiſſe) largiter ſuppeditavere: ita ut Solmenſis repletis
horreis, omnibuſque locis, partem in navibus extra urbem relinqueret;
quarum una alteraque injecto ab hoſtibus igne perierunt. Sexto Kal. Au-
guſt. primâ luce acerrimè tormentis oppugnantes intonabant, & quieſcen-
tibus ante medium diei machinis, cum obſeſſi prælio parati conſtitiſſent,
accenſus ſubitò cuniculus, frontem molis ac x x qui inſtiterant milites in
ſublime rapit: ſimul irrumpens hoſtis molem occupat: & obſeſſos mœ-
nium ſtragem petentes (nam adacti per molem globi urbis quoque val-
lum laceraverant) inſequitur: ſed ingreſſu à noſtris prohibitus. Periere eo
tempore Centuriones duo, Eggerus Scotus, ac Wichboldus Friſius. Ex
hoſtibus Centuriones I V. Mox erumpens oppido Solmenſis mole hoſtem
exturbat: captoque ſignifero (gente Italus erat) confitentem audivit,
quingentos legionis ſuæ milites duplarios, dum obſidium duraviſſet, extin-
ctos eſſe. Secutâ nocte Solmenſis cuniculum, providâ curâ à ſe effoſſum,
quò molem ſi tenendi ſpes abiiſſet, everteret, accendit, & æquato quicquid
editum erat, deſeruit locum non inulto hoſtibus expugnatum: quippe
raptim cœpta, & necdum conſummata moles erat, adeò ut metuerint ob-
ſeſſi, ne primo impetu ab hoſte caperetur; nedum ſperare auſi, tantum illi
laboris, ligone, tormentis, prælijs exhauriendum fuiſſe. Mœnium quod
diſcuſſum erat, confeſtim oppidani inſtauravere: ac lunarem munitionem
(quam orſi ſimulatque eam urbis partem hoſtis oppugnare cœperat) per-
ficiunt, celeratis operibus, ut ne noctu quidem, aut accurrentibus ad præ-
lium hoſtibus, intermitterent. Interea hoſtis, cui pyrij pulveris copia quam-
tamcumque vellet, ingentibus globis tecta domoſque feriebat, cre-
bris adeo ictibus, ut dies fuerint, quîs mille quingenti è machinis globi
numerati ſint: glandium vis innumera, & grandinis inſtar effuſa; ut miles
anguſta urbe conſtipatus, nuſquam niſi poſt vallum tutus agitaret; & quia
aſſiduò latitare non licebat, quinquageni ſexagenive indies vulnerarentur.
Unum afflictis ſolatium, quòd confeſtim in Hollandiam Zelandiamque

cIↄIↄ xcvi. curandis vulneribus deveherentur. Quarto Kal. Auguſt. vetere dierum numero, propugnaculum, quod urbi maximum ad aggerem portui adjectum pro Dobbelianâ portâ jacet, tormentis quatiebatur, ubi caſu ignis pyrio hoſtium pulveri illapſus, militum multos in ſublime abripuit, tanto fragore, ut non ſonus modò Middelburgi auditus, ſed & terræ tremor animadverſus ſit. Hoſtis ſummo ſtudio navium ultro citroque in urbem commeatus intercludere nitebatur: quo fine III Kal. Auguſt. duas campeſtres machinas Abſdalam (id caſtello vocabulum) trans aquas devexit: ſed utraque noſtrorum jactibus ex Naſſoviano caſtello corrupta. Eâdem die adeò aqua redundaverat, ut Abſdalæ, viciniſque caſtellis, vix tutò hoſtes agitarent. Ipſis Kal. Auguſti Solmenſis, & bellicus Senatus, quem ex omnibus centurionibus delegerat, ad Principem Mauritium duos Centuriones miſere, Johannem Wittium, ac Brugeſium. Infirmitatem oppidi, propugnaculis deſtituti, demonſtrare juſſi erant, nec militem aut damna inferre hoſti, aut defendere ſe ſatis poſſe: proinde ſententiam ejus exquirere, an non ſatius videatur, deditione urbis militi conſulere, quam & hanc, & illos in caſum dari. Rogare etiam, ut mittat aliquem, qui militarium operum gnarus introſpiceret, ullanæ ſupereſſet ratio, quâ urbem & decus ſuum tueri milites poſſent. Ad ultimum & ſupplementum mille militum poſtulabat. Mauritio ac Guilhelmo Naſſovio animus erat reſpondere, turpiter urbem dedituros, nullo adhuc hoſtium juſto impetu exſpectato: illo depulſo, conſilium pro re, pro tempore caperent. Sed diſſuaſere Patrum nonnulli, diutius ſuſtinendum dictitantes, neque concedendum id militi, ut deditionem præcipitaret. Urbem latere uno apertam, quo miles, commeatus, aliaque neceſſaria invehi poſſint, inexpugnabilem eſſe. Igitur conſilio Senatus Mauritius reſcripſit, faciliùs ipſum Solmenſem, qui præſens eſſet, quid utile, aut conſultum, quàm quenquam alium, qui extra urbem agitaret, dijudicare poſſe. Confidere ſe, eum, ac præſidiarios, omnia fortium virorum munia impleturos. Se ſuppeditandis milite, annonâ, alijſque neceſſarijs non defore. Brugeſio, qui hæc mandata Solmenſis pertulerat, nec centuriam ipſe habebat, urgenti datum, ut Schungelo (is centurio in urbe occubuerat) ſuccederet. Non quia merebatur, ſed ne ob repulſam commotus animi, ſive in urbem rediret, ſeu regredi abnueret, conſternationis cauſſa cæteris eſſet. Itaque cum Wittio Centurione in urbem per limoſa agrorum reverſus eſt, navibus ob imminentem hoſtem relictis. Cujus metu literas ad Solmenſem in lutum abjecere, indignante illo, eò magis, quòd epiſtolam privatim ad Centurionem, in oppido agitantem, perſcriptam pertulerant. Diebus illis obſidium magis, quàm oppugnatio fuerat: nam opera vix quidquam, aut nihil promota, & tormenta quieſcebant, omniaque otioſa, tanquam tædium aliquod priſtinum fervorem diſpuliſſet. Hinc novi obſeſſis animi, qui tertiâ Auguſti die, ſexcenti numero Abſdalam erupere; quâ parte ſenſim hoſtis Naſſoviano caſtello adrepebat claudendo flumini. Eum igitur adorti, caſtello primo, alteroque, ubi defixa tormenta, proturbant, quicquid reſtitiſſet occidioni dantes: mox tertio, quartoque: ubi hoſtium pedite, & equitibus occurrentibus, pedem referre compulſi, abductis centurionibus duobus. Hiſpanus ille, hic Scotus, triginta annorum ſtipendia, ab initio hujus belli, ſub Rege meruerant. Aderant erumpentibus ſocij navales L, qui tormenta caſtellis avellerent; quod quia nequibant, clavos impegere, feſtinatione, an inſcitiâ diſplodere ea omittentes: unde factum, ut adacti clavi, nullo aut hoſti, aut tormentis damno fuerint. Poſtridie diverſo urbis latere eruptionem obſeſſi faciunt, occiſis hoſtium militibus centenis, centurionibus quatuor. At illi interea mœnium diſiecta ad portam à ſacris virginibus denominatam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

minatam inſederant, unde tamen cuniculo ſuccenſo exturbati. Effoderant quoque alterum cuniculum obſeſſi, medio inter amiſſam molem, ac vallum ſpatio: quo loco per occultam feneſtellam, tres quatuorve lectiſſimi jaculatores, aſſiduis jactibus, & nulla temerè effusâ glande, optimum quemque hoſtium proſternebant. Illi à templi turre deſuper ſe petitos rati, tormenta in eam dirigunt. Tandem tamen animadverſo errore, feneſtellam injecta humo obſtruunt. Obſeſſi confeſtim dimidium pyrij pulveris vas inferunt cuniculo, & antro introrſum valide occluſo, ignem injectant, non ſine oppugnantium clade; quorum nonnulli in foſſas urbis abrepti, alij terrâ vivi obruuntur; præcipuè qui molem inſtiterant: ibi enim maxima humi ruina: quippe inſtaurare atque aggerere convulſam hoſtes cœperant, infeſtandis ex edito valli propugnatoribus. Sextâ Auguſti die ſub auroram, poſtquam in caſtra ipſe Albertus venit, ad Duivelsgatum portamque Dobbelianam tribus & xx tormentis ſummâ denuò vi concuſſa urbs, paulloque poſt deditione per tubicinem poſtulatâ, cum fortiter obſeſſi, non ita dedi urbes, multorumque periculis, & mortibus conſtituram illi victoriam reſpondiſſent, ad veſpertinam horam ſextam uſque machinæ creberrimè ſonuerunt. Ex urbe ante medium diei ſcriptæ à Solmenſi literæ, quis expoſito rerum ſuarum ſtatu, affirmabat, ſeque, & Tribunos, militeſque pro defenſione urbis fidem, & arma ad extremum uſque ſpiritum retenturos. At ſub veſperum, ubi ad Duivelſgatum valli aliquantum tormentis diſcuſſum, occupavitque diſiecta hoſtis, nec contra eum lunare munimentum (ut Mauritius juſſerat) cœptum, nedum conſummatum erat; iterum Solmenſis ſcripſit, non ſine dolore ſe ſubitam adeò rerum commutationem ſignificare Mauritio. Stare quodammodo quidem veterem adhuc animum; ſed multos, quum teneri ab hoſte vallum, tribus locis cominus pugnari, nec propugnaculum ullum urbi eſſe videant, remittere nonnihil de priſtinâ conſtantiâ: & cum tempore pericula intendi. Quippe cohortes infirmas, laboribus attritas, nec frequentem perinde, quàm credatur, militem ſibi eſſe. Itaque rogare an non potius videatur, honeſtam quærere deditionem, quam extremum opperiri caſum. Ad ea Mauritius prioribus vix quidquam abſcedentia reſpondit. Etiam Fœderati Proceres Solmenſi ſcripſere, auditum ſibi mœnia hoſtem inſediſſe. Cæterùm quando id fieri poſſe à longo jam tempore militiæ gnari præviderint; eamque ob cauſſam præſidij numerus ſupra ſolitum auctus ſit, ut multitudine vallum defenderent; quemadmodum ſæpe quamvis occupatis ab hoſte mœnium imis, non eò amiſſæ civitates fuerint, ſperare ſe Solmenſem, ac milites veteris conſtantiæ, quam præſtitiſſent in defendendâ mole (omnium judicio vix oppugnationi die unius pari) immobiles fore, quo gloriam ſibi ipſis, Patribus cauſſam dent virtutem ſuam compenſandi. Se quidem annonam, & militem, & cuncta neceſſaria ſummiſſuros, ut promtiſſimè ſemper poſtulatis ejus ſatisfecerint. Nunc quoque patêre iter, quo commeare cuncta poſſint. Literæ eæ ſerò venerunt: etenim ſeptimâ Auguſti die, cuncti Centuriones Solmenſem monuere, ut militi, Reip. alibi utiliorem operam navaturo, maturè conſuleret. Addebant, cum curâ in Senatu ſuo perluſtrata quæcumque urbem ſpectarent, ſed judicare ſe, nullo modo retineri urbem poſſe, ac ſatis pro gloriâ dimicatum. Hunc belli Senatum ab initâ obſidione Solmenſis ex cunctis Centurionibus conſtituerat, quo curarum ſe parte levaret. Quâ autoritate Centuriones donati, limites ſuæ poteſtatis non rarò excedebant, ut hic factum: quippe ignaro Comite jam decretum fecerant. Unde improvidè nonnulli talem Senatum in obſeſsâ civitate creatum exiſtimabant: ibi enim ſummum præfecto jus; illum pro re, pro tempore conſilia capere, & quibuſcum velit communicare;

cIↃ IↃ xcvi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ XCVI. municare; cæterùm retentâ decernendi poteſtate. Igitur Comes, ſi idem omnibus animus foret, nequaquam ſolum ſe defendere urbem, aut capeſſere prælium poſſe reſpondit; quare velle ut tabulis judicium ſuum profiteantur. Tum militem (qui poſt mœnium diſiecta prælio paratus, & quantum ora conjectantibus apparebat, haud quaquam infracto aut languenti animo ſtabat) hoſtile quidquam tentare, aut impetere hoſtem prohibet: miſſiſque ad Albertum, qui colloquium peterent, Mauritio ſignificat, non deſperaſſe quidem ſe de urbe dies tres, quatuor retinendâ; ſed cum ſenſim hoſtis valli plus occupet, (& omnino jam quadringentos in longitudinem pedes tenere) cum aquas è foſſa ſubducat, adactum ſe, quò publicæ rei detrimentum, ac ſui, ſuorumque exitium præveniret, ad colloquium deſcendere, eoque fine, obſides multo veſpere miſſos à ſe acceptoſque. Poſtridie convenit, ut obſeſſi, cujuſcunque gentis aut ordinis forent, explicatis vexillis, tympani ſonore, ardente incendiario fomite, glandibus in os inſertis, urbe excederent: tormentis, (vicena erant maximæ mediæque formæ) cætero belli paratu, & annonâ relictâ. Egregia verò Alberti in obſides, & eos, qui ad colloquium ex urbe venerant, humanitas fuit: imprimis in Erneſtum Naſſovium, quem aperto capite ſe coram conſiſtere haud paſſus, etiam generoſo Hiſpanici generis equo donavit. Exin vertit curas, ut promiſſis ſua fides conſtaret. Et præſidiarijs decimâ Auguſti die egredientibus cuncta ſanctè ſervata ſunt: cæterùm cives contra pacta ſpoliati. Hoſtium hâc oppugnatione tanta clades fuit, ut nulla ob victoriam ſigna lætitiæ Albertus ediderit. Sanè Antverpianis, qui ut magnificè redeuntem exciperent, non ſatis ſericæ veſtis in urbe ſuâ aut Bruxellis repererant, eoque ex Hollandiâ petiverant, ſcripſit, Nolle ſe publico luxu, aut gaudij teſtimonijs adventum ſuum inſigniri. Potius Antverpiam vitaturum. Parcerent illi ſupervacuis impenſis, & æs, ſi eo abundarent, verterent in ſolatium egeni ſaucijque militis. Etenim, ipſorum hoſtium confeſſione eo obſidio ex oppugnantibus milites quinquies mille, Centuriones LX ceciderant, in quibus Tribuni nonnulli. In urbe quingenti è vulgo militum, perierant, & Centuriones X cæſi, capti, aut vulnerati. Bis mille quingenti diſceſſere. At apud omnes Fœderatarum nationum, magnam conſternationem expugnatum Hulſtum attulit, formidantibus cunctis, ne, victoriæ hoſtilis exercitus inſiſteret, vigente adhuc anno. Nullum deinceps locum, urbem nullam defendi poſſe, quando oppidum tribus militum millibus inſeſſum, nullius rei indigum, & altero latere apertum, vim ſuſtinere hoſtilem nequiviſſet. Quamvis enim inter ipſos Zelandiæ Patres fuerant, qui primo hoſtium adventu de retinendo oppido deſperaſſent ob infirmitatem, præſertim terreſtri latere: tamen cum tantam militum vim penetraſſe in urbem, nec hoſtem circumvallare eam poſſe viderent, novos ſumſerant animos. Itaque dictitare etiam patentibus in campis, tria militum millia, contra hoſtilem exercitum facilè munimenti aliquid excitare poſſe, ne ſubito opprimerentur. Malo prorſus exemplo concedi militibus, ut ſimulatque propugnaculorum ademtus ſit uſus, deditionem faciant, & quidem quaſi re bene geſtâ. Nullam in Fœderatâ Belgicâ id virium civitatem eſſe, cujus non propugnaculum aliquod aſſiduo opere, & tormentorum violentiâ, addito tempore expugnari, & facultas vallum exteriùs tutandi, hâc vel illâ parte eripi poſſit. Hunc in modum multi diſſerere; qui licet militiam nunquam ſecuti, nihilominus diuturnitate belli, & ſibi creviſſe ſcientiam militię exiſtimabãt. At Solmenſis inter cætera defenſionis attulit, ultra lunare munimentum ſub colle detectum à ſe hoſtium cuniculum; nec ignem injicere auſum, ne ultro hoſti locum patefaceret: illum verò ubi accendiſſet, ſimul loco potiturum fuiſſe:

unde promtum terga militum, qui poſt lunaris munitionis loricam conſti- cIↄIↄ
tiſſent, impetere: quos utrimque à fronte, à tergo premi. Ne ad Duivelſ- XCVI.
gatum quidem alteram lunatam ſpeciem, ponè diſiecta válli aggerere qui-
viſſe: quippe neminis è civibus operâ adiutum: militem vigilijs, prælio,
operiqúe ſimul imparem. Ut ut erat, Solmenſem paullò pòſt Zelandiæ
Proceres militiâ ſuâ ſolverunt: quanquam profeſſi, ignaviæ aut ullius culpæ
in defendendo Hulſto eum non arguere, ſed alias ſibi rationes, quas expo-
nere, quanvis multum poſtulantibus Fœderatis Patribus, detrectaverunt.
Addebant, non prohibere ſe, quo minus Fœderati Proceres ejus opera alibi
uterentur: nec ſe, aut nationum ullam compelli poſſe, ut inviti quenquam
admittant. Ob hæc Fœderati Patres Solmenſi denuntiant, nequaquam
ſe illi veterem apud Zelandos dignitatem aſſerere, nec contentiones diſ-
cordiamve ejus cauſſa adverſus ſociam gentem induere poſſe. Cæterùm
paratos alibi eo uti, ſi injuriæ, quâ à Zelandis affectum ſe putaret, oblitus,
Fœderatorum Univerſitati (cujus inter præcipua membra Zelandi erant)
fidem incorruptam addicat: ſin deponere ejus memoriam nequiret, ac
miſſionem honeſtam mallet, re ipsâ experturum, an illuſtres viros pro for-
tunâ ſuâ Fœderatorum Proceres æſtiment. Solmenſis triduo ad delibe-
randum ſumto, reſpondit, tredecim annorum ſtipendijs ita Belgarum cari-
tatem ſibi creviſſe, ut ob contumeliam à Zelandis acceptam, (quam pri-
vatis magis hominibus, quàm gentis ejus Patribus adſcriberet) deſerere
eoſdem nolit. Itaqúe à Fœderatis Proceribus alteri legioni centuriarum
decem extra Zelandiam impoſitus eſt. Quæ dum in Belgicâ geruntur,
Galliarum Regem ſegne otium terere quiſque mirabatur. Quippe nullus
capiebat, Caſtelleto, Dourlano, & Cameraco, anno ſuperiore; nuperrimè
Caleto, Ardreſioqúe expugnatis, nunc dũ vacuos ab hoſte limites haberet,
& Hulſto Albertus incumberet, dimitti ab eo opportunam adeo occaſionem
amiſſa repetendi. Inceſſeratqúe conſcientiæ cum Hiſpano, & pacis me-
tus; varijs ſuſpicionum cauſſis. Nam non alio fine Cardinalis Florentinus,
à Pontifice miſſus, Lutetiam venerat. In Germaniâ principum urbiumqúe
ad pacem tractandam dilecti, Ratiſbonam ad Imperij conventum convo-
cati erant. In Galliam Richardotus Artheſiorum Præſes abierat, jamqúe
induciæ, prænuntià pacis indicia, inter Caletanum ac Bononienſe præſi-
dium firmatæ. Sancerrius, nobilis Gallus, longo tempore in caſtris Hulſta-
nis apud Archiducem egerat, velut curandis negotijs Blanchæ, quæ vidua
Caroli IX Gallorum Regis, & Archiducis eadem ſoror erat. Et Gallicam
nobilitatem belli pertæſam omnes judicabant, multoſqúe in Senatu Regis
ad pacem inclinare. Denique aſſiduæ qua Gallici legati, qua Regis ipſius
literæ, quîs Bovillionæum firmando fœderi, quod menſe Maio initum, jam
jam in Angliam abiturum affirmabat, pleroſque de progreſſu fœderis am-
bigere fecerant, tribus integris menſibus poſt deſignatum tempus hæren-
te in Gallijs Bovillionæo. Tandem verſus ad hoſtilia Rex, Viquezium,
Boboniæ Præfectum, abrumpere inducias jubet. Ille, quamvis acceptis
mandatis, nonniſi colloquutus cum Richardoto (adeo pacis deſiderio fla-
grabat) paruit, & ſub exitum Auguſti acriter cum hoſte Caletum Bono-
niamqúe inter pugnavit. Suſpectam hanc regis cunctationem in firmando
fœdere, excuſabat, quòd ſuper conditionibus cum Parlamento Pariſienſi
deliberaſſet; quo non temerè, ſed Principum Procerumqúe regni volun-
tate cunctis decretis, firmius niteretur. Et otio, dum diſtractus ad Hul-
ſtam Albertus, cauſſa ſua erat, graviſſima per omnes Picardorum Nor-
mannorumqúe urbes peſtilentia, quâ adeo vexatæ, ut præſidijs miles
abiret, ac Bononiâ deducti præſidiarij in ſuburbana domicilia, aut adja-
centium pagorum templa ſe reciperent, miſsâ per vices parte ſuorum, quæ

cIↄIↄ XCVI. in urbe excubaret. Multò magis in arduo, totum ijs locis exercitum continere. Accedebat, quòd nobiles Galli, qui ſuo militant ære, ſub meſſem domum quiſque ſuam repetere ſoliti, nihil eo tempore imperia regis audirent. Ineunte Septembri Bironus in Artheſios irrupit, cui Warenbonnius (is genti præerat) cum turmis equitum XII obviam profectus, licet numero ſuperior, cæditur, captivuſque Lutetiam trahitur. Jacobus Comes Belloioſus occubuit. Ex eo Galli, nullo hoſtium reſiſtente, univerſam Artheſiam ad Flandrorum uſque limites, omni clade belli pervaſtaverunt: abactis IV millibus equorum, qui agriculturæ adſueverant. Ubique agreſtium in civitates fuga: quos omnium egenos mox ægritudines oppreſſere. Ipſique Artheſij fatebantur, nunquam graviora ſe paſſos, non Caroli Cæſaris, non Philippi Regis bello. Simul compertum, pluribus locis paratas ab Alberto inſidias, & innexos conſcientiæ ejus oppidanos: ut dubium non eſſet, magni quid tentaturum, niſi Bironus improvisâ irruptione cuncta turbaviſſet. Quidam, jam ab annis aliquot ſpeculandis noſtrorum rebus intentus, multaque apud Bommelianos de revelandis hoſtium arcanis ſæpius locutus, palam hoc tempore ad Albertum tranſijt, Bommeliæ urbis imaginem afferens: à quo frequenter in bellicum Senatum adhibeatur. Bergis ad Zomam Smithus, Centurio Anglus, inter cæteros præſidebat; qui occultò Alberti conſilijs implicatus, tentandis deſtinatis diem ſtatuerat, quo cum frequentes ad urbem hoſtes conveniſſent, nec patrare ſe dolum poſſe animadverteret, furtim urbe digreſſus, transfugit. Etiam Zelandiæ Proceres Oſtendæ ſedulam geri curam, & præfectum urbis conſilia cum hoſte ſociare, crebrò monuerant. Præter hæc ſeditiones quoque concitare, & fidiſſimum quemque ingentibus promiſſis convellere Albertus tentaverat, paſſim diſſeminatis eo fine ſchedulis. Paullum Baxium, Bergis ad Zomam præfectum, Marchio Antverpianus per literas adgreſſus, oſtentabat exemplum conjuratorum in Gallia; multò nunc majore loco, & liberalius à Rege haberi eos, quàm antè à civitatibus, aut multitudine. Magna illum, magna militem præmia manere, ſi ſe, urbemque ad Regem transferrent, ejuſque munificentiam experirentur. Dolere ſe Mauritij vicem, quem Principum eminentiſſimum fore, ſi pro rege tanta, quanta pro Fœderatis geſſiſſet; quippe à Delfenſibus cereviſiæ coctoribus, à Dordrechtanis œnopolis, & id genus hominibus, nihil dignæ mercedis exſpectandum. Cæterùm ſubitò hæ artes vanuerunt, coactuſque Albertus, virium quicquid habebat, Artheſijs ſubmittere; unde curæ ingens levamentum urbibus, ac nationibus noſtris, quîs metus Archiducis ceſſit in conſilia invadendi hoſtis, ac belli molem Galliarum regi ſublevandi. Paulò pòſt Eliſabetha initum nuper fœdus jurejurando ſancivit, Bovillionæo duce coram, qui exin Hagam Comitum profectus, in ſocietatem eius Belgas accepit. Eundem in modum nonâ Auguſti die, Henricus Galliarum Rex jurejurandum dixit Comiti Sareſburienſi, à Reginâ miſſo. Solennibus id cæremonijs tranſactum, adhibitis Mompenſierio, Mommorentio, Nemoroſi, Vaudemontio, Joyeuſa, ac Eſpernonio Ducibus. Aderat & Deſdiguierius, ac quatuor Galliarum Mareſchalli. Conſultaverant Henricus, & Eliſabetha, an Belgas, & quâ conditione ſocios fœderi vocarēt. Gallus admitti ut liberam Remp. ac tertium fœderis membrum; contrà Eliſabetha eos ſub ſe complecti cupiebat, quò facilius poſtea principatum adipiſceretur, quem ante annos octo rejectum, nunc affectabat, ut ſermonibus cum Carono (eum Actorem rerum ſuarum in Britanniâ Patres habebant) ipſa oſtenderat. Sed prævaluit ſententia Henrici, miſſique ad Patres Bovillionæus Dux, & Georgius Gilpinus, Reginæ Conſiliarius. Unde manifeſtæ rerum humanarum vices. Etenim anno MDLXXXV Galliarum Rex,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Rex, Belgarum legatos, principatum ſibi deferentes, Lutetiam vocare cIↃIↃ
non auſus, reſiſtere Rothomagi juſſerat, reſponſaque, non niſi per Brular- XCVI.
tum (quem ab arcanis habebat,) dederat. Etiam anno MDLXXIII Hollan-
dorum legatos audire inauſum Reginæ, niſi peroccultè, & ſecretò noctis.
Tanta illis temporibus formido Hiſpani, tantus contemtus Belgarum erat;
qui firmando huic fœderi Galliarum Regi quadringenta quinquaginta flo-
renorum millia, ſtipendium duarum legionum ſequentis anni, promiſerunt.
Nimium id Reginæ viſum, objectavitque legatis, juvando Gallo nunquam
pecunias deeſſe: at ſi reſtitui mutuum ipſa urgeat, ſemper egenum ærarium
obtendi. Addebat, minimè paſſuram, ut minor ſui, quàm Galli, ratio ha-
beatur. Velleque non modò tanquam Britanniæ Reginam, ſed etiam ut
legitimam Galliæ Principem à Fœderatorum Patribus coli. Ea ubi Gallis
audita, nequaquam indignationem ob non ſolutas pecunias, ſed invidiam
in ſe interpretabantur. Etenim manebat ijs opinio, trahere bellum Regi-
nam velle, & ſæpius oneri magis, quàm auxilio eam Regi ſuo eſſe, quere-
bantur: nunc quoque Conſtantinopoli per legatum paci inter Auſtriacos,
& Turcarum Imperatorem, operam dare: quòd opportunum Hiſpano, quò
validior Gallis incumberet. Hæc inſita populorum utrique æmulatio pro-
hibuit, quo minus aliorum quoq; Reformatæ religionis principum acceſſu
novum fœdus firmaretur. Et Gallorum quidem Rex legatum ad Patres
miſit, eo fine, cum Fœderatorum legatis, in Germaniam Daniamque abi-
turum, ut diſertim fœderis legibus cautum erat: at non à Reginâ miſſus
quiſquam. Auguſto menſe hujus anni Fredericus Danorum Rex corona-
tus eſt, quo magnificam Patres legationem miſere, multo cum honore ab
Rege exceptam. Nam & primo eorum acceſſu diſploſa tormenta, ipſi-
que convictibus ab Rege adhibiti, vel ſeorſim cibum capturis, nobiles de-
cem, aut plures, cibaria patinis contecta ſubminiſtrabant. Pro muneribus,
quæ regi adferrent, navis fuit, haud magnitudinis, aut ornatus perinde exi-
mia, quam artis. Adeoque impensè Regi placuit, ut non contentus eâdem
die mare ingredi, noctem quoque in eâ tranſegerit. Tum proſpera cuncta
in bello apprecatus Belgis, legatos aureâ catenâ donatos, & ſummâ volun-
tatis ſignificatione, dimiſit. Eodem quoque Hiſpaniarum Regis nomine
Joannem Baptiſtam Taxium Albertus miſerat, ampliſſimis cum donis. Et-
enim lectiſſimos ex Hiſpaniâ equos, gladios varijs gemmis diſtinctos, &
chirothecas exquiſitis imbutas odoribus afferebat. Sed non eo benignior
in eum Regis animus. Ita ut Taxius indignationis plenus abiret. Offende-
rat eum imprimis, quòd Rex, & Proceres regni, equeſtri decurſu, quaſi
per contemtum, Pontificis, & Cardinalium habitu ſe circumdediſſent. Fe-
rebant hâc inauguratione, pompâ, epulis, ac donativis conſumta floreno-
rum quindecies centena millia, & Regem ſexcentos ſolido ex auro tor-
ques donationibus effudiſſe. Non præterierim hoc loco, quemadmodum
ſedulo ſuperioribus annis laboraverit Hiſpaniarum Rex, ut Codanum ſi-
num clauderet Danus: cui, ne vectigalibus excideret, trecenta quotannis
milliâ ducatorum obtulerat. Quod ubi detrectatum, multus Hiſpano la-
bos, ut arcium, quæ Codano ſinui duæ imminent, alterâ per dolum potire-
tur. Idque detectum Fœderatis à viro primario adverſis in partibus agi-
tante. Hi cognita Regi retulerant. Quæ fortaſſis cauſſa, quòd minus
pronum in ſe Regis animum Taxius expertus eſt. Exinde & legati in Bri-
tanniam miſſi, qui cum Reginâ, ſi fieri poſſet, tranſigerent de rationibus
pecunijſque bello Belgarum impenſis: pro quibus Brilam, & Vliſſingam
urbes pignori habebat, præcidendis contentionibus, quæ in poſterum inter
Britannos ac Belgas oriri poſſent. Ejus rei Thomas Budlæus, Britannicus
legatus, quodammodo Patres admonuerat, dictitans pro centies & decies

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

c Iↄ Iↄ xcvi. centenis Carolinorum millibus (quantum Reginæ debebatur) ſatis ei fore, ſi quotannis Patres, donec Regina ſupereſſet, ducenta florenorum millia præfixo die, magnificâ cum legatione tranſmitterent. Exin finito bello, ubi toti Belgico-Germaniæ concordia redijſſet, octingenta florenorum millia in annos ſingulos per quadriennium numerarent. Levia hæc Fœderatis viſa; ſed una ſupererat difficultas, quòd ſimul ſuperſedere auxilijs Regina vellet, quæ præſtare ex fœdere tenebatur. Quantum ad reliqua pactionum, ut pacem cum Hiſpano, niſi conſentientibus Fœderatis, nunquam faceret; ut militum quaterna, aut quina millia, ſuis ſumtibus in Britanniâ ſcribere Patribus liceret; non abnuebat Regina manere in eo, quod convenerat. Igitur his tractandis Elbertus Leoninus Geldriæ Cancellarius (ſed is valetudine tentatus domum redijt) Sebaſtianus Loza, judex in ſupremo conſeſſu, Jacobus Valckius Quæſtor Zelandorum, & Abelus Franckena Friſius, in Angliam mittuntur. Jamque ſumma ſpes tranſigendi concepta erat ex verbis Budlæi, quem non temere, aut ſuopte motu talia diſſeruiſſe credebatur. At Reginæ perquam exigua hæc viſa, cum nequaquam regno, ſed tantum ad vitam ejus adſtricti eſſe Fœderati vellent. Itaque dictitabat, longum eſſe exſpectare in id tempus, quo redituri in unum Belgæ forent. Ad ea cum legati reſpondiſſent, non exiguo levamento Britannorum, & Belgarum onere, remitti Reginæ promiſſa de ſuſtentandis v peditum millibus, equitibus mille quingentis: auſus eſt Senatus ejus, (verba faciebat Burglæus Theſauris regni præpoſitus, qui quondam Juriſprudentiam in Oxonienſi Academia profeſſus, nunc autoritate proximus Reginæ erat) jacere, Reginam hinc ob novos in Hibernia motus, inde ob domeſtica ab Hiſpano pericula, ſervare pactiones nequire: liberumque principibus ac Regibus, ſiqua neceſſitas urgeat, promiſſis ſemet exſolvere. Sed legati abunde oſtendêre, non principibus minus quam privatis fidem cuique ſuam ſervandam. Interea Artheſiorum in limites miſſus ab Archiduce (ipſe Bruxellis manſit) Cimacenſis Princeps, qui, in locum capti Warenbonnij, genti præeſſet. Sed ne huic quidem æquior fortuna fuit: quippe decimaquintâ Septembris die à Bironio, in fugam cum omni equitatu actus. Cæſi trecenti: dimidium ejus numeri, Gallorum in poteſtatem vivi venere. Subdebatur reus cladis Ambroſius Landrianus, quem equitatui præfectum Cimacenſis imperia neglexiſſe ferebant. Eum Albertus Trurenburgo (id Bruxellis carceri nomen) intruſit, ac ſuper ignominiam, pecunia multatus eſt. Poſtea Gallos Abbatiam haud procul Bethuno diripientes, Hiſpani intercludere itinere tentavere; ſed ipſi à fronte, à tergo in inſidias præcipitati cæduntur, afflictæque præ cæteris Barlotij Corqueliique legiones. Adeo ut eâ tempeſtate Galli, ipſius quoque Archiducis confeſſione, patentibus locis ſuperiores, agros pro libidine urerent, vaſtarent, raperent. Id prohibere Albertus cum nequiret, quod unum ſupererat, Caleto retinendo omnes curas intendit, eique iv militum millia impoſuit. Vallum ac munitiones jam pridem cœptæ, perfectæque erant, nec præter cæmenta lateresque, laboris quidquam reſtabat. Sub idem tempus per Sancerrium nobilem Gallum, ſupraque memoratum nobis, ornatiſſimam Gallorum Regi armaturam dono miſit. Quam Rex dubium ſuſpicione fraudis, an inferius ſuâ majeſtate ratus, ſi Albertum eo honore dignaretur ut indueret, Eſpernonio Duci donavit. Interea dum Artheſiorum cura hoſtem diſtinet, Fœderatorum equites Demmeram pergreſſi Bruxellas, ac ſuperiora Brabantiæ, neque tributaria noſtris loca, adiere. Ingens armentorum hominumque præda acta, captuſque cum filio Verdinus Toparcha, olim ſub Parmenſi aulæ procurator, nunc venationi in Brabantiâ præpoſitus. Haud diſſimilia hoſti ad Swollam acta: ubi

compo-

compoſitis rebus, quaſi Maſtebroeckâ jumenta abacturus, duobus locis inſidias condiderat. Swollani urbe erumpentes primas detexere, ac dum fugientes magnâ contentione animi inſectantur, imprudentes alteras inſidias tranſgreſſi, intercluduntur, cæſaque peditum centuria, & equitum turma. Iiſdem diebus Hulſtum Mauritius aſtu tentavit, Centurione Pirono (is jam à vulnere convaluerat) cum bis millium manu ad occupandam Moervaertam præmiſſo: ſi deſtinata ſucceſſiſſent, ipſe ſecuturus, Hulſtumque, invalido præſidio inſeſſam, ſubito oppreſſurus. Sed Pyronus ſuis in terram expoſitis, rem hoſti enunciatam cognoſcit: unde repens adeo terror militem occupavit, ut trepidi, ſine ordine, ſine imperio, ad naves non remearent, ſed ruerent, alij alios præ feſtinatione in aquas deturbantes; quâ re militum xx, & vexillifer unus, periere. Hâc æſtate nonnullæ centuriæ Germanorum, (nongenti circiter numero erant,) Herentaliam occupaverant; creatoque, ad exemplum Italorum, Electo, obſequia abnuebant, niſi ſtipendia ſolverentur. Sed Albertus nequaquam Germano militi concedendum ratus, quod Hiſpanis Italiſque proſperè adeò ceſſerat, coërcere eos Hiſpanorum vi tentavit; promtis illis ad vindictam ſeditioſorum, quibus ipſi petulantiâ ſuâ præiverant. Cæterùm per inſidias Herentaliâ potiri conati, diligentibus Germanorum cuſtodijs fruſtra fuere: unde acrius ſeditio exarſit. At vicinis in terris, quæ Germanico imperio ſubditæ, artes ſuas Albertus continuavit, quò pluribus adverſum Fœderatos munimentis inſiſteret. Amſtelodami Wilhelmus Fonckius comprehenſus, propinquus Joannis Fonckij, qui in Hiſpaniâ, Præſidis titulo, Belgarum negotijs adminiſtrandis dilectus fuerat. Is ſub ſpecie domeſticas curandi res, commeandi facultate à Patribus impetratâ, Antverpiam iverat. Sed compertum eſt, legatum eum ab Alberto ad Edſardum Orientalis Friſiæ Comitem miſſum. Juſſus erat nonnulla Archiduci cum Comite ante annos aliquot acta repetere. Ea tamen, quæ forent, ex mandatis non liquebat. Itaque comiter interrogatus (nam cruciatibus veritatem exprimere non placebat) tranſitum regijs militibus petiturum reſpondit. Sed nulla hic veri ſpecies, & ſuſpectabant plerique, Edſardo perſuadere Albertum voluiſſe, ut Emdani portus uſum ad tempus regijs concederet, vel univerſam ditionem ſuam, cum rege permutaret, acceptâ Lutſenburgi aut Burgundiæ portione: nam de utroque ante annos nonnullos actum conſtabat. Deinde, ex literis penes eum repertis noſtri cognovere, paullatim Delfſilana pacta pervertere juſſum: Comitemque adverſus civitatem concitare, ut cum Archiduce conſilia ſociaret. Congruens hiſce, quod jam apud Cæſarem Edſardus vi coactum ſe fœdus ſuſcipere, queſtus erat: rogitabatque, ne Emdanos pactis illis tueri ſe pateretur. Et Fonckius quidem totam æſtatem Hagæ Comitum cuſtoditus, ut ſaltem temporis progreſſu artes vaneſcerent: tandem indicta ei multa quater mille florenorum. Apud Juliacenſes, Clivioſque felicius deſtinata Alberto ſucceſſere. Nam à Cancellarijs, ac Senatu gentis utriuſque, fœdus percuſſum eſt, de Brandeburgico ac Palatino regimine excludendis: non modò quoad ſupereſſet furioſus Dux, (cujus ſub nomine cuncta in ſe trahere nitebantur) ſed donec voluntate Cæſaris principatum memorati jam principes apiſcerentur: quod non facile futurum prævidebant; conſpirantibus huc Cæſare Hiſpanoque, ne Auguſtanæ Confeſſionis principum potentia creſceret, præſertim terris Hiſpanicæ ditioni conterminis. Itaque jam eo Cancellarius ac Senatus, fiduciâ victoriarum Auſtriaci, proruperant, ut Brandeburgici Palatinique legatos, & negotiorum Actores excedere terrâ juberent, edicerentque palam, ne Principum alterutrum, ſi acceſſiſſent, civitates admitterent. Quin & poſtea incerto rumore moniti, Germanos

CIↃ IↃ XCVI.

cIↄIↄ XCVI. Principes cum Fœderatis Patribus ſuperiore anno collocutos, non dubitavere ab eo, quem Actorem rerum ſuarum Brandeburgicus illuc miſerat, mandata, ſcriptaſque & acceptas literas poſtulare. Etiam miſſo ad Fœderatos Patres eo, quem à ſecretis habebant, quæſivere, hoſtiumne an ſociorum loco haberi vellent: Denique & Valkenſteinio Brouckioque Comiti, Dynaſtis Reidanis, Prætoribus Gochæ Gennapijque, ac primarijs viris, quicumque Reformatæ religionis comperti, deſiderare Germanorum Principum regimen credebantur, inſidias ſtruere, capitalia crimina intentare, & arcibus ſuis Prætores dejicere. Nihilominus per Actorem negotiorum ſuorum, quem aſſiduum apud Archiducem habebant, perinde ac ſi levia hæc forent, ſuam in nonnullos lenitatem excuſabant, ita expedire dictitantes, ne terror in cæteros creſceret, quos progreſſu temporis in poteſtatem venturos confiderent. Et ſubinde lætiora de valetudine Ducis falsò vulgabant, quo ſuam firmarent potentiam. Etenim eo furoris hoc anno ille proceſſerat, ut periculo congreſſus ejus haud vacarent. Senos quà medicos, quà cubicularios, aut pueros miniſterijs ſuis adſuetos ſauciavit. Adeo ut non obſcuris jam artibus totius Belgicæ potiri Hiſpanum tentare quiſque animadverteret. Adferebant præterea nuncij, jam inter Philippum, & Cæſarem conveniſſe, ut hic Cliviorum ac Juliacenſium terras, tanquam ſub Germanicum imperium reverſas (quippe Ducem pro defuncto æſtimaudum) fratrum ſuorum alicui in feudum daret; ut ab eo in Hiſpanum transferrentur, qui nonnullos Longobardorum tractus, opportuno Tirolenſibus poſitu, earum vicem traderet. Ob hæc dictitare nonnulli, nequaquam Fœderatis Patribus quieſcendum eſſe; ſed meliorem partem, ac Reformatos juvandos. Cæterùm id, hoc rerum ſtatu inconſultum viſum. Quippe cuncta hoſtium apertè oſtendebant, promtè illum ad deteriora tranſiturum, ſi quidquam à Fœderatis moveretur: contrà Brandeburgicum, & Palatinum imparatos eſſe, Patres invalidos: Cardinali vires, & gratiſſimum fore, ſi ullam Patres cauſſam præbuiſſent, quæ jam occultè agitaret, palam patrandi, omnemque in Fœderatos culpam rejiciendi. Igitur Cliviorum ſcribæ reſponſum, nullam Fœderatos Proceres cauſſam Clivijs dediſſe, ambigendi de fide ſuâ adverſum vicinas nationes, aut tale quid exquirendi. Sæpius Cancellarium ac Senatum à ſe monitos, ut rebus patrijs intenti agerent, contra exterarum gentium molitiones. Nec alio fine cum Brandeburgico Palatinoque, Sacri Imperij Electoribus, principibuſque, ſe conſilia ſociaſſe, quando illorum hoc maxime intereſſet; neque id cuiquam in deterius trahendum. Confiderent Cancellarius ac Senatus, eandem in voluntatem Patres duraturos, quamdiu nihil hoſtile in ijs animadverterent. Interea & Hiſpaniarum Rex, Præfecto maris Arragonici ad Cæſarem miſſo, urgebat, ſuſcipi ab eo regimen Cliviorum ac Juliacenſium, & præfectum Senatumque gentibus imponi, Germanoſque Principes, qui jus ſibi in eas vindicarent, minis perpelli, ut imperio memoratorum populorum abſtinerent, ac Duſſeldorpio rerum ſuarum Actores revocarent. Reſpondit Cæſar, paratum ſe, petereque, ut cuncta huc neceſſaria in promtu Rex habeat: addebat tamen, occultè omnia agenda, ne Germanorum Principum animis (qui ob triſtia temporum comiter tractandi forent) ſuſpicio doli inreperet. Sed iteratò acriuſque Arrago inſtitit, Scire quidem ſe, non adſpernandos Principes Germanos; at nequaquam tanti eſſe externum hoſtem (Turcam deſignabat) pellere, ut domeſticas propterea injurias oblivіſceretur. Tum demum poſtulatis obſecutus Cæſar literas ad Principes miſit, & Cancellario Senatuique, Duſſeldorpij Cliviæque agitantibus, regiminis curam commendavit. Illud notabile, quòd Britannus medicinam Amſtelodami exercens, menti ſe Ducem redditurum profeſſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

profeſſus erat, ſi Numen arti aſpiraret: dederatque ſpecimina ſcientiæ ſuæ, cIↄIↄ XCVI.
ad ſanitatem ea in urbe revocatis furioſis aliquot hominibus. Quis primò ſanguinis, quantum ullâ ratione liceret, elicuerat; dein ingeſto pulviſculo, ſomno per dies noctesque aliquot prohibebat. Ei à Cancellario, ac Senatu promiſſa x x florenorum millia: & donec viveret, duûm millium in annos ſingulos ſtipendium, ſi deſtinata perficeret. Sed experimentum ſcientiæ in alijs ab eo dari poſtulabant. Non defuit ille, ac adoleſcentem domo nobilem (Weſpenningio nomen erat) ad mentem, quâ captus erat, reduxit. Nihilominus abſurdæ adeo conditiones à Cancellario, ac Senatu propoſitæ, ut quæcumque Duci præberet, ipſe prælibaret, ut artem cum Ducis medicis communicaret, aliaque id genus, quaſi deterrere hominem, nec Principi ſuo plus mentis vellent. Apud Colonienſes Pontificis, & Hiſpani ſtudio, Adiutor Epiſcopo datus Ferdinandus, fratre ejus genitus, & Bavariæ item Dux: qui indubitatus ſucceſſor, in Hiſpanica pronus, ſimul & ſtimulator Epiſcopo, cui per libidines, ac vinolentiam magis ætas trahebatur, quàm publici curam. Protinus deinde inter Colonienſes, ac Juliacenſes fœdus initum, & ſcriptus miles, velut prohibendis latrocinijs; ſed adverſum Fœderatos, quò tutius conſilijs Hiſpanicis implicarentur. De pace altum hoc anno ſilentium, niſi quod miſſus à Cæſare nobilis, liberum acceſſum S. Imperij legatis poſtulavit. Sed Fœderati Patres abnuerunt, jam pluribus exemplis edocti, fruſtra tentari, & ſubeſſe dolum. Actus quidem Francofurti menſe Septembri, conventus dilectorum Imperij: qui præmittendos ad Albertum, & Patres, legatos cenſuerant, præparandis utrimque animis: ſed Hiſpanicus legatus, nullam fructus ſpem, niſi conventus univerſi Imperij indiceretur, ex aulâ Cæſaris ſcripſerat: ſe tamen operam obnixè daturum, ut legati mittantur: ſi non aliud inde commodi, ſaltem Germanorum animos Hiſpano conciliari, atque à Fœderatis averti. Ex his, qui delecti ad pacem tractandam erant, Philippus Ludovicus, Comes Palatinus, Archiducem de animo Regis interrogaverat, velletne communem pacem, quæ Gallos quoque, & Britannos includeret. Ad ea obliquè Albertus reſpondit, ſcripſitque Hiſpaniarum Regi, quamvis mentem ejus haud ignoraret, neceſſitatem tamen poſtulare, ob ardentia omnium vota, ne ſermones, de communi pacificatione, inter ſubditos ejus abrumpantur. Hæc Regi: ſuo tamen nomine nihil de pace Albertus propoſuit. Sed Eccleſiaſtico faſtigio, Brabantiæ, Flandriæ, Arteſiorum, Hannoniorumque principes civitates pacis ſpe impleverat: & quantum conjectare erat, penitus in animo illi armis magna gerere; Fœderatos duris cladibus contundere, & fractos animi ad pacem compellere. Unde credebatur quibuſdam, non alio fine adductum in Belgicam Arauſionenſis filium; quò ſingulare quidpiam in pacis negotio per eum efficeret. Sed illo nec in pace, nec militiâ tractanda, Albertus uſus eſt. Privatus, & quietè in aula ejus vivebat, cibum capienti identidem miniſtrans: rogabatque patrijs fortunis atque hæreditati reſtitui. Necdum tamen à Rege obtinuit: unde pecunijs à fratre ac ſorore ex Hollandiâ ſubmiſſis victitabat. Octobri menſe, permittente Alberto, Emmericam profectus, ſororem ſuam Hohenloiam Comitem convenit: & currebant rumores, ambiri ab eo Sibyllam, Cliviorum Principem. Per idem tempus in Scotiâ quoque Hiſpanicæ artes eruperunt. Etenim Errolus Comes, domo Scotus, Antverpiâ remeare in patriam parans, mercatoris habitu, ut ignotus tranſiret, agnitus, & detentus eſt. Eliſabetha ad ſe tranſmitti captivum poſtulabat, tanquam dolos vitæ ſuæ machinatum. Differebant quoque Anglorum nonnulli, ut odia Scotiæ Regi moverent, haud dubiè arcanæ Erroli conſcientiæ ipſum innexum. Rex acribus cuſtodijs adſervari eum à Patribus petijt: ut ſibi traderetur

cIↄIↄ xcvi. haud inſtitit. Unde ſuſpicio Regem, alijs quoque conjurationibns detectis, metuiſſe, ne validior factio foret, quam ut reum, tametſi captivum, pœna adficere poſſet: ideo exteris in oris cuſtodiri Errolum; cæterorum molitiones, quando detectâ re fruſtra eſſent, per diſſimulationẽ tranſmitti ſatius judicaviſſe. Ita Errolus, Scoticorum mercatorum Præſidi, Veriæ per id tempus ſedem habenti, traditur: ejuſque negligentiâ evaſit. Præſes ipſe dignitate à Rege dimotus, accuſatus, atque in Scotiam venire juſſus. Paullò pòſt & fugitivus Comes palàm tutoque in Scotiâ verſabatur, & Præſes muneri ſuo redditus eſt. Quod variè acceptum. Sed acres per id tempus in Scotiâ factiones vigebant, Reformatos inter ac Romanenſes, quîs prudentium nonnulli accedebant, invidia Concionatorum, multum autoritate in Senatu regis pollentium. Rex ipſe tanquam neutris infenſus vel addictus callidâ ſimulatione agitabat. Veriæ autem eodem autumno Johannes Wemiſius Scotus, Dynaſtæ Logiei filius natu maximus, gladio percuſſus eſt. Etenim convictus erat, Roſſeum centurionem, promiſſis ducenties mille florenorum tentaviſſe, ut urbem Alberto, à quo tantas pollicitationes facere juſſus, proderet. Sceleris autorem Hamiltonum edidit. Is natione Scotus, & Societatis Jeſu, apud Archiducẽ vivebat. Fatebatur præterea, duos ejuſdem ordinis, Zachariam Cichtonũ, atque Elpiſtonum, à Pontifice ad Scotorum Regem miſſos, oblaturos annua coronatorum millia decem, ſi palam exerceri ſacra in regno ſuo, à Romanenſibus pateretur. Ad hæc decies mille militum ſtipendia, perſequendo adverſum Britannos juri ſuo: centena millia, impenſas belli: denique & promiſſa facturos de exulibus & Pontificijs Britannis perpellendis, ut pares prioribus copias ſuo ære ſuſtentarent. In Hiberniâ motæ res conquieverant, ac rebellis Tir-Oenus Comes ſub obſequium Reginæ redierat; cæterùm libera ſibi ſacra ſua, belli ſocijs veniam pactus, & ne pro rege ullus terram Hiberniam obtineret, ſed ſolius Reginæ obſequio teneretur. At primorum in Hiberniâ nonnulli hoſtilia continuavere, compertuſque Tir-Oenus occultè eos inſtigaſſe. Tandem quoque Hiſpanus ſe immiſcuit, milleque & quingenti Hiſpani in Hiberniam venere. Unde allata Reginæ neceſſitas ſuum quoque exercitum ijs locis firmandi. Itaque apud Gallum & Fœderatos Patres excuſavit, quod inteſtina & improviſa irruptione, auxilia mittere prohiberetur. Crebri præterea Olyſſipone, ex Hiſpania, Galliaque nuncij afferebantur, Hiſpaniarum Regem omnes Belgarum, & Albim accolentium naves detinere, & quæcumque bello aptæ, tormentis, milite, navalibus ſocijs munire, ingentiaque tributa ab omnibus Hiſpanorum regnis obtinuiſſe, faciendæ in Hiberniam, Britanniam, aut Belgicam eruptioni. Suberat hyems, neque facile credebatur, Hiſpanos, qui ante annos octo mediâ æſtate improſpere navigaverant, nunc longioribus tenebris, (quis vaſto itinere ingentem adeo claſſem in unum cogere, ac retinere nequaquam erat) deſtinata aggredi auſuros. Tamen valeſcebant undique nuncij, & Belgarum nautæ, è Lucano portu, contra mandatum Regis profugi, haud diſſimilia referebant: maxime tamen movit Hollandus ſocius navalis, qui ex Hiſpanica longa nave profugiens, multa ipſe conſpexerat: memorabatque apud Patres, ſtare in promtu naves ducentas, modicas mole, & Belgarum portibus majorem partem accommodatas: nonnullas quadringentarum vehium, opprimendæ, ut crederetur, Wichtæ inſulæ. Addebat vidiſſe in Hiſpania, quintum quemque ſubditorum ad bellum vocari: & centenos aliquot boves, annonam claſſi, ad portus compulſos. Belgarum omnes ſocios navales, imponi navibus, & nequid juncti auderent, exiguo numero per naves ſpargi. Qui animum haudquaquam alienum ſimularent, pollicitationibus inlici, detrectantes intento mortis metu cogi.

Accedebat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Accedebat his, quòd ternæ ex Hiſpaniâ naves, dirigente centurione Bel- cIↄIↄ
gâ, Caletum jam appulſæ, venturæ claſſis rumore omnium animos imple- xcvi.
verant. Etiam Duinquerkanus præfectus ſcripſerat, bellicas, quà Regis, quà privatim piratarum naves, portu Caletano, Duinquerkano, ac Neoportenſi, contineri, quò regiæ ſe claſſi jungerent. Hæc quoniam cuncta congruebant, &, quamvis periculoſo arduoque itinere, poſſent tamen adventare Hiſpani; omnia apud Britannos, ac Belgas, neceſſaria adverſum eos comparata, quantùm ſubitò fieri poſſet: miſſæque bellicæ naves complures, ad fretum, qua breviſſimus è Galliâ in Britanniam tranſiectus eſt; Hiſpanorum claſſem eo loco exſpectaturæ. Præterea cum mercatorum non pauci frumenta navibus impoſuiſſent, in Hiſpaniam devehenda, ſummâ diligentiâ Fœderati Patres prohibere id conati: non modò ne commeatu Rex juvaretur, cujus in Hiſpaniâ tantam penuriam eſſe ferebatur, ut quantùm claſſi ſufficiebat, deeſſet, ſed &, ne mercatorias naves tormentis inſtructas, & aptas bello, Hiſpanus detineret, ac adverſum Belgas priorum exemplo uſurparet. Simul & metus ſuberat, ne, annonâ exportatâ, eædem, quæ vicinas gentes premebant anguſtiæ, in Belgas reciderent. Quippe in Britanniâ humida æſtas meſſem adeò corruperat, ut fruges, triplo, imò & quadruplo juſti pretij modum in venditione ſupergrederentur. Apud Scotos fame egentiores hauriebantur. In Galliâ quamvis non miſeriæ tantum, nequaquam tamen ſolita ubertas. Rupellæ, adjectiſque locis, frumenti vehes quingentis florenis venum datâ. Totâ Luſitaniâ, & nonnullis Hiſpaniarum tractibus, caritas, & hinc fames. Nec melius Italorum fatum, adeò ut Veneti, ac Dux Florentinus, triticum frumentumque Amſtelodamo, aut Albi fluvio adſitis civitatibus peterent. Ob hæc mercatorum illis, quîs prohibita in Hiſpaniam navigatio, damno fore videbatur, demonſtratum, ſuper evidentiſſima pericula hoſtium manus incurrendi, ac naves amittendi, Regem ipſum hâc æſtate acribus edictis in Fortunatis inſulis (quas tamen ſteriles frugum, non niſi importatâ vivere annonâ) vetuiſſe, ne quos ibi Belgas negotiari paterentur: poſitoſque exploratores, qui illos ex ſermone dignoſcerent ab maritimâ Germanię orâ præfectis. Demonſtratũ, ne ipſum quidem Archiducem mercatoribus Hiſpaniam petentibus, commeandi poteſtatem aliâ conditione feciſſe, quam ſi mercibus ad Albim, aut vicinâ regione acceptis, Belgas prætervecti, recta in Hiſpaniam contenderent. Unde manifeſtum, quamvis profundâ avaritiâ Hiſpaniam adirent Belgæ, non paſſurum Regem negotiari eos. Proinde penitus è re eorum eſſe, ut anguſtias Hiſpanorum in ſuam verterent utilitatem, ac menſibus ſex ſeptem navigatione abſiſterent. Etenim vel ſolas ſubditorum miſerias, & queſtus adacturos regem, ut abruptam reduceret navigationem, ac deinceps temperaret à navium detentu. Nec diu eum vectigalibus, & magnis quos hâc ex navigatione caperet proventibus carere poſſe: quando ſingulæ exportati ſalis vehes XII ſolidos Hiſpanicos penderent. Merces è Belgicâ, aut Albi adſitis locis, advectæ, nummos ex centenis quindenos: quotiens venum irent, decimam: tantundem, & quando navibus ad Indos ituris imponerentur, & quum ibidem appellerent, & rurſus quotieſcumque venderentur. Septem & dimidium è centenis ſolvere vina, oleum, ficus, & quaſcunque Hiſpanis natas merces: Indiâ ortas, ubi exportarentur decimam. Hæc Hiſpali. At Olyſſipone, quæcumque ſeu inferrentur, ſive aveherentur, quintam ſemel, nec ultra in venditionibus quidquam pendebant. Nam merces, ſimulatque eò advectæ, in horreum exponuntur, quibus conſpectis, is cui publicè id muneris datum, quanti quæque in Hiſpaniâ vendi poſſit æſtimat: & pro modo præfinito vectigal ſolvitur. Igitur Patres, non diu Hiſpanum abrupta commercia paſſurum certò rati, auxilia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ XCVI. Galli ac Reginæ in prohibendâ navigatione petere noluerant, veriti ne huc promti, ubi ſemel poteſtas facta eſſet, aſſiduè eodem obtentu, in Belgarum naves illuc euntes, ſævirent. Cæterùm in Hollandiâ cunctis civitatibus abrumpi Hiſpanicam navigationem placuit, exemto Amſtelodamo: cujus potiſſima frugum mercaturâ ſtabant: itaque oſtentare, præter negotiationis exitium urbi ſuæ, cæteris quoque Fœderatorum nationibus id pernoxium: quippe retentis vehium denis, aut duodenis millibus, prohiberi aliorum importationem, ac mercatoribus cauſſam dari, vitandi portus Belgarum, merceſque Emdam, Hamburgum, aut alia in loca transferendi, ubi tutos acceſſus, abituſque haberent. Nihilominus cautum edicto, nequis in Hiſpaniam, aut Luſitaniam navigaret. Venetis tamen ac Florentinis codicilli dati, per quos vehium millia aliquot evehere liceret. Tum ad Texeliam, in Flevo, alijſque locis, bellicæ naves diſpoſitæ, quæ mercatorias triticum exportantes attinerent; ſed adverſæ ex Occidente tempeſtates plus Patrum edicto potuere. nam oneratarum navium numerus haud exiguus ſextam hebdomadem contrario vento detentus : & ſic quoque nonnullę, quis lucri ſpes ſupra maris tempeſtatumque pericula erat, invitis bellicis diſceſſere. Sed quoniam hujus rei mentio incidit, viſum addere, quomodo magni in Hiſpaniâ quęſtus materiem præbuerint mercatoribus fraudes varias excogitandi. Belgæ enim, initâ cum mercatoribus, qui Albim accolunt, ſocietate, eorum nomina præſcribebant. Scotorum vocabula uſurpabant Angli. Compertumque menſe Decembri anni MDXCV, Britannum inſignium ſculptorem Scotiæ Regis ſigillum effinxiſſe, ac per annos decem innumeras tuti itineris literas ſuppoſuiſſe, quis tanquam genuinis in Hiſpaniâ Britanni utebantur. Quâ de re Scotiæ Rex per legatum ſuum apud Reginam queſtus, imprimis objecit, quòd non occultâ diſſimulatione, ſed palam præſidio Burglæi Theſaurarij fraudator evaſiſſet: quin & diſcedenti datum, ut ternas naves pannum vehentes ad Fortunatas inſulas aſſumeret. Parum tutâ, ut diximus, Hiſpanicâ navigatione, mercatores, otij impatiens genus (& nituntur pleraque Hollandorum ac Zelandorum, navigatione, & commerciorum uſu) curas ad alia transferre itinera cœperant. Ex quibus fuere, qui inſulas gignendo ſale fœcundas, & hinc vocabulum adeptas, peterent. Sitæ ſunt ſub Æquatore, nec ullis hominibus habitatæ: ſalis tamen copia tanta eſt, ut è litoribus colligatur. Alij Guineam, & Occidentale Africæ litus adibant, unde aurum, ebur, ac piper advexere. S. Thomæ inſula ſaccharum dabat. Poſtea quoque itum in Breſiliam: ac Luſitani, & Jeſuitæ, qui eam inhabitabant, perceptâ quæſtus dulcedine, Hollandos negotiari, quamvis ſine Regis codicillis, paſſi ſunt. Majo menſe privati aliquot mercatores ſocietate initâ, duas naves inſtruxerant, per Septentrionem iter in Sinam quæſituras: quod Patres, ob graves & irritos, ſuperiore biennio, ſumtus, intermiſerant. Itaque nunc à privatis eadem tentata; niſi quod tormenta, quæ navibus imponerentur, civitates nonnullæ mutuo dederant. Eæ naves Junio menſe, gradum, ſupra octogeſimum, primum, & medium ſecundi attigere: quò perveniſſe quenquam nulla prodidit memoria: ibi obliquatis in Orientem, & Occidentem curſibus, quacumque incedebant æſtus ac receſſus (nam ultra Weigatum pigrum mare eſt, & nonniſi ventorum flatu fluctus attolluntur) profundumque & ſpatioſum Oceanum comperiebant. Tandem navium una in ortum ſolſtitialem, in occaſum æſtivum altera direxit curſum. Hæc Novembri menſe Amſtelodamum reverſa, nihil magnopere novi nuntiabat: niſi quod ſub gradum elevati poli quintum & ſeptuageſimum, inſulam duûm in longitudinem millium, & pari latitudine reperiſſent: & in eâ urſos albentes, immani magnitudine, ac vulpes colore eodem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

dem. Volucrum quoque innumeram vim; at homines nullos; neque indicia eorum ; ſed equorum veſtigia, fimumque deprehendiſſe aſſeverabant. De nave alterâ, quæ in ortum ſolſtitialem profecta, nihil compertum, periiſſetne, an in Orientem penetraſſet. Cæterùm, hoc, ut fermè lætiora, ſperabatur. A Duinquerkanis vix ulla hoc anno damna: ſive intentiores noſtræ bellicæ naves excubias egere, ſive regis edicto excurrere prohibiti, ac Hiſpanicam exſpectare claſſem juſſi. Menſe Octobri Galliarum Rex Patribus ſignificat, decretum ſibi ante exitum ejus menſis in Hannonios movere: eoque rogare, ut Patres quoque aliquid copiarum hoſti oſtentent, quo dubius, & incertus agitaret. Ita Bergas ad Zomam militum VI millia coëgere, tantùm ut regi gratificarentur: nam, vergente anno, nulla rei gerendæ ſpes. Hi ad diem duodecimum Novembris dicto loco manſerunt: tum enim intellectum conſilia Regis de opprimendâ Avenione detecta, ac iter aquarum lapſu impeditum: eamque ob cauſſam Gallos relicta Artheſia in hyberna diſtributos. Multi è Patrum militibus valetudine tentati, ob ſævitiam frigoris & lata incommoda. Quippe tribus hebdomadis juxta Bergas ad Zomam in navibus egerant, tantâ neceſſariorum inopiâ, ut cubaturis quoque ſtramen deeſſet. Accedebant huic malo graves Reip. ſumtus, cum naves omnes (ducentæ autem erant) non niſi magnis jacturis conducerentur. At Gallus Rothomagum poſtea convocatis regni Proceribus, conſultavit de ordinandâ Rep. utque Provinciarum, quæ belli onere immunes erant, pecunias ſufficerent, ſuſtentandis peditum Gallorum denis millibus, equitum duobus, & quater mille Helvetijs: quo ſuper copias adverſus Sabaudiæ Ducem ac Hiſpanum in Britanniâ Aremoricâ conſcriptas, dein & voluntarios è Gallicâ nobilitate, etiam in Picardis novum hinc exercitum ſcriberet. Conceperat inſuper ſpem de permovendis ad tributa nobilibus Gallis, quorum poſſeſſiones hactenus liberæ ab id genus oneribus. Et quò facilius ea tolerarent, danda in poſterum ſtipendia: relataque eo fine in indicem IV & XX millia nobilium. Multa etiam cura reformandi fiſcalem & ærarij rem: antiquandi beneficia & ſtipendia quibuſdam extra ordinem conceſſa: numerum miniſtrorum XIX univerſitatum (nam in tot Provincias Gallia omnis eſt diviſa) diminuendi. Adhæc certam æris ſummam Regis menſæ aſſignandi; videlicet decies centena ſcutatorum millia in annos ſingulos. Actum quoque de differendâ ſolutione redituum, qui priuatis deberentur ob pecunias Lutetiæ, Aureliæ, aut Turonibus in publico ærario depoſitas. Quæ res fere motus Lutetiæ dedit, & omnes regię pecunię publicâ autoritate correptę, adeò ut ſedando populo ipſe Rex eo contenderit. Una ſupererat conquirendi æris ratio, ſi dimitterentur inteſtina pręſidia, quę locis quibuſdam à conjuratis ſacri Fœderis, quamvis jam pacatis, & horum quoque metu à Reformatis ſuſtentabantur. Promittebatque Comes Stabuli, exundaturum opibus ærarium, ſi perficeretur. Offerebant Reformati, urbes quas tenerent, mœnibus nudaturos ſe, dummodo adverſarij exemplum ſequerentur. Quò ſublata diffidentia, quicquid huic rei æris impendebatur, in limitum cuſtodiam contra hoſtem verteretur. Sed non eo magis aut hoc, aut cætera, utiliter propoſita proceſſere, cunctis privata compendia conſectantibus; ac invalido, & ſine autoritate Regis imperio; ita ut Gallorum res confuſę turbatæque manſerint. Oppidulorum etiam minutiſſimorum pręfecti, regulorum inſtar, liberam, velut nullius imperio obnoxij, poteſtatem exercebant. Illi pecunias ſubditis extorquere, nova vectigalia, novos cenſus, ut lubitum, imperare. Regi non id autoritatis, ut quenquam loco dimoveret: & ſæpe ne arbitrium quidem defunctis ſucceſſorem dandi. Quippe involabant illico Vicarij, & quamvis ſæpe abjecti ortus, cuncta in ſe trahere.

CIↃIↃ XCVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ XCVI. Ad ultimum pœnarum promeritarum loco, multis millibus emercandi ijdem erant, ac vis, injurię, rapinę, condonandę. Fuere inter Pręfectos, qui oppidis ceſſuri, veniam homicidis, latronibus, & perditiſſimo cuique, quos ſub ſignis haberent, ſtipulati ſunt. Nec ſtabant hic flagitia, ſed notorum quoſcumque ijſdem ſceleribus pollutos ſcirent; indicibus, tanquam centurię ſuę milites, inſcribebant. Quæſtores ortu humillimi, ac nuper è fece vix enixi, principali fortunâ agitabant, ſuperbas ædes centenis florenorum millibus extruebant, denique & XXX aut XL florenorum millibus reditus annuos augebant. Hunc in modum regias prodigi pecunias haud ſatis erat; ſed inſuper exiguum id, quod fiſcus caperet, temerè effundebatur, ſupervacuâ in Gabriellam concubinam, & immerentes alios, liberalitate. Interea miles, cui non ſtipendia, non vitę præſidia, agreſtium, & infirmi cujuſque rapinâ victitare. In Britanniâ Aremoricâ cum Mercurio Duce, (is genti præerat) inducię factę, ſubinde proferebantur, ſpe firmandę pacis: quamobrem Hiſpani Mercurio diffiſi, vires ſuas augere cœperunt. Cum Sabaudo quoque poni ad tempus arma convenerat, multis Regem hortantibus ut pacem iniret. Quippe averſum à ſocero, Hiſpaniarum Rege, Ducis animum differebant. Ademtas illi Brixiam ac Montæmilianum, quaſi cuſtodię locorum impari; cæterùm ut omnis occaſio præriperetur, Mediolanenſis agri partem poſtulandi. Nullam à ſocero ſpem dignitatum filijs Sabaudi oſtentatam, nedum ad eas promotos. Opportuna prorſus hæc Regi, alendum incendium, & indies magis magiſque alienandum ab Hiſpano Ducis animum, ne deſperatione, ad arctiora cum ſocero vincula compelleretur. Hæc illi: ſed Sabaudus conditiones abſurdas, & Rege indignas adeò petebat (erant eæ de retinendo Salucię Marchionatu, & claudendo Gallis, Hiſpanoque concedendo per ditionem ſuam itineri) ut reſumi arma omnino Rex vellet. Multum huc nitebatur Diguierius, demonſtrans, poſſe vertentis anni ſpatio adigi Sabaudum, ut conditiones quaſcumque Regi libuiſſet, acciperet. Reformati, qui in Galliâ erant, ſegregati à cæteris, Vendocinam hoc tempore convenerant, ſuppeditante impenſas Rege. Ii ſupplicibus literis (miſcebantque minas ſi ſpernerentur) dari palam ſibi ſacris exercendis Eccleſias, ſuę religionis homines in ſuprema judicium collegia admitti, ac ſuſtentandis Divini verbi Miniſtris, bonorum ſacris uſibus ſepoſitorum partem poſtulabant: oblatum ijs, ut publicè in duabus cujuſque Prætureę urbibus, & cunctis nobilium, qui ſupremum jus redderent, arcibus, ſacra publicè celebrarent; in Provinciarum quibuſdam judicum dimidium numerum facerent: & ſcutatorum millia annua XXX, ſuſtentandis ſacrorum Miniſtris. Sed abnuebant Reformati, obſtinatè libertatem, & in cunctis conſeſſibus per univerſum regnum, dimidium à ſuis numerum conſtitui poſtulantes. Triginta millia ſuſtentandis præconibus divini verbi, puſillum viſum. Anno hoc, qui ſextus & nonageſimus ſupra mille quingentos numerabatur, multi in Galliâ Procerum obiere, qui propriam magis potentiam, quàm Regis commoda, & autoritatem quæſiverant. In his Nivernenſis, qui bellum Hiſpano inferri ſemper diſſuaſerat, & Bovillionæo, cui cura exercitus impoſita, nulla non impedimenta parabat. Etiam fato functus eſt Nemoroſi Dux, & Toparcha Auius: Mareſchallus Villarius, Rothomago Præfectus, qui reguli inſtar egerat, ad Dourlanum occiſus. Præterea ſubitò, & inter epulas, exſtincta Mompenſierij vidua, eadem Guiſiæ Ducis ſoror, femina ſupra ſexum ſuum, & malorum autor, quæ vindicandę fratris neci, monachum ad confodiendum Regem Henricum concitaverat. Eratque arcanę multorum conſcientię innexa, & bis hebdomadis ſingulis nocturna in ædibus ſuis conventicula egerat. Eſpernonius penitus ad obſequium Regis rediiſſe viſus, tradito

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

dito Guiſiæ Duci, quicquid in Provinciâ locorum ſupererat. In Hungariâ cIↃIↃ
varius hoc anno rerum ſtatus, lætus, triſtis, donec ad ultimum univerſa ſi- XCVI.
mul malorum moles Chriſtianis incubuit. Majo menſe Cliſcam Dalmatiæ maritimam urbem Turcæ expugnaverant. Cæſariani ſpem conceperant navibus liberandæ urbis: ſed Veneti, qui Adriatici maris ſe dominos ferunt, & ſecundum pacta Turcarum naves ingreſſu prohibuerant, admittere Cæſarianos nequaquam poſſe dictitabant: quippe extra bellantium iras ſe, neq; infenſos aut obnoxios alterutri partium. Poſtea Petrinam Croatiæ à Turcis circumſeſſam feliciter Chriſtiani obſidio ſolvêre, multis proſperè prælijs factis. Hatwanum in Hungariâ Superiore, unde Maximilianus Dux ante biennium cedere compulſus, impetu captum, & Turcarum quidquid inerat occidioni datum; ſed mox, cum univerſo exercitu Turcico Imperatore Budæ propinquante, deſertum. Hinc auctis animis, Agriam Turcæ obſederunt, & decies octies redintegrato impetu (tempore, quod utrimque colloquio dari convenerat) per fraudem oppreſſerunt, omniaque victa interemerunt. Hâc victoriâ iter ſibi in Moraviam patefecerant, opulentam, fœcundam, ſed invalidam, & apertam regionem. Hinc in Germaniam, vitatâ & à latere relictâ Vienna, contendere poterant. Simul Sevenbergę, à Chriſtianis interclusæ, nulla niſi in Turcarum clementiâ ſpes reliqua videbatur. Quam ob cauſſam Maximilianus frater Cæſaris, ac Sevenbergę Dux, virium quicquid habebant conjunxere. Hominum millia centum erant. Qui proſpero primum ſucceſſu, victoriam, quam in manibus habebant, pravo prædam conſectandi ſtudio amiſere; ipſique cæſi, diſſipatique tormenta, ex ære fuſili centum capta, & Germania terrore ingenti concuſſa. Eo prælio, mirum dictu, & inauditum, duces ambo hinc Maximilianus Rex, inde Turcarum Imperator Bajazethes, victos ſuos rati, per immenſa ſpatia fugientes non ante curſum ſtitere, quàm Caſſoviam alter, alter Budam perveniſſet: relictis uterque caſtris, tentorijs, ac machinis: quas tamen paucis pôſt diebus Turcæ avexerunt. Octobris menſis vergebat, quum hæc gererentur. Eo qui ſecutus eſt Novembri, Hiſpaniarum Rex, vindictam cladis ſimul & dedecoris ab Anglis accepti longius differre impotens, & recuperandæ gloriæ æſtivi temporis opportunitatem exſpectare, memoratam ſuperiùs claſſem ſolvere jubet. Naves centum & duo de XXX erant, militum quatuordecim millia, exemtis navalibus ſocijs, & nonnullo equitatu, Duce Martino Padilla. Ibant rumores, Hiberniam primò, dehinc Britanniam invaſuros, liberandis violento Reginæ imperio Pontificijs. Nec tamen Regem in Provinciam Britanniæ regnum redacturum, ſed dotem filiæ fore. Cæterùm ſupremo illi humani generis Arbitro aliter viſum. Quippe immiſſis tempeſtatibus in ſcopulos infeſtaque vadis loca claſſem rapuit: unâ nocte quadraginta naves violentiâ ventorum fluctuumque impulſu diſſiluere, demerſis hominum quinque millibus. Referebant poſtea Belgarum, & Albim accolentes nautæ, qui augendæ claſſi detenti fuerant, maturè prævisum ſibi periculum, ſed cum curſum aliò dirigerent, Hiſpanorum incredulitate ac diffidentiâ, intento mortis metu, infauſtarum navium ignes ſequi compulſos. Ferebatur etiam, Hollandum nautam, qui anno LXXXVIII haud abſimili periculo naves multas, non inhonoratâ Regis operâ, exemerat, nunc quoque prudentia ſua complures diſcrimini naves eripuiſſe, alioqui exitij cunctas fuiſſe manifeſtas. Vicies quinquies centena ducatorum millia hâc clade hauſta ajebant. Et videtur ſanè Hiſpaniarum Rex mari plerumque infortunatus, nullis tamen calamitatibus victus eſſe. Etenim anno undeſexageſimo è Belgicâ in Hiſpaniam proficiſcenti, placidus toto itinere Oceanus in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ XCVI. tempeſtates horrendas ad Gallæciam ceſſerat: ipſeque, capiendo portu, alteram in navim vix tranſgreſſus erat, quando prior depreſſa eſt, onuſta pretioſiſſimis monilium, quæ à patre congeſta, ipſe adauxerat. Inſecuto anno præter amiſſas naves longas, militemque prælio à Turcis ad Lotophagitin inſulam cæſum; etiam Joannes Mendoza, & cum eo ejuſdem generis naves duæ ac XX, militum duo millia, non accenſis navalibus ſocijs, fluctibus abſumta ſub ipſa litora Siciliæ, adeò ut ex inſulâ proſpectari miſerrima facies pereuntium, nec auxilium ferri ullum poſſet. Luſitaniam Indiamque ex quo poſſedit, nulla unquam claſſis Goâ Olyſſiponem integra appulit. Minimumque tempeſtates ſingulis annis navium unam alteramque perdidere: nec plures quinis plerumque mittebantur, advehendis aromatis, ſerico, argento, auro, unionibus, alijſque Orientis gazis: quarum ſingulæ ſeptingentarum vehium, aut octingentarum, & ducatorum decies centenis millibus, etiam quæ viliſſimæ æſtimabantur. Fuit etiam quando ab Anglis caperentur. Sic anno LXXXVII vaſtiſſimam navem rapuere, & quia S. Philippi vocabulo à rege denominabatur, pro malo omine acceptum Luſitanis. Præterea qui loco Regis Indiam obtinebat, bis ab Indis, Arabibus, marique à Turcis graviſſimè contuſus, majori hominum naviumque ſtrage, quàm in Oriente adhuc quiſquam meminerat. Et memorato ſuprà naufragio cum cæteris Perſarum Regis legatus perierat, Hiſpaniam petens fœderi adverſum Turcas, cum Rege ineundo, quod anceps Chriſtiano orbi. Anno duode octogeſimo, amiſerat celeberrimam illam claſſem, terrorem orbis Chriſtiani. Eo qui ſecutus eſt, ipſis Hiſpanis memorantibus, ex Americæ portibus, Dominicano, Havana, Promontorio viridi, Braſiliaque naves ducentæ & XX ſolverant, è quibus XIV aut XV, nec plures revenere. Nonageſimo anno ſex naves ex Americâ Terçeram petentes Angli ceperunt, quorum metu, cæteræ Havana regis edicto, ſe ad ſequentem annum continuere, tanto privatorum mercatorum damno, ut ſuo periculo vela facere prætulerint, quam ſeque & res ſuas in Havanenſi portu atterere. Et plerique in Britannorum manus venere, quottidie Terçeram appellentibus, quorum naves fortunæque raptę erant, miſerabili ſpectaculo. Eodem anno Matthias Albukerkius, qui Regis titulo Indię ab Hiſpano impoſitus, in itinere, reluctantes ventos, procellas, adverſaque omnia expertus erat, ut homines XX ſupra ducentos, in unâ ejus nave perierint: reſiduę naves quatuor tempori vertêre iter, ac Olyſſiponem regreſſę. Quarum una, quingentis ducatorum millibus, & omnis generis mercibus ſupra ſolitum dives, quia navium nullę vela faciebant, à Rege emiſſa, Anglorum in poteſtatem venit. Deinde altera quoque Minâ Guineæ rediens. Tum duę etiam Italiam petiturę, & aromatis, opulentiſſimę: quippe ſolum quod inerat piper centum LXX ducatorum millibus æſtimabatur. Anno pòſt nonageſimum primo, naves centum & quadraginta in Terçeram euntes, ut Indicę claſſi præſidio eſſent, exceptis tribus & XXX, una tempeſtas obruit. Et per idem tempus Americana claſſis, naves XXXV; Dominicana quatuordecim, & in his prætoriam Vicariamque navem amiſere. Raptæque ab Anglis eodem anno naves duæ ac XX. Et miretur quiſquam, tot cladibus fractum, tot amiſſis non navibus dixerim, ſed claſſibus, creditum ſolvere mercatoribus nequiviſſe? Miretur quiſquam anguſtam fidem? Sed nobis hæc poſtea reddenda; nunc imponere finem huic anno properantibus, prætereundum haud videtur, quod obſervatum nonnullis, decimum quemque annum in ſenarium numerum deſinentem novas, & memoratu dignas res attuliſſe. Etenim ſextus poſt ſexageſimum annus initium Belgarum motibus dedit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

dedit. Septuageſimus ſextus Gandavenſi pace nobilitatus. Decimus ex eo annus turbatas res & ancipitem Reip. ſtatum novatione Liceſtrij vidit. Hoc, qui ſextus & nonageſimus numeratur, anno, ſatis ſuperque molis adverſus Albertum Fœderatis fuit. Idem murium gliriumque fœcundiſſimus: locis præcipuè illis, ubi argilloſa humus. Et fuere agreſtes qui ſemiplenis aqua fictilibus vaſis, horrea circum in terrã defoſſis, millenos, & ducentos ultra, una nocte caperent. Quibuſdam repertum, ut compoſitis in ordinem ſpicarum manipulis per ſingula intervalla arenam ſpargerent, in quâ nidulari muribus haud ſolitum. Tantus etiam brumali tempore aëris tepor fuit, ut Natali Servatoris arbores multæ efflorеſcerent: quin & ſturnorum, cornicum, corvorumque pulli eodem tempore viſerentur. Annonæ caritas, adhuc finitimis tantum gravis, tandem quoque Fœderatos afflixit: quippe exportationem ob cauſſarum ſupra expoſita prohibere haud erat: ſimul humilitate amnium frumenta è Boruſſiâ Poloniâque Gedanum convehi nequibant. Adeo ut frumenti vehes apud Friſios centum octoginta aureis venderetur, quod monetæ genus ſeſtertios duodetriginta facit. Quadrans piſorum florenis xx. cIↃIↃ xcvI.

FINIS LIBRI XIII.

EVERARDI REIDANI

ANNALIUM LIBER DECIMUSQUARTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

TRIBUTA *ac vectigalia Fœderatorum. Albertus novum militem legit. Hiſpaniarum Rex contractus, quoſcumque cum mercatoribus iniverat, reſcindit; unde magni motus per omnia Europæ emporia, & anxius Albertus. Mauritius ad Turnhoutum prælio hoſtem vincit. Lis inter Groningam & Omlandos deciſa. Galli & Anglorum legati Diepam conveniunt. Ambianum ab Hernantello aſtu interceptum. Fredericus Bergius Stenovicum, Mauritius Venlonam per dolum incaſſum tentant. Poloniæ Rex, Cæſar, & Daniæ Rex legatos de pace ad Fœderatos & Eliſabetham mittunt. Pontifex ad Gallum. Naves ex Iava reverſæ. De navigatione per Septentrionem. Mauritius Berckam, Alpam, Meurſam, Grollam, Breſurtum, Enſchedam, Oldezaliam, Otmarſam ac Lingam in poteſtatem redigit. Mauritÿ ſoror Emanueli, Luſitaniæ Principi, nubit. Ambianum obſeſſum, & fruſtra ſuccurrere conante Alberto, deditum. Gallus aurem præbet ſermonibus de pace. Anglorum claſſis, quæ ingentem Hiſpanis terrorem incuſſerat, adverſis tempeſtatibus in Britanniam rejicitur: nec diſpari fato Hiſpanorum adverſum Anglos claſſis, ventorum violentiâ & procellis diſſipata.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

pata. Cliviæ Dux laqueo extincta. Germani Principes languent. Cæſar Emdanis immunitates Delfſilano fœdere conceſſas ſancit. Iavarinum in Hungaria obſeſſum. Germanorum conventus Ratiſbonæ actus, ubi agitatum de Mauritio militiæ apud Hungaros præficiendo. Sevenbergæ Duci mens emota. Bellum Ferrarienſe. Peſtilentia vexati Germani. Inundationes. Sypa aggeribus circumdata. Sipenſteinius proditor. Incendium Amſtelodami ortum. Duinquerkani damna Fœderatorum navibus inferunt.

cIↃIↃ XCVII. PRINCIPIO anni MDXCVII iterum Senatus, ſtatu ac neceſſitatibus Reip. expoſitis, Fœderatis nationibus demonſtravit, crebros nuntios, ipſiuſque hoſtis acta, militum delectus, paratum belli, cætera manifeſtò declarare, duobus eum exercitibus bellum renovaturum. Et quantò majores hoſti ad oppugnandum vires, tantò pluribus ſubſidijs ad repellendum opus. Proinde rogare ſe in univerſum, quà ordinariè, quà extra ordinem, florenorum quotmenſibus millia quadringenta: ſuper id quod vaſtitatis metu agri hoſtiles penderent, ac emolumenta eorum quæ inferrentur aut aveherentur: denique & præter tributum ſali impoſitum, cujus vaſa ſingula duos ſeſtertios pendebant. Huic Senatus poſtulato nationes adſenſerunt: & Hollandi, qui ſuperiore anno navigatione ac commerciorum uſu abrupto, deteriora vectigalia, nec ut ſolitum amplos proventus ſuos comperiebant, varia & nova onera repererunt: quorum fuit, quòd molitis cibarijs, ſali, ac cereviſiæ à propolis, cauponibuſque emendæ, cenſum duplicavere: intenſa quoque domiciliorum in agris ſitorum tributa. Unde effecturos ſe quotmenſibus quinquaginta florenorum millia ſperabant. Militum numerum, quamquam multum urgente Mauritio, augere hoc anno Patres nequivere: tantum ſtipendia aucta, quo, qui ſub ſignis miles erat, alacrior eſſet, & menſes qui ante VIII & quadraginta dierum erant, contracti in dies duos & XL. Cæterùm quod ſæpius ante agitatum, ut adverſus centurionum fraudes viritim ſtipendia numerarentur, hoc quoque tempore differri placuit. Nec in tantâ Fœderatorum curâ Archidux quieſcere, ſed celerare cuncta, educendis maturè exercitibus. Nam duos ſuſtentare, hunc in Galliâ, illum locis ab ortu Rheno ſitis, decreverat. Eo conſilio Germanicam ter mille peditum legionem in Limburgo ac Valkenburgo ſcribi jubet, duce Barbanſonio, fratre Comitis Arenbergij. Alteram pari numero legionem in Lutzenburgo Johannes Rudolphus Schlegelus colligebat. Multi adhæc eâdem ex gente ſupplendis Germanicis legionibus (ſeptenæ autem erant) conquiſiti. Rogatuſque Cæſar, ut publicis codicillis poteſtatem faceret, ſex ſeptem Germanorum legiones contrahendi. Sed abnuit ille, nequaquam ſibi, qui paci ſtudeat, decorum dictitans, bellantium hanc aut illam partem armis, militeve juvare: imprimis, quando nec ſuo milite carere Imperium poſſit, ob imminentes Turcas; neque unum ſe depellendis ijs parem: ſed retinendum Germaniæ Principum favorem, ut auxilia mittant. Hæc palam: cæterùm ſecretò paſſurum, & per diſſimulationem tranſmiſſurum ſpopondit, ut legiones nonnullæ conſcriberentur, tractibus Hungariâ longiùs abſitis. Præter hæc in Leodicenſi ditione ac Lotharingiâ, Walonum millia ſex conduci cœpta. In regno Neapolitano bis mille Italorum legio, Tribuno Marchione Tarviſino: & æqualis huic manus in Longobardis ductu Alphonſi Davali. Quam, ut è ſubditis regis lectam, innocentiorem fore, nec, ut cæteri Itali, ſeditionem facilè auſuram credebatur. His ita inſtitutis, literas quoque ad Regem Albertus mittit, Hiſpanorum millia

aliquot

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

aliquot tranſmitti petens, in ſupplementum gentilium legionum, quæ,
potiſſimum alioqui exercitus robur, infirmatæ erant. Ad Rhenum quo- cIↄIↄ xcvii.
que immenſi ſumtus facti, comparatæ naves, rates, rudentes, anchoræ, trabes, ferramenta, & quicquid uſui ſtruendo ponti, aut ſubitò pontonibus tranſportando exercitu. Sed hos tantos apparatus, dilectuſque militum, haud parum turbavit, quod fidem apud mercatores ſibi ipſe Rex ademerat. Fortè enim per idem tempus fiſcalem rem, & proventuum ſuorum rationes corrigere adgreſſus, hujuſmodi Hiſpanis edictum propoſuerat. Compertum ſibi, non omnes Hiſpaniæ aliarumque terrarum proventus; non decimam, Pontificis adſenſu Eccleſiaſticis imperatam; non ſubditorum tributa, ac vectigalia; non denique immenſam vim auri argentique quotannis ex Americâ ſubvecti prohibere potuiſſe, quò minus funditus opes fortunæque regiæ exhaurirentur. Cujus rei cauſſam partim gravia bella, ſed imprimis intolerabiles uſuras fœnoraque mercatorum eſſe, qui per contractus cum Rege, anguſtijs preſſo, quondam initos, quicquid tributorum vectigaliumque proveniret, uſuris ſuis mergerent, nec Regi facultates ullas, neceſſarijs exſequendis, reliquas facerent. Eoſdem nunc quoque, quando omnia eorum in manu ſint, negare quidquam ſe æris ultra annumeraturos, aut trajectis nominibus præſtituros. Itaque impiâ fœnoris cupidine & univerſas Occidentis & Orientis gazas ab ijs exteras in oras dimitti, earumque acceſſu firmari hoſtes veræ religionis, & rebellantes adverſum ſe ſubditos. Simul pravum morem regno inductum, ac ſubditos compendio captos, non modò commercia quævis, verùm & agrorum culturam, & curam pecudum intermittere. Quod neceſſariò & regni ac ſubditorum, & Eccleſiæ divinæ exitium, perniciemque omnium eorum ſecum traheret, quæ potiſſimùm Regi curæ eſſe ſupremum Numen voluiſſet. Ob hæc, ut malo huic occurrat, irritos facere ſe contractus, delegationes, oppignorationes, & quicquid ab anno MDLXXVII in hanc uſque diem cum mercatoribus actum fuiſſet. Simul fœnus, niſi quod æquum, reſcindit, ac miniſtris negotium dat, reſumerent pignora, & penſiones, proventuſque fiſco inferrent; cum mercatoribus putarent, quantum ex jure cuique deberetur; illicita, ac nefariè poſtulata repeterent, ac illatam regijs fortunis injuriam vindicarent. Quibus verbis, quicquid fœnoris nomine ſupra ſolitum mercatores ſumſiſſent, detrahi de capite volebat: quod multis eorū detrimentoſum. Hujus edicti autoritate opulentiſſimis quibuſque argentarijs hypothecæ ſuæ eripiuntur. Deinde & (ſi vera primarij viri ſcripſerant) auri & argenti quicquid ex Indiâ advectum, in ſe trahit, tam quintam partem, quæ illi vectigalis, aliarumque rerum nomine debebatur, quam privatas mercatorum pecunias. Addidit obtentum, cognoviſſe, inſequenti Martio ducatorum quindecies centena millia Galliarum Regi annumerare mercatores pollicitos. Proin in poſterum non per collybum, ut hactenus; ſed præſentes in Galliam Belgicamque pecunias tranſmittere ſtatuiſſe. Magni hinc motus, per omnia pene Europæ emporia. Etenim, mercaturæ nexus catenæ inſtar: ac majorum gentium mercatoribus Antverpiæ, Genuæ, Olyſſipone, atque Hiſpali foro cedentibus, paſſim quoque minores fortunis provolvebantur. Quindecies centena millia per id tempus Autverpiæ Albertus debebat, jamque in Hiſpaniam literas miſerat, plura poſtulans, quæ ſine ære remiſſæ, quando commercia ſua nummularij abruperant. Mercatores, quîs cum Alberto res fuerat, aliorum debitores erant: & qui his crediderant, rurſum alijs, atque alijs debere. Unde certatim quiſque nomina exigere metu ne exſpectantes credito exciderent. Hinc plena & inquies Antverpia appellationibus. Qui appellabantur, ſuum in jus debitorem trahere, ille alium, donec noviſſimè ad Archiducem ventum, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ ſupra leges, & pœnam erat. Cæterùm quia indecorum fidem minuere, ſpa-
xcvii. tium ponit, quo vocare in jus aut lege cum quoquam agere haud liceret. ita eorum quoque famæ & rebus conſuluit, à quibus pecunias acceperat. Miles, ex quo Hulſta expugnata, ſtipendia nulla fecerat. Præfecti delectus habituri, ipſo auctoramento deſtituti. Et Germanorum nonnulli, quamvis dicto ſacramento, rurſum dilapſi. Iperani, urbiumque aliæ, miſſum ab Archiduce præſidium admittere detrectabant, ſeditionem & licentiam militarem ob non ſoluta ſtipendia veritæ. His de cauſſis graviter Archidux angi, ſæpeque & noctu concilium convocare. Nimirum inſolens hoc illi, qui hactenus pecunijs affluens, liberalitate cunctos deceſſores ſuos ſupergreſſus erat, & donativa uno tempore afflictis Hulſtanâ oppugnatione militibus ampliora congeſſerat, quam trium annorum ſpatio Parmenſis. Nec apud ſuos modò munificus, ſed inſuper Fœderatorum militem ingentibus præmijs emercari tentaverat, pro miſſo transfugarum ſingulis ſtipendij augmento, aut qui miſſionem vellent, pretio itineris. Nunc penitus circumactæ rerum vices, & egeſtate paſſim diffugere miles, adeo ut Hulſto viceni ſimul in Hollandiam Zelandiamque tranſierint. Dourlanum ſeptem Italorum turmæ inſederant, univerſæ equitum non amplius centum xxx: cæteri ſuâ ſponte præſidio digreſſi, aut Warenbonnij conflictu abſumti. His remedium malis Albertus quærens, monilia, argentea vaſa, & quicquid in ſuppellectili pretioſum habebat, oppignerat: pecuniaſque ab Antverpianis & Gandavenſibus mutuò capit. Bruxellenſes abnuebant. Mox edicit, ne quis ex Germanico Imperio (quanquam gens ea in hoc bello otioſa) in Belgicam, niſi impetrato à ſe commeandi beneficio, proficiſcatur: addit grave tributum, ſingulis eo contendentibus: quod tamen, finitimorum querelis motus, brevi abolevit. Adhæc Auguſtæ Vindelicorum Fuggeros aggreditur, mutuoque pecunias petit. Cæterùm ſuffecerunt deterrendis ijs noviſſima exempla: nihil quoquam præſidij reponente in pactis cum Principe, qui contractus omnes irritos pro lubidine feciſſet, & nullis legibus ſe ſubjiceret. Augebant metũ immenſa regis debita, quem ſolo fœnoris nomine ducatorum decies centena millia Genuæ quotannis ſolvere ferebatur. Sanè ſecuto mox Francofurtenſi mercatu plures foro ceſſere, quam ullâ adhuc memoriâ proditum. Innumera vis, nobiles, ignobiles, viduæ, pupilli, quorum depoſitæ apud opulentos mercatores pecuniæ, ſuo fraudati, negantibus illis quidquam ſolvere poſſe, priuſquam à rege ſuum conſecuti eſſent: quem ut culpæ autorem cuncti differebant. Hæc quantum Regi & Alberto noxia, tantum Fœderatis profuere. Et ille quidem, digreſſis ex Arteſiâ Gallis, militem in hyberna partim, ſed pleroſque in Brabantiam dimiſerat. Erant autem quatuor veteranæ legiones, Germanica, Præfecto Sultſio Comite; Italica, ſub Tarviſino Marchione; Walonum duæ, Tribunis Hachicourtio, Barlotioque. Numerus omnium, quatuor, aut quinque millia. Aderant equites quingenti duce Nicolao Baſta. Summa imperij penes Varaxium Comitem, cui Barlanſſono nomen erat. Turnhouti quatuor à Bredâ, ſenûm à Gertrudenberga millium itinere conſederant, ſeque muniebant, varia, quis Fœderatis nocerent, agitantes, ac patrandis deſtinatis plus copiarum ab Archiduce opperiebantur. At Mauritius anceps ſimul & indecorum Reip. ratus hærentem in finibus hoſtem pati, caſtra invadere, aut neceſſitatem abeundi afferre ei conſtituit: vel, ſi patentibus campis reſiſteret, prœlio certare. Eo fine ex vicinis præſidijs octingentos equites evocat, ac peditum millia quinque: machinas medij generis duas, totidemque campeſtres. Ii duodecimo Januarij die ad Gertrudenbergam convenientes, poſtridie Ravelam movent: quod pago nomen horæ itinere à Turnhouto. Ibi noctem conquieſcunt, primâ luce in hoſtem ituri. Non

latuit

latuit Varaxium res, ſeu exploratorum, quîs abundabat, indicio monitum,
ſive ignium frequentiâ, à milite adverſus frigoris vim, & ſiccando corpori cIↄIↄ
factorum. Itaque Herentaliam iter parat, & impedimenta ſecreto noctis XCVII.
præmittit, vitandæ confuſioni, cui obnoxiæ tenebræ: ſimul famæ conſul-
turus, ne fugæ ſimilis diſceſſus videretur. Mauritius Turnhoutum ſerius
aliquantò attigerat, corruptis aquâ itineribus, & elapſo tempore dum pa-
ludem anguſto ponte equitatus tranſit. In itinere à primo agmine certior
factus moviſſe hoſtem, tantò impenſius properat, & quia ſubſequi pedes
nequiret, cum ſolo equitatu, ac ducentis jaculatoribus, quîs Eques Verius
præerat, præcurrit. Dirimebat eum ab hoſte flumen exiguum, ſed reperto
vado quod unum erat, equites ſigillatim tranſiere, pedites injecto aſſere,
non ſine temporis diſpendio: augebant moram excubię hoſtiles, prohiben-
dis tranſitu noſtris diſpoſitę, quas tamen Verius diſpulit. Exinde in ſylvam
deventum, horæ itinere in longitudinem extenſam, ubi vix ulla occaſio
hoſtem invadendi. Niſi quod Veriani jaculatores noviſſimos hoſtium (pe-
dites ſolùm erant, primum agmen eques tuebatur) carperet; quibus ſub-
inde obvertentibus ſe, ad Hohenloium noſtris receptus erat, qui quadrin-
gentis cum equitibus ſequebatur. Extrema ſylvæ in campum ſemihoræ
ſpatio patentem deſinebant, ubi ſolum læva hoſti ſylvis clauſa. Et campum
emenſis præſidio futura palus, neque ullum à noſtris periculum erat. Eam
ob cauſſam Mauritius, quamvis longiùs aberat peditatus, cum ſolo equite
adoriri hoſtem decernit, ac Hohenloium, qui quadringentos, ut dictum,
equites, in ſex catervas diſtributos, ducebat, invadere jubet. In hoſtili acie
præcedebant Germani, ſequentibus Hachicourtio, Barlotioque. Poſtremi
Itali: ſeparatim quæque legio incedebat, interjecto centum plus minus
paſſuum intervallo. Dexteram equitatus, tripartito agmine; ſiniſtram ſyl-
væ tegebant. Igitur Hohenloius legiones omnes prætervectus, latus Ger-
manorum incurrit: quîs nullo penè negotio diſſipatis (nam eques confe-
ſtim ceſſerat) peditum ordines perturbat. A tergo Mauritius quadringen-
tos tenebat; ac fortè eodem momento Verium cum parte equitatus Italis
immittit, cæteros ipſe retinet, ſubſidium laborantibus. Non ſuſtinuere
impetum Itali, & ſtatim terga dedere; mirantibus cunctis, facilem adeò
victoriam de veteranis legionibus, & potiſſimo regij exercitus robore.
Conſternaverat haud dubiè animos, quòd ſubitò actos in fugam equites,
nudatumque latus ſuum videbant: ſed ne ipſis quidem in prælio ullus ordo,
aut conſilium. Quippe non omnes IV legionum haſtatos unam in aciem
coëgerant, neque haſtas conſtipaverant; ſed laxi, & ſingulis jugis
octoni incedebant. Ne ſigna quidem (quæ medium cujuſque legionis or-
dinem occupant) haſtatis utrimque tutabantur: & hac primùm Mauritia-
nus eques irrupit. Acceſſit quòd jaculatores non per vices, ut alter alte-
rum exciperent, ſed cuncti ſimul tubos exoneraverant: unde noſtro equiti,
ubi neminem in alis onerato tubo advertit, incitamentum promtius in ha-
ſtatos irruendi; nec quaternis amiſſi, aut ſenis plures vulnerati. Dux omnium
Balanſſonius occubuit: centuriones duodecim, & Italus cui ſuprema vigi-
lum cura, cum juvene Mansfeldio, vexillifero è Sultſij legione, in manus
vivi venere. Omneſque adeo ſigniferi aut capti, aut cæſi: & univerſa qua-
tuor legionum vexilla, duodequadraginta, cum ſigno turmæ Mondrago-
ni (ſigniferum in fuga equus effuderat) capta, ac Hagæ Comitum in atrio
magno ſuſpenſa. Cæſorum reperti bis mille quingenti, ſexcenti captivi fue-
re. Partâ victoriâ, confeſtim omnis eques, relicto Mauritio, ad conſectan-
dum hoſtem excurrit, ſpe currus, ac prædam adipiſcendi. Fortè Nicolaus
Baſta anguſto itinere currus adſecutus, quia prætergredi nequibat, cum
equitibus nonnullis obvertere ſe ingruentibus compulſus, velut paratus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcvii. pugnæ ſteterat: nec tamen progredi longiùs auſus, quàm quem in locum porrecta deſinebant. Id ubi perſequentibus viſum, prælio paratum rati, quia nullo imperio, aut ordine, effuſi ruebant, illico refugientes ad peditatum ſe recepere, qui Turnhoutum necdum attigerat. Baſtam poſtea Bruxellis in periculo fuiſſe inde venientes affirmabant, quòd extremum agmen non ipſe duxiſſet. Cæterùm purgavit ſe codicillis Balanſonij, quîs diſertim primo in agmine incedere jubebatur: addebatque, abnuiſſe primò, prætuliſſeque noviſſimum tutari agmen. Cadaver Balanſſonij ad Archiducem Mauritius miſit: & quia primo ejus adventu captivi equites nonnulli, contra jus belli, (quo receptum, ut menſtruo ſtipendio libertatem miles redimeret) in patibulum acti, ac pari hoſtium numero, eorum vindicata mors foret, quęſivit Mauritius, decretumne Alberto eſſet ſervare vetus belli commercium; ſi ſponderet, eâdem ſe indulgentiâ in captivos uſurum dictitans. Ad ea humaniter Archidux, actis gratijs pro pietate in defunctum, omnino militiæ jura ſervare velle, & alienum ſibi à crudelitate animum reſpondit. Balanſonij corpus nullo egregio honore, nullis cæremonijs in tumulum condidit. Turnhouti arx ſupererat, latiſſimâ circumfluente foſsâ; ſed præſidiarij, duodecim tormentorum globis adactis, deditionem fecere, ſalutem corporibus, & fortunis pacti. Mauritius confeſtim impoſito præſidio, reliquos milites in hyberna quemque ſua remittit. Et quia factis expeditionibus uſitatum Fœderatorum equiti Sprangæ, in territorio Sylvæducenſi, quieti noctem unam dare, edixit Mauritius, ne quieſcerent priuſquam in hyberna veniſſent. Etenim verebatur, ne hoſtis, conjecturâ è prioribus expeditionibus captâ, Sprangam iret. Nec falsò augurabatur: etenim eâdem nocte Sprangam ingreſſi hoſtes: quîs, niſi noſtri abiiſſent, ſumma fuiſſet opportunitas, contra fatigatos ſomnoque oppreſſos. Inſignis verò, Dei munere, aëris temperies hâc expeditione fuit, & par voto: nam quo tempore conſultabatur, repentè obortum gelu: ſed mox diſſolutum, &, ſiccitas, ut eo tempore anni, modica fuit: alioqui equitum tranſitum itinera abnuiſſent. Per idem tempus à IX Juriſconſultis, ex Fœderatâ Belgicâ delectis, veteres inter Groningam & Omlandos controverſiæ definitæ ſunt. Spectabant eæ libertatem, ab adeundo foro rerum venalium Groningæ in cereviſiâ coquendâ, rebuſque alijs. Jam olim ſub Rege agitata hæc lis, & quia ſatis haud liquebat, judicium pronuntiatum erat, quod, interim dum amplius inquireretur, ratum eſſet. Sed quoniam non penitus ſublata quæſtio, multorum Fœderatis malorum cauſſa fuerat. Eadem traductis Rhenum Hiſpanis occaſionem dederat publicam quietem, & commune Fœderatorum vinculum, in terris ab ortu Rheno ſitis, turbandi. Dein anno MDXCIV à noſtris recepta civitas, incolumia ſibi jura legeſque pacta erat: relicto Fœderatis Patribus arbitrio, controverſias cum Omlandis diſceptandi. Ob hæc Patres, quorum concordiâ res ſtabant, ut contrà dominantium nonnulli ſubditorum diſſidijs ſuam firmatum eunt potentiam, IX, ſicut dictum, Juris gnaros delegerant, qui radicem totius mali tollere ſummo ſtudio adlaborarunt. Ii pro Groninganis pronunciavere, unum deinceps corpus urbem & Omlandos fore: cum hactenus hi ſemper ſui juris gentem ſe eſſe dictitaviſſent, cui nihil commune cum urbe foret. Poteſtatem IV judices (Hovetmannos vocant) diligendi, penes urbem fore. Nec propolis aut cauponibus in Omlandiâ licitum cereviſiam niſi Groninganam venditare. Cautum deinde, ne quis adipem, & quæcumque hinc in uſus domeſticos parantur, ne boves, equos, triticum, atque id genus alia, Omlandiâ exportarent, niſi poſtquam in forum urbis adducta. At jus externas merces ſuum ad forum trahendi, ut lanarum, ſerici, lignorum, ferramenti, lapidum, ſalis, calcis, & omnium quæ peregre adve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcvii.

advehuntur, urbi abjudicatum eſt. Unumque id caput moræ multum injecit, quò minus prolatam ſententiam exſequi eſſet. Omlandi ſtare ſe ijs, quæ judices arbitrati forent, paratos dictitabant, dummodo & civitas acquieſceret. Groningani provocare, atque obnuntiare. Placebant cætera, quis ſuperiores evaſerant: de quarto capite, quo cauſsâ cadebant, & alijs, nonnullis accuratius audiri, ſtatuique poſtulabant. & ni impetrarent, ſeditionem plebis metuere adjecerunt. Interea Galliarum Regem, ac Eliſabetham inter, dies convenerat, quo Diepam congrederentur, conſultandis quæ proximâ æſtate gererent. Britanni ad Caleti obſidium inclinabant: ſed quia cuſtodiam oppidi, ſi expugnaretur, ſibi poſcebant, conventus intermiſſus. Quippe ſpes Gallis ſeu vi, ſeu pactis urbem eam Hiſpanis quandoque extorquendi: ab Anglis aut nunquam, aut ſerò recepturos ſe credebant. Quanquam in conſilio Regis nonnulli cenſerent, potius oppidi unius jacturam æquo ferendam animo, quam ut in caſum univerſum regnum daretur: quod haud dubiè fore, ſi principio fœderis Britanni uſque adeò ſuſpectam Gallis fidem ſuam animadverterent. Ipſis Kal. Maij Hermantellus, Dourlano præpoſitus, Ambiano per aſtum potitus eſt. Etenim excubiarum portarumque ſitu explorato per unum è minoribus vigilum Præfectis, ac Priorem fratrum ordinis S.Franciſci, qui Dourlani erant, centuriones duos cum XIV, aut circiter, militibus præmiſerat. Hi agreſtium habitu tecti, & quò occultior dolus eſſet, ſaccos pomis & nucibus repletos humeris geſtabant: agebatur ſimul currus ſtramine onuſtus. Ad portam ubi venêre, poma conſultò in humum effundunt; cæterum ut videri volebant, temere, & negligentiâ. Mox vigiles urbis accurrentes, & & pro ſe quemque certatim rapere feſtinantes, reſectis ſine morâ equorum loris, trucidant. Simul ex inſidijs coorti pedes & eques urbem occupavere XIV hominum millibus, ſi verâ Hiſpani referebant, inhabitatam. Galliarum Rex, hujus periculi providus, præſidio firmare urbem tentaverat; ſed abnuebant magiſtratus, & ne invitis intruderentur, leges obtendebant; tum robur urbis quoque, & civium fidẽ egregiam extulerant. Quam nequaquã illi, quo maximè tempore opus erat, præſtiterunt. Grave denuo Gallis id damnum: quippe congeſſerat in urbem Rex tormenta maximæ molis IV & XX, dein avenam equis, & quæ alia exercitui futura erant uſui. Fuit tamen huic quoque damno fructus ſuus. Etenim finitimæ urbes, ubi Ambianos ab Hiſpanico milite direptos, & complures, quamvis Pontificios, ejectos oppido viderunt, metu ſubactæ, addictiore obſequio Regis mandata, ac præſidia accepere. Simul etiam ſublata Gallorum in Anglos æmulatio, & Henricus, miſſo ad Reginam nobili, paratum ſe denuntiavit, Caleti cuſtodiam Britannis, ſi expugnaviſſent, relinquere. Haud abſimili conatu per idem tempus Fredericus Bergius Stenovicum adgreſſus eſt. Coëgerat pedites mille, equites quadringentos: quibuſcum Twentano ex agro profectus equitem Ommæ relinquit, præſidium paludem tranſituris; cæteros ad urbem rapit, antelucano tempore vallum conſcenſurus. Jamque enixi nonnulli erant; ſed concurſu præſidiarij militis deturbati: juvit celeritatem noſtrorum, quod militum multis contigua mœnibus tuguria erant. Laudem quoque qui in excubijs erat miles meruit, quod nullâ interpoſitâ morâ in forum curſu delatus, ad arma oppidanos vocaſſet, ac vigilum ſtationi, quâ parte hoſtes conniterentur, ſignificaviſſet. Nec meliùs eodem menſe Principi Mauritio in Venlonam tentata ſucceſſere: is Noviomago digreſſus, militum quantum ſatis, nunquam intermiſſo itinere noctu ad urbem occulte perduxerat. Defluxerant etiam Moſa amne naves duæ, hæc quinquagenos, altera centum milites vehens. Ac prior opportuno tempore appulſa, opprimit vigiles, dum recludunt portas, quarum ternæ

cIↄIↄ xcvii. inferiores ac ſuperiores, cum Schoënſi in poteſtatem redactæ. Sed noſtri, quippe milites tantum L, hoſtem ſuſtinere tamdiu nequiverunt, donec cum univerſo agmine Mauritius, aut navium altera, quæ centenos milites vehens, vado hæſerat, ſuccederet. Itaque pulſi amiſſis fortiſſimis viris centurionibus duobus, quorum alter Matthias Hiltius. E vulgò militum pauci, è civibus nonnulli periere. Sub hæc à Cæſare, ac Poloniæ, Sueciæque Rege, legati de pace ad Patres venere: haud dubiè impellente Hiſpano. Prior Polonus, non rogatâ veniendi impunitate, ſed legatorum jure fretus, in Belgicam acceſſit. Vocabulum ſibi ipſe Paulli Dialini indiderat. Etenim ante annos decem Lugduni in Batavis ſtudiorum cauſsâ moratus (quanquam & hoc negaret, ſed à Profeſſoribus, & alijs quibuſdam, quin & popularium nonnullis per idem tempus Lugduni agitantibus, convincebatur) nomen aliud uſurpaverat. Famulorum exiguus illi numerus, habitus luxurioſiſſimus. Quippe talaris, gentico more veſtis, gemmis atque adamantibus fulgebat. In ſermonibus inſolenti ac ſuperbo more non circumſtantes adſpicere, ſed ſurſum attollere oculos. Orationis potiſſima & exordium habebat, *Poloniam Turcis conterminam magna pericula circumſiſtere, eoque juſtioribus votis pacem Chriſtiano in orbe expetere, quò arma vireſque cunctorum verterent in exitium Turcis. Dolere, quòd Hiſpaniarum Regi, alioqui Turcis pari, neceſſitas allata ſit, nonnullos motus reprimendi, ac hæreditarias terras armis repetendi. Darent Patres operam quieti ac tranquillitati publicæ, ſeque clementiæ Regis ac obſequio ſubjicerent, & veniam ſupplices orarent. Imperia Regibus, ſubditis nihil præter obſequij gloriam relictam. Eſſe veterem Poloniæ regno cum domo Auſtriacâ amicitiam, nunc quoque innexum matrimonio Regem, illum deprecaturum, & veniam Belgis impetraturum.* Ad ultimum clauſit acribus verbis: *reputarent Patres, quantum Fœderatis Belgis in commercijs cum Polonis ſitum eſſet.* Patres quanquam veniæ, & commerciorum mentionem aſperiùs illatam haud uſquequaque rectè ferebant, & minarum ſpeciem ea verba præferre viderentur, quaſi frumenta in poſterum negaturus Rex eſſet, tamen diſſimulatione tramiſſis ijs, reſponderunt: *Haud quaquam lubentibus ſe animis accepiſſe, adeo Poloniæ Regem ignarum, quid apud Belgas rerum geratur, ut bellum quod extremâ neceſſitate gerant Fœderati, obſtare exiſtimet, quominus potentiam & opes ſuas impendere Turcis opprimendis Hiſpanus poſſit. Supervacuè regum in ſubditos poteſtatem memorari. Incognita Belgis regia imperia: principibus paruiſſe; ſed legibus non minus illos, quam populum, obnoxios. Illas leges tranſgreſſum Hiſpanum, hominum millia plus centum, inaudita, indemnata trucidaſſe. Legatos, ſanctum apud omnes gentes nomen, comprehenſos necaviſſe. Acerbiſſima imperaſſe tributa, & innumeram multitudinem in extremas miſerias compuliſſe. Miraculo nulli eſſe debere, tandem abruptâ patientiâ, arma pro libertate Belgas cœpiſſe, ductu Arauſionenſis, quem ex legibus ſuis rebus præfeciſſent. Mirum haud eſſe Belgas liberrimum populum, ubi cuncta nequidquam tentaverint, ad pacem Cæſare, Gallo, Britanniæ Reginâ, Germaniſque Principibus conciliatoribus fruſtra uſi ſint, tandem aliarum exempla gentium ſecutos, violenta Hiſpani imperia, ac immanem crudelitatem cervicibus publicis depuliſſe: quamvis & huc ſerò & contanter magis deſcenderint, quàm nationum aliæ, ac ne centeſimam quidem partem id genus onerum perpeſſæ. Supremum quoque Numen pro bonâ cauſsâ ſtetiſſe, &, nefariè, ac barbaro more Arauſionenſi ab immiſſo percuſſore trucidato, non modò tutatum res Belgarum, ſed & juventam Mauritij Principis, quem parenti ſurrogaſſent, cum dierum ſpatio, majore victoriarum numero condecoraſſe. Non Turcarum bella aut victorias cogitare Hiſpanum: ſed religionis obtentu Chriſtiani orbi jugum imponere conari. Hinc illi Britannos oppugnatos: hinc Gallico ſe miſcuiſſe bello: hinc Cliviorum ac Iuliacenſium regimine legitimos*

ſucceſſo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſucceſſores arcere, Aquiſgranum, Veſontionem, aliaque S. Imperio ſubdita, in cIↄIↄ
poteſtatem redigere, hinc denique Belgas armis aut ſubdolâ pace opprimere XCVII.
adniti. Hanc nimirum ei adverſus omnes vicinos belli ſedem fore: & opprimendis
cœptis ejus Gallos ac Britannos fœdus cum Belgis iniiſſe. Nec decorum Patribus
pacis mentionem aut apud dictos jam Reges, aut Fœderatas nationes facere. Spe-
rare ſe rectâ hæc æſtimatione menſurum Poloniæ Regem, nec affinitatem domus
Auſtriacæ Chriſtiani orbis bono potiorem illi futuram. Patres ſanè honorem, &
nullum non venerationis genus Poloniæ Regibus deferre paratos; nec dubitare,
quin commerciorum uſum (qui interpellari nequeat, quamdiu ullum jus gen-
tium valeat) ut hactenus, inoffenſum procedere paſſurus ſit. Hoc reſponſo ac-
cepto ad Eliſabetham Dialinus proficiſcitur. Ubi nihil de pace, ſed Polo-
niæ ſubditis Gedani, Regiomonti, Rigæ, alijſque locis habitantibus, im-
minutas in Britannia priſtinas immunitates, queſtus eſt; eorumque naves, in
Hiſpaniam euntes, ut hoſtiles direptas. Cuncta acri adeò oratione, & in-
terjectis identidem minis, ut Regina aſperius quibuſdam prolatis, manda-
ta exegerit, quæ à Rege, ac Poloniæ Proceribus ſubſcripta, ac ſigno firma-
ta, verbotenus penè orationi ejus congruebant. Alioqui contumelioſius
reſponſum laturum fuiſſe dubium non habebatur. Poſtea à Senatu, hunc
in modum jubente Regina reſponſum eſt. *Reginam ob ingentia in Poloniæ*
Regem merita (quod illius operâ, & Poloniæ à Turcis, & Sueciæ à Moſcorum
gente pax eſſet) nihil præter grates exſpectaviſſe, nedum graves querelas, ac
minas, nullo ſubnixas fundamento. Omnino credere eam, Regem de anteactis pa-
rum è vero edoctum à Ieſuitis (quorum ingens & examinis inſtar turba aſſi-
duè circum eum erat) *& ab Hiſpanis huc impulſum eſſe. Boruſſis, Polono-*
rum ſubditis, immunitates in Britannia majores datas, quam ulli omnium Eu-
ropæ populorum. Quin & ipſis Anglis in emtione, venditione, vectigalibus,
alijſque id genus, æquatos. Impudentiæ eſſe petere à Regina, ut plus externis,
quam ſubditis ſuis indulgeat. Hiſpanicæ navigationis interdictum & naturali
jure, & ipsâ niti æquitate. Iniquum prorſus eſſe, ut Polonorum ſubditis commeatu
& armis, & alijs rebus Hiſpanum juvare; Reginæ jurato Anglorum hoſti nocere
non liceat. Iohannem Suecorum Regem, parentem Sigiſmundi, Anglorum na-
ves mercatorias non paucas prædam ſuis feciſſe. Ejuſdem avum Sigiſmundum
palam edixiſſe, ut centuriones diriperent naves, quæcunque ſub ſpecie mercatu-
ræ pyrium pulverem, tubos, nitrum, aut commeatum in Moſcoviam deportarent.
Majore emolumento ſuo Polonos frumentum, ac mercium alias in Britannia, Bel-
gica, ac Gallijs diſtrahere, quam apud Hiſpanos. Quippe crebro ab illis deten-
tos, in bellum contra Britannos cum navium, cum vitæ periculo ire coactos. Sic
currente hoc anno in Ferolia Gedanenſium nonnullos in patibulum ſublatos, mer-
ſos aquis alios, quod effugere Regis mandata tentaviſſent. Hæc cum Polono
acta. Carolus Nutzelus, Sonderſpuhelius Cæſaris in Hungaria conſiliarius,
Coloniâ per literas ut impune accederet Patres rogavit: dein reſcripto, vix
ullam ſpem, qui nunc rerum ſtatus foret, quidquam per eum efficiendi,
proin parceret labori, ſponte, nec impetratâ accedendi poteſtate, venit.
Literæ Cæſaris & Principum Imperij ad pacem anno XCII Ratiſbonæ di-
lectorum, quas afferebat, veteres, & jam Novembri menſe anni XCVI
ſcriptæ erant. Argumentum fere hujuſmodi. *Mirari ſe, quòd ſuperiore anno*
tempus locumque ad colloquium pacis indici, liberumque legatis acceſſum poſtu-
lantes repulſam paſſi, nec admiſſi, nedum auditi eſſent legati ſui. A nullo un-
quam Principe Cæſari id, aut Imperio negatum, ne palam hoſtilibus quidem.
Multo minus à Belgis tale quid exſpectâſſe, qui ſemper ſocios ſe S. Imperij tu-
liſſent: quibus ipſi maximam voluntatis ſuæ ſignificationem ſemper feciſſent.
Nihil eveniſſe, cur diffiderent Belgæ, quorum legatis nunquam non aditus pa-
tuiſſent. Nolle jam diſputare, veréne Patres adfirmarent, noxium ſuæ Reip. eſſe

de pace

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcvii. *de pace cum Hiſpano agitare. Tantùm offerre, ſi quondam reconciliatio allubeſceret, in firmandis, quæ æqua placuiſſent, ad Belgarum ſecuritatem eam operam poſituros, de quâ non conquerendi, ultro & gratias agendi cauſſas eſſent habituri. Nunc quando alia incumbant, quorum & Imperij & Belgicæ interſit, iterum petere, ut locum, & diem Patres colloquio dicant, nec contra gentium jura, longiùs legationem trahant. Etenim promtum huc Archiducem: unde repulſam, pro ſummâ contumeliâ accepturos, & cauſſam Principibus fore, cogitandi, quemadmodum noxias in Imperij ſolum eruptiones prohibere poſſint.* Subjecit legatus, non id Cæſari, aut Principibus animi, ut invitis Belgis obtrudere pacem cum Hiſpano velint; ſed principem legationis cauſſam eſſe de renovando fœdere, & antiquâ cum imperio ſocietate pluribus modis nunc infirmatâ. Excuſavit deinde vetuſtatem literarum: etenim Germanorum ad pacem delectos ſuperiore anno Francofurti conveniſſe, ut in hanc ſententiam ſcriberetur. Poſtea miſſas ad Cæſarem literas. Interea tantum ſpatij elapſum, priuſquam à Principum ſingulis, tam longo intervallo diſſitis, ſubſcribi poſſet. Itaque demum Februario menſe anni xcvii ab Electore & ſupremo Cancellario Moguntinenſi ad Cæſarem dimiſſas eſſe. Fœderati Proceres ſemel placita adhuc retinentes, Cæſari Imperioque grates egêre pro aſſidua curâ de ſalute Belgarum. *Semper ſe Imperium reveritos ac veneratos, cujus auxilio res ſuæ complures annos nixæ fuiſſent. Itaque non contemtu, aut quia diffiderent legationem haud admiſiſſe, ſed quoniam qualecumque colloquium cum Hiſpano ſuſpectum & noxium Belgis eſſet. Etenim experiendo compertum, nunquam ab hoſte pacem tentatam, niſi ſcindendis varia in ſtudia nationibus, avellendis à communi vinculo urbibus. Imprimis ejurato nomine Hiſpano, percuſſo cum Gallis, cum Anglis fœdere, nequaquaquam ſui judicij rem eſſe colloquium admittere. Satis Mendozæ ad Cæſarem mandata declaraſſe, nihil pro ſano Regem pacis nomine moliri. Quippe, etiam Cæſaris ac Imperij jus invadere, & Aquiſgranum, Veſontionemque, Cliviorum & Iuliacenſem ditionem, militum in Germania dilectus, denique an pax & quibus legibus tentaretur, ſui arbitrij, ſua in manu cuncta eſſe velle, alioqui ad vim armaque tranſgreſſurum ſe denuntiâſſe. Cæterum apertius hæc Pragâ miſſis ab Hiſpanico legato literis, erupiſſe: etenim firmatum illi, ſolam pacis ſpeciem, & paratum, uſui fore, concitandis ſubditis, & avertendis à Fœderatis Germanorum animis. Ipſius quoque Archiducis, utut multa egregiaque de pace jactantis, acta alio tendere. Illum inquiſitionis Hiſpanicæ cum tempore crudelitatem intendere, illius juſſu vivam nuper virginem Bruxellis in humum defoſſam. Quippe juxta utraque & Auguſtana, & Reformata ſacra pro hæreſi Hiſpanos habere, & ſine diſcrimine flammis utriſque addictos enecare, quamvis id genus hominibus in militia abuti haud graventur, etenim dictitare, hæreticis evertendos hæreticos. Quantum ad alterum, de tractandis nonnullis, quæ ad Imperium pertinerent, non dubitare ſe, quin repetitas toties querelas, de eruptionibus in Germanicum Imperium intelligant. Sed abunde Patres, quid hâc in re ſentirent, declaraviſſe, neque illata Imperio damna avertere ſua in poteſtate. Hiſpanum incuſandum, qui violentè, qui injuſtè Fœderatos bello peteret. Quid reliquum ſibi, quam ut pro ſua, pro conjugum ac liberorum ſalute, pro libertate arma capiant, & extremam à ſe perniciem propellant? Hæc ipſa tamen meliori cuncta ordine, ſeveriore diſciplinâ geri, quam apud Principum alios. Aucta eo fine militi nuperrimè ſtipendia, tollendis licentiæ, atque injuriarum in vicinos cauſſis. Facile hoſtiles incurſus prohiberi potuiſſe, ſi urbes Imperij vi ab Hiſpanis captas, repetiſſent Germani. Sæpius id Patres queſtos, ac admiſſos eorum legatos (neque enim meritum diffiteri) ſed nulla remedia impetraſſe. Veniſſe nunc tempus, quo proprijs conſulere rebus, & Berckam, in Imperij ſolo ſitam, urbiumque alias, quamvis inviti, obſidÿs petere cogantur: & proſpera quæque de eventu ominari.*

Cætera

CIↃIↃ XCVII.

Cætera honorem & quam par ſit venerationem Imperio deferre: nec quidquam præterea Germanis Principibus, aut Cæſari cogitandum, quàm Hiſpanos ut ſua ditione pellant. Vbi perfecerint, temperaturum etiam à minimis in eos injurijs Fœderatorum militem. Ad ultimum rogare, ne Germani, quà hoc; quà priora reſponſa, pro contemtu accipiant, quaſi contra humani generis jura legatos prohibuiſſent: ſed aliorum exemplo Principum gentiumque (quod fas nulli non eſſe) præmonuiſſe legàtos, dilectoſque ad pacem, ne ſe, neu Belgas ſupervacuo labore, ſumtibuſque fatigarent. Sub idem tempus magnifica quoque legatio à Danorum Rege, in Britanniam, & Hagam Comitum miſſa continuandæ amicitiæ & ſocietati, cum populo utroque à parente ejus exercitæ. Adjecit nonnulla pacis hortamenta, ſed non quo cæteri fervore; quippe aiebat nolle conſulere, quod Reformatis ſacris (quîs imbutus ab infantiâ erat) aut libertati Belgarum obeſſe poſſet. Si tamen pacis ulla oſtenderetur ſpes, non defugere, quin & offerre operam, in conciliandis partibus. Ita ut ſatis appareret, legatos magis ab Rege miſſos, ut Cæſari, ac Hiſpanis gratificaretur, quàm ſuopte motu. Patres, ut adoleſcentem Regem, & prima regni ſpatia ingreſſum, de re totâ accuratè edocerent: fuſius quàm aliàs diſſeruere. *Subdolâ pacis imagine primum Bredæ, dein cum Ioanne Auſtriaco, poſt Coloniæ, alijs locis ſemper ſe deceptos, nec ſine periculo Reip. repetere poſſe toties incaſſum tentata. Ne vicinos quidem Principes ſatis diſcrimini rerum ſuarum attendere, cùm eam ſuadeant. Promtum quippe Hiſpano, ubi cuncta Belgarum, ubi terras, portus, naves, ac fucultates teneat, centenûm millium exercitum, opprimendis, quoſcumque libuiſſet, ſuſtentare.* Ad Galliarum Regem eâdem tempeſtate, Præfectus fratrum ordinis S. Franciſci, miſſu Pontificis, venit. Is jam ante cum Archiduce de pace collocutus, promittebat Regi, multò faciliùs & honeſtioribus conditionibus pacem habere eum poſſe, ſi ſolus abſque Britannis & Belgis eam faceret, quam ſi in ſocietatem pacis traheret gentem utramque. Reſpondit Rex, ſocijs ſe ſignificaturum, factam eſſe Archiduci poteſtatem tractandæ pacis, ut eorum animum reſciſcat. Auguſto menſe ex Indiâ reverſæ naves, quæ Aprili anni MDXCV ſolverant. In itinere rectà imminentis Solis ardore multis morbis tentati: quippe corrupto commeatu, deinde & intemperantiâ Belgarum; qui vino, cereviſia, piſcibuſque ut ſolitum utebantur, contra frugalitatem torridis adeò tractibus neceſſariam. Unde & Septembri menſe Madagaſcarem (alio vocabulo S. Laurentij inſula appellatur) XX gradu ab ortu Africæ ſitam, appellere naves adacti, reficiendis ægris, & petendæ annonæ. Ibi caſtellum muniendi ſui cauſâ extruentes, inſulani prohibere tentarunt, unumque ex his qui longiùs à navibus abſceſſerant, interfecerunt: cæteris ſubventum eſt, pulſique Madagaſcareni, pauci trajecti, juvenis captus, & perquam liberaliter à noſtris habitus. At inſulani ubi neque victoriæ noſtros inſiſtere, & ab injurijs temperare adverterunt, paullatim poſito metu congrediuntur, & amicitiam ineunt. Quin & pecudes venum adduxere, vili pretio :; ſtanneo cochleari bovem permutabant. Etenim fœcunda inſula eſt, & temperie aëris egregiâ, ſed ignara legum, & laſciva gens, nec regiminis cura ulla, aut peccantibus metus. Decembri menſe digreſſæ naves, ob intentatas rurſum ægritudines, exſcenſum facere coactæ ad Mariæ inſulam, ſextodecimo gradu à meridie Madagaſcari objectam. Hic annonæ, & neceſſariorum affatim reperientes, hæſere ad medium Februarium anni MDXCVI. Septimâ Junij die Sumatram, ſecundâ & viceſimâ Bantamum attigere. Emporium ingens eſt, mœnibus lateritijs, & propugnaculis cinctum: aderant & tormenta. Situm eſt in Javâ è duabus id nomen inſulis, majore: quam primi noſtri circumnavigarunt, dubio ad id tempus, inſulane eſſet, an continenti ad meridiem jungeretur. Magnitu-

CIↃ IↃ XCVII. dine Britanniam Scotiamque æquat, & quina aut ſena regna complectitur: crebraque inter Reges bella ſunt. Qui interiora incolunt, plerique factas Numinum effigies; maritimâ orâ, Mahumetanam religionem colunt. Stabant in portibus naves Turcarum, Arabum, Sinenſium; ex quis potiſſima Turcarum in noſtros humanitas, ac benevoltia. Frequentes quoque ea loca Luſitani habitabant, averſum ab Hollandis genus; quibus nihil non tentatum, ut negotiationem noſtrorum Bantamenſis Præfectus prohiberet. Nihilominus hoſpitaliter excepti; primoque menſe trecentas, aut quadringentas piperis vehes (emtâ denis obolis librâ) redemtas habuiſſent, niſi diſcordes noſtri, & princeps magiſter majorem vilitatem exſpectandam cenſuiſſet. Interjecto autem tempore licentiâ nonnullorum, quos laſciviæ coërcendæ, aut ut procul ſuorum oculis, procul à patriâ fatum invenirent, parentes in longinquas adeò oras ablegaverant, inſolenter tam multa patrata, (& erant, qui illuſtri Bantamenſis portus altitudinem explorarent) ut Præfectus urbi præbere aurem Luſitanorum mendacijs cœperit, non mercaturæ, ſed ſpeculandi gratiâ noſtros acceſſiſſe, & omnibus exploratis, validâ cum claſſe, opprimendis inſulanis redituros. Præfectus itaque Houtmannum, cum Hollandis circiter decem, detinet. Quod ubi noſtris compertum, quàm proximè poſſent, adpellunt mœnibus naves, diſploſiſque tormentis, captivos repetunt: mox quoque navium nonnullas pipere, odoratis nucibus, ac Caryophyllis oneratas diripuere. Tandem convenit, ut Hollandi captivos ſuos bis mille ſolidis Hiſpanicis redimerent: quoquomodo utrinque rapta poſſeſſores retinerent, & Hollandis emtionis venditioniſque in urbe jus eſſet. Sed hæc brevi ſervata, mox irrita fuere: quamobrem ineunte Novembri anchoris ſublatis Sidaiam, ejuſdem inſulæ urbem, noſtri petunt. Sed jam Bantami geſtorum ad Regem fama pervenerat. Vultum tamen & amicitiam palam ſimulans, occultè inſidias navibus ſtruit: noſtri ducentorum hoſtium ſtrage perfidiam ulti ſunt, ipſi duodenos è ſuis amiſerunt. Inde digreſſi Maduram inſulam adeunt, commercia tentantes: cæterùm dolo haud abſimili petiti. Martio menſe reditum parantes, quinque menſium ſpatio in patriam revenere. Unum tantùm ægritudines rapuerant, ob tenuitatem victus: quippe oryza plerumque, & fluvialibus aquis famem ſitimque propulſabant. Super hunc unus quoque capitis damnatus, & glande trajectus; duo in inſulam deportati, & barbarorum clementiæ aut crudelitati permiſſi. Totidem ſpontè profugere, interiora Javæ petentes, ſpe gratiæ apud regulos, operamque in militiâ oblaturi. Tertia omnino pars digreſſorum in Hollandiam reverſa: cæteri deſiderati. Quare & infrequente ad tutandas naves numero, unam earum (Amſtelodamo nomen erat) noſtri incenderunt. Venere in Hollandiam cum ijs X aut XII barbari, nigro corpore, plerique ultrò comitati, & viſendæ Hollandiæ cupidine; pars à noſtris capti, & liberaliter habiti patriæ deſiderium depoſuerant. Hollandorum duo in Javâ relicti, perdiſcendo gentis ſermoni. Houtmannus, princeps magiſter, ſimul in Hollandiam regreſſus, fugâ ſibi conſuluit. Urgebant eum male geſtæ rei memoria, & pœnæ metus. Mercatores, quorum impenſis parata claſſis, quæſtum ſuum ut exiguum differebant; etenim non pro ingenti ſpe, aromata naves advexerant. Cæterùm nequaquam ſumtuum pœnitere; quando Javæ ſitum, & infirmitatem Luſitanorum, fruſtra commercijs obnitentium, cognoviſſent. Itaque naves majore numero confeſtim parare orſi. Referebant noſtri, Januario menſe in Javâ inſulâ conſpectas ſibi ciconias; unde compertum, quò ſe ingruente brumâ volucres eæ recipiant. Cujus rei, quoniam mentio incidit, omittendum non videtur, de XIII navibus autumno hujus anni reverſis, quæ cum Jacobo Heemſkerckio, & Guilhelmo

Bernardi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Bernardi per Septentrionem ad Sinenſes penetrare tentaverant. Eæ ſu-
perato Septentrionis promontorio direxerant curſum in ſolſtitium æſti- cIↄIↄ
vum, ut non per fretum Veigatum, ſed Novam Zemlam circumgreſſi, Ta- xcvii.
binum promontorium patenti Oceano adirent. Octogeſimum elevati poli
gradum attigerant. Repertaque illis tractibus terra herbas & gramina
producens. Sunt & animantes cervi, capreæque, & anſerum minorum
ingens vis ovis incubans. Quæ gregatim quotannis in Hollandiam tranſ-
volant, nec cuiquam hactenus gnarum, quibus locis ova excluderent. Un-
de origo fabulæ, qua proditum in Scotiâ arboribus gigni. Oceanus ijs lo-
cis & ſpatio, & altitudine vaſtus, ſed innantes aquis concretæ glaciei mo-
les, etiam mediâ æſtate navigantibus ſe objiciebant: quare in meridiem
declinantes, ad gradum ſecundum ſupra ſeptuageſimum, & ab ortu Novæ
Zemlæ ſita rediere. Ubi ſterilis omnium humus, non frutices, non gra-
men, non veſcentes his pecudes repertæ. Sed immanes urſi, & vulpium
multitudo, & glaciei frigoriſque major quàm antè vis. Unde non poli
propinquitatem, ſed ingentem glaciei vim, quàm vaſti Tartarorum ac
Cataiæ amnes in Scythicum Oceanum vehunt, frigori cauſſam dare cre-
diderunt. Quando alioqui locis recta ſub polo ſitis, & quæ xx circum gra-
dibus jacent, par frigoris eſſet ſævitia. Ut ſub æquatore & terris utrumque
tropicum interjectis, æqualis æſtus eſt. Firmabat hanc opinionem, quod
patenti, nec obſito glacie Oceano, navigantes, quanquam Septentrioni
propiores, confeſtim clementiorem aërem ſentiebant. Multo labore ex-
hauſto, ſuperatis compluribus periculis à glacie, cujus cruſtæ ſæpe xx, quin
& duodetriginta in altitudinem paſſuum pelago innabant, noviſſimè Prid.
Kal. Septembr. velut ſcopulis obſeſſi hæſere; ac excenſum in Novam Zem-
lam facere compulſi, ducentorum millium itinere, à promontorio Tabino,
gradu elevati poli ſexto ſupra ſeptuageſimum, qui Æquatoris centeſimus
decimus eſt. Ibi ex arboribus domicilium exſtruxere, quas fortè à flucti-
bus litori appulſas invenerant: ſummaſque inter miſerias, & truculentum
frigus hyemem exegerunt. Nivium ſæpe tanta vis effuſa, ut domicilio un-
dique clauſo, nonniſi ligone, aut quo alio inſtrumento nitentes, viam in-
venerint. Tandem graveſcentibus indies malis, per caminum enixi, quan-
do unus ille exitus ſupererat. Sæpe diei ſpatio, ſalſas quoque aquas duum
in altitudinem pedum adſtrinxit gelu. Bellum ijs perpetuum cum urſis al-
bentibus, & vaſtæ magnitudinis erat. Horum adipem in uſum nocturni lu-
minis, pelles integendo corpori aptabant. Carnibus veſci tentantes gra-
viſſimi morbi invaſere, & toto corpore cuticula defluxit. Conjectantibus
cauſſam, non aliud ſuccurrebat, quam victus urſorum: nam marinis cani-
bus veſcuntur, & reperiebantur adhuc in mortuorum viſceribus. Alioqui
reliquis locis, innoxiæ urſorum carnes Boruſſis: quoque pro ferina eduntur.
Poſtrid. Kal. Novembres non totus Solis orbis ſupra finitorem circulum
viſus. Secutâ die, exigua tantum ejus portio. Quarta ejuſdem menſis, pe-
nitus delituit, eratque tum in Scorpio, xɪ gradu, particula octavâ & qua-
drageſima. Quarta & viceſima Januarij, quum quintum decimum Aqua-
rij gradum, portionem viceſima quintam ingreſſus Sol eſſet, partem rur-
ſum circuli, ſeptimaque & viceſima die, integrum orbem conſpexere:
quod miraculo erat; quippe demum ſextumdecimum Aquarij gradum,
particulam ſeptimam & viceſimam obtinente Sole, eum viſuros ſe credi-
derant. Ineunte Martio patentem Oceanum, & liquidas aquas in Septen-
trione, & qua ad ortum declinat, conſpexere: contra in auſtrum, quæque
auſtri in Orientem vergunt, & in Tartariam obverſis oculis, cuncta glacie
obſita, conceptam ante opinionem firmabant. Poſt xxx Aprilis diem Sol
non occidit. Illud mirum, tempore inter quartam Novembris diem, &

cIↄIↄ vigeſimam ſeptimam Jannarij interjecto, quamdiu Sol latebat, nullos ijs
XCVII. tractibus urſos viſos: vulpium frequens numerus, laqueo, & decipulis captus, lautas noſtris epulas præbuere. Rurſus ſole & urſis redeuntibus, vulpes abiere. Junio menſe cum nihil remiſſum, & rigere cuncta glacie noſtri viderent, navem relinquunt, mercium quæ utiliores, & pretij majoris in aperta duo navigia imponunt, quas per glaciem in aquas pertraxere, pro neceſſitate, ac tempore, remigio, aut velis nitentes, ſubinde & vehiculi in modum lubrico glaciei navigia procedebant. Ita Novæ Zemlæ litora quæ occaſum ſpectant prætergreſſi, Albo mari in Lappiam decurrerunt: & Colæ (qui locus trecentorum millium itinere & ultra ab hybernaculo eorum diſtabat) Hollandicâ nave repertâ, Amſtelodamum remearunt, Guilhelmo Bernardi, & quatuor alijs amiſſis, quos itinerum, & cœli truculentia hauſerant. Dein cum æſtate redeunt Fœderatis priores curæ de educendo ex hybernis exercitu. Vota hæc Galliarum Regis erant, ut memoria quid dignum Patres gererent; illi Regem exemplo præire optabant. Quippe prius hoſtem provocanti univerſa belli moles imminebat: minor illi, qui occupatum novis curis, & alibi incumbendo diſtraheret. Conſederant ad Ambianum nonnullæ Regis copiæ, intercipiendis commeatibus: cæterùm Cardinali, quia non machinæ, non faciendis caſtris inſtrumentum, aut quæ alia expugnandis civitatibus requiruntur, convecta erant, pretium nequaquam fuit, copiarum amplius eos in tractus mittere. Commeatus identidem incedebant, qui ſubinde intercepti, ſæpe & in urbem penetrarunt. Fœderatis ſpes erat, junctis viribus Gallum Reginamque Caletum oppugnaturos, unde magnâ Archiduci moles, noſtris opportuna res futura erat, machinis, militique præſidijs tuto deducendis, & obſidijs validarum urbium tentandis. Alioqui militum millibus IV in Galliam, mille Anglis à Verio in Britanniam abductis, nec ſupplemento ullo conſcripto, invalidos ſe rebantur, ſuſtinendis Alberti viribus. Accedebat cunctatio in tributis vectigalibuſque conferendis, dum de mercium in hoſticum & vicinâ loca travectarum oneribus, Hollandi Zelandique diſputant. Quorum his congerere in publicum ſua tributa abnuentibus, priuſquam poſtulata obtinerent, nihil quoque pecuniarum à nationum cæteris in commune conferebatur. Unde Mauritio & Senatui nihil certum, quantas educere copias, quantos ſumtus facere per ærarium liceret. Zelandi commerciorum & navigationis pleraque in ſe trahere nitebantur, non aliarum modo nationum, ſed Fœderatorum quoque Procerum damno, quibus penè eripuerant jus in emolumenta quæ ex travectionibus mercium illâ in terrâ proveniebant. Hinc acres contentiones jurgiaque, tandem huc provecta, ut non modò minæ ſæpiùs interjectæ, ſed & nonnulla inimicitiarum indicia eruperint, quaſi à communi vinculo ſeceſſuri eſſent: ſummo Alberti, & hoſtium gaudio, nec minore triſtitiâ apud noſtros, qui patrijs rebus cupiebant. Ad ultimum poſitæ lites, & Zelandis, quo concordia rediret, quædam conceſſa, hâc lege, ut mercium in hoſticum aut propinqua loca travectarum fructus, arbitrio Fœderatorum Patrum ſubjicerent. Interea jam Galliarum Rex vires magis magiſque ſuas auxerat, & admotis Ambiano tormentis, cœptiſque munitionibus, ipſe ad exercitum manebat, per omnia ſpeciem feriò urbem oppugnaturi gerens. Angli omiſsâ hoc tempore Caleti obſidione, menſe Julio, validâ claſſe, Hiſpaniam petebant: additæque ijs à Fœderatis naves XX. Imperium terrâ marique ſummum penes Eſſexium; unde ſpes, digniora eam præmia laboris, quam Caletum, cogitare. Igitur his de cauſſis Julio menſe Mauritius peditum millibus VII equitibus mille ducentis ex æſtivis movit. Tormenta numero XL Rheno amne ſubvecta, & miles ex diſſitis præſidijs, per diverſa itinerum, tantâ prudentiâ convenire juſſus, ut plu-

ut pluribus ſimul hoſtium locis metus incuteretur, nec Archiduci conjectare eſſet, quam urbem adverſus noſtrorum adventum potiſſimum firmaret: omnibus autem providere nequibat. Singulari Numinis beneficio, ſecundante vento, naves annonam, armamenta, ac machinas vehentes (quibus terra ituris, equi plures mille ducentis, & ſpatium longius requirebantur) ſummâ celeritate ad Berkam appulſæ ſunt. Aliud nationum nonnullæ ſuaſerant: neque enim nunc minùs, quàm ſuperioribus annis diffidebant Patres, quibus locis bellum gereretur. Berkam tamen peti plerique dehortabantur, tanquam omnium locorum quæ ab ortu Moſæ jacerent, expugnatu graviſſimam. Sed Mauritio, Guilhelmo Naſſovio, & Senatui (quorum arbitrio permiſſa res erat, ob certamina nationum) omnino oppugnari illam placuit. Quippe hâc ſubactâ, in poteſtate Rhenus: & prærepta hoſti facultas, ſuccurrendi oppidis, quæ in Twentano Comitatu tenebat. Dignius etiam majeſtate Fœderatorum validas aggredi urbes, terrore infirmas conficere, quàm aut Grollam, aut Oldeſaliam impetere, quibus captis, nullus Berkę metus. Maximè verò Guilhelmi Naſſovij conſilium perpendebatur, de occupando hâc occaſione Rheno, ne hoſti, dum civitates ab ortu Rheno ſitæ obſiderentur, otium eſſet, multo milite urbem implendi, illis quoque, qui deditis locis exceſſiſſent. Adjecerat idem, duplicari laborem exercitui, ni id fieret; etenim Twentanâ è ditione Rhenum, mox converſo itinere, Lingam petendam. Igitur Mauritio (qui Alpam in tranſitu dedi petierat, & obtinuerat) cœptum opus à caſtrorum, & inſulæ quam Rhenus complectitur, munitione. Primis diebus imbres nocuere. Superiora urbis, quæ Rheno defluentibus obverſa, eminenti humo ſunt: averſo latere humilia. Muniverat eam Belga, caſtrenſium operum peritus, dum in poteſtate Truchſeſſij Epiſcopi urbs erat, & propugnacula ut non exquiſitâ curâ exſtructa, ita haud aſpernanda. Superius latus humilitate aquarū in foſsâ, & terrâ tegendis operis copioſa, adverſum oppugnantes invalidum erat. Nihilominùs Mauritio inferiorem urbis, quâ Rheno admovetur partem, aggredi ſatiùs viſum, quanquam varia obſeſſis eo latere præſidia: etenim & arx, & in eâ valida è lapide turris erat, unde duabus machinis campeſtribus, & tubis jaculatorum quicquid campi adjacebat, infeſtabatur. Erat quoque lunare munimentum pro foſſa excitatum. Communitis circumquaque caſtris tertiâ obſidij die propinquari oppido cœptum: promotumque opus ut ducentorum & L paſſuum ſpatium inter urbem & munitiones noſtrorum intereſſet. Eundem in modum poſtera quoque dies inter labores exacta. Quintâ ad propugnaculum urbis opus dirigebatur, inoffenſum ab oppidanis, quibus, licet præſidium plus quàm octingentorum militum haberent, nulla eruptio tentata. E turri deſuper tela ingerere ſatis habuere: tranſactumque glande femur Ludovico Naſſovio, cæterùm levi, & mox curato vulnere. Turris faſtigium multâ VII tormentorum vi, tandem inſiſtentibus intutum noſtri fecere. His rebus octo dies conſumti, multis ſtolidè prorſus validiſſimum urbis latus oppugnari, & tranſeundum in alteram partem dictitantibus. Idem Hohenloius & Solmenſis cenſebant. Quorum continentibus poſtulatis dedit hoc Mauritius, ut machinas plerasque in editiora diſiiciendæ moli, quæ pro urbe jacebat, transferrent: cæterum hac conditione, ut ſimul diſiecta molis lorica eſſet, cum milite eam invaderent. Præſidio ijs vinea futura videbatur, jam ad foſſæ medium perducta: quamquam Mauritius & Guilhelmus firmarent, nequaquam tranſire aquas militem poſſe, ſed primo jaciendum aggerem, & conſummandam vineam eſſe, mox tormentis rem gerendam. Verùm machinis fatigari obſeſſos placebat. Itaque tum moles, quam contra Hohenloius & Solmenſis conſederant, tum lunare munimentum, è caſtris

CIↃIↃ XCVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcvii. Guilhelmi Naſſovij (cui legio ſua & Anglorum nonnulli aderant) concutiuntur. Ter exoneratis omnibus machinis, de deditione obſeſſi appellati: poſtquam abnuebant, ſummâ iterum vi tormenta ſonuere: tandem tamen impetum in molem fieri nequaquam poſſe, Hohenloius & Solmenſis adverterunt. Quippe altior, quàm pro opinione foſſa erat. Guilhelmus Naſſovius diutiùs paullò machinis lunarem munitionem quaſſavit: ipſeque haud procul in cavatis itineribus militi aſſiduus aderat, continenter caput ſupervolantibus tormentorum globis, quorum ſolus fragor ita ſenſus confudit, ut biduum capitis doloribus afflictus ſit. Tum militum nonnullos, præſidio tormentorum quæ hoſtem prohibebant quo minus nocere ijs poſſet, emittit, ima anguli dimidiatæ lunæ ſuffoſſuros, ac foſſam completuros, dum loricam tormenta feriunt. Exin aliquoties cum paucis militibus irrupturi ſpeciem ſimulans, propugnantes, ſimulatque in vallo ſe oſtendiſſent, tormentis deturbabat: ita ſæpius eluſis hoſtibus, tandem Friſius miles in munimentum lunare connixus, cæteros cuſtodum expulit. Captaque eodem impetu turris fuiſſet, quippe ima tormentis convulſa erant, niſi ignem hoſtis injeciſſet. Mox quoque antrum ſubter lunarem munitionem ab hoſte in caſum quemcunque paratum, & pyrio pulvere impletum, accenditur, ac militum vicenos circiter abripuit. Cæteri occupatum locum retinentes, humo aggeſtâ adverſum hoſtes ſe tutati ſunt. Inviderunt huic rei Hohenloius ac Solmenſis, quòd Guilhelmus Naſſovius factis verba ſupergreſſus, facilitatem expugnandæ munitionis diſſimulaſſet, quo ſoli ſibi honorem omnem haberet. At obſeſſi amiſsâ lunari munitione, & altero latere vineâ imminente, eademque perfectu facili, poſtquam Hermannum Bergium Geldram (ea urbs duum millium itinere aberat) adveniſſe infeſtandis caſtris, nec efficere quidquam poſſe vident, poſtulato colloquio, ut cum armis, explicatis vexillis, atque impedimentis dimitterentur, impetrarunt. Quæ decimâ Auguſti impleta, eodem menſe, & die, quo Fœderatorum miles Hulſtum ſuperiore anno reliquerat. In urbe repertæ majores duæ, ternæque medij generis machinæ, & campeſtrium ex ære aut ferro tormentorum vis ingens: numerata in univerſum quatuor & LXX. Dein Britannici panni multa copia in uſum finitimorum præſidiorum eodem congeſta; adeo ut centenis florenorum millibus æſtimaretur. Cæterum plerique ab hoſte corrupti, & puteis, aut foſſis merſi. Ceſſerunt præterea Fœderatis, præmium laboris, bellicæ naves LV, in Rheno hoſti uſurpatæ: & annotini Cardinalis pontones, eximiæ magnitudinis. Captâ urbe confeſtim à Patribus legati ad Palatinum ac Brandeburgicum miſſi, qui nunciarent, ſublatam jam cauſſam, cujus gratiâ cœptum colloquium in longum traxiſſent: quippe maluiſſe Patres, reipſa facilitatem totius rei comprobare, quam multis eos verbis adhortari. Nunc, expugnatâ Berkâ, veniſſe tempus, ordinandis Cliviorum ac Juliacenſium rebus, quo jus ſuum adverſus Hiſpanicas artes aſſererent. Epiſcopus Colonienſis jam ante patratum obſidium legatos miſerat, ne deteriora vectigalia fierent, poſtulans: etenim nunquam jus ſuum hac parte ab Hiſpano interpellatum. Patres, ante omnia publicanorum, qui vectigalibus præponerentur, electionem, ſibi reſervare decreverunt, utcumque proventus Epiſcopo cederent. Digreſſus Berkâ miles Geldram petijt: clauſaſque à centurionibus, qui urbem cuſtodiebant, portas, vulgus militum patefecit, &, contra præfectorum voluntatem, nongentis, (tot enim Berkæ præſederant) militibus, in oppidum acceptis, centuriones exegerunt, ſtipendia clamitantes. Statim ſecuti exemplum Wachtendonkæ præſidiarij. Præfectum tamen (Gilænius Toparcha erat) poſtquam pro illis ſe fore ſpopondit, nequaquam pepulerunt. Caſtellum, quod duum millium itinere ſupra Berkam,

ad Rhe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ad Rhenum hoſtis habebat, ſponte deſeruit, metu Hohenloij; qui, hoſtile cIↄIↄ
nihil meditans, cum equitum præſidio, ob domeſtica negotia in Germa- xcvii.
niam illac contenderat. Operibus ad Berkam ſolo æquatis, & refectis quo-
modocunque diſiectis oppidi, Meurſam exercitus rapitur. Locum eum
Nivenarij Comites, ut feudum Cliviæ Ducum, poſſederant. Undecimus
agebatur annus, ex quo captus ab Hiſpanis, & nihil, contra tendente Cli-
viorum Senatu, retentus erat. Longo tempore Camillus, natione Italus,
præfuerat; à quo tantâ curâ & urbs & arx munita, ut multis ſedem hanc ſibi
delegiſſe, & progreſſu temporis tracturus in ſe omnem Comitatum cre-
deretur. Is defuncto Parmenſi, quo tempore non idem Italis qui ante
honos, Bruxellas vocatus, in itinere obierat. Succeſſor ei datus Andreas
Miranda, Hiſpanus, quem Berkenſibus pertinaciorem, ad tolerandam op-
pugnationem fore, noſtri rebantur, ob ambitionem gentis; & quia ducen-
tos è gentili milite, Antverpiâ & Gandavo evocatos; reliquarum nationum
milites ſexcentos habebat. Adeò ut præſidij numero Berkenſibus parùm
cederet, firmitudine loci, ut nonnulli exiſtimabant, ſuperaret. Acce-
debat ſitus oppidi, quod horæ itinere à Rheno in mediterranea ad occa-
ſum dimotum, & Archiduci ferendis ſuppetijs opportunius erat. Ob hæc
nonnulli ſuadere, ut captâ Berkâ Grollam iretur: Meurſam Clivijs relin-
querent, qui Germanici Imperij nomine, redigerent urbem inter pacatas.
Mauritius tamen, tum quia propinquo erat poſitu, tum ab exploratoribus,
de oppidanorum rebus edoctus, tormenta & exercitum admovit. Miran-
dam per literas monet, ſolam ſe arcem petere: quare illam fortiter defen-
deret: urbi, quam tenere nequiret, injuriam aut vim nullam inferret; nec
civibus Imperio Germanico ſubditis, & in hoc bello otioſis, noxæ aut
exitio eſſet: ſin faceret, omninò decretum ſibi, quicquid feciſſet, in ejus
caput vindicare. Miranda audacter reſpondit, urbem à Rege ſuæ fidei per-
miſſam; omnia pro honore ſuo, & in oppugnantium perniciem tentaturum.
Et ſi id ex uſu Regi ſit, adeò non parciturum oppido, ut etiamſi proprium
ſibi foret, flammas injicere paratus ſit. Mauritius, ne temporis ullam faceret
jacturam, caſtra communire omiſit, & confeſtim opus orſus, alterâ nocte
huc perduxit, ut die tertiâ duodecim machinis turres, molæ, & quicquid
in oppido eminentius, concuterentur. Dein poſterâ die tormentis quatuor
& xx lacerare urbem, ac pontes faciendo impetu injicere agitantem, Mi-
randa, nondum de deditione appellatus, prævenit, miſſoque tympaniſta,
abiturum ſe præſidio pactus, ſi æquæ conditiones darentur. Nuſquam re-
pulſam paſſus, deſcenſumque in pacta Berkenſibus haud multum abſce-
dentia. Ita iv & viceſimâ Auguſti, vetere dierum numero, oppido exceſ-
ſit. In quo machina L librarum ferri reperta; annonæ, aut bellici paratus
nihil. In diſceſſu rogitavit Mauritium, daret id honoris ſibi, ut avehere
campeſtrem machinam liceret. Et ille, per jocum ſtipulatus, ne eo in per-
niciem urbium Miranda uteretur, conceſſit. Interim ad Rhenum abdu-
ctis à Guilhelmo Naſſovio xv legionis ſuæ centurijs, Fredericus Bergius
Lingâ, Otmarſâ, Oldeſaliâque milites ſexcentos, & trecentos equites
evocat, eoſque per agrum Drenthanum irruere in Friſiam, jubet. Ii Se-
ptemſylvanam ingreſſi, hominum, jumentorumque ingentes prædas ege-
re, pagum Schoterburam, ac nonnulla ſparſim poſita domicilia, incende-
runt. Scilicet hi memoratarum ſuperiùs de Covordâ contentionum fru-
ctus erant: etenim Friſij pro eo, ut validis Covordam munimentis firma-
rent, Drenthanum latus pluribus, ſed exiguis caſtellis, & templa complura
milite communiverant. Potueratque numerus eorum in unum habitus
juſtum facere præſidium, & promtius vagum hoſtem attinere, haud temere
ulterius progreſſurum, relictâ à tergo Covordâ. Nunc ſparſas vires aſper-
natus,

cIↄIↄ xcvii. natus, prædas egit, abduxitque antequam convenire noſtri quirent. At Mauritius, Orſoyam prope, Rhenum amnem ponte tranſit, ipſiſque Kal. Sept. exercitum Grollæ admovet. Præſidebat Joannes Stirumbius Comes, qui ſummâ diligentiâ, ex quo moviſſe ex hybernis Fœderatorum exercitum fama tulerat, attollere ac ſolidare vallum, cunctaque firmandæ urbi providere ſtuduerat. Aderant ei pedites octingenti, & fortè primo noſtrorum adventu ternæ equitum turmæ in urbem pervenerunt. Quod non ingratum Mauritio: nam incluſum obſeſſæ urbi equitem malebat, quam ſi vicinis in præſidijs agitantes libertatem infeſtandi itinera habuiſſent. Nunc nullum ab ijs incommodum, præterquam quòd munitiones & plures, & accuratiores faciendæ eſſent, ob audacis equitum eruptiones. Sine morâ igitur caſtella duo, à meridie hoc, alterum ab occaſu, validiſſimo opere exſtructa, & perpetuo aggere connexa intra noctem unam. Etenim in opere verſabantur milites octingenti: bis mille parati prælio defendendis laborantibus ſtabant. Dein, albeſcente luce, quæ raptim aut incurioſius facta, in ſublime, ac latitudinem augebantur. Inſecutâ nocte, locatum quoque ab ortu urbi, & quartum à Septentrione caſtellum: quæ interdiu firmata, & cavato per terram itinere, ut priora, conjuncta. Hunc in modum concluſâ circumquaque urbe, ſingulis ex partibus propinquari cœptum, & medio inter urbem caſtellaque ſpatio, alia caſtella, ſed clauſa, ponuntur, quæ quingentis militibus receptum darent, adverſum erumpentes: quorum alioqui injurijs patebant inteſtinæ viæ. Mauritius his, qui primi opere ſuo foſſas urbis attigiſſent, præmium florenos centum propoſuit. Friſij præverterunt, quos mox cæteri ſecuti. Et jam machinis aliquot lorica urbis, & propugnacula quatiebantur. Poſt hæc vineæ ſeptem locis inſtitutæ, earumque fabris merces dena florenorum millia: ei qui primus conſummaſſet, centum inſuper florenorum honorarium: qui proximus huic L, tertio quinque & XX, promittuntur. Eæ ſimulatque agi cœptæ, dedi urbem Mauritius per tubicinem poſtulat. Haud temperarunt à contumelia obſeſſi, jeceruntque, non à Mauritio, ſed Patribus, quippe belli rudibus, tubicinem miſſum credere. Præpropere deditionem peti, demum agitandam, cum in vallo cominus dimicaretur. Igitur dies, noctes laboribus dantur, foſſæque complentur. Simul plures machinæ propugnaculi admotæ, tutandis operis: & excitatus in urbe ignis, domicilia LX, pertinaci incendio, hauſit. Quinto poſt inſtitutas vineas die, muro urbis una ſucceſſit: iterumque appellatus Stirumbius tridui moram petijt, monendo per literas Hermanno Bergio, quem Geldriæ à Rege præfectum, certo ſciret auxilia parare. Mauritius propere eum conſulere rebus ſuis jubet. Inſtituturum ſe operi: nec precibus urbem, ſed vi extorturum veniſſe. Forſan exacto triduo, non unum obſeſſorum ſuperfore. Sub hæc qui vineam perfecerant, propugnaculum ſuffodiebant, perfractoque muro, quem aggere multo obſeſſi veſtierant, ad pedem quintum & viceſimum cuniculum protulerunt. Tum effoſſo antro pulverẽ pyrium inferunt, valideque aditus obſtructus. Quod opus haud dubiè ſumma vi incumbentia quæque in urbem impulſurum, quando, repercuſſu muri cuncta retro tendentia repellerentur. Interea jam altera quoque vinea mœnibus hærebat, nec in cæteris laboris multum reliquum: rurſumque miſſilibus incendium in urbe excitatum: quâ re fracti obſeſſorum animi, & colloquium ultro poſtularunt. Conditiones datæ, ut Rhenum tranſirent, nec proximis menſibus tribus arma gererent; equites omiſſis equis diſcederent. Quos tamen munificentia Mauritij recepere. Ille biduo poſt exercitus partem Breſurtum rapit: pars Grollæ relicta, egerendæ è foſſis humo, ſoloque æquandis munitionibus quæ ad expugnandum factæ. Breſurtum quadraginta abhinc annis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

vallo foſſaq; haud perfunctorie Martinus Roſheimius communiverat. Cingunt eam aquæ, & paludes, quîs injectus agger ad portam oppidi fert, averſoque latere educit; nec præter hunc, & anguſtum tramitem, aliud iter. Igitur quà ſurgebat, finiebatque agger, opus confeſtim noſtri cœpere, diſpoſitiſque tormentis, deditio poſtulata. Oppidani, (duæ admodum centuriæ erant) fortiter reſponderunt: ad extremum uſque ſpiritum, arma & urbem, pro Numine, ac Rege retenturos. Ne crederent obſeſſores rem ſibi cum Grollanis eſſe. Fiducia ijs potiſſima in natura loci: cætera enim oppida operibus capta erant; circa Breſurtum nulla petendo aggeri humus. Situm qui ante obſidium cognorant, ſubduci è foſſa aquas poſſe inde exiſtimabant, quod mola eas cohiberi vidiſſent. Sed fefellit opinio, quia plus aquæ, quàm ſubduci poſſet, emittebat ingenio ſuo humus, præſertim autumno; dein & pluviæ in patentia camporum delapſę ſpem illam evertebant. Non tamen eo Mauritius deſperavit; ſed aggere, virgultis, ligno, terraque (quam ſaccis miles adgerebat) inſternere aquas aggreditur: tum gerras faſcibus ob terræ penuriam impletas, diſponit; quæ quamvis invalidæ tormentorum globis non reſiſterent, in ſpeciem tamen, & fallendo hoſti locatæ, tantum profuere, ut agger quingentos in longitudinem paſſus proferretur, ubi in tumulum humus ſurgebat, adeo urbi propinquum, ut globi machinis in urbem adigi poſſent. Eas navales ſocij haud minùs promtè attraxerunt, quàm ſi munitionibus tecti incederent. Par aurigis temeritas potius quàm audacia dixerim, in ſubvehendis faſcibus: quamvis non pauci caderent. Ter exoneratis omnibus tormentis obſeſſi de deditione, ſed fruſtra, compellati. Addebat animum, quod etiam vallo, propugnaculiſque diſiectis, futura pro munimento foſſa eſſet. Cæterùm parùm in eo præſidij illis: quippe Mauritio pontes erant aquæ innatantes, & quamvis magno oneri ſuſtinendo pares: quod ignarum oppidanis. Igitur duobus locis ab ortu, è caſtris Solmenſis dimidiata luna, tutandæ urbis portæ objecta, à meridie propugnaculum urbis, ſed è lapide &, veteri more, circulari formâ exſtructum, machinis quatiuntur. Horâ inter aſſiduos tormentorum ſonores exactâ, Scotorum legio molem invadit & occupat. Seſquihorâ pòſt Brederodiana legio lunare munimentum ab occaſu pro portâ urbis poſitum expugnat. Nec ſegnes oppidani ſpargere tela, jactare lapides, & quamvis tormentorum globis (quîs defenſi noſtri molem utramque ceperant) frequentes abriperentur, vallo tamen haud decedebant, multoſque oppugnantium convulnerabant. Una difficultas ſupererat, pontem foſſę opportuno loco injiciendi: quod in arduo, quia nulla defenſio noſtris adverſus glandes, miſſiliaque obſeſſorum. Nihilominus ſocij navales, intrepidum genus, illuſtri quoque die patraverunt. Simul evitati periculi memoriâ accenſi, ſponte ſuâ vallo ſuccedunt, imaque ſuffodere adgrediuntur, tanto furore, ut machinarum globos, ſine intermiſſione volantes (nam continenter è vallo adhuc obſeſſi jaculabantur) contemnerent, licet cadentes identidem ſuos viderent. Tum demum victa obſeſſorum pertinacia, & colloquij ſignum per tubicinem dederunt, qui vix caput vallo extulerat, quin globo ſterneretur. Nullæ voces, nulla valebant imperia, ardentibus cunctis, & pro ſe quâque parentare ſociorum manibus feſtinante: unum enim Breſurtum plures, quàm cætera ſimul oppida, milites hauſerat. Ipſe Mauritius, licet deditione, quam extremâ civium pernicie, potiri opidõ mallet, ſubitò revocare nequibat tantò fati contemtu in prælium ruentes. Obſeſſi contra nihil non fugiendæ oppugnantium iræ tentare. Sublati haſtis petaſi, quod pacatis inſigne. Etiam feminarum nonnullæ, in collem enixæ, ſemet oſtentabant; ſi fortè ſexus miſeratio, irritatos animos retineret. Sed fruſtra cuncta: ſocijque navales

cIↄ Iↄ xcvii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ in lapideum connixi propugnaculum, & oppidani, dum metus, & confuſa
XCVII. omnia, ſenſum veri adimunt, univerſum exercitum (qui in aciem eductus,
nihil præter pugnę ſignum exſpectabat) irrumpere rati, effuſa fuga caſtel-
lum petunt. Urbs direpta, prædaque opima inventa, quam finitimi huc,
ut tutiſſimum in locum, convexerant. Recepta quoque captivorum ingens
turba. Mauritius ſine morâ mœnium ruinam ingreſſus, prohibendæ, quan-
tum poſſet, cædi. Imprimis ignita miſſilia in urbem jactata, & ab hoſte
præproperè fugiente omiſſa, reſtingui jubet. Simul caſtellum, cui adhuc
munimenta ſua, & foſſa integra erant, dedi jubet. Cuſtodes, non vitam,
non quicquam aliud ſibi pacti, victoris ſe arbitrio permiſerunt. Tum vo-
catos ad ſe duarum centuriarum vicarios Broeckhuyſium ac Franciſcum
Gardotti (centuriones Fredericus Bergius, & Dynaſta Anholdius aberant)
acribus verbis increpitat, patibulum meritos, qui nullâ compulſi neceſſita-
te, urbem & habitantes ſuâ pertinaciâ perdidiſſent. Culpam, ut ferme in
talibus, alter in alterum rejiciebat: in eo concordes, quod Fredericum Ber-
gium ſecuturâ nocte trecentos in oppidum milites miſſurum ſe ſpopondiſ-
ſe dicerent. Neque in arduo id ob paludes, magnam partem à noſtris in-
cuſtoditas. Vita tamen univerſis conceſſa, exactaque pecunia ſaucijs mili-
tibus datur. Sub veſperum ignitus globus, haud dum viſus noſtris, neque
oppreſſus, erupit, & univerſum oppidum, differtum ſtramine, avena, & quę
alia ignem concipere nata, concremavit; adeo ut domicilia duo aut tria
incendio tantum ſupereſſent. Octavo die Octobris Enſchedam ductus
exercitus. Oppidulum id trans Iſalam jacet, multis annis Mario Martinen-
go Comiti cuſtoditum, & duplici foſsâ, ſepteniſque ab eo propugnaculis
armatum; cæterùm anguſtis, eoque adverſum oppugnantes invalidis. Præ-
ſidiarij dedere juſſi, tormenta in conſpectum dari petierunt: quæ tantâ ce-
leritate admoveri poſſe non crediderant, tamen poſtquam viderunt, ſta-
tim deditionem faciunt, duæque centuriæ præſidio digreſſæ, menſium
trium ſpatio arma cis Rhenum ſe non laturas promiſerunt. Oldeſalia mille
paſſuum itinere aberat, & die eâdem, quâ Enſchedam ventum, præmiſſus
eques ferentia ad oppidum itinera occupaverat. Poſtridie omnis exerci-
tus adfuit. Urbs ipſa vetus, nec è minimis, in orbem jacet, novem defen-
ſa propugnaculis, & duplici foſsâ. Primus dies militi ſtruendis tugurijs
data. Dein collem, imponendæ molæ adgeſtum, jaculatores nonnulli oc-
cuparunt: & noctu quatuor locis cœptum opus, ad foſſæ marginem per-
ductum eſt. Otmarſiam ob propinquum ſitum, & nequid temporis de-
periret, dedi Mauritius poſtulavit, Enſchedæ exemplum ſecuturos obſeſſos
ratus. At illi non modo tormentorum conſpectum, ſed & ſonores audire
voluerunt. Igitur admoventur machinæ majores nonnullæ, quibus ter
diſploſis, deditionem faciunt, deſcenſumque in pacta Enſchedanis per cun-
cta ſimilia. Interea quoque Oldeſaliam noſtri premebant, prope adeò ſug-
greſſi urbem, ut ultro colloquium incluſi peterent; & tantopere matura-
runt ignitorum miſſilium metu, ut concubia nocte paciſcerentur. Itaque
tertiâdecimâ Octobris die centuriæ ſenæ, quadringentorum plus minus
militum, evolutis vexillis præſidio abierunt. Una jam Linga reſtabat, quam
Bergius Fredericus, Tranſiſalanis præfectus, curæ ſuæ ac défenſioni dele-
gerat. Aderat ei transfuga, vicario quondam jure ſub Guilhelmo Naſſovio
centuriæ præpoſitus: cujus conſilio cinctum oppidum molibus, & dimidia-
tis lunis: ante enim ſola arx munita erat. In ſuburbano agro ingentes ovium
caulę ſtabant, quas Bergius exuſſit, ſimulque noſtris neceſſitatem attulit
militem procul oppido, vicinis in pagis locandi: quippe parum eos tuguria
adverſus ſeneſcentis anni inclementiam tutabantur. Caſtra communire
ſupervacuum viſum, quando nullus externi auxilij metus: at urbs & arx per-
petuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

petuo opere clauſa, prohibendis obſeſſorum eruptionibus, quas crebrò, & cIↄIↄ
audaciſſimè faciebant. Tormentis quoque multum damni noſtris intule- xcvii.
re. Quæ adverſum tertiâ nocte ſenæ majores machinę directę, convellen-
dis propugnaculis. Collectę in foſſas aquę, opere retinebantur ne diffluе-
rent: & quominus ſubducerentur, injecti obices, qui & ipſi molibus de-
fendebantur. Unde multus noſtris, nec incruentus labos, priuſquam ſub-
trahere aquas poſſent, & obſeſſi acerrimè è molibus propugnabant, tantâ
conſtantiâ ut fronte (quę punctim extat) tormentis diſiectâ, paullum re-
troëuntes, novâ foſſâ & vallo corrupta diſpararint. Ita moles ſingulę non
niſi geminatâ victoriâ captę. Deditionis nulla mentio, ob memoriam con-
tumelioſè in prioribus reſponſorum. Quare niſi è propinquo premerent no-
ſtri, haud dubiè eadem audituros ſe credebant: quando hanc urbem ſuę
tutelę eſſe ipſe Bergius voluiſſet. Tandem molibus, omnique externo ur-
bis munimento occupato, ſubductis è foſſâ aquis, cum pluribus locis jam
vallo vineę hærerent, Mauritius obſeſſos dedere jubet: addito, primùm ſe
& noviſſimùm id rogare: paratamque perniciem, niſi ſtatim pacta malint.
Bergius horis tribus, deliberandi ſpatium, petitis, ubi cuncta expendit, pa-
ciſcitur, ut ipſe & commilitones armati, evolutis vexillis, cum omni inſtru-
mento, & ſuppellectili dimitterentur. Tormenta & commeatus in urbe
relictus. Ipſe trans Rhenum, ad cæteros captorum locorum præſidiarios
iit, oſtenditque Mauritio literas & mandata Archiducis, quîs nihil auxilij
à ſe ſperare, & maturè ſuę ſuorumque ſaluti conſulere jubebatur, quo
utiliorem Regi alijs tractibus operam navarent. Unde intellectum, ſi prius
noſtri poſtulaſſent, dediturum fuiſſe: ſed ne in famam peccaret, ſuſtinere
debuiſſe, donec appellaretur. At in plebe paſſim fremitus & indignatio-
nes audiri, quod Mauritius, nimiâ clementiâ, hoſtium, quos in poteſtate ha-
buiſſet, pervicaciam, ſibi laborem auxiſſet. Quippe fretos ejus benignitate
obſeſſos, ad extremum caſum rem recidere paſſos. Alioqui unâ tantùm
urbe vi captâ, exemplo cæteras terreri potuiſſe, ut celerius colloquium &
deditionem agitarent. Sed enim præterquam quod nulla cruentæ victo-
riæ laus, ipſo eventu compertum, plus Archiduci nocüiſſe militum ſalutem,
quam ſi occidione deleti omnes forent. Quippe quina propemodum mil-
lia expugnatis oppidis exceſſerant, quæ ubi in unum collecta, ſtipendia fla-
gitant, & ſeditionem induunt. Berkenſes, ut ſuprà memoratum, Geldram
ingreſſi, præſidiarios concitaverunt, & utrique, duces, centuriones, ſignife-
ros ſuos expulere. Tum Senatum x x x virorum deligunt, qui interdiu &
noctu in curiâ agitabant. Crebro quoque Senatores moverunt loco, ſur-
rogatis alijs, ut ad plures regiminis pars, & veniæ apud Archiducem deſpe-
ratio perveniret. Reliqui inſulam Moſæ amni undique circumventam in-
ſederunt, militiam abnuentes, niſi ſtipendia ſolverentur. In Arteſijs quo-
que & Hannonijs Itali & Hiſpani ad ſeditiones prolapſi, miſſis ab Archidu-
ce pecunijs ſubinde pacabantur. Cæterum quia non hoc minus, quam ſu-
periore anno, menſæ nummulariorum exhauſtæ erant, neque ille debita
cunctis ſtipendia ſimul exſolvere poterat, commoti quoque omnium eo-
rum animi, qui clamoribus & per ſeditionem alios ſtipendia extorquere,
ſuam vero innocentiam, & promta obſequia negligi videbant. Mox et-
iam præſidia accipere civitates detrectarunt. Venloniani, ut ipſum cum
prætoriâ cohorte Archiducem in urbem admitterent rogati, apertius recu-
ſarunt, quam ut meminiſſe imperitantium crederes, non ſine Prætoris
conſulumque periculo. Auctaque animorum alienatio, cum filiam natu
maximam Alberto Philippum deſpondiſſe, & Belgarum terras dotem de-
ſtinari fama tulit. Etenim non eâ re civitatium favor, aut Archiduci, quod
fortaſſe ſperaverat, autoritas quæſita; ſed verſæ in triſtitiam mentes, dum

CIↃIↃ XCVII. nihil deinceps præſidij ſperandum à Rege putant. *Etenim illum Alberti facultatibus Belgarum defenſionem relicturum. An quos regiæ opes, quos regia ſubigere potentia nequiviſſet, Alberti viribus ceſſuros?* Partis feliciter tot victorijs, tot validis oppidis breviſſimo ſpatio expugnatis, compoſitoque in hybernacula milite, naves nonnullas pyrium pulverem, & tormenta vehentes, haud procul Lingâ aquarum humilitas in Ameſi amne attinebat, primo æſtu Friſiam petituras. Sed fortè ortum incendium pyrij pulveris dolia CLXXX corripuit, & horrendo cuncta fragore concuſſit. Evaſerunt tamen Dei munere nautarum hominumque quotquot aderant, exceptis denis. Interea apud Fœderatos gaudio plena omnia. Quippe ab exordio belli nunquam propitium adeo Numen experti erant Belgæ. Cuncta ab ortu Rheno ſita, Friſia omnis, Tranſiſalanus ager, Omlandi, & Zutphanienſis Comitatus ſimul nunc univerſo belli onere levabantur. Abacti hoſtes; non ager, non villæ, populationem, aut ignes gravibus jacturis redimere opus habebant. Cuncta denique pacis inſtar, & nihil grave præter tributum, ſuſtentando militi. Patebant itinera, ac ſine metu quiſque, & incomitatus quo libitum commeare. Securè nobiles, ruricolæ, in agro, cum conjugibus liberiſque, diem juxta ac noctes tranſigere. Quæ inter publica gaudia privatus Mauritium dolor excipit in ſorore Æmiliâ, quam, ut germanam, tenerrimo ſemper amore dilexerat. Emanuel, Antonio Luſitaniæ Rege genitus, totam hujus anni æſtatem Hagæ exegerat; & cæteris in bellum atque arma converſis adeo virgineum ſibi animum devinxerat, ut illa, cæcâ cupidine, non aliorum modò, verùm & Mauritij conſilia adſpernaretur. Quem ut averſari Pontificiæ religionis affinem comperit, impenſiùs properandum rata, ne interrumperetur, adhibito ſacerdote (ante tamen à rectis ſacris nunquam ſe diſceſſuram juravit) nuptias contrahit, quo fruſtra eſſent, qui jam obſtrictam avellere niterentur. Cæterùm, dum adhuc ſecretum id, Patres Emanuelem egreſſu ex ædibus, & conſortio Æmiliæ abſtinere juſſerant. Quod ubi illa cognovit, gemitibus ac lamentis omnia complens, eò triſtitiæ prolapſa eſt, ut miſerandum cunctis ſpectaculum, haud citra vitæ ſuæ periculum, præberet. Et Mauritius ubi incaſſum obniti ſe, datamque fidem comperit, non putavit vim animo ejus inferendam: præſertim quando quintum & viceſimum ætatis annum ſupergreſſa, non fratris, non cujuſquam mandatis obnoxia, ſed ſuæ ſpontis erat. Igitur ubi Emanuelem juſtis de cauſſis imperio ſuo excedere Patres juſſerunt, Mauritius in utrumque poteſtatem ſorori dedit, manere, an ſequi Luſitanum mallet. Illud ſi præferret, addicere ſe fraternam ei fidem, & in cunctis præſidium. Sed abire potius Æmilia habuit, & Emanuelem, Veſaliam profectum, ſecuta, ſedem eâ in urbe poſuit. Inde Arnhemum demigrato, ad ultimum Delfos, Patrum, & Mauritij permiſſu, habitatum venit. Per idem tempus ſororum altera (ſed diversâ ex matre, Borboniâ Principe, nata) propinquorum ſuaſu, feliciore matrimonio, nupſit Tremovillio Duci, avunculo adoleſcentis Condæi, qui in ſpem regni educabatur, ſi prolis exſors Henricus obiret. Et pleræque filiarum Arauſionenſi illâ conjuge genitarum, dignis fortunâ ſuâ matrimonijs, Electori Comitique Palatino, Bovillionæo Duci, & Philippo Hanoviæ Comiti nupſerunt, ut locis ſuis memoravimus. Hæc dum in Belgicâ geruntur, ſegniter ſatis Ambiani obſidio procedebat. Nam in præſidio quatuor equitum pœditumque millia, plerique Hiſpani erant, ſub gentili Duce Hernantello Portocarera, qui crebris eruptionibus, & tormentis opus interrumpebant. Regi equitum peditumque millia non amplius XIV erant, præter exiguum Anglorum, & Helvetiorum numerum; cæteri Galli, laboribus haud ſuetum genus. Unde caſtrenſium imperitiâ cavata per humum itinera nequaquam juſtâ latitu-

dine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

dine egerentes, anguſtiâ loci propugnare nequibant, & ſimul illac hoſtes cIↄIↄ
inrupiſſent, deſerere ſtationes, omittere opus cogebantur. Septimâ Junij xcvii.
die quingenti obſeſſorum erumpentes, gravi clade oppugnantes contuderunt. Cæſi inter Gallorum cæteros Montignius, Fleſſanus, ac Foucquerolus, præfecti militares. Ex Hiſpanis ducibus Mendoza occubuit. Obſeſſi paſſus prope bis mille ab urbe proceſſerant, & niſi ab equitatu ſubventum foret, ægrè ad ſuos remeaſſent. Munitiones per id tempus adeò foſſæ propinquabant, ut lapidibus invicem obſeſſi, & oppugnantes peterent, contingerentque. In urbe præter commeatus copiam haudquaquam magnam, peſtilentia graſſabatur. Unde ſerio Præfectus Albertum ad auxilium vocabat. *Nimia in conſulendo cunctatione perituram urbem, à quâ non modo Gallici regni, & Regis cuncta penderent, ſed &, quod cæteris majus, exiſtimatio Hiſpani, & ſimul Archiducis.* Revocabat quoque in memoriam Alberto datā fidem: *non ſi Antverpiam & Bruxellas perire neceſſe foret, Ambianis ſubvenire omiſſurum. Veniſſe nunc tempus promiſſa exſolvendi. Hauriri peſtilentiâ multos, nec defunctos reverti. Multos valentes curâ & miniſterio ægrorum diſtineri. Civitatem magnam, nec pro opinione commeatus proviſos. Multas ſimul neceſſitates ſuperventuras, & jam fractos nonnullis animos.* Eæ literæ interceptę multos in ſpem erexerunt. Alij contrà Archiducis induſtriam, urgentemque propoſiti animum, & ſegnitiem Regis metuere, ætatem per libidines tranſigentis cum concubinâ Gabrielâ. Cui regius penè honos, & Helvetiorum cohors ſatellites dati. Accedebat, quod Rege, Principum præfectorumque complures in caſtra cum militibus advocante, Dux Eſpernonius, quamvis iter jam ingreſſus, properè ad ſua redijt, infenſus Regi, quòd Burgundorum præfecturam nato è pellice infanti (Cæſari nomen erat) nullâ ſui ratione habitâ, contuliſſet. Hæc, & recentia apud omnes exempla Lutetiæ ac Rothomagi à Farneſio liberati, ſuſpenſos ſpem metumque inter animos omnium tenebant, ad exſpectationem tantæ rei. Decima nona Auguſti die virium potiſſima Duacum Archidux coëgerat: unde equites octingentos, additis magni nominis, & dignitatis ducibus, Gaſtone Spinola, Tezeda, Contrera equitatus cenſore, Ambroſio Landriano, Nicolao Baſta, Comite Buquoio, Joanne Bracamontano, Barlotio, & nonnullis caſtrenſium operum gnaris, iter, & campi ſitum cognituros, præmittit. Quod poſtquam compertum Regi, providere ſuos jubet, ne inter præliandum furtim aliqui in urbem penetrarent. Ipſe caſtris digreſſus, tendit in occurſum hoſti. Hiſpani, ſimul in oculis Galli fuere, terga vertunt, armaque, & haſtas abjiciunt: quidam, tardioribus equis, deſilientes, propinquam in ſylvam ſalutem pedibus petiere. Quos Rex ad quingenteſimum à Bapama paſſum perſecutus eſt. Centum & xxx proſtrati, totidem capti, equorum plures ducentis L in poteſtatem venere. Hac pugnâ commiſſâ, & Hernantello glande exanimato, obſeſſi cum rege honeſtiſſimis conditionibus tranſigunt: ut armati, evolutis vexillis, fomitibus incendiarijs ardentibus, cum impedimentis abirent: prædam omnem, tormentaque aveherent; debita nulla in urbe ſolverent. Adhæc uti pro arbitrio, Hernantelli cadaver ſecum ferrent, ſive in monumento relinquerent, nec Regi licitum tollere loco, aut ſuperbas inſcriptiones, nomina honorum, ſuſpenſaque arma demere. Ante omnia tamen octo dierum inducias pacti ſunt, ſi forte interea ſubveniretur urbi, & tum irritas conditiones fore. Adjecerunt ſubventum urbi æſtimaturos, ſi milites mille ducenti in eam pervenirent: Regemque miſſurum è ſuis nonnullos, qui putarent, tantus ne in urbem numerus penetraſſet. Interea nihil hoſtile tentandum, donec auxilia adventarent. Ubi illa acceſſiſſent, obſeſſos eruptionibus, aut quibuſcumque alijs poſſent modis, niſuros, ut ſubſidia in urbem accipiant: regem con-

cIↃ IↃ xcvii. tra prohibiturum, & ſi frequentius erumpentes oppidani mœnia nudaſſent, liberum ei fore fortunam adverſum ipſam urbem experiri. At Albertus ubi omnem liberandæ urbis ſpem in celeritate poſitam videt, copijs auctis Atrebano Dourlanum contendit, inde in conſpectum Regis. Quadripartito pedes ſtabat, & quadratis agminibus, quorum terna eodem ordine, modiciſque intervallis diſiuncta. Ordines & juga paria, quadraginta quinque duplicis armaturæ militum erant. Latera cuncta quinis jaculatorum ordinibus ſepta. Additum cuique agmini ab utroque latere duplex ſubſidium jaculatorum: in altero longioribus, brevioribus in altero tubis armati ſtabant; & utraque ſimul manus milites continebat quingentos. At in agmine quoque quà haſtati, quà jaculatores quater mille. Duces erant, Ludovicus Velaſcius, Ludovicus Villarius, Carolus Columna. Neque acies ulla ejuſdem generis milite conſtabat, ſed promiſcue Hiſpanis, Italis, Germanis, ac Walonibus. Triplici quam dixi aciei à dextra præpoſitus Didacus Pimentellus, cum ambulatoria manu, ex fortiſſimo quoque dilectâ, qui præfecturas aut imperia quondam ipſi tenuerant. Aderant & voluntarij ac beneficiarij complures. Horum ordines, & juga militum vicenûm erant. Latera, ut in cæteris, jaculatore, & ſubſidijs tecta. Præterquam quod poſteriora ſubſidia deerant: quippe ſupervacua, quando terga inſequens acies tutabatur. Dein quia ſecundæ aciei altitudo quatuor tantum & xx militum, in ſubſidijs quinque & xl erant: ordines unus & xx, quîs ſubſidium agmen ſuperabat; à fronte prominebant, cornuum inſtar. Eandem ad formam, ſubſidiorum reliqua longius, quam haſtatorum frons extendebantur. Siniſtro latere ante dicta jam agmina machinæ campeſtres xvi diſpoſitæ: & Soranus Comes cum turmis è Belgarum nobilitate dextram; Arragonici maris Præfectus cum levis armaturæ equitibus ſiniſtram occupaverat; uterque flexo agmine, lunari ſpecie, quando medium orbem ſydus implet. Hi & latus & terga peditum circumveniebant. Tum pedes & eques utrimque longa ſerie curruum, ſemicirculari formâ catenis connexorum, ſeptus. Ipſos verò currus jaculatorum ſubſidium introrſus defendebat. Summa omnium xiv aut xv peditum, tria equitum millia erant. Stabat quoque Gallus inſtructa acie, & præter ſolitum caſtris haud procul abſcedebat. Unde Cardinalis cum invalidum ſe oppugnandis caſtris, nec ullam opportunitatem videret milites in urbem mittendi, nulla re tentata amolitur ſuos. Decimo quinto Septembris die Ambiano præſidiarij, ut convenerat, excedunt; nec plures mille ducentis, aut circiter, centeni aliquot equites numerati. Sequebantur abeuntes feminæ nongentę, quas inter nonnullæ civium conjuges, deſertis maritis. Simul currus clx prædâ onuſtos trahebant. Poſtridie incendium in Regis ſede ortum: quo multi, velut opprimendæ flammæ, accurrentes, nullo pudore ſupellectilia Regis diripuerunt. Etiam Bironus Equitum Magiſter omni pecunia, & utenſilibus exutus. Inde Atrebatum (quò Archidux conceſſerat) militem Henricus rapit, directiſque machinis templa, turres, tectaque concutit, acuendæ Archiducis iræ, ut prælio certaret. Sed ille, qui Ambianorum ſalutem pugnæ pretium non exiſtimaverat, multò minus inanem ob gloriam incerta ejus ſubire voluit. Quamobrem Rex milite abducto, Dourlanum premere aggreditur, ſed abrumpere obſidium annonæ penuriâ coactus eſt. Eundem in modum Archidux claudere Oſtendam agitans octo millia præmittit, cognoſcendo urbis ſitu, cæterum diſſuadentibus alijs ob anni ſenectutem, abſtitit. Amiſſum Ambianum uſque adeo Alberti animum fregit, ut ſtatim ſummo ſtudio ad pacem permovere Gallum tentaverit. Nec Rex averſari viſus: mirante Eliſabetha, mirantibus Fœderatis, quod inconſultis ſe aurem præberet colloquio, erupturo

in diſſo-

in diſſolutionem fœderis, nuperrime, & urgente illo initi: & unde non alius
majores fructus retulerat. Simul quoque Gallicus, qui Hagæ erat, legatus, CIↃIↃ
non, ut ſolitum, gratias pro quatuor millium ſubſidijs egit, ſed querelas or- XCVII.
ſus, tenue illud auxilium, ſolaque vectigalia mercium è Gallia in Belgicam
advectarum, æquare ſtipendia tot militum, ac Regem de ſuo à Patribus ju-
vari dixit. Hanc illi opinionem falsò nonnulli Reip. haudquaquam cupien-
tes injecerant. Etenim ut in Galliâ Belgæ, ita Gallorum quoque res in
Belgicâ vectigal & portoria pendebant; receptâ commerciorum conſue-
tudine: neque oneri id Gallis: ſolis Belgis Gallica vina ementibus pretium
augebatur. Et profecto haud leve quatuor mille militum auxilium æſti-
mandum: quippe donabantur Regi ſtipendia, nullo repetendi jure. Contrà
quicquid à Regina aut Belgis, aut Gallis ſubmittebatur, pro mutuo erat,
nec quicquam minutum adeo, quin rationibus adſcriberetur. Sed quia pa-
cis colloquium in annum ſequentem egreſſum, ambigentibus interea de
Regis animo Regina ac Fœderatis, ſatius videtur, ſuo exitum loco memo-
rare. Anglorum claſſi ante nobis memoratæ haudquaquam proſperè deſti-
nata ceſſerant. Sexdecim inſtructiſſimæ omni armamento naves à Regi-
na erant: quas inter, galeones duæ, ſuperiore anno in portu Gaditano ere-
ptæ Hiſpanis. Tum Belgicæ naves XX: armatæ decem, totidem onerariæ
vehendo militi. In univerſa claſſe naves plus minus centum numeraban-
tur. Aderant ſocij navales, & oppugnandis urbibus machinę & miles, cu-
jus millia VI in terram tuto exponi poterant. Immotum enim Eſſexio ſta-
bat, Hiſpaniam, aut aliquam inſularum opportuno ſitu invadere, & retine-
re. Nec latebant eum ingentes Hiſpani paratus. Qui Feroliæ (id portui
Gallaciæ nomen eſt) galeones XXX habebat; Belgarum eorumque qui
propinquis ad Albim tractibus digreſſi erant, naves XL detinuerat, & ar-
mamentis inſtruxerat; poſitis in excubijs IV galeonibus. Deinde & exer-
citus XVII millium in propinquo tenebatnr, Fontano Comite, & Stepha-
no Ivarra Ducibus. Modica adhæc Olyſſipone claſſis cum terreſtri octo
millium exercitu agitabat. Gades apertæ, irruptioni patebant. Cives vici-
nas in urbes profugerant, nec in urbe quiſquam præter milites quadringen-
tos. Centum ex ære fuſili tormenta huc congeſta, ſimulatque de Anglo-
rum adventu percrebuit, in continentem tranſlata, ac ſparſim per campos
humo obruta ſunt: manifeſto Hiſpanici pavoris argumento. Sed ut ſupe-
riore anno Hiſpanos ventorum violentia repulerat, ita nunc quoque im-
miſſis tempeſtatibus Britannorum conatus evertit ſupremum Numen.
Decima Junij die Plemutho ſolverant, cœlo marique placido. Tum vali-
diſſimus aquilo rapuit navium nonnullas tanta vi, ut poſtridie Gallæciæ li-
tora cernerentur. Mox atroci tempeſtate, & Africo, concitatus Oceanus
egit naves, curſus vix potentes. Quas inter Hollandicam, immenſa aqua-
rum moles obruit, corbe tenus tectam, adeo ut hauſtam fluctibus quiſque
crederet: ſed Numinis benignitate, rurſum emerſit. Jam Eſſexij navem in
latus tempeſtas impulerat, ut altero cornu major antenna undas identi-
dem feriret. Ille tamen marique, & tempeſtatibus ſummo ſtudio obniti;
pervicax propoſiti, & ægre cœpta omiſſurus. Tandem auctâ cœli trucu-
lentiâ, quum navium Reginæ pleræque, etiam, quâ ipſe vehebatur, præto-
ria, valido aquarum impulſu, rimis fatiſcerent, dare ventis vela compulſus,
decimo poſt ingreſſum iter die Plemuthum redijt, nullâ navium amiſſa, ob
peritiam nautarum, & indefeſſum in exhauriendis ſentinis laborem. Paucis
diebus exactis, repetit iter, & quia effluxerat tempus in continente magna
tentandi, tria militum millia, cum onerarijs nonnullis dimittit: ſolùm In-
dicæ claſſi intentus, quam in itinere eſſe fama tulerat. Itaque huic inter-
cipiendæ Terçeram juxta Oceanum obſedit, ac ſeneſcente autumno ter-

nas naves

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Hoog.
35 A 13

cIↃIↃ XCVII. nas naves Hiſpanicas, octies & decies centenis florenorum millibus æſtimatas cepit. Per idem tempus Hiſpanica claſſis, tentandæ adverſum Angliam fortunæ, octava Octobris die Ferolià ſolvit. Naves centum & octo, in his galeones x x, militum octona erant millia. Quinquaginta millium itinere ab Anglia aberant, quum repens Aquilo repulit diſiecitque naves in aperta Oceani: ignaris omnium Britannis, donec diſperſarum nonnullas in poteſtatem redegiſſent. Tum compertum è literis, quas Hiſpani centuriones obſignatas acceperant (aperire prohibiti, niſi quem tempeſtas à ſuis diſtraxiſſet) Valmuthi exſcenſum facturos fuiſſe. Galeonum vaſtiſſimarum ternæ, minores naves quinæ aut ſenæ, & quicquid inerat, pelago hauſtæ, præterquam quod exitio erepti, qui unâ in Galeone fuerant. Simul merſa aquis tormentorum ingens vis, & parati auri ducatorum millia quingenta. Cladis culpam ab Hiſpanis in ſupremum claſſis præfectum rejectam inde conſtitit, quod paullo poſt dignitate à Rege motus: & tranſlatum id munus in Didacum Brocarum. At in Clivia, Juliaco, Bergenſi & Marcana ditione, nova Magiſtratibus conſilia, ex proſperis Fœderatorum rebus. Veritiq; ne auctâ hinc fiduciâ Brandeburgicus ac Palatinus, diſſimalatam antè ſententiam palam promerent, ac regiminis formam mutarent, quod haud dubie Pontificiæ religioni exitiabile; Cancellarius ac Senatus furioſo Duci (quem menti redditum ſpargebant) novam ex Lotharingica domo conjugem quæſivere. Id matrimonium jam ante annos decem agitatum: ſed prælata tum Marchio Badenſis, tanquam (ut in Clivia civium qui patriæ cuperent interpretabantur) natu major, & prolis ſpe minore. Sic nunc quoque Lotharingica placebat: quippe provectior annis, & attritæ valetudinis. Etenim certò credebatur, orbitatem Principis expetitam Senatui, quo generis excluſis, nomine Ducis, furore ut ferebant liberati, & falsâ prolis exſpectatione (nec Germanis, quamdiu ſuperſtes Dux, aut liberûm ſpes, juſta cauſſa eſſe videbatur, de hæreditate loquendi) potentiam ſuam continuarent, additoque tempore, Cardinali ac Hiſpano terras ſubjicerent, tanquam validiſſimo Pontificiæ religioni, & Senatus autoritati tutandæ. Itaque paullatim inſurgere, munia Procerum in ſe trahere, nec ad honores extollere quemquam, niſi ſuarum gentium: Reformatos, quin & illuſtri loco Pontificios, quomodocumque in Patriæ libertatis amore ſuſpectos, dignitatibus prohibebant. Occulta ijs cum Archiduce conſcientia: palam Cæſaris nomen præferebatur, quod honeſtum Germanico Imperio. Unde & hoc anno, quamvis evulgato, menti Ducem reſtitutum, laboravere, ut Præfectum genti Cæſar imponeret: quippe minuta quidem inſania Ducis, ut citra noxam gladio, cultriſque, & aliorum colloquijs uteretur, ſed fluxa memoria, & ingenium haud quaquam par regimini. Furoris, & quę interea patrarat, nulla apud eum memoria, perinde ac ſi ſomno perpetuo ſopitus fuiſſet. Quę inſaniam antecesserant, quomodocumque ei ad animum recurrebant. Igitur quia nefas Pontificijs uxorem, ob polluta matrimonij ſacra dimittere, aut novam inducere, conjugi Ducis, (quę accuſata, cæterum haud dum damnata detinebatur) ſubito, & noctu laqueo fauces prę cluſę; juſſu Senatus, ut prudentioribus, & interfectę propinquis creditum, cui per opportunum fatum: tum quia vero ſimile haud videbatur, naturali morte exſtinctam, quę pridie valens cubitum conceſſerat. Simul vexatę fauces laquei veſtigia prodebant. Id certum, nec ſuis eam manibus perijſſe, nec alteri id quam Senatui auſum, cujus in manu & cuſtodia erat. Non tamen eo novum matrimonium celerius proceſſit, dum urbes (quarum nonnullę præſentem Reip. ſtatum abnuebant) ſibi quoque partes ſuffragiorum petunt. Itaque ſerio Cancellarium ac Senatum per literas monent, jam olim à Principibus id juris equeſtri ordini atque urbibus datum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

datum, ut non niſi præmonitis ijs,id genus fœdera, aut matrimonia contra- cIↃIↃ
herentur. Quâ de cauſſa velle,ut conventus indicatur, quando nunc maxi- XCVII.
mè Reip. interſit conſilia cum Proceribus gentis communicari, quo novum conjugium verteret in uſum Reip. eamque præſentibus periculis, atque oneribus liberaret. Ita recenti memoriâ cum Aquenſi Marchione actum. Quamobrem niſi morem poſtulatis Senatus gerat, ultro conventuros, & non adhibito Senatu, daturos operam, nequid Reſp. caperet detrimenti. Sed hæc diſpreta Senatui, & nihilo ſegnius cœptos novo matrimonio paratus perſequi. Cæſaris, qui conjugium probabat, nomen & autoritatem, urbibus opponebant. Quæ ipſæ invalidæ, nec præſidio cujuſquam adjutæ, nec ſpe ulla niſi in Germanis Principibus. Adeoque hæ literæ non deterruere Senatum, ut pro ſtimulis fuerint, deſtinata celerandi, & arctiori ſe Hiſpanorum implicandi conſcientiæ, adverſus quoſvis impedimenta parantes. Diu tamen dilatæ nuptiæ, inopiâ pecuniæ, ad ſolennes cæremonias, & requiſitam tanto conjugio pompam, neceſſariæ. Nec conquirere erat, niſi indicto Procerum conventu, qui non minus formidoloſus Senatui, quàm pecuniæ expetitæ. Non negligebant interea & Clivij, qui patrijs rebus conſultum vellent, & Fœderati Proceres, hortari Germanos Principes, ut maturè his artibus occurrerent. Et quamvis auxilia offerebantur, Germani tamen in languore, & ignavia priſtina manebant. Metus potiſſimus à Cæſare, & Hiſpano. Simul Conſiliariorum nonnulli ſpecioſo obtentu eos retinebant, ne publicam Germaniæ quietem turbarent. Tandem media inter utrumque via propoſita: quieſcerent Germani, & Clivios pecuniâ juvarent: illi equeſtris ordinis urbiumque conventu indicto, regimen (quemadmodum nuper defunctus Dux Wilhelmus ſtatuiſſet) ipſi tenerent, ſuoque nomine, cæterum ære occultè à Germanis ſubmiſſo, equitum bina, ſena peditum millia colligerent, & Cæſari, Germanis Principibus, Archiduci, ac Fœderatis Patribus conſilium ſuum perſcriberent. Cæſari, nihil novarum ſe rerum meditari, ſed Cliviam adverſus bellantes inde Hiſpanos, hinc Belgas, defendere velle: omnem venerationem, & obſequium ei deferre, nec partium alterutram ſecuturos, ſed Sacri Imperij decretis addictè hæſuros. Germanis Principibus, eadem quæ Cæſari denuntiarent, addito, nihil ſe quod damno ijs eſſet, tentaturos, ſed cuncta conſervando juri quod in Cliviam prætenderent. Ad Archiducem, & Fœderatos Patres, ſimilis argumenti literas darent, ob patriæ vaſtitatem terræ, & acceptas utrimque injurias, providere ſuis rebus compulſos: otioſos ſe in hoc bello eſſe, & ſueta inter vicinas gentes officia neutris, negaturos: cæterum orare, ne caſtris ullis aut populationibus terra ſua premeretur: ſin ſperni ſe viderent, remedium & auxilia quæſituros. Id verò egregium viſum, ut uno tempore Pontifici, Cæſari, & Hiſpaniæ Regi, occaſio qualiſcunque obtentus præriperetur, & Archidux ac Fœderati eodem loco haberentur, quemadmodum à medijs fieri oportebat. Sed mox cum de Imperatore exercitus deligendo injecta mentio, & nonnulli Hohenloium commendavere, tanquam Comitem S. Imperij, in Brandeburgica domo educatum, ejuſque feudatarium, quem Cæſari ſuſpectum eſſe iniquum foret; alij Joannem Naſſovium Guilhelmi Comitis fratrem proponerent, qui hactenus in Imperio, per quietem acta ætate, arma contra Hiſpanum nunquam geſſerat: ortum diſſidium eſt, nonnullis Hohenloium ut temulentum, & incurioſum rejectantibus; alijs æmulatione in domum Naſſoviam accenſis. Forſan & ſolvendis ſtipendijs æs in promtu non erat. Ergo cuncta omittuntur, & Senatus veterem potentiam, autoritatem, atque artes continuavit. In Friſia Orientali non modò orta quondam diffidentia vigebat; ſed & palam Co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ XCVII. mes jacere, nequaquam ſe Delfſilanis pactis, Fœderatorum Patrum arbitrio initis, ſtare velle, urgebatque Cæſarem ut reſcinderet. Sed ille providus, & curâ ne civitas novis irritata oneribus tranſiret in partes Fœderatorum, dictitabat quidem, haud recte civitatem armatos vicinos, controverſiæ arbitros, in Imperium: vocaviſſe cæterum quæcumque Delfſilæ urbi conceſſa, & ipſe ſanciebat: & Emdanos non deinceps ad Delfſilanum fœdus, ſed ſuam ſententiam provocare juſſit. In Hungaria hoc anno vix quidquam dignum Annalibus geſtum. Primi ex hybernis Chriſtiani moverant, Turcis validiores. Sed quia in dies Turcicus Imperator exſpectabatur, urbes obſidere non auſi, tantum tutandis ſuis vacabant. Ad ultimum, imminente jam autumno, quum metus is exoleviſſet, Javarinum circumſident. Turcarum duces, ut rem comperere, cogunt ex vicinis præſidijs militem; quibus auxilio urbi adventantibus, Chriſtiani Panico terrore, caſtra, machinas, omniaque ſua deſeruere. Turcæ Javarino annonâ, milite firmato, in reditu Totiſam oppidum capiunt, atque in hyberna revertuntur. Tum Temeſwaram adorti Chriſtiani, ſed irrito conatu. Poſtea conventu Ratiſbonam indicto, Cæſar accepta detrimenta excuſavit: & cauſſas eorum, ſimulque rationes expoſuit, quis in poſterum cura atq; ordine meliore, bellum gereretur. His conficiendis impetratũ ab Imperio, quinquennale tributum, in ſingulos annos, quantum ad expeditionem Romam verſus conferri olim ſolebat, quæ ſumma quinque annorum ſpatio, ter centies, vicies ac bis centena Carolinorum millia faciebat. Præterea millibus equitum quatuor, equitum ſenis ſtipendia, ſi majoribus quam adhuc viribus ipſe Turcicus Imperator bello incumberet. Interea & ſolvenda quæ anno MDXCIV promiſſa, neque dum collata erant. Multum eo in conventu Colonienſis Epiſcopus laboravit, ut Mauritius, totius Imperij nomine, ad ſummam Hungarici bellici præfecturam vocaretur. Quod adulationis Belgæ, aut perfidiæ rebantur, quò ſub ſpecie honoris duce ac tutore ſuo ſe orbaret. Cæſarem duo imprimis eo in bello morabantur, quòd Sevenbergenſis Dux belli pertæſus, omittere regimen, & privatam tranſigere vitam penitus conſtituerat. Dein quòd nulla auxilia à Pontifice veniebant, diſtento, bello adverſus Cæſarem Eſtæum, propinquum Herculis Ferrariæ Ducis, qui ſine prole defunctus Cæſarem hæredem ſcripſerat. Pontifex obſiſtebat, nothum eum increpitans, ut feudum poſſeſſore juſto deſtitutum ipſe invaderet. Cæſar primò ingens animi, nec facilè ceſſurus videbatur, ob repertos inſperato theſauros, machinas, & bellicum paratum, quem Hercules congeſſerat. Et favebant Veneti. Albertus centum circiter, & L inſignes militari ſcientiâ præfectos ad Pontificem miſit, qui in tranſitu à Metenſibus præſidiarijs conciſi aut capti, & fortunis armiſque exuti ſunt. Sic quoque Mauritius noxam Hiſpano, & molem eo ex bello ſperans, quod omne Italicum nomen ad arma moturum videbatur, obtulit Cæſari, gnaros belli, & prudentes viros miſſurum ſe, qui conſilio manuque eum juvarent. Sed Cæſar, anno qui hunc ſecutus eſt ineunte, ſpem omnem abjecit, Ferrarienſium in ſe voluntari diffiſus, quam haud fidam ſatis expertus erat. Nam quum de induſtria, velut ingruente hoſte, claſſicum incendi in urbe juſſiſſet, medioque ipſe foro armatus ſtaret, civium non plures centum L ſe illi adgregaverant, cæteri ædibus ſe tenuere; diris Pontificis execrationibus territi, an ob graviſſima tributa, ab Eſtæo averſi, & mitius ſub Pontifice imperium exſpectantes. Dux igitur ultro urbem, arcemque ac jurisdictionem, & quicquid antè ſibi vindicaverat, Pontifici tradidit: ſolas quas invenerat opes, & uſum privatorum bonorum, quæ feudo nulli obnoxia teneret, denique & Carpiam vicum jure civitatis donatum, & cum eo Modenam, Regiumque ſibi pactus. Gravem

peſtilentiâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

peſtilentiâ hunc annum habuere Germani : quæ ſuperiore anno in Picardis,
& maritimis Normannorum civitatibus orta, Aquiſgranum primò; mox CIↃIↃ
Coloniam, Noveſium, Duſſeldorpium, Heidelbergam, aliaſque ad Rhe- XCVII.
num urbes inceſſerat. Coloniæ ducentorum indies hominum exſequiæ
celebratę. Heidelbergæ Profeſſoribus, & cunctis qui ſtudiorum cauſſa ibi
morabantur, demigrandi neceſſitas allata. Dein quoque peſtilenti aëre af-
flatę Haſſia, Brunſuicum, & Viſurgis accolæ civitates : denique & mariti-
mæ urbes Hamburgum, Lubeca, aliæque. Nonnullis tractibus corruptæ
fruges, defunctis, aut ægritudine oppreſſis agricolis. Ea lues ceu contactu
invaſit Gallias, omnemque Germanorum oram quę Belgas cingit. Quos
tamen, pro clementiâ, ſuâ Numen ſatis habuit, belli ac caritatis malo ex-
ercere. Etenim omni hoc anno anguſta, & gravis annona fuit: frumenti
vehes ducentis florenis vendita. Unde multi ambigebant, ſufficerentne
Fœderatorum vires educendo ex hybernis exercitu, ob ſumtuum magni-
tudinem. Tum alijs quoque ſignis iram ſuam Deus teſtatus eſt. Quippe
decima quinta Auguſti die totum orbem implente Lunâ, inundationi vio-
lentiſſimus Corus acceſſit, Oceanumque vehementer incitavit, ut univer-
ſa Hollandię pars, quę accepto ab aquis vocabulo Amſtelodamum contra
ſita eſt, & Omlandorum ager, undis obruerentur. Delfſilæ diruptis oſtijs
ingens hominum ac jumentorum vis merſa. Memorabant, qui curæ habue-
rant tempeſtatem hanc cum prioribus contendere, MDLXX anno, quo
omnium Sanctorum die ſimile Belgas malum afflixerat, aquas pedis altitu-
dine humiliores quàm nunc fuiſſe. In Hollandia Boreali novem millia ju-
gerum demerſi agri (Sipæ nomen eſt) privati homines ære ſuo obducere
aggeribus cœperant; quadringentis florenorum millibus huic rei impenſis.
Nunc perrupti pluribus locis aggeres, & redintegrati emtoribus ſumtus ac
labos. Quem tamen ſine mora, & impigre illi repetiere; magno argumen-
to, quam medio quoque bello Deus Fœderatorum res auxerit. Per idem
tempus Hagæ Sipeſteinius, & proditorum alij, ſupplicio affecti. Sipeſtei-
nius, bellici apparatus in caſtris curator, ignem ſe pyrio pulveri injecturum
Alberto promiſerat : quâ re celerrimum victoriarum impetum ſtitiſſet:
quippe tantam ejus vim ſubitò conquirere in arduo fuiſſet. Reliqui Tho-
lanam in inſulam hoſtilem ſe militem perducturos receperant : quod perin-
de ut alterum Mauritio noxium, quando dimittenda huc copiarum pars,
nec diviſis viribus ſpes magna gerendi. Commodum tamen omnia Mauri-
tio ante eventum enunciata, per quendam, qui conſultò meditatis contra
Bommelam inſidijs, fidem, & gratiam in aula Alberti quæſiverat, & me-
morata jam ſecreta elicuerat. Amſtelodami hoc anno ſæpius orta incen-
dia, magno periculo urbis, hominibus, & ædificijs copioſæ; imprimis quia
è ligno domuum magna pars exſtructa eſt. Erant qui proditorum ſcelus
ſuſpectarent, ſed compertis cauſſis, & initijs incendiorum, plerumque
civium incuriâ ortorum, ſublata ſuſpicio. Octobri menſe, quod no-
viſſimum fuit incendium, ædes differtas vaſis arvinæ balenarum, flamma
corripuerat : ſimul dolijs effluens adeps in vicinas foſſas dilapſus eſt, un-
de cum aquæ opprimendo igni peterentur, infuſæ flammam augebant,
donec è longius ſitis humorem haurirent. Intendebat periculum ven-
tus, flammam, favillas, & ardentia cuncta ad urbem rapiens, quæ
non ſine Numine incolumis evaſit. Præter cætera cladium cœlo ter-
rave, aut Oceano ortarum, etiam magna hoc anno damna Duinquer-
kani intulere, naves, nautas, ſocios navales, cuncta capta Caletum ra-
pientes, qui ante ſola nautarum redemtione contenti, merces quia Duin-
querkam inferre nequibant, dimittere coacti fuerant. Dein multos quo-
que navalium ſociorum traxere in partes, promiſſis ac ditibus ſtipendijs,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃ IↃ alios, ob egeſtatem, redimendæ libertati impares. Quod mari Belgarum
xcvii. quondam convellere vires poſſit.

FINIS LIBRI XIV.

EVERARDI REIDANI
ANNALIVM
LIBER
DECIMVSQVINTVS.

BREVIARIUM LIBRI.

HISPANIARUM *Rex anguſto ærario pacem quærit, & mercatoribus reconciliatur. Quatuor millia Hiſpanici militis Caletum advecta. Ejuſdem gentis artes apud Emdanos ac Hanſeaticas urbes. Flaccianorum in Reformatos odium, cauſſa quominus Proteſtantes concordes agitarent. Arcta inter Pontificios Principes conſcientia. Colonienſis Epiſcopus Berkam à Patribus repetit. Dixtra Quæſtor Friſiorum ob debita, & parum ex fide adminiſtratum ærarium, gravi & ignominioſo ſupplicio affectus. Hiſpanus, excluſis Britannis, cum Gallo de pace colloquitur. Fœderatorum legati diſſuadendæ paci ad Reginam miſſi orationem eam in ſententiam habent. Quâ de re diverſa in conſilio Reginæ judicia. Reginæ reſponſum. Carolus Finnorum Dux fœdus cum Gallis affectat. Pax inter Gallum & Hiſpanum decreta: ejus conditiones. Gallorum Rex apud Fœderatos Patres factæ pacis neceſſitatem, & turbatum regni ſui ſtatum demonſtrat. Matrimonium inter Albertum cum Iſabellâ adhuc ambiguum: quam antea ambierat Cæſar, Guiſiæ Dux, & Erneſtus Archidux. Danielis vander-Meulij cum Alberto colloquium. Cæſaris in Aquiſgranenſes acerbitas. Petrus Pannius ad perimendum Mauritium ab hoſte emiſſus, Lugduni ſupplicio afficitur. Hiſpani Caleto excedunt. Galliæ Rex Fœderatis addictus. Reformatorum eâ in terrâ vires. Eliſabetha mutuum à Patribus repetit. Burlæus moriens Reginam ad pacem hortatur. Hiſpaniarum Rex, aſſentiente filio ſuo, Belgarum, & Burgundiæ Caroleſijque poſſeſſionem per tabulas in Iſabellam transfert, Alberto deſponſatam. Qui in Hiſpaniam ad ſolennia nuptiarum proficiſcens Andream Cardinalem Reipublicæ, exercitui Mendozam præficit. Tiberis exundat. Arauſionenſis filius paterna bona recipit. Pacta inter Reginam & Fœderatos commemorantur. Hiſpaniarum Rex vitâ defungitur: variæ ejus ægritudines: immenſa potentia, & flagrantiſſima cupido quintam orbis univerſi Monarchiam tenendi. Herodi Iudæorum Regi comparatur. Belgarum in Indiam, Americam, Guineam, & Braſiliam navigationes vigere incipiunt. Moucheronius, mercator Midelburgenſis, privatis ſumtibus ſuis, Principis inſulam in poteſtatem redigit. Combriæ Comes Portum divitem diripit. Bevelandia Borealis aggeribus ſepta. Belgarum luxus. Hiſpanica navigatio Fœderatis Patribus palam, Hiſpano*

ejuſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ejuſque præfectis occultè permittentibus, frequentatur. Mendoza in Germanici Imperij terras movet, ac Orſoiam, Buricam, Reſam, Emmericam, aliaque Weſtphalicæ ditionis loca ſubigit. Comitem Valkenſteinium per ſcelus perimi curat. Berkam, ac Doetecomum obſidet, & capit. Mauritius caſtra in Geldrowartâ ponit, & munitâ Sevenariâ, Emmericam recipit. Imperij ad Mendozam & Mauritium legati diverſa reſponſa accipiunt. Senatus Fœderatas nationes ad liberalitatem adhortatus, ingentem æris vim in uſum Reip. poſtulat. Hiſpaniarum Rex juvenili impetu, commercia cum Fœderatis abrumpit: Imperium Germanicum offendit, & Parenti ſuo acta circa Belgarum imperium Alberto traditum retractat. Mendozæ militum in Weſtphaliâ truculentia. Cæſaris proſcriptio ludibrio habita. Caroli Nutzeli, Cæſarei legati, ad Mendozam literæ; qui ferociter reſpondet, & Calcariam, Gocham, Gennapiumque expugnat. Veſalienſes, quos habebant, Reformatæ religionis concionatores, abdicare adigit. Hungariæ, ac Sevenbergenſium res. Novatus apud Suecos regni ſtatus.

ANNO pòſt mille quingentos octavo & nonageſimo, CIↃIↃ XCVIII. Fœderati ſubdolis magis pacis artibus, quàm armis petiti ſunt. Quippe Hiſpano nihil non tentatum, ut everſo fœdere, quod commune Gallis cum Britannis ac Belgis erat, pacem cum Gallo ac Belgis faceret. Etenim angebat Regem multiplicata bellorum moles: quæ quomodo tot ſimul locis, & cum honore ſuo finiret, non videbat. Infregerant vires expugnatum Ambianum, capta Berka, ſubactum quicquid ab ortu Rheno amni jacet. Jam excidio claſſis adverſum Anglos comparatæ interciderant ſpes ingentes, immanes ſumtus: quos centies & quadragies centenûm millium ducatorum fuiſſe ipſe Senatus, qui ærarium tractabat, fatebatur. Simul proventus, & Indicæ navigationis vectigalia, decreſcebant: & necdum apud mercatores refecta fides. Unde tantæ Alberto anguſtiæ, ut monilia, & gemmas, & principalis fortunæ, aut luxus, inſtrumenta, divenderet. Referebat Lutetiâ remeans Britannicus legatus, certò compertum ſibi, ducenta & LX florenorum millia, oppoſitâ margarita, Albertum eâ in urbe accepiſſe. Quas in Hiſpaniam miſerat literę, ſine ære reverſę erant. Hinc novi inter mercatores motus, quibus pacandis edixit, nequis debitorem intra certum ſpatium trahere in jus aut exigere debitum poſſet. Denique, ipſis ejus conſiliarijs fatentibus, pecunię inopiâ vetus miles dimittendus erat: adeò nulla novorum delectuum ſpes. Et haud temere queſtos, acta comprobabant. Mittebantque triſtes literas in Hiſpaniam cum querimonijs, Artheſios, Hannoniam, & Lutzenburgum à Gallis oppugnari; à Britannis Flandriam; à Fœderatis Brabantos Geldroſque premi: ſibi diviſis viribus ubique reſiſtendum. Fœderatos liberatarum nuper nationum præſidijs aliquot millia deducere, & earundem tributis ac vectigalibus auctos, majorem multò, quàm unquam antehac exercitum cogere poſſe. Etenim varios illis proventus. Subditos, travectas ex hoſtico in hoſticum merces, navigationes in Hiſpaniam Indiamque, denique vaſtitatis metu extorta Brabantis Flandriſque tributa, facultates ad ducendum bellum ſuppeditare. Contra Archiduci, regioque Senatui, nec militum ſatis, nec æs contrahendis copijs; & collapſam fidem. Certatim ruiſſe in ſeditionem Caleti, Cameraci, Ardreſij, Capellæ, Caſtelleti, Vilvordæ, Liræ, Dourlani, Geldræque præſidiarios. Et ſi exiguo pecunię, quod corradi poſſit, hos componant, irritari reliquorum animos, accendi iras. Cecidiſſe diſciplinam, negligi obſequia, quippe puniri nequire qui debitum poſcant. Barbarum prorſus eſſe capite plectere, quîs egeſtas & fames

cIↃIↃ XCVIII. ſurandi neceſſitatem attuliſſent. His rebus atteri & exhauriri indigenas, & omnium ardeſcere fremitus, atque indignationem : quando ne clementer quidem habiti ſatis Hiſpaniarum Regi faveant; ſed plerique in nova proni, in ſacris ſuſpecti, ſecundis rebus Regis quanta poſſint impedimenta ſtruant, & exercitus vires ſubdolis conſilijs convellere nitantur , quo ſupremum Præfectum agant premantque pro arbitrio. Urgeri eos delictorum in Regem memoriâ, ac pœnę formidine; nec ullam occaſionem dimiſſuros promendi ſenſus, populumque ad turbas concitandi. Ad ultimum cuncta miſeriarum plena, nihil recti, nihil ſinceri; nec ſe pecuniarum egenos perſpicere, quid imminente vere cœpturi ſint. Declarare veterrimum quemque miniſtrorum Regis, ab initijs belli nunquam majores ſe anguſtias, nunquam evidentiora ruinæ indicia vidiſſe, niſi intra menſem occurreretur. Quare omninò ſe autores Regi eſſe, ut pacem qualemcumque cum Gallis faciat: quanquam non ignorent vix illum huc deſcenſurum : quippe egeſtatem ſuam & infractas vires nulli ignaras: proinde vereri ne inani ſpe lactati, poſt longam moram, tandem irrideantur, & Gallus ſuum in uſum univerſum negotium vertat. Haud abſimilis argumenti, & plenas deſperationis literas Mendoza, maris apud Arragones præfectus, in Hiſpaniam miſerat: addito, dicere ſolitum parentem ſuum, Neapolitanam præfecturam viro bono ac Chriſtiano, niſi decepto prius, obtrudi non poſſe: cæterùm veriùs id ſe de Belgis affirmare, ubi multò plus molis ſit. His alijſque id genus querelis, forſan malorum magnitudinem Senatus ſupergreſſus erat, familiare feſtina auxilia poſcentibus, quò regem miſeratione rerum magis accenderent: pleraque tamen verè querebantur: adeoque Regem moverunt, ut pacem ad tempus quæreret, quò interjecto ſpatio attritæ vires & ærarium refoverentur. Igitur liberaliſſimis conditionibus Gallos Belgaſque ſibi pacare, & ne omninò otioſus eſſet, bellum cum Anglis continuare decernit, quæ fuſiùs in loco reddenda. Sanè tanto huc ſtudio incubuit, ut majeſtatis & ſuperbi faſtigij, quo cunctis hactenus gentibus reverentiam ac metum ſui injicere ſuetus, penitus oblíviſci videretur. Itaque & Cæſarem, & Pontificem, alioſque nunc principes hortari, ut paci, (cæterùm velut ſuopte motu) operam darent, à quibus ante ſæpius ad eam nequidquam monitus erat. Mox quoque cum Italis mercatoribus, quos ante triennium ut fœneratores inſectatus erat, tranſigit, reddituſque illis priſtinus honos, & palam regis audita confeſſio, accuratiùs de re tota edoctum, honeſte ſecum mercatores egiſſe, nec præter licitum & æquum exercuiſſe fœnus. Tum vectigalia, & proventus fiſci, acceptis à mercatoribus pecunijs oppoſitos, ac nuper ademtos, ijſdem reſtituit. Illique ſequenti ſeſquianno ducenta quinquaginta ducatorum millia in ſingulos menſes Archiduci, in Hiſpaniâ centena quinquaginta collaturos recepere. Quæ ſumma in univerſum bis & ſeptuagies centena ducatorum facit millia: convenitque ut paucis penſionibus, & brevi debitum omne, & fœnoris nomine decima ex prima Indica claſſe ſolveretur. Permiſit quoque Rex, ut colloquium in Gallici juris ſolo, inſtitueretur: quamvis olim potius bellum tribus annis continuaturus (quæ pleriſque Principum mens) quam in hoſtico de pace agi. Unde repertum, ad talia deligere pacata, & neutri partium infeſta loca. Denique ut faciliùs deſtinata provenirent, legatos ſuos ſæpiùs ultrò citroque ad Gallos commeare paſſus eſt, licet nemine à Gallorum Rege, aut Bruxellas, aut ad eum veniente. Pacem cum Gallo maximè urgebat, tanquam hoſtium potentiſſimo, & minore periculo in famam aut exiſtimationem peccandi. His intentus bellum quoque, & arma pro viribus parabat. Februario menſe naves VIII & XXX ſolverunt, Hiſpani militis IV millia vehentes, pleroſque per vim merere coactos. Præerant quatuor Tribuni in quîs Gabriel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Gabriel Andrada, Petrus Morregeonus, Joannes Velaſcius. Summa im-
perij penes Sancium Lævam. Ii Coronenſi portu digreſſi Caletum pete- cIↄIↄ
bant. Subitoque ventum ſecundum nacti, prius portum oppidi cepere, xcviii.
quàm Britanni aut Belgæ reſciſcere, nedum occurrere poſſent. Juvit ſe-
cundantem tempeſtatem peritia nautæ Hollandici, qui ad Hiſpanos tranſ-
fugerat. Una tamen à ſtationarijs Belgarum navibus intercepta. Inerant
Hiſpani milites centum quinquaginta, cum centurione Alfonſo Sanchera.
Ambigentibus primò noſtris, rédimine hoſtem paterentur, an præcipitem
in fluctus darent, qui tunc mari mos obtinebat; poſtquam primus impetus
conſedit, miſericordia prævaluit, cunctique, ſoluto ære, dimiſſi. At in Bra-
bantia Flandriaque, in Arteſijs, Hannonijs, & nationum alijs, hactenus dulci
pacis ſpe ab Archiduce ſuſtentatis, varios animorum motus novi militis
acceſſus concivit: quippe intelligebant nequaquam hæc ad pacem tende-
re. Et referebant captivi, univerſam claſſem, Belgarum, aut ſitorum ad
Albim populorum navibus conſtare; menſeſque unum ac xx detentas: in-
terea ſocijs navalibus datum ſtipendij aliquid. Literas de procurando per
collybum ære, cæterum pecunię nihil apportare. Ante menſes quatuor iti-
neri promtos, ſed nunc hac, nunc aliâ injectâ morâ, retentos, & Oceanum
ſemel ingreſſos, adverſiſque tempeſtatibus rejectos eſſe. Conſiliorum pri-
ma de intrando portu Caletano erant: quem ſi capere nequiviſſent, decre-
tum ut miles in litus exponeretur, qualiſcumque demum naves ſors mane-
ret. Addebant, quo tempore è Coronenſi portu ipſi ſolviſſent, digreſſam
Luſitaniâ claſſem galeonum xii, militum bis mille, Terçeram petiviſſe,
navibus aurum argentumque Peruvianum vectantibus, prę ſidio futuram,
quando ſuperiore anno Anglorum terror exponere in Terçeram inſulam
merces ſuas Hiſpanos coëgiſſet. Etiam manſiſſe Coronæ validam lxx na-
vium claſſem, quas inter xl bello inſtructę, & egregia mole galeones xvi,
aut circiter, milites promiſcuè Itali & Hiſpani bis mille numerarentur.
Haud multo pòſt eâdem ex claſſe navium una, Caleto Hiſpaniam repete-
re auſa, à noſtris intercipitur. Centuriones, & nonnullos è nobilitate Hi-
ſpanica vehebat. Simul arcanæ literæ complures ad Regem, Senatumque
in manus venere. Inter cætera prædæ, gladius gemmis diſtinctus, & ge-
neroſiſſimus equus erat, Fontano Comiti ab Arteſijs donatus, quę ubi
Mauritio exhibita, utrumque Fontano remiſit. Per idem tempus Hiſpa-
nicę quoque artes, & doli ad occupandum Emdę portum meditati, erupe-
re. Quo fine contentiones inter Edſardum Comitem, & urbem alitæ.
Comes impenſis, militumque dilectibus, proventus ſuos ſupergrediebatur,
nulla non incremento urbis impedimenta ſtruens, nec Delfſilanis modò
pactis, quę armata manu ſancita dictitabat, ſed Cæſaris quoque reſcripto
adverſa; quo tantiſper ſtare ſe ajebat, donec accuratius res cognoſceretur,
quippe integro ſibi contradicendi jure. Ejus igitur impulſu Holſatię Dux,
cujus filiam Enno Comes, Edſardo genitus, matrimonio hâc tempeſtate
ſibi junxerat, commercia cum Emdanis haberi, aut in urbem ab Holſatis
merces ullas deportari, edicto vetat. In Holſatia quinque Emdanorum na-
ves detentę: eandemque fortunam cæteræ in Hiſpania (Comitis inſtinctu)
ſubiiſſent, niſi conſilio per legatum Cæſar interceſſiſſet. Urbs ipſa invali-
da erat, cives trepidi, & parum conſtantes nec armis ſueti: unde ſimul ad
arma vocarentur, aut ſubitum quid ingruiſſet, non ſigna aut ſtationes ple-
rique, ſed ædes ſuas petebant, clauſis foribus eventum anxij exſpectantes.
Ob hæc magiſtratus, nihil in urbe, aut civibus præſidij videns, trecentos
ſcribere milites decrevit. Sed exhauſerant ærarium crebrę ad Cæſarem
legationes, gravibus urbis impenſis, dum reſponſa differuntur. Novis au-
tem tributis plebem onerare anceps. Sed vicit neceſſitas, & magiſtratus,

re cum

cIↃ IↃ XCVIII. re cum XL viris, oppidanis centurionibus, civiumque potiſſimis communicatâ, perſuaſerunt, ut tolerabile vectigal vino, tritico, frumento, & quæ alia id genus, deinde & domibus imponi paterentur. Illis perſuaſis, convocanda XIX opificum collegia erant, quò & horum voluntas accederet. Adſenſum ab cæteris: duo reſtitere: quod ubi Edſardo cognitum, miſcendum aliquid agitandumque ratus, mittit cum literis & mandatis, qui detrectantes firmarent, promtos averterent. Adjecit pro obtentu, ſi Cæſaris arbitrio ſtetur, nec ſibi, neque urbi conceſſum, nova onera inſtituere. Offerebatque civibus præſidium ſuum. Hæc mandata eo audientius miniſtri Comitis perferebant, quod judicio Cæſaris ſoli Edſardo capitalium criminum jus datum: unde nullas à magiſtratu pœnas irrogari poſſe, quamvis turbidis, credebant. Unus in ipſis cœptorum primordijs detectus, repertique penes eum Comitis manu & ſigno firmati codicilli. Tormentis ſubactus conſcium edidit Joannem Grœnium, virum ipſorum magiſtratuum, ac magnis in urbe domibus innexum. Affinis illi Fonckius erat, curandis Archiducis mandatis aſſiduus, quẽ Hagę carceri ante duos annos incluſum ſuperiùs docuimus. Accepto indicio ad Groenium itur, cujus in ædibus inventę literæ à Fonckio ad eum Bruxellis ſcriptæ: & ſuper has aliæ ad Edſardum ac Ennonem Comites, quæ ad Groenium tranſmitti ſolitæ. Ex his comperta Archiducis conſilia, de occupando portu Emdano; iſque oſtentabat Comiti promtum auxilio Regem, ſi Friſiæ Orientalis Regimine ei ad tempus cederet, ac miſſum ab eo exercitus Præfectum adminiſtrare cuncta pateretur. Fatebantur porro captivi, Comitis filios armatâ manu opprimere urbem, & ignem tectis navibuſque injicere agitaſſe. Et jam in urbe haud paucos eſſe conatuum miniſtros, quorum nomina ad Comitem relata, & libello inſcripta ſint, ut ipſi conſtet quantam ſibi addictorum multitudinem in urbe habeat: cæteros ſuorum quemque ſociorum ignaros. Horum multi fuga evaſere, nec primariorum pauci in ſuſpicione erant. Nequaquam tamen magiſtratus ſeverè inquirendum cenſuere, contenti quatuor noxiorum ſupplicio. Advertit ea res civium animos, ubi vix à pernicie ſe, conjuges, liberos, fortunaſque omnes evaſiſſe intellexerunt. Simul majore jam concordiâ cuncta geri, repurgatâ à peſſimo quoque civitate, cæteris in metu. Indicuntur nova vectigalia, & ne Cæſaris ſententia violaretur, ita temperata, ut ſoli ijs cives, non pagani, Comitis ſubditi, onerarentur. Hoc ære ſcripti milites trecenti, quorum præſidio quomodocunque ſecuritati urbis conſultum, haud improbantibus Fœderatis. Etenim ſi ſuper Caletum, Emdano quoque portu Archidux potitus eſſet, concidiſſent penè mari res, unde cuncta Fœderatorum ſtabant. Plurimus quoque Archiduci labor in Hanſeaticis civitatibus contra Reginam ac Fœderatos concitandis, quò mari hoſtium ijs numerum multiplicaret. Lubecam (quę fœderis tunc princeps, conventuum agendorum jus habebat) miſſus ab eo Florentius Barlemontius, cum Juriſconſultis Weſterdorpio, Nikirchioque. Ii demonſtrabant, *Nullo non tempore Regem Hanſeaticarum urbium, imprimis Lubecæ ſocietatem coluiſſe, & varijs immunitatibus ijs indultis, noviſſime quoque per legatum ſuum in aula Cæſaris ſollicitaſſe, ut leges Hanſeaticarum civitatum adverſum Britannorum violentiam, & injurias defenderentur. Contrà Hanſeaticos Hollandis, Zelandis, alijſque rebellium Regis ſubditorum, quibuſcum fœdus inijſſent, nihil non impune permiſiſſe, etiam proprio cum damno. His non modo portus, urbeſque eorum patuiſſe, ſed præter cætera amicitiæ contractas ſocietates adhuc ſtare. Qua re obſtinatos eorum animos durari, in Numinis, & dati à Numine Principis contemtum. Itaque eâdem licentiâ publicis itineribus, viatores, & honeſtos homines corripi, ſpoliari, fortuniſque exui. Accedere nefaria conantibus Eliſabetham, ac impij quæſtus cupidine, (indignum*

regia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

regia majeſtate) hortatricem adeſſe. Nunc quandoquidem pacem, gratiam, ho-
neſta omnia fruſtra Rex ſæpius obtulerit, petere eum, ut commercia cum rebelli- cIↄIↄ
bus ad tempus Hanſeatici abrumpant, quò Hollandi, & conterminæ gentes, fru- XCVIII.
mento eorum, quo carere nequeant, deſtituti, ad æquas conditiones compellantur.
Sin Britannorum ac Navarri Regis, tanquam rebellibus fœderatorum, metu, id
facere vereantur, ſaltem cum Caletanis, Grevelingenſibus, Duinquerkanis, alijſ-
que Regis ſubditis, perinde atque cum rebellibus commercia exercerent. Neque
abnuere poſſe, ſi pacatorum loco, quales ſe ferant, haberi velint. Se quidem, à
Cardinali omnibus, qui portus regios peterent, tutum acceſſum promittere juſſos.
Emtionem, venditionem, ſine tributo, ſine vectigalibus fore: & fidem ab Archi-
duce interponi, nulla detrimenta, injuriam nullam paſſuros. Adhæc quoniam
non modò priſtinis immunitatibus Anſeaticos Britanniæ Regina orbaverit; ſed
& apertâ impiâque vi, naves diripuerit, & quævis damna intulerit; præſidium
ſuum, ac naves, pecunias, militemque Hiſpaniæ Regem afferre. Et quò ſecurius
in Hiſpaniâ ac Luſitaniâ negotientur, ſi ita Anſeaticis videatur, in urbes eo-
rum nonnullos miſſurum, qui mercibus in regna ſua tendentibus ſignum impri-
mant, quo à Belgarum rebus dignoſcantur. Aut ipſi cogitarent Anſeatici, qui-
bus modis rebellium commercia prohiberi, ac ſuæ libertati conſulere poſſent. Of-
ferre quoque Arehiducem, legationem ad fratrem Cæſarem, quæ libertatem com-
merciorum, & immunitates ſuas reſtitui Anſeaticis, ac decretum anno MDLXXXII,
adverſus Anglos monopolitas factum, in rem conferri urgeret. Ad ultimum ro-
gare, ne huic ſe bello Anſeatici miſcerent, ſed medij inter utramque partem agi-
tarent, donec Belgarum motus Rex compoſuiſſet: quam ad rem Cæſaris & Princi-
pum Germanorum auxilia ſe ſperare, quo rebelles Belgæ, Britanniæque Regina,
& Navarrenus Rex, dignas tandem pœnas luerent, quod Chriſtiani orbis quiete
turbata, Turcarum gentem ad arma conciviſſent. Diſſertatio hæc legatorum
Hiſpanicorum, non ad Anſeaticas modo civitates in Imperio ſitas, ſed in
Belgicam quoque, ad varia jam olim Anſeatici juris emporia, in Geldris,
Tranſiſalanis, Friſijs, ac Groningam miſſa eſt, quamvis cunctæ hoſtilia ad-
verſus Hiſpanum induiſſent. Scriptæque à Lubecenſibus literæ, quîs, con-
ventu indicto, haudquaquam diſplicere ſibi Hiſpanorum orationem oſten-
debant, inaudita cauſſa Fœderatos condemnantes. Et erant nonnullæ ea-
rum civitatum iniquæ Belgis, non ſolum ob mercaturam, acceptaſque à
Britannis clades, verùm & Concionatorum vocibus irritatæ, quîs ob unum
in Cœna Dominica diſſidium, Belgica & Gallicana magis, quam Pontifi-
ciorum ſacra inviſa forent. Sic anno MDLXVI Flaccius Illyricus, Spangen-
bergius, alijque Miniſtrorum ejuſdem ſententiæ, Antverpiæ ſegregaverant
ſe à Reformatis, ſacra ſua ſub Auguſtanæ Confeſſionis nomine Regem to-
leraturum nequidquam ſperantes. Diſertim ſanè Julius Dux Brunſvicen-
ſis Moguntino Electori denuntiaverat, ſi bellum inter Pontificios & Calvi-
niſtas (eo enim vocabulo utebatur) in Imperio exardeſceret, omnino de-
ſtinatum ſibi pro Romanenſibus ferro & igne Reformatos exſcindere: ma-
nifeſto corrupti judicij argumento, & acerbioris odij in ſuos quam adverſa-
rios. Nec multum diverſus ab hoc Scachus Abas, Perſarum Rex, anno
MDXCIX, Turcico legato orationem habente, ipſe ad Britannum nobilem
converſus, haud perinde Turcarum nobiliſſimum quam canem Chriſtiani
hominis gratum ſibi dictitavit. Quamvis & utrique genti communia ſa-
cra, & in honore falſus vates Muhamed. Sed haud facile præterire libeat,
quod ſæpius ore, ſcriptoque firmare ſolitus Hiſpaniarum Rex, pluris inter-
eſſe Lutheranos, quam Muhammedanos debellari. Licet his diverſa peni-
tus inſtituta: illis idem Deus, eadem Trinitas adoratur: eædem, à Servato-
re conceptæ preces ſuſcipiuntur. Iidem Vates, Apoſtolique, & XII capi-
ta fidei, idem baptiſmus celebratur. Denique congruentia cuncta, exce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcviii. ptis, quæ Pontificum, aut humana addidit ſuperſtitio. Eundem igitur ad modum memorata jam inter Flaccianos ac Reformatos diſcordia, (cætera enim in religione ſimiles, receptum Romanenſibus imaginum cultum averſabantur) magnopere Reformatorum ſucceſſus morata eſt, & Pontifici in noſtros occaſionem dedit, cui arctiſſima cum cunctis eadem ſentientibus conſcientia. Quippe omnium Romanenſis religionis Principum aſſidui Romæ legati, quicquid per univerſum Chriſtianum orbem gerebatur, cognoſcebant, ad omnes motus intenti, & ſociatis conſilijs, quid agendum, quid vitandum, maturè deliberantes. At non ea Reformatis vel Auguſtanis Principibus concordia aut fides, dum ſibi quiſque, communi bono nullus tendit. Aprili menſe hujus anni Colonienſis Epiſcopus Joannem Naſſovium, Guilhelmi, qui Friſijs præerat, fratrem, ad Fœderatos Patres miſit, repetendæ Berkæ; facilius id per Naſſovium, quam quemquam alium ſuorum, impetraturum ratus. Nec ille detrectare mandata poterat, cùm nonnulla à Colonienſibus in feudum data poſſideret. Obtendebat Epiſcopus, non ſe, ſed Fœderatorum militem, oppidum Hiſpanis tradidiſſe; nec ſibi imputandum, ſiquid ex eo damni Patribus illatum. proinde ex jure ſua repetere, nec minus æquum ea reddi, quam nuper Nivenarij & Palatini viduæ, hæc Alpam, illa Meurſam à Patribus recepiſſent. Addebat & alia, ſpeciem averſi ab Hiſpanis ſimulans, ob retentam urbem, & accepta detrimenta. Factaque ſpe arctioris cum Fœderatis amicitiæ, interjiciebat nonnulla de Alberto, urbi haud ſatis munitæ cum exercitu ſuperventuro: quod noxium ſuæ ditioni, & in poſterum Fœderatis omnia ex urbe hoſtilia impendere. Haud ignarum Patribus erat, quantum in Rheni cuſtodia momenti. Videbant tamen, ſolâ Berkâ tranſitum amnis prohiberi non poſſe, quando ſupra urbem loca complura trajectu opportuna erant. Cæterum urbem & opere, & valido adeo præſidio munire dabatur, ut non temere eâ à tergo relictâ, interiora hoſtes petituri eſſent: & obſidium agitantes (ut ferme in talibus) ſæpe laboris magnitudo deterret. Id modò attendebatur, quod caſtrenſium periti trecenta florenorum millia, & ſpatium perficiendis munitionibus requiri dictitabant. Interea promtum Alberto inceſſere opus: & ſatius proprijs tantos ſumtus impendere, quam alienæ urbi, quæ ut nunc retineatur, olim tamen reddenda ſit. Ob hæc legato Patres reſponderunt, ſi codicillos ab Archiduce Epiſcopus impetraret, quis ille deinceps nec Germanici juris urbes ullas oppugnaturum ſe, neque eorum in ſolo nova aut oppida, aut caſtella exſtructurum promitteret, fidemque pro eo Principes Germani interponerent, paratos ſeſe Epiſcopo oppidum reſtituere. Aucti hoc anno Fœderatorum proventus. Nam Zutfanienſes, Trãſiſalani, Drenthanus ager, ac Lingani, hoſtium nunc ſecuri, plus pendebant. Scriptæque hoc ære equitum turmę IV, centenûm capitum ſingulæ, ac peditum centuriæ aliquot. Dein in conventibus publicis verſæ nationum curæ, quo premio ſummum laborem, aſſiduaſque ducum vigilias, in Remp. tot victoriarum fructu impenſas, proſequerentur. In quis Zelandi Mauritio agrum bis mille jugerum donavere, quondam ruptis aggeribus merſum, cæterum ſic quoque florenorum millibus centenis æſtimatum. Geldros unam è potiſſimis toparchijs daret agitantes nonnulla remorata ſunt: itaque muneris loco aliquot florenorum millia ei decreverunt. Friſij Guilhelmum Naſſovium Carolinorum millibus ſex & XXX donavere, intra tertium annum numerandis. Eodem conventu acribus contentionibus inter Friſios certatum, in cauſſa Takonis Dixtræ Quæſtoris, quem æs alienum grande contraxiſſe ſuſpicio erat. Malè ſtipendia militibus proceſſerant: & nonnullis rationem reddi poſtulantibus, Quæſtoris vades & propinqui, interceſſere; nam & his in conventu ſuffragia ſua.

Unde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Uude ortus rumor, utroſque publicum æs privatam in mercaturam vertiſſe, ac prædia, & fundos coëmiſſe, mutuæque innexos conſcientiæ, trahere, quin & penitus confundere rationes velle. Tandem, diſcrepantibus ſententijs, dimiſſus conventus, nec perquiſita res, donec Leovardienſes ſua ſponte Dixtram cuſtodię intruſerunt. Advertit ea res animos cæterorum, qui ad conventum miſſi erant: quippe non urbium uni fas totius in ſe, gentis autoritatem trahere. Sed civitates Goæque Leovardienſibus acta ſancivere. Tum convocato rurſum conventu, motis loco qui pervicacius ante reſtiterant, ſubſtituuntur quibus integer animus. Ii Dixtram intra dies decem reddere pecuniarum rationem jubent: medio tempore in carcere maneret, nec ſermones, niſi præſentibus his qui cuſtodes poſiti, cum quoquam conferret. Elapſo ſpatio compertum, centum & XXX florenorum millia publico eum debere. Credebant plerique, privato compendio deditum, mercaturam ea pecunia exercuiſſe, & primorum nonnullis, quo gratiam & amicos pararet, mutuo dediſſe: nam quantum ad luxum, ſine crimine egerat. Neque incuriæ in gravibus adeo debitis locus. Igitur à judicum conſeſſu ad tormenta rapi juſſus, inveſtigandis ſocijs. Ille non ſcelere ſe, ſed negligentia, peccaſſe dictitans, ſpatium ac libertatem petebat, quo ſcrutari ſchedas, & anquirere in erroris cauſſam poſſet. In his quum obſtinate perſeveraret, (quippe conſultius vitæ rebatur incuriam quam peculatum profiteri) judicum ſententiâ, Leovardiæ in ſceleratorum ſuggeſto inter lictores duos religatus, ſemihorâ ſpectaculum cunctis, & dehoneſtamentum generis ſui ſtetit. Mox decreta in eum octo menſium captivitas, & virgæ, niſi intra præfinitum tempus conſcios ederet: ſecuta edictum pœna, & VIII Decembris die anni XCIX, virgis cæſus, atque in exilium conjectus eſt. Quod memorare viſum, ut raræ ſeveritatis exemplum in hominem domo nobilem, quanta adhuc, quamdiu hoc bellum arſerat, apud Belgas viſa non erat. Cæterum ad pacem ut revertamur, aſſiduâ operâ Alexandri Medicæi Cardinalis, (qui Lutetiæ agitabat) & ſæpiſſimè ultro citroque miſſo Bonaventura Calatagirono, Siculo, & ſupremo Franciſcanorum ordinis inſpectore, eodemque Pontificis Nuntio, tandem colloquio dies, & locus ad Fanum S. Quintini dictus. Gallus Reginam & Patres ut eodem ſuos quoque legatos mitterent rogavit, quibuſcum, tanquam Fœderatis, ſociare ſe conſilia velle dicebat: ipſe ad colloquium Bellicureum & Brulartum miſit. Ab Hiſpano aderant Mendoza mari apud Arragones Præfectus, Joannes Taxius, Richardotus Præſes, & Merienſardus ab arcanis. Regina Cecilium à ſecretis ſibi, & Thomam Wilkeſium, illuc contendere juſſit. Hiſpani de codicillis interrogati, quorum autoritate colloquium cœptarent, literas Regis & manu & ſigno firmatas oſtendere. Paucis continebatur, Regem ſeriò à Pontifice monitum, & ſuopte ingenio pronum ad quietem Chriſtiani orbis, juvandamque religionem Catholicam, plenam Archiduci poteſtatem feciſſe, pacem cum Galliarum Rege, ejuſque Fœderatis, aut inducias faciendi. Dein quæſito quos fœderatorum nomine intelligerent; reſponderunt, omnes Regis ſocios, qui à rectâ ac Romanenſi religione non deſciviſſent. Addebant, cum Anglis paciſci ſe nequaquam juſſos. Nam Belgas fortaſſis, oblatæ quietis deſiderio, verâ religione abſtituros credebant. Nec reticuit Richardotus, ſermonibus ad Cecilium, mirari ſe miſſos à Regina legatos. Quam ab cauſſam illi re infectâ diſceſſere, pudore confuſi, quod pacis cupidinem præpropere prodidiſſent, ambiguo adhuc Hiſpano, quantum ad Anglos. Multum tamen urgentibus Gallis, tandem Hiſpani dixere, ſi Regem Regina ſollicitaret, poſſe fieri ut ijſdem conditionibus comprehendatur. Fœderati Patres ad colloquium neminem, ſed diſſuadendæ paci ad Galliarum Regem,

CIↃIↃ XCVIII.

cIↄ Iↄ xcviii. ac Eliſabetham, legatos miſere. In Galliam profecti Juſtinus Naſſovius, vicario jure apud Zelandos mari præfectus, & Joannes Oldenbarneveltius, Advocatus Hollandiæ. Ad Anglos contenderunt Warmontius, ſecundus imperio claſſibus Hollandicis præpoſitus, Joannes Warkius, Senator Middelburgenſis, ac Joannes Hottinga nobilis Friſius. Qui apud Reginam laboravere, ut magnificam legationem in Galliam mitteret, quo ab ijs, & Belgarum ſimul legatis, majorum auxiliorum ſpe Regi factâ, minus cauſſæ haberet pacem cum Hiſpano ineundi. Verba hunc maxime in modum fecere: *Sereniſſima Regina, Nequaquam ſine dolore Fœderatis Patribus intellectum, de pace aut inducijs Galliarum Regem cum Archiduce tractare. Fuit tamen ſolatio, quod perſequendo bello quam paci promtiorem cognovere, ſi juſtis ſociorum auxilijs ſublevetur. Imprimis verò erexerunt animos provida conſilia, quæ Gilpinus, tuæ majeſtati à conſilijs, retulit: & quoniam ingens rei momentum, miſſi à Patribus ad Regem legati, ſubſidia oblaturi, quis à cœpto eum negotio retraherent. Nec alia rogare te aut animus aut mandatum nobis erat, niſi jam cuncta huc pertinentia à te præſtita cognoviſſemus: unde grates agi, quam porro tuum accendi ſtudium, æquius videtur. Nec dubium nobis, quin Regi & ſuarum rerum ſalus, ſociorum, totiuſque adeo Chriſtiani orbis ſecuritas, & juſtum bellum, ſuſpectâ pace potiora ſint futura. Etenim quis juſtè arma capta ambigat adverſus eum, qui inſatiabili cupidine, non contentus Navarræ Regnum, præter fas & æquum à majoribus occupatum, poſſediſſe, nunc varijs artibus, aut palam vi, potiri omnis Galliæ, & longa majorum ſerie ſubnixam domum dejicere hæreditario jure conatus ſit? Qui patrandis deſtinatis integras terras, qui urbes devaſtaverit. Majora profecto hæc damna, quam ut exiguorum aliquot oppidulorum reſtitutione penſari poſſint. Haud dubitamus Regem, quo rerum uſu, qua prudentia eſt, manifeſte comperturum, ſubdolæ pacis ſpecie, civilia ſibi bella parari: nec defuturos duces, qui Pontifice, & Hiſpano, inſtigantibus, compellere eum auſuri ſint ad oppugnandos Reformatos. Cujus rei plurima ipſe exempla vidit. Nec illi aut Pontificis fides, aut conditionum reverentia, tutam regnorum poſſeſſionem præſtabunt. Quippe certum, nihil paſſurum Pontificem, quod vel faſtigio adverſetur ſuo, vel Romanæ, cujus ſe caput fert, religioni. Et ille ut concedat, irrita reddent ſucceſſores, quis, ſi ita res ferat, familiare, hanc ſibi poteſtatem vindicare. Proinde non quam perſuadere nituntur pacem, ſed pro externo, bellum, quod multò nocentius, inteſtinum Rex habiturus eſt. Maximè quum otij impatiens Gallorum gens ſit. Itaque pacis loco, familiares bellis clades, meritoque deplorandæ miſeriæ augebuntur, ob multitudinem eorum, quîs quanto diutius exercita in armis ætas, intolerabilior quies. Hæc prima materies bello: cui movendo nunquam cauſſæ deſunt. Interea Hiſpano intentatâ Orientis & Occidentis poſſeſſione, otium gazas cumulandi, validas parandi claſſes: & terra marique omnibus conquiſitis, bellum quandocunque libuerit aut ipſe, aut per alios repetet. Non aliam ob cauſſam Regibus Principibuſque à ſupremo Numine poteſtas, aut vires datæ, quam ut jus & æquum tuentur, ut mature periculis omnibus prævertant, & ſi ita res poſcat, armatâ manu. Vnde exercituum ſe Deum ipſum Numen appellavit; quod non potentiori, ſed cui viſum, victoriam concedit. Ob hæc confidimus Galliarum Regem, initum cum tua Majeſtate fœdus (in quod ex æquo admitti Fœderatis Patribus non ſine honore ſuo contigit) ſanctiſſimumque, quo ſe adſtrinxit, jurejurandum reputantem, juſtum bellum, periculoſæ paci prælaturum. Tibi vero (liceat id dicere) potentiſſima Regina, multo minus pacta aut promiſſa ulla ſervaturos Hiſpanos, certiſſimum habemus: quando alienam te à veris ſacris, nec apud tales quenquam fide teneri, Pontificis placita affirmant. Quare ſi regni rerumque tuarum primordia, (quas florentes & compoſitas adhuc ſupremum Numen dedit) ſi eorum quæ tunc evenere memoriam repetis, eſt cur Hiſpanicam potentiam, cur hoſtilem in te animum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ XCVIII.

animum, & ambitionem, ſuſpectes. Deo, & virtuti tuæ confiſa, tanto impenſius initum fœdus tuere, ac bellum urge, quanto certius comperiſti, Pontificem & Hiſpanum implacabili te odio conſectari. Tendunt quippe cuncta Regis, evertendo fœderi, quò diviſas ſociorum vires facilius opprimat. Non diffitentur Fœderati Patres, majeſtati tuæ miſſa in Galliam & Belgicam auxilia, miſſam noviſſime claſſem, grandibus impenſis ſtetiſſe: cujus tametſi emolumenta conceptam ante ſpem non adæquaverint; haud tamen infructuoſum id iter, attentatâ Hiſpanicâ claſſe; unde attritæ Regis opes, & pecuniarum inopiâ neglectæ Belgarum res. Simul ſpatium Gallo fuit celebrem Ambianorum civitatem; Fœderatis Patribus, complures urbes, totoſque adeo tractus, ductu fortiſſimi Principis Mauritij ſubigendi. Sed enim nec Patribus levia ſunt onera, ſtipendia militum, aſſidua apud Gallum auxilia, & naves tuis claſſibus adjunctæ, imprimis graves ſumtus exercitui, & oppugnandis urbibus impenſi. Nihilominus etiam ſuas ſupergredi vires nitentur, ut neque tibi, neque Gallorum Regi cauſſam dent plura deſiderandi. Quamobrem obnixe rogatam volumus Majeſtatem tuam, ut ſiquid fortè poſt diſceſſum legati Cecilij, occurrit utile ad diſturbandam pacem, aut inducias, prioribus id mandatis adjungas, & Cecilium non modo pacem impedire jubeas, ſed & ſi fieri poſſit, qualecumque colloquium abrumpere. Nam ſuetum Hiſpano, talium ſpecie, inſidiarum dolorumque quicquid reperiri poteſt, velare, & huc niti, ut ſegnes in apparando bello hoſtes faciat: cujus moles, quamvis per omnia ſedulis, ſatis tamen oneroſa eſt, ob immenſas ſumtuum neceſſitates. Nobis ſane ſpei potiſſima in Deo Opt. Max. quem, ut ubique hactenus fœderi huic adſpiravit, ita deinceps quoque, votorum cuncta, & felicem exitum daturum confidimus. Poſtquam cum Senatu rem communicavit Regina, variabant ſententiæ. Nonnulli (quorum princeps Eſſexius) bellum ſuadere. Quippe pace, aut inducijs, otium Hiſpano tantas cumulandi opes, ut redintegrato bello, hoſtium cunctis potentior evadat. Quin & infidam pacem: hærere enim illi memoriam injuriarum, & quæ alia in contemtum ejus Regina patrâſſet: hinc ultionis omnes vias tentaturum. Deſerendos inſuper Belgas: nec ullam ſpem recipiendorum ſumtuum; niſi datas pignori urbes Hiſpano vendere velit; quod indignum. Imprimis reputandum, ſi fortè Hiſpani in poteſtatem redeant Belgæ, validiorem illum opprimendis Britannis. Contrà Burlæus gazæ cuſtos, alijque pacem ſuadentes, diſſerere. Longè ſacrorum exercitio, & civili ſocietati, pacem quam bellum utiliorem. Nec aliud remedium tollendis Principum vocibus, qui Reginam ut diſſidiorum Chriſtiano in orbe altricem differant. Utile id regno, & Reginæ. Cui tutiorem deinceps vitam, nec à percuſſoribus metum: quando nullum his præmium, nullum ſit perfugium. Simul ceſſaturas impenſas, & rediturum Hibernis obſequium, ubi Hiſpani auxilio deſtituantur. Subditis libera alijs cum gentibus commercia fore. Aperiri Hiſpanicam navigationem, quondam Britannis, ob importatas pecunias, fructuoſam. Denique quiete & Reginæ, & regno, ſpatium fore, à graviſſima mole reſpirandi, & attritum ærarium refovendi. Illud maximè cogitandum, an ſi in bello perſtetur, pares ſumtibus Britanni exitum ſperare bonum poſſint, & ſimul juvare Belgas, Hibernos reprimere, dein Regem ipſum fatigare, ut fractus cladibus, æquam ad pacem inclinet. Hunc enim animum bellantibus eſſe debere, ut pacis amore bellum ſuſpiciant. Bellum cupientibus æſtimandum ſi Hiſpano pax opportuna ſit augendis, ad reſumenda arma, opibus, cur Britannis, eorumque ſocijs minus promtum, conquirere ad defenſionem ſubſidia. Quod parum tutam Hiſpani fidem dicant, non dubitare ſe ſanctè eum initas conditiones ſervaturum, quatenus ipſe damnis majoribus à Britannis, quam illi ab eo affecti fuiſſent. Credere quoque jam experiendo Regem didiciſſe temeritatem conſilij de mutando Belgarum ſtatu: ac

CIↃIↃ XCVIII. proin contentum fore jure parentis Caroli. Fruſtra quoque ultionem metui; quippe facile pacari iram ejus qui deſtinata adſequi deſperet. Turpiter quidem ſocios deſeri, noxie pecunias amitti, omniumque fœdiſſimum, acceptas pignori urbes Hiſpano venditare: ſed quantum ad primum, reputarent, nunquam Belgarum tutelam à Regina ſuſceptam, nec auxilia alio fine miſſa, quam, ut Belgæ æquas conditiones pro libertate, & ſacris, ab Hiſpano, ut ſubditi impetrarent. Eas ſi nunc conciliatu Reginæ obtinere queant, & nihilominus obſtinato animo rejiciant, non teneri auxilio Reginam, ſed juſtiſſime deſtituere, ſuæque eos defenſioni relinquere poſſe. Ne pecunias quidem mutuo datas pro amiſſis æſtimandas, quîs tot annos Britanniâ prohibitus ſit Hiſpanus. Nec omnino deſperare ſe de reducendis in gratiam Hiſpano & Belgis, poſſeque voluntate Regis impetrari, ut Belgæ mutuum reſtituant, quando ſub imperium ejus redierint. Sin bellum continuarent, cogitandum Reginæ, quemadmodum rebus ſuis proſpiceret. Quantum ad traditionem Brilæ ac Vliſſingæ, id neque honeſtè aut peti à Regina, aut fieri poſſe. Ad ultimum, verè quidem affirmari, ſi Fœderati, externi auxilij egeni, ab Hiſpano ſubigantur, novum & majus Britannis periculum: ſed enim non adeo infirmos Belgas, ut impetu uno debellari poſſint: addito autem tempore, multa intervenire, & Anglos ſubſidia adverſus Hiſpanum comparare poſſe. Et ſi in amicitia Britanni ac Galli perſeverent, quod citra communis fœderis violationem fieri poſſit, junctas utrorumque vires pares Hiſpano, quamvis Belgicæ univerſæ potitus ſit. Argumento eſſe tempora Caroli Cæſaris, cui tanta potentia, & fama major, quam ut cum Philippo comparari debeat. Itaque tum abunde ſecuritati Britanniæ proſpectum. Sin ad obſequium Hiſpani redeant Fœderati, conditionibus haud dubie talibus acturos, ut nulla Anglis metus cauſſa ſit. Imprimis abeunte externo milite, & Belgarum & Britannorum ſecuritati conſuli. Belgas autem in ſocietate Anglorum manſuros, vix dubitandum, quando id tutum eorum rebus. Adeo ut ſponte ſuâ adverſum eos hoſtilia ſumturos, vix credibile videatur. Libertatem ſacrorum, quam pacturi eſſent, novum ſocietatis vinculum; & impedimentum ineundis adverſum Britannos conſilijs. Etenim communem neceſſitatem, communes amicos facere. Poſtremo utcumque cum Belgis agatur, Gallos & Britannos Hiſpanis reſiſtendo eſſe, quamdiu concordes agant: in diverſa haud facile abituros, quippe juxta id perniciosum utriſque. Quare ſi pacis & belli cauſſæ contendantur, ſtatim occurrere illius utilitatem; metum, ac pericula longius ſita. Dein pacis emolumenta certa: belli exitum in ambiguo eſſe. Tum ut anceps pax ſit, & Numinis ab arbitrio pendeat, ut etiam contra opinionem recidat, nihilominus eam (qui nunc rerum ſtatus) plus neceſſitatis quam bellum habere, eoque præferendam. Sic quoque ex divino mandato paci ſtudendum, & adverſum barbaros, Chriſtianum orbem confirmandum. Suſpiciones, metum futurorum, cæteraque Deo relinquenda. Nobis ſufficiat conſcientiam in cunctis ſequi, & humani generis ſalutem. Quod glorioſius, quam ut noſtrum ob judicium, ac ſuſpiciones, barbaricum bellum continuemus: cujus excuſatio nulla, niſi ubi neceſſitas adeſt. Vicit conſilium Burglæi, tanquam magis congruens ingenio Reginæ. Quippe, ut ſexui ingenitum, muliebri & pavido animo, ſanguinem, & bella horrebat. Simul avaritia ſuberat, & parcendi ſtudium, ſenectuti perquam familiare: nam & Burglæus ætatis anno octogeſimo propinquabat. Igitur à tribus ex Senatu Reginæ, legatis reſponſum eſt: *Pergratum Reginæ Fæderati Proceres fecere, quod citra diſſimulationem declaraverint, quo metu, quibus ſuſpicionibus rumores de colloquio Chriſtianiſſimi Regis cum Archiduce acceperint: quid avertendo hinc Regis animo & orſi ſint, &*

porro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

porro conſultum arbitrentur. Itaque ut pari fide cum Fœderatis Proceribus
agatur, juſſi ſumus à Regina, univerſam rei ſeriem exponere ab eo tempore, cIↄIↄ
quo primum Maiſſeus, Chriſtianiſſimi Regis legatus, eam de pace compellavit. XCVIII.
Ante omnia conſiderandum, non votis, nedum poſtulato huc tetendiſſe Reginam, ut
conditionibus ipſa includeretur, aut pacem cum Hiſpano, communi hoſte, faceret.
Sed per legatum monuit eam Galliarum Rex, expenderet, an non regno ſuo pax,
quam bellum, utilior. Illam ſi præferret, petere ut ſecum in colloquium veniat:
etiam Fœderatos Patres admitti, ſi velint, poſſe. His denuntiatis Regina præ-
bendas ſibi aures omnino judicavit. Stimulabant hinc officium, inde conſcientia.
Quippe ut Principi, quærenda ſubditorum ſalus: ut Chriſtianæ, optanda quies,
& finis truculenti belli: quò, æqua cuncta rejiciente Hiſpano, ſupremo Numi-
ni, & univerſo Orbi demonſtret, arma ad defenſionem ſumſiſſe, & nunc merito
gerere adverſus veterem, & implacabilis odij hoſtem. Dein cogitare oportet, Regi-
nam, ſimul hæc Maiſſæus indicavit, Fœderatis Patribus, & Carrono, quem hîc
rerum ſuarum actorem habent, omnia aperuiſſe per Gilpinum conſiliarium, de-
nuoque pollicitam, nihil hâc in re tentaturam ſe, niſi adhibitis in ſocietatem Fœ-
deratis, nec pacem ne utiliſſimam quidem accepturam, niſi in tabulis contractus,
& Belgarum, & ſuæ dignitati conſuli videat. Quare cum honeſtè legationem in-
termitti non poſſe adverteret, dimiſit, ſed vetitam cum hoſte communi quidquam
tractare, priuſquam non Gallo minus, quam Britannis ac Belgis de contractus
tabulis conveniſſet. Hæc deinde ad Fœderatos Patres perſcripſit, ut ſuos quoque
legatos ad colloquium mitterent. Vnde manifeſtum, quàm nihil aut palam, aut
occultè ei actum ſit, minore Fœderatarum nationum, quàm ſui cura. Id unum ſu-
pereſt, ut examinentur argumenta contra pacem allata. Gallis an ex uſu ea
ſit, nequaquam diſputare animus Reginæ. Iudicet id Gallorum Rex, judicet
Conſilium ejus, quorum maxime intereſt. Si tamen ulli regionum vigor priſtinus,
& opes, & potentia diuturno hoc bello attritæ ſunt, ſi otio refovere vires gens ulla
opus habet, næ Gallis id præ cæteris nationibus neceſſarium. Poſtea ubi quiete
vires, opes, reliqua creverint, facilius Hiſpanum repellent. Nunc deſolati li-
mites, vaſtati agri, exhauſtum ærarium. Nec veretur Regina, ne, facta cum
Hiſpanis pace, ad opprimendos Reformatos permoveri ſe Rex patiatur. Quippe
ſine exceptione regnantem cogere nullus queat. Plurima in Reformatos benefi-
cia, & multis documentis compertus amor, obſtant, ne talia vel cogitaturum cre-
dat. Addunt, qui pacem diſſuadent, nullo interpellante Hiſpanum Indicas &
Americanas opes congeſturum, armaturum naves, poſteaque, nullâ pene belli ſuſpi-
cione interpoſitâ, ubi libuerit, reſumturum hoſtilia. Adverſum quæ Regina,
Numinis benignitate, per varia ſe experimenta edoctam ait, nec proventus
Americæ, nec Pontificis aliorumve Principum auxilia, neque immenſas claſſes,
aut vires, quaſcumque habeat, vel conquirere unquam Hiſpanus poſſit, nocere
unquã ſibi quiviſſe: ſed meliori cauſſæ propitium ſemper affuiſſe Numen. Quam-
obrem ſi acceptæ clades, merſæ claſſes, aliaque divinæ in Hiſpanum iræ indi-
cia, uſque adeo animum ejus fregerunt, ut tandem pacem poſcere, & pacare vi-
cinas ſibi gentes compellatur, Regina quoque opportunitate temporis non ad au-
genda ſua utetur, ſed ita felicitati ſuæ moderabitur, ut quantâ hactenus fortitu-
dine hoſtium vim & inſultus repulit, tam generoſo nunc animo alienam calami-
tatem in ſuam vertere utilitatem ſpernat. Libertate commerciorum plus Bri-
tannorum Belgarumque, quam Hiſpani vires firmabuntur. Et ut claſſes
comparare Rex moliatur, tantum fiduciæ in miniſtrorum ſuorum prudentiâ Re-
ginæ eſt, ut maturè ſe præmonitum iri, & ſpatium parando bello habituram, cre-
dat. Verè quidem legati, Hiſpanicam potentiam ajunt Chriſtianis ſuſpectandam,
quamdiu vi cuncta, ut ſolitum, agat, & injuſte parta retineat. Sed redditis Chri-
ſtianiſſimo Regi, quæcumque occupavit; Belgarum principatu, dotis nomine, cum
filia, Archiduci dato, ſeparat Philippus ab Hiſpania terras. Ita Albertus in-
firmus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIɔIɔ *firmus, & infra metum; Rex longius ſitus, quàm ut gravi bello premere vos poſ-*
XCVIII. *ſit. Videtis, quàm his, licet potiſſimis argumentis veſtris, multa tamen objicere ſit. At quæ Reginæ à Fœderatis Proceribus offeruntur, vulgaria, & apertius declaranda: ſi forte mota ijs Belgarum, quorum tantopere intereſt, caritate, pacem, ut vis regno ſuo utilem, rejiciat. Poſtremò, ad hoc tempus reſpondere alia nequit, donec quid in Gallia actum ſit, quæ pacis conditiones offerantur, cognoverit. Iis compertis eliget; quod juſtiſſimum, quod tutum & honeſtum ſuis, ac ſociorum rebus judicaverit.* His reſponſis, legati abiere. Eſſexius tamen omnia tentaturum ſpopondit, ne fœdus inter utramque gentem abrumperetur. Intelligebat quippe, Britannis juxta & Belgis id neceſſarium. Quamvis enim ante annos duodecim, quo tempore primum cum Regina fœdus initum, ægre Britanni ferebant, dici Reginam ob rerum ſuarum pericula, prohibere ab oppreſſione Belgas debere: nullum ſibi ab Hiſpano metum, cui, victis licet Belgis, parem Reginam dictitabant, ſoloque Belgarum miſeratione, & amore ſacrorum auxilia ab ea mitti: nunc tamen haud pauci è Senatu Reginæ, & apertius quam ante, fatebantur, exitij manifeſtos fuiſſe Britannos, ſi ad validas illas claſſes, Hiſpano Belgicorum portuum opportunitas acceſſiſſet. Itaque monere ij legatos, non alio perinde ad bellum permotum Reginam iri, quam ſi Patres ſpeciem pacis cupidorum ſimulent, & ſine Anglis facilius honeſtiuſque cum Hiſpano tranſacturos. Cæterum anceps ea ſimulatio in populari ſtatu, ubi conficta ad tempus, ut ſeria multi accepturi erant. Eſſexium, præter publica regni commoda, privatæ quoque cauſſæ exſtimulabant. Videbat, majorem magnis meritis in bello, quàm in pace, locum. Et juvenilem ardentemque animum, ambitio, gloriæque cupido excitabant. Reditus illi quotannis viginti quinque florenorum millia, certè tricenis non majores. Largitione ad devinciendos hominum animos ducenta millia excedebat. Obvia comitas erga omnes, quicumque dignitates, debita, aut favorem in aula conſectabantur: liberalitas in nobilitatem & militares duces: humanitas apud omnes, res ejus huc deduxerant, ut prudentior quiſque judicaret, defunctâ Regina, & dubio ſucceſſore, regnum aut ſibi, aut alteri, cui libuiſſet, daturum. Sublevabat quoque tanta molientem Regina, & in tuenda dignitate, ac largitione in nobiles & militares præfectos facienda. Fuit ſane, quum anno uno, in agro, alijſque, quæ caducario jure ad regnum reciderant, quadringenta ei aut quingenta florenorum donavit millia. Inter cætera Magiſtrum equitum creavit. Id faſtigium, regnanti proximum, ob ſummam potentiam, annos aliquot vacaverat, veritâ Reginâ indigenarum quemquam huc evehere. Ob hæc itaque utiliſſimum Eſſexio bellum, & conſcientia cum Mauritio ac Fœderatis Patribus; quò, ſi opus eſſet, conatibus ſuis præſidium apud eos reperiret. Hic apud Anglos rerum ſtatus. In Gallia Hiſpanienſes (dum menſes duos ſecundam in Hollandia tempeſtatem exſpectant legati) haud parum res ſuas promoverant. Et quicquid urbium caſtellorumque Gallici juris tenebant, ultro tranſdituros obtulere: adeò tamen imprompto Rege, ut vultum, cæteraque ejus conjectantes Hiſpani primo fere deſperarent. Adhuc cupidum ſe belli apud Belgarum legatos, ſed tenues facultates, oſtentabat. Et neceſſariò ſubmittendas quamprimum pecunias. Ad quæ illi confeſtim ſeptuaginta quinque florenorum millia apud mercatores contraxerant. Igitur ex animo arma velle Rex videbatur; ſed ſoli ad ea Reformati accendebant: Principum, & qui à conſilijs erant cæteri, Pontificijs adddicti ſacris, pacem urgere; & quo facilius moverent, ruricolarum, agris, fortuniſque omnibus exutorum, miſerabilem turbam colligunt, qui Regis, quocumque ſe verteret, veſtigia prementes, triſtibus lamentis, ejectos ſedibus, omnium egenos, ac ſtipem emendicare bello compulſos clamitabant:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

mitabant, pacis mentionem aſſiduam ingerentes. Alij ſuſpiciones ſparge- cIↄ Iↄ
re, quaſi Britanni à ſe rejectum onus, in Gallos derivare niterentur: nec pro XCVIII.
fœdere, juſta auxilia præſtituros, quippe ſua tantum reſpectantes, opportuniſſimos portus in poteſtatem redigere velle, & ob inveteratum gentis odium, invidere victorijs Regis, metu ne quondam adverſum ſe ijs abutatur. Promiſſa in fœdere IV millium auxilia; mox occultè Reginam extorſiſſe Regi (id nemine è Conſilio ſuo, ſed ſolo gazæ cuſtode in conſilium adhibito egerat) ut duobus millibus contentus eſſet, & ne hæc quidem plena. Accedebant his alij hortantes Regem, ut plus pecuniæ, aut militum à Fœderatis Patribus peteret, quò abnuentibus illis (& intelligebant, citra periculum ſui majora præſtare Patres non poſſe) honeſtior paci ſpecies eſſet, tanquam Rege à ſocijs derelicto. Per idem tempus Carolus Finniæ Dux, firmandis contra Poloniæ Regem rebus ſuis, fœdus cum Gallo affectabat. Offerebatque auxilium bellicarum navium adverſus Hiſpanum. Sed legati à conſiliariorum nonnullis (quîs mandata priùs, quam Regi aperuerant) ſpecioſâ oratione & lenocinijs dilati, ita ut ante decretam pacem, nihil de ijs Regi conſtiterit. Etenim verebantur ne ſuper Belgarum Anglorumque auxilia, navibus à Carolo jutus, bellum repeteret. Nec omittebant pacem urgentes, mollire Regem, per Gabrielam concubinam, quæ valida apud libidines ejus, otium & laſciviam ſuam bello præferebat. Interea nonnullæ quoque in Britanniâ Aremoricâ civitates ad obſequium Regis rediere, pacatuſque Dux Mercurius ijs legibus, ut illi ducenta ſcutatorum millia (valent ea paullò amplius ſexcentis florenorum millibus) & miniſtris quinquaginta millia, Rex annumeraret, compenſandis, quæ accepiſſent, damnis. Dein ut Cæſar, Regis ex Gabrielâ nothus, qui ætatis quartum agebat annum, Ducis filiæ matrimonio jungeretur, illeque Vendocinæ Ducatum, ac Britanniæ præfecturam à ſocero acciperet, &, dotis loco, ducenta, quæ diximus, ſcutatorum millia; quîs de ſuo tantundem parati æris Mercurius adjeceret, cum monilibus pari pretio æſtimatis, & agro, fundiſque, quorum reditus quotannis quinquagena millia æquarent. His conditionibus reliquæ etiam Aremoricæ civitates, exceptâ, quam Hiſpani tenebant, Blaveto, ſub imperium Regis redierunt. At Hiſpani metuentes, ne potenti adeò terrâ auctus Rex, animos armaque reſumeret, etiam Caleto ceſſuros ſe offerunt. Quam ob cauſſam Henricus, quamvis gnarus collapſas hoſtium vires, ac triſtem ſtatum Mendozæ, quas legerat, literis, prodentibus, maluit ſine ſanguine, ſine impendio, potiri tot urbibus, ac regnum quiete componere, quam victoriarum, etſi bonam, incertam tamen ſpem ſequi; ſi feciſſet, forſan & præreptum Navarræ regnum recepturus. Igitur Vervini in Picardis poſtr. Kal. Majas, novâ dierum ſupputatione pax his conditionibus convenit. *Rata erunt, quæcumque anno pòſt mille quingentos undeſexageſimo Philippus & Henricus, uterque ſecundus id nomen, hic Gallorum, ille Hiſpaniarum Rex, Cameraſij pacti ſunt: exemtis, quæ nunc diſertim mutabuntur. Reges ambo, eorumque ſucceſſores, pace ac ſocietate æterna, & nullis unquam ſæculis abrumpenda, jungentur. Caritate mutuâ ut fratres alterius alter commodis, & honori ſtudebunt, damnaque avertent: non hic, non ille gratiâ quemquam proſequetur, in alterius detrimentum. Injuriarum, omniumque anteactorum nulla erit memoria. Ponentur artes, & qualeſcumque fraudes aut inſidiæ, in damnum alterutrius Regis. Subditos ſuos arma adverſus alterum terra marive gerere uterque prohibebit: juſſa aſpernantes, tanquam publicæ quietis turbatores punientur. Iiſdem itinera, habitatio, commercia libera, ac ſine noxa erunt, dum juſta vectigalia, & locorum inſtituta ſerventur. Codicilli de ſurreptis per vim repetendis dati, irriti erunt: nec cuiquam deinceps concedentur, niſi adverſum ſontes, & negato palam jure. Civitates, indigenæ,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ XCVIII. incolæque Flandriæ, & Arthesiæ, aliarumque Belgicæ terrarum, priſtinis in Galliâ immunitatibus agent, & viciſſim in Hiſpaniâ ac Belgicâ, Galli. Si Belgarum terras, ac Burgundiæ & Caroleſij Comitatus, Hiſpaniarum Rex Iſabellæ filiæ ſuæ, aut cuicumque alteri teſtamento, legato, vel quovis alio modo tranſdiderit, nihilominus in iiſdem conditionibus illæ erunt, nec pacta renovari opus. Subditi tam qui ſe à mundi conſortio ſepararunt, quam ſæculares, hactenus ad partium alterutram tranſgreſſi, redibunt ad veteres obventiones ac dignitates; cæterùm publicè prius impetratis ab Rege ſuo codicillis, magno ſigillo confirmatis. Eximuntur tamen ſacerdotia, quæ jure aliis collata. Bona & proventus confiſcatos à fine Decembris anni MDLXXXVIII, quo primum cœpta hoſtilia, recipient. Non tamen & fructus, qui ante diem promulgatæ pacis reipſa percepti fuere: ut nec debita à Principe, aut vicario ejus, cuiquam ante id tempus donata. Bonorum immobilia ac reditus reddentur, irritis donationibus ac ſententiis ſtante adhuc bello factis. Cuique, quod ante bellum fuerat jus, integrum manebit, nullâ inquiſitione permiſsâ in publicas adminiſtrationes, ſive commeatuum illæ, ſive ærarii, quarum rationes redditæ ſint his, qui tunc huic curæ delecti: dum tamen non alterius culpæ iidem deprehendantur, quam navatæ adverſis partibus operæ. Quibus ſacerdotia aut obventiones ſacræ, ab Regum vel ſæcularium Principum donatione pendentia, collata eſſent, rata haberentur. Civitates locaque hinc inde capta ab anno ſupra mille quingentos undeſexageſimo, bonâ fide reſtituerentur intra ſecundum menſem, ex quo hæ pactiones ſignatæ. Nec demoliri, aut corrumpere, urbium munimenta, nec impenſos iiſdem ſumtus, aut debitam militi pecuniam repetere licitum. Initium à Caleto Ardreſioque erit. Blavetum, & quæ alia in Aremoricis caſtella, intra menſem tertium redderentur, permiſſâ Hiſpaniarum Regi eorundem deſtructione. Etiam machinas, arma, commeatum aliaſque belli neceſſitates, militi bonorum mobilia avehere licere, interdicta in cives, eorumque ædes, fortunaſque injuriâ & rapinâ. Præſidio, tormentis, cæteroque belli apud Blavetanos paratu in Hiſpaniam tranſvehendo, naves Gallorum Rex ſufficeret. Qui ſimulatque codicillos hæc pacta rata teſtantes miſſis ab Hiſpaniarum Rege tradidiſſe, obſides quatuor Hiſpano ſubditos deliget, quîs de memoratarum urbium reſtitutione caveretur: redditiſque ſenis in Picardiâ locis, obſidum duos; Blaveto reſtituto, cæteros miſſos faciet. Conditionum nonnulla capita Cameraſii anno undeſexageſimo decreta, & necdum conſummata (quæ ſpectarent feudum Comitatus Paulini, limites utriuſque Regis, terras quarum jus manſit indefinitum, immunitatem vectigalium ac tributorum, quam Burgundi, Terrovanæ Epiſcopus, Abbas S. Ioannis ad montem, ac Bovillionæus Dux deberi ſibi aſſerunt, denique & reſtitutionem locorum quorundam controverſorum) & contentionum reliquæ definientur, delectis utrimque arbitris, qui ſextum intra menſem convenient. Tum quia Atrebati & S. Audomari Epiſcopo, nonnulli Gallici ditionis pagi, rurſum Ambianorum & Bononienſium Epiſcopo, Flandrorum Arteſiorumque loca, quædam donata ſunt, conſtituentur utrimque, voluntate Pontificis, qui commodo utriuſque de permutatione inter eos ſtatuant. Militum quicumque capti, gratis dimittentur, niſi quod conflata debita, aut redemtionem ſiqui jam promiſerunt, ſolvere adſtringantur. Captivorum, qui ad remos damnati, ſine pretio impendiove ullo mittentur. Hiſpaniarum Regi, filiæque ejus, ac legitimis ſucceſſoribus, maneret in memorata jam regna terraſque integrum jus, cuicumque nondum renunciavit: cæterum de eo non armis, aut vi, ſed judicio contenderet: Galliarum Regi, & qui ex legibus ei ſuccederent, idem juris erit. Continebitur pactionibus hiſce Sabaudiæ Dux, ac Galliarum Regi arcem urbemque Berrenſem reſtitueret, integris munitionibus, nec jure ullo repetendi aut pecuniam iis impenſam, aut debita militum. Tormenta à ſe illata avehet, relictis quæ ante fuerunt. Idem nullis in poſterum auxiliis, vel ſuâ ſponte, vel per alios, juvabit Centurionem Fortuneum, Seurram Burgundiæ urbem invito

Galliarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Galliarum Rege retinentem. Reliqua controverſiarum Galli cum Sabaudo, re- CIƆIƆ
linquuntur arbitrio Clementis, inter Pontifices id vocabulum octavi, vertentis XCVIII.
anni ſpatio definienda. Eo quod arbitratus ille fuerit, partium utraque ſtabit. Interea quo impræſentiarum ſtatu cuncta remanebunt: ac deinceps inter Regem, Ducemque, & eorum hæredes, æterna erit amicitia, neque alterutri permiſſum quocumque obtentu, in alterius invadere terras, aut inſidias componere. Subditis utriuſque partis, in hoſtilia tranſgreſſis, & captivis, eadem quæ ſupra conditio. Præter hæc, niſi abnuent, pactis hiſce, amborum Regum voluntate comprehenduntur, primum Hiſpaniarum Regis nomine Pontifex Romanus, & ſedes Apoſtolica, Cæſar, Archiduces, ſubditaque ijs regna & urbes: tum Sacri Imperij Electores, Principes, civitates: Bavarorum Cliviæque Duces; Leodicenſis ditio & Epiſcopus, Anſeaticæ civitates, ac Orientalis Friſiæ Comites. Et pollicetur uterque Regum, nec in orbe Chriſtiano, neque extra eum, quicquam ſe tentaturum noxium Cæſari, aut cæteris Imperij membris, dummodo viciſſim ij ſociorum inſtar quieti agant. Deinde ijſdem in pactis erunt Helvetij, Rhæti, eorumque Fœderati, Poloniæ, Sueciæ, Scotiæ, Daniæque Reges; Reſpublica Venetorum; Duces Lotharingiæ, Hetruriæ, Parmæ & Placentiæ, Mantuæ, Vrbinatium, ac Salmonetæ: urbes Genua ac Luca: Cardinalis Farneſius: Principes è familijs Columnarum atque Vrſinorum: Monaci Toparcha: Finali, Maſcæque Marchiones, Plombini Dynaſta, Comes Salanus, & Calorinus, quorum nulli injuriam Galliarum Rex aut ipſe, aut per alios inferet, ſed quicquid juris ſibi vindicat coram judicibus, non vi recipere tentabit. A Galliarum Rege in eaſdem conditiones admittuntur, ſi ita viſum ijs fuerit, Pontifex Romanus, Apoſtolica ſedes, Cæſar, Principes qua Eccleſiaſtici, qua ſæculares, urbeſque & Proceres Germanici Imperij; imprimis Elector Palatinus, Marchio Brandeburgicus, Wirtenbergenſis Dux, Haſſiæ Comes, Anſpachinus Marchio, Friſiæ Orientalis Comites, Anſeaticæ urbes, ex priſco fœdere: Reges, Polonus, Suecus, ac Danus, Veneti, Helvetij, Rhæti, Valajæ Epiſcopus, Abbates S. Galli, Cloutenbergi, Milhuiſæ, Comes Novi caſtelli, alijque Helvetiorum fœderati. Adhæc Lotharingiæ, Hetruriæ, ac Mantuæ Duces. Genua ac Luca urbes. Epiſcopus & clerus Metenſis, Tullinus, Virdunenſis, & Geſſæ Abbas, Dynaſta Sedanenſes, ac Mirandæ Comes. Regi tamen Hiſpaniarum manent integra jura in Orientalem Friſiam, quamvis in conditiones has admiſſam. Sic quoque Comitibus ejus in integro relinquuntur, quæcumque pro ſe afferre queunt. Sed controverſia apud judices, non armis finietur. Quicumque præterea ſocij ab Regum utroque aſſciſcentur, eodem in fœdere erunt, dummodo ſextum intra menſem, ex quo promulgata pax erit, profiteantur nomina, & receptas tali caſu literas tradant. Pactiones hæ palam promulgabuntur ac referentur in commentarios ſupremi Auditorij Pariſienſis, & fiſci curatorum. Eundem ad modum in commentarios auguſtioris, aliorumque Hiſpaniarum Regis conſiliorum & acta curatorum fiſci apud Belgas transſcribentur. Legati utrimque tractandis pacis legibus delecti promiſere effecturos, ut menſis ſpatio poſt diem, quo hæc tranſacta, pactiones ſancirentur, ab Galliarum Rege, Cardinale, & Sabaudiæ Duce. Tribus pòſt menſibus Hiſpani confirmationem Albertus traditurum ſe fidem dedit. Convênit quoque, ut ſimul Gallorum Regis, Cardinalis, ac Sabaudiæ Ducis literæ traditæ eſſent, ſolennibus cæremonijs, per ſanctam crucem, per Euangelium, ac miſſæ canonem, perq; honorem ſuum jurarent, præſentibus quos huc mittere viſum fuiſſet, optimâ ſe fide præſcripta pacta ſervaturos. Simili ſe juramento Hiſpaniarum Rex obſtringeret, intra menſem tertium, aut ſimulatque rogaretur. Tum ſignatæ conditiones à Joanne Richardoto, Præſide ſecreti conſilij; Joanne Baptiſtâ Taxio, præfecto equitum ordinis S. Jacobi, ac Ludovico Verreikio ſcribâ: Gallici Regis nomine ſubſcripſere Pomponius Bellieureus, & Nicolaus Brulartus conſiliarij, hic quoque Parlamenti Præſes. Inter me-

cIↄIↄ morata ſæpius pacta Cameraſina, anni poſt mille quingentos undeſexageſi-
XCVIII. mi, caput erat, de communi concilio perficiendo; unde manifeſtum Fœ-
deratis, ſi in has conditiones venirent, ſubeunda fuiſſe Concilij Tridentini
ſtatuta, exuendamque veram religionem. Sic quoque apertum eſt, anno
eodem Regem utrumque Reformatorum abolitionem ſuâ in ditione pol-
licitum; quorum ille confeſtim patrare promiſſa orſus, hujus molitiones
anno MDLXVI primùm erupere. At apud Belgarum legatos Henricus
factam pacem neceſſitate excuſavit. Nequiviſſe ſe ſine æternâ ſubdito-
rum exprobratione, honeſtiſſimas conditiones rejicere: quando triſtis Re-
gni ſtatus pacem atque otium poſceret. Turbata cuncta, abnuere impe-
rium præfectos, abnuere miniſtrorum cæteros, urbeſque. Quemque pro
lubidine rapere, trahere cuncta, & proventus ſuos avertere. Nihil ſibi fa-
cultatum gerendo bello. Vaſtari terras, à milite fraudato ſtipendijs, & ſoluto
diſciplinâ. Cives, incolas univerſos, corrumpi. Decem peditum millia &
equitum bina in Belgarum limitibus, ſuſtentare ſe ad tres menſes, nec ultra
poſſe. Iis exactis conſilij & æris egenum. Debere ſe ter centies centena
ſcutatorum millia: ſolis Helvetijs vicies centena millia; quos, niſi ſolvatur,
diſceſſum à Gallis minari. Omnia hæc niſi trium aut quatuor annorum
otio reſtitui nequire. Itaque rogare ſe Fœderatos Patres, fortiter bello
inſiſterent, ac libertatem defenderent. Ubique juturum ſe, præterquam
palam armis. Regem ſe, &, audito paucorum conſilio, dominum ponendi
belli aut reſumendi, ſi cauſſa aut opportunitas detur. Non idem Patribus
licere; ſed factâ ſemel pace, cætera in multitudinis incertâ voluntate
ſita. Haud falsò triſtem perturbatumque regni ſtatum Henricus
obtendebat. Sed dabat cauſſam malis nimia ejus clementia. Intrepidi
bellatoris nomen ubique, in minimis quoque prælijs, conſectabatur: cæte-
rarum in Principe virtutum immemor, contemtum ſui apud ſubditos pro-
vocabat. Nullum tam vile oppidulum, tam exiguum caſtellum erat, quin
proprio pręfecto regeretur: præfecturas ſequebatur infinita officiorum
multitudo. Perpellebant huc poſtulata & impudentes ſæpe preces nobi-
lium, quotidie ſarciri detrimenta & merita compenſari flagitantium. His,
ſimulatque præfecturas adepti, una cura in reparandâ re privatâ ex regijs
proventibus; interea nihil in fiſcum inferebatur. Sæpiùs, defuncto pręfe-
ctorum aliquo, vicarius, ſuâ ſponte, vacantem occupabat locum, ac devin-
ctis per licentiam prædę militum animis, etiam invito Rege, dignitatem
retinebat. Sic Matignonus Equitum magiſter, pro amico exigui, qui in
Normannis vacabat, loci pręfecturâ, ab Rege impetratâ, excluſus eſt à de-
functi Adjutore, qui nuper pinſendo pane quærere victum ſolitus, ſummâ
audaciâ codicillos Regis, ac Matignoni autoritatem, palàm aſpernabatur.
Et pro eo ut pœnas lueret, multo ære emendus ab eo locus fuit: tum & illi,
& militibus, rapinarum, omniumque ſcelerum venia concedenda. Præter-
ea quotieſcumque in gratiam cum Rege aliquis conjuratorum ſacri fœde-
ris redibat, grandibus jacturis emenda amicitia erat, ut ſupra in Mercurio
Duce alijſque factum memoravimus. Talibus ærarium hauriebatur: cun-
ctique præfectorum, aut qui publica munia fungebantur, privato capti
compendio, everti publicum, quam quæſtum amittere malebant, & reſti-
tuendarum rerum ab alio quiſque initium fieri. Accedebat collapſa mili-
taris diſciplina; decem, viginti, circum caſtra paſſuum millibus latrocinia
agebantur. tum deterrimus quiſque, & equitum calones, rapinis cædibuſ-
que cuncta adeò infeſta reddere, ut neque nobilitas famulos emittere pe-
tendis pabulis, nec lixæ commeatum comportare in caſtra auderent. hinc
annonæ caritas tanta, ut qui privato ære nobiles merebant, impenſis non
ſufficerent. Ante omnia jus irriſui cunctis & ludibrio. Inter exempla quæ
præterire

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

præterire haud libeat, fuit, quod dilatis aliquando per Galliam rumoribus
Regem obijſſe, ingens hominum turba, nobiles ignobileſque, promiſcuè cIↄIↄ
trucidati. Multi minorum præfectorum Quæſtoribus regias pecunias ſur- xcviii.
ripuere. Dein ipſos carceri incluſerunt, rapiendis quæ, bello parta, collegerant. Complures adhæc opulentiorum in cuſtodiam dati non aliam ob culpam, quàm quia opibus valebant, quas extorquere profunda avaritia ardebat: nullo Parlamenti, nullo judicum metu; dum veniam cunctorum ſub novo Principe ſperant. Mox ubi evanuere falſa, & ſupereſſe Regem conſtitit, nihilominus impune omnia. Carolus ejus nominis inter Gallorum Reges nonus, filium, ſed extra conjugium genitum, reliquerat, Arvernorum Comitem. Is equis paucis Lutetiæ per diverſa urbis, furibundi ſpecie, volitabat, ut quemque ſors obvium dederat, ungulis equorum obterens, niſi ſubito ceſſiſſent. Fœminas, ſiquæ forma inſignes occurriſſent, proximas in domos abreptas ſtuprabat: ſin reſiſterent, accurrebat illico fex ſervitiorum & fœdè ſublatâ veſte omnium in oculis nudata membra virgis lacerabat. Quin ipſa Regis in aulâ plurima ſervis licentia: illi tranſeuntium honeſtiſſimis quibuſque detrahere capitis tegumentum, trudere, conſectari, virgis cædere. Quæ paullatim huc prorupere, ut Principibus viris, Regem adeuntibus, petaſi, niſi ſub pallium abderent, avellerentur, ac raperentur. Quidam è nobilitate ſervo, ob ereptum capitis tegmen, verberato, confeſtim à multitudine famulãtium trucidatus, & inultâ morte. Hæc reputanti promtum æſtimare, quæ Regis in aulâ ſuâ talem ſervorum audaciam tolerantis, apud Præfectos longius diſſitos autoritas fuerit. Illa igitur, atque id genus alia bello coalita, & non niſi pacis tempore corrigenda, à fœdere nuper inito diſcedere Henricum compulerunt, non ſine plebis apud Fœderatos conſternatione. Cui tamen renovati paullò pòſt animi. Alberti & Iſabellæ matrimonium, quod Britanni ut certum differebant, non paucis ambiguum adhuc videbatur. Inceſſerant jam integrum annum rumores, nec interea certi quidquam, niſi quod literas Regis, eâ de re, ſed nihil apertè affirmantes, nationibus ac civitatum potiſſimis Archidux tradiderat, addito, videri pronum Regem dandæ ſibi in matrimonium Iſabellæ, ac dotis nomine Belgarum terras. In hæc Procerum Belgarum voluntatem exquirebat. Cæterùm iſta minoribus tantum conventibus acta, nec convocatis, ut ſolitum, cunctarum nationnm Proceribus. Itaque reſponderunt, gratulari ſe Archiduci de matrimonio: quantum ad principatum Belgicę, tranſdi nequire, niſi omnium ejus populorũ conventu indicto. Exin ſilentium rurſus hâc de re. Sed prudentiorum plerique, qui in Belgicâ hoſtili erant, ſecretò mœrere: quippe cogitabant, ſi Hiſpaniarum Rex, immenſus potentiæ & opum, ſubigere rebelles nequiviſſet, multò minùs finem bello à Cardinale exſpectandum. Etenim certò credebatur, Regem Hiſpanicumque Senatum, aut ſaltem, defuncto Rege, filium ejus, proventus ſuos Belgis, jam alienæ ditionis, nequaquam impenſurum; ſed curam omnem & tutelam Archiduci, atq; Iſabellæ relicturum. Hæ voces adeò valeſcebant, ut poſtremò diffiſus nationum voluntati Albertus, mutationem rerum metueret. Igitur Antverpiã validiore præſidio firmat. Artheſij, Hanonijque militem accipere abnuebant, dum adhuc in dubio matrimonium: Etenim qui multis jam annis in ore omnium ſermones fuerant de conjugio Iſabellæ, nunc evanuerant. Unde ambigebatur, quem in caſum Hiſpaniarum Rex, filiâ minore natu marito, contra receptum ordinem, antè collocata, majorem, annos duos & x x x natam reſervaret. Conſtabat jam pridem honorâ legatione Rodolphum Cæſarem, conjugem ſibi eam, fruſtra depopoſciſſe. Conſtabat ante annos octo Sacri fœderis conjuratos inani impletos ſpe, quaſi Guiſio nuptura eſſet: & Erneſtum paria ſperantem, cæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↄIↄ XCVIII. terorum inſtar, eluſum. Gnarum quoque Hiſpanis, exiguam prolis ſpem
à filio Regis valetudinario: unde opinio, velle eos Iſabellam, quondam for-
taſſis tot regnorum hæredem, in Hiſpaniâ retinere: cætera quæ de matri-
monio cum Archiduce, & tradendo Belgarum principatu ferrentur, in ſpe-
ciem tantum propoſita, & molliendis ad pacem Fœderatorum animis,
tanquam proprium jam Principem, & nihil cum Hiſpanis commune habi-
turis, quod in voto illis. Ut facilè optatis fides habetur. Palam namque
ſpargebatur, nullam deinceps diffidendi cauſſam, & ſupervacuum ab Hi-
ſpano metum. Acturos Belgas cum Principe ſuo; cui quo vires minores,
tanto plus cauſſæ, poſitis armis, pacem, & voluntatem ſubditorum quæren-
di. Eſſe inſuper Germanum, & ſanctioris fidei, quam Hiſpanos. Præter
hos rumores, nec legati ab Archiduce ad Fœderatos Proceres de pace miſ-
ſi, neque palàm liberales ullæ conditiones oblatæ: quippe inferius id maje-
ſtate Regiâ. Sed colloquio cum Gallo multus incubuerat, ſpe eodem tra-
hendi Belgas, tanquam ſocios Galli. Solùm Danielem vander-Meulium
mercatorem ad ſe evocavit. Is Antverpiâ ob diverſa ſacra in Hollandiam
tranſgreſſus, magnâ apud Mauritium ac Patres erat gratiâ: & propinquum
Antverpiæ habebat, qui juſſu Archiducis, literas tanquam deſperatæ jam
valetudinis ſcripſit, obnixè orans, ut ad ſe quamprimum excurreret, &
tranſmiſſo ſimul commeandi beneficio. Vander-Meulius Antverpiam ve-
niens, præter ſpem amicos omnes reperit valentes; qui fictas literas, & Al-
bertum convenire eum velle fatebantur. Igitur ab Archiduce remotis ar-
bitris in cubiculum venire juſſus, ubi velut meditabundum conſediſſe, &
ſilentem videt, admirans ſimul, & quid potiſſimum ageret incertus, firmat
animum, primaque ſermonis de matrimonio Archiducis ac gratulatione
orditur. Tum Albertus, accepto voto, poſſe hoc conjugio reduci ad quie-
tem Belgas ait, modò ſalubre conſilium non aſpernentur. Neque enim,
alienatis ab Hiſpano terris, ullam diffidendi cauſſam. Quærebatque, ut
Mauritius, ut Patres animati forent. Vander-Meulius, ſibi quidem nihil
perinde quam pacem in votis; ſed privato ignotas rectorum mentes re-
ſpondit. Paucis eandem in mentem dictis ab Archiduce ad conſilium re-
mittitur. Ubi varius ei & multus ſermo: imprimis cum Marchione Havreo,
Richardoto, & Aſſonvillio. Qui apertè extremas in anguſtias res recidiſſe,
& eò ſe neceſſitatis redactos memorabant, ut pacem cum Gallo, vellent
nollent, inire cogerentur. Utilius honeſtiuſque à Belgis tranſigi poſſe, ſi
in colloquium venirent. Sin obſtinatè abnuerent, primum nos, inquit, Ha-
vreus, dein ſemetipſos in perniciem præcipitabunt. Etenim, ſi aliam non
liceat, cum Gallis, antiquis hoſtibus, noſtro veſtroque damno, pacem fœ-
dam etiam & iniquiſſimam faciemus. Ad ea vander-Meulius, Queruntur,
inquit, Patres, ſemper præſcriptione pacis, inſidias velatas: ſic Bredæ, ſic
Coloniæ, ſic alijs locis actum: proinde haud exiſtimaverim, cum Hiſpano
unquam ad colloquium venturos; cum Brabantiæ, Flandriæ, Arteſiorum,
Hannoniorumque Proceribus recuſare non arbitrer. Placebat id Havreo;
ſed Richardotus periculum advertit, ſi Proceres utrimque conſilia ſocia-
rent: quippe libertatis ſuæ, & prohibendæ militum licentiæ curam majo-
rem, quam Regij faſtigij, aut majeſtatis habituros. Nihilominus quia pa-
cis neceſſitatem intelligebat, ne penitus Belgarum terris Rex excideret,
(quod metuendum ſive prævaleret Belgis, ſeu ſuccumberet: etenim Fœ-
derati deſperatis rebus haud dubiè Gallorum aut Reginæ ſubituri impe-
rium erant, neque ij ſubditos accipere recuſaſſent, quos fœderis ſocios
non erant dedignati) nationum Proceres utrimque pacis leges tractare
permiſiſſet, quo non aliud opportunius perturbandis Hiſpani conſilijs: niſi
apud Fœderatos, ob imperantium multitudinem, periculum in experimen-
to fuiſſet,

cIↄIↄ XCVIII.

to fuiſſet. Quin nec ipſe Albertus eâ ab re abhorrere viſus. Quippe jam Colonienſis Epiſcopi operam conciliandis partibus petiverat. Sed ille generis ac dignitatis faſtigium obtendit; neque decorum ſibi adire conventus, quîs qui interfuturi, plerique mercatores, ac cives eſſent: multoque minus ad ſe transferri univerſum conventum poſſe. Albertus, acceptâ excuſatione ſignificavit ei, pares cum paribus colloquuturos, ſeque principum urbium conſules, ac primarium quemque virum diſceptandæ paci dilecturum. Quæ inter Cæſar quoque paci incumbere. Effecitque, ut Principes Ratiſbonæ ad tractandam eam dilecti, conſiliarios ſuos Francofurtum convenire juberent, deliberaturos de profectione ad Fœderatos. Cæterùm mox irrita hæc, & conventus omiſſus, alia urgente Alberto. Imprimis in ſuſpicionem Cæſar Imperiumque venere, his quæ Aquiſgrani per idem tempus acciderant. Ea civitas quadrageſimum jam annum utraque exercuerat ſacra, ut decreto de tolerandis in Imperio quamvis diverſum circa ſacra ſentientibus, quod & Carolo Quinto ſancitum, convenerat. Sed Rodolphus Cæſar, ſtimulante Hiſpano, tum & qui in Juliaco, Coloniæ, Treviris, & Leodicenſi ditione rerum potiebantur, ac celeberrimam Imperij urbem, in medio ſui indies ſacrorum libertate creſcere indigniſſimè ferebant, tantum effecit, proſcriptionem interminando, ut Aquiſgranenſes (qui quatuor annos apud eum, & in conventibus Imperij contrà nequidquam tetenderant) pellere urbe Reformatorum ſacra, ac Senatu movere ea amplectentes cogerentur. Unde Fœderati Proceres exiſtimare, ſi libera Imperij civitas, contra ſtatuta palam promulgata, id genus oneribus à Cæſare premeretur: multò minus Belgas, quorum ille terras hæreditario jure Hiſpani proprias rebatur, quidquam de ſacrorum libertate impetraturos. Ferebat quoque fama, Ferdinandum Auſtriæ Archiducem, cognatum Cæſaris, cujus ſoror Hiſpaniarum Regis filio pacta, ne ipſo quidem imminentium Turcarum metu prohibitum, quin omni ditione ſuâ Reformatam religionem, & complures ei addictos ejiceret. Quæ adverſum primò ſupplices preces gentis Proceres ſuſcepere; ubi parum proficiebant, ad arma tranſgreſſi. Duodecimâ Junij die Lugduni in Batavis ſupplicio affectus Petrus Pannius Yperanus. Is vietor Duaci à Societate Jeſu ingentibus præmiis, & cœlorum ſpe evictum ſe fatebatur, ut Lugduni aut Delphis coctori cereviſiæ operam ſuam addiceret, omneſque captaret occaſiones Mauritij è medio tollendi. Potiſſimùm autem deſperatione rerum ſuarum, & ob grandia debita aſſenſiſſe: & promiſſos ſibi florenos mille ducentos; dein, dum viveret publicum munus, unde quotannis dimidium ejus ſummæ proveniret, & canonicatum filio. Inter hæc in exſpectationem omnium erecti erant animi, an bonâ fide Galliarum Regi occupatas à ſe urbes Archidux reſtitueret. Multa ante ſtatam diem incidere, & commutationem rerum oriri poſſe videbatur: & ægre plerique credere, Hiſpaniarum Regem Caletanum portum, oppugnandis mari Belgis ac Britannis, ac ſubducendis claſſibus opportuniſſimum, tum & complura in Picardis & Britannis oppida (quot nunquam Carolo Quinto parenti ejus poſſeſſa fuerant) facilè traditurum. Sed extrema neceſſitas pacem maximo impendio redimere eum cogebat. Initium à Caleto fuit. Ardreſio Dourlanoque excedere miles abnuebat ante ſoluta ſtipendia. Caletum per id tempus, ejectis Gallis, Flandri plerique, & Hiſpanicæ ditionis homines incolebant. Nunc, reverſis Gallis, illi diem intra unum exire oppido coacti, mœſtitiâ & irâ, quæcumque in domicilijs promta injuriæ corrumpebant, irridentibus multum civibus. Hiſpani, & milites, quæcumque expugnato oppido diripuerant, ſecum avexere. At Fœderatis ex ingenti detrimento, (quippe Gallorum auxilio deſtitutis,) id utilitatis, quòd portus, unde grave mari bellum metuebant,

in ſocij

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ xcviii. in ſocij Regis poteſtatem reductus, non ſibi minus, quàm Hiſpanis pateret. Etenim quamvis poſitâ armorum ſocietate, retinebat Rex animum pro Belgis. Remiſſoque Hagam Buſenvalio, ut ſolitum, cum Fœderatis Patribus conſilia communicavit. Manebat quoque aſſiduo ad aulam Regis is, quem Fœderati rerum ſuarum Actorem delegerant. Et, quamquam nihil ejus diſertim cautum erat, ducenta quadraginta florenorum millia Patribus hâc æſtate remiſit, initium reſtituendi debiti. Reformatis quoque modicus apud eum favor. Cæterum demonſtrabant illi, judicum ſe conſeſſibus & regimine prohiberi. Gratiam autem Regis dare quidem incrementa rebus ſuis; ſed ſitam in manu infenſorum quorundam judicum ac præfectorum, quîs cuncta pervertendi poteſtas, & haud dubiè votum eſſet, ut qui jampridem jurati hoſtes ſui, ſolam occaſionem patrandis cupitis opperirentur. Durum ſibi diutius in metu agitare, quem contra non ſatis præſidij in pronâ Regis voluntate haberent. Orare igitur, ut rebus ſuis provideret, neu deſperationis cauſſam & ſuſpicionem præberet, quaſi ſuccurrendi ut animo, ita & facultate deſtitueretur. Alioqui eſſe ſibi, quo rebus ſuis ipſi conſulant ; ſed non ſine motibus. In ſolâ nobilitate terna millia promta armis, & trecenta loca numerare ſe, ſingula ſat valida ſuſtentando exercitui. Poſſeque ijs facultatibus in poteſtatem redigere, ex regijs proventibus annua ſcutatorum vicies centena millia, quîs ſi ſua inſuper tributa adjiciant, abunde virium juvando Regi. Cæterum modeſtiam & obſequium magis decora ſubditis, & auxilium ab eo malle exſpectare. His motus Henricus publico edicto, Reformatis aditum ad quaſcumque dignitates, in conſeſſibus nonnullis dimidiam partem, conceſſit: multa adhæc loca in omnibus præturis, exercendis palam ſacris. Ita utcumque ſatisfactum Reformatis, plurimum fremente Farneſio Cardinale. Is Pontificis legatus, monebat, ac obteſtabatur Regem per officium, per juramentum, quo ſedi Apoſtolicæ adſtrictus eſſet, ne edictum promulgaret. Cui Henricus, vovere quidem, reſpondit, ut Pontificia ſacra ſubditi omnes amplecterentur: ſed liberum cuique circa divina ſentire quod vellet: ſeque, cum primum inauguraretur, jurejurando ſanxiſſe, neminis conſcientiæ vim illaturũ. Quietem regno ſuo non utilem minus, quam neceſſariam. Ob eam, monente Pontifice, arma adverſus Hiſpanum poſuiſſe: an eadem nunc contra ſubditos reſumeret? Rogare ſe legatum, ut excuſare factum apud Pontificem velit. Ita diſceſſit Farneſius. Sed edictum, quamvis Aprili menſe hujus anni à Rege ſignatum, tanta multorum indignatione exceptum eſt, ut demum integro poſt anno non jubente tantum, ſed, ni pareretur, dura interminante Rege, in Auditorio Pariſienſi, & Collegijs inſpectorum ærarij ac extraordinariarum collationum, ſancitum & publicatum ſit. Notandum videtur, quod facta cum Hiſpano pace, nulla Societatis Jeſu mentio in conditionibus facta, quæ Gallijs exſulavit. Adeo ut Arvernorum Præfecto, graviſſimo Auditorij Pariſini judicio, fama, honores, arma ademta ſint, quod ſententiam in Jeſuitas non exercuiſſet. Ut firmata pax, Juſtinus Naſſovius, ac Oldenbarneveldius è Gallia in Britanniam tranſiecere, ubi cum Regina congreſſi, aperte dicere, ſi immotum ei eſſet, relicto fœdere, cum Hiſpano paciſci, nihil certius, quam Belgas ſolos univerſam belli molem in ſe nequaquam recepturos, licet prudentior quiſque, impendentia hinc pericula prævideret. Simul hæc Belgicam repetunt. Advertit id Reginæ animum, vocatoque ad ſe Carono (quem actorem negotiorum ſuorum in Britannia Patres habebant) quæſivit, ſua, an Patrum ſponte Oldenbarneveldius iſta promſiſſet. Quamquam enim externa conjectantibus appareret, velle eam ad pacem Fœderatos perpellere, Senatus tamen Britannicus omnino continuandum à Fœderatis bellum cenſebat. Junio

menſe

CIↃIↃ XCVIII.

menſe miſſus ad Patres Eques Verius, acerrime inſtitit, reddi pecunias, ac legatos ad Reginam mitti, quîs poteſtas eſſet pro arbitrio rem tranſigendi: alioqui neceſſitatem Reginæ, pacificandi cum Hiſpano. Memorabatque magnitudinem beneficiorum in Fœderatos, ingentem æris vim mutuo datam, & caritate eorum pericula belli ſuſcepta. His rebus exhauſtas opes, attritas vires: Britannis commercia mari erepta, & Belgis opportunitatem firmandi ſua, conquirendi facultates, victoriaſque apiſcendi, adeo ut ſocios quoque haud exiguis juvarent ſubſidijs: multo minus cauſſam ullam, debiti reſtitutionem urgente Regina abnuendi. Poſtulabat quoque adverſum rebellantes Hibernos, & maritima contra Hiſpanum auxilia, & navigationem in ejuſdem Regis terras edicto vetari; cuncta acriter, & propemodum pro imperio. Quippe creditum Britannico Senatui, veniſſe nunc tempus poſtulata impetrandi, nec auſuros Patres ſaltem mutui reſtitutionem negare, metu alienandæ Reginæ, cujus gratia hoc rerum ſtatu perutilis. Quæ dum Verius urget, ſimulque ſpem facit, recepta pecunia Reginam in bello perſtituram; illa per legatos apud Galliarum Regem, Archiducemque, pacem obnixe affectabat, ſubditorum poſtulata, & Chriſtiani orbis quietem, expetitam ſibi obtendens. Hæc tam diverſa eodem tempore conſilia, miraculo cunctis eſſe. Etenim ſi hinc ſecundum poſtulata Reginæ, redderent mutuum Patres; inde pacis non inhoneſtas conditiones offerret Albertus; vel poſthabenda pecunijs, quam præferebat, Chriſtiani orbis & ſubditorum quies; vel acceptis conditionibus fruſtra erant quæ Verius promittebat. Ob hæc octavo Julij die Patres quantum ullo modo per vires liceret, ſatisfacere Reginæ decrevere, quod pecuniarum reſtitutionem attinebat: quamquam pactis anno MDLXXXV ſolutio ad belli finem differebatur. Igitur in Angliam ivere Warmondæ Toparcha, Oldenbarneveldius, Joannes Werckius Senator Middelburgenſis, Joannes Hattinga nobilis Friſius, & Andreas Heſſelus, Juriſconſultus, idem & Mauritio à conſilijs. His mandatum, quantum Reginæ offerrent, & urgere reſponſum, ne longiore mora, aut dubitatione in periculum Belgæ venirent. Regina tamen apud hos, veteri ſimulatione, & tanquam pacis cupida diſſeruit. Monebat quoque Belgas, mirari ſatis non poſſe, quo conſilio, quave de cauſſa, deſolationem ac bellum perpetuum, quam dulce otium, & pacem mallent. Falſo eos diffidere. Nullum jam periculum, ab formidatâ hactenus Hiſpanorum potentiâ. Scire Albertum, infirmiorem ſe, quam ut bello redigere in poteſtatem Belgas poſſit, proinde nihil eorum quæcunque poſtularentur, denegaturum. Recipere ſe effecturam, ut ſacra, leges, ac regimen integra habeant. Darent Alberto nomen, & imaginem, proventuſque Principis, ipſi vim imperij retinerent. Illum velut ſtipendiarium fore. An votis quenquam plura expetere poſſe? Hæc, aliaque id genus jacere Regina; accedebat Burleius, exprobrans identidem legatis, barbarum, nec humanum eſſe, pacem bello poſthabere. Is æger tunc lectulo attinebatur, & fatalem ſibi horam exſpectans, Reginam, (quæ decumbentem ſæpius viſere ſolita) his verbis, velut ſupremæ voluntatis indicijs, compellabat. *Veniſſe ſibi tempus, quo plerumque Chriſtiani homines, mundi cura, & ira, odioque, ac metu, ſepoſitis, tanquam coram ſeveri Numinis tribunali, veritatem ſincerè profiteri conſueviſſent. Itaque ex officio Reginam ſerio monere, ut bellum, quo ipſa, quo ſubditi corrumperentur, bona pace mutaret. Currere ei annos, &, Numinis munere, diu in imperio proſpere vigentem, rationes componere debere, tanquam brevi in alteram vitam abituram. Nihil pace utilius ſubditis relinquere poſſe: ne temere oblatam aſpernaretur: neu conſcientiam ſuam plurium ſanguine oneraret. Satis ſuperque jactatum malis, exhauſtum cædibus Chriſtianum orbem.* Hunc in modum Reginam aliorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ quoque voces ſtimulabant, ſatis alioqui pronam ad pacem, ex quo inter
XCVIII. Gallum & Hiſpanum res compoſitæ erant. Eſſexius, cum agitata perficere nequiret, ab aula abſceſſit. Interea jam certiora de matrimonio Alberti afferebantur. Hiſpaniarum Rex, adſentiente filio, Belgicam omnem, ac Burgundiæ & Caroleſij Comitatum, Iſabellæ tranſdiderat, Proceresſque per literas ſacramento ſuo ſolutos, jurare in verba Alberti atque Iſabellæ juſſerat: additis, ne deſertum ſe iri metuerent, promiſſis, de auxilijs continuandis, donec bellum conficeretur. Similia & filius Regis, & Iſabella ad nationes ſcripſere, à quâ miſſus, qui juramentum ejus nomine & præſtaret Alberto, & viciſſim ab illo acciperet, quoad itineris faciundi opportunitas daretur. Sed per varia conditionum, adeo Belgarum terræ Hiſpaniæ innectebantur, ut Albertus, & Iſabella, eorumque hæredes, ſiqui naſcerentur, non niſi in feudum eas, Hiſpaniæ Reges ſupremum jus habituri eſſent. Erat inter pactorum cætera, ut conjugio alterutrius morte divulſo, ſi proles nulla exiſteret, confeſtim ſub Hiſpani imperium Belgæ reverterentur. Sin infans ſequioris ſexus naſceretur, Hiſpaniarum Principi, nec alteri, niſi voluntate ejus, nuberet. Adhæc ſi vel minimum in Pontificiam religionem peccaviſſent aut ipſi, aut hæredes eorum, principatum ſimul, & jus quodcunque habuiſſent, amiſſuros. Hæc hunc in modum præſcripta Fœderatis omnem ſpem obtinendæ quondam pacis ademere. Quippe videbant præreptam Alberto poteſtatem libera ſacra concedendi. Adeoque in hoſtili etiam Belgica prudentior quiſque conceptas ante ſpes abjicere. Quamobrem novationem rerum timens Albertus frequenti numero Proceres convocare auſus non eſt. Sed ſigillatim nationem quamque ſtato die, delegatos ſuos Bruxellas mittere juſſit, qui juramentum acciperent, præſtarentque. Cui fini miſit ad ſingulas formulam, qua plena poteſtas delegatis mandaretur, ſignandam à nationis cujuſque conventu: ea & hoc præter alia comprehenſum, vitandis impendijs, & ob pericula temporum, non ex uſu viſum, communem univerſarum nationum conventum indici, ideoque legatos à ſingulis, qui capeſſendi principatus ſolennia peragerent. Quarta Auguſti, proximiſque diebus, quo diximus modo à gentium ſingulis inauguratus, præterquam quod nulli à Burgundis aut Caroleſijs legati venere. Nationum cæteræ, (tanquam adhuc ambigerent) ſtipulatæ, ut matrimonium intra menſem tertium palam conſummatum Albertus oſtenderet, ac decimum ante menſem reverteretur: Iſabella prima opportunitate adeſſet, & parentis, avique exemplo, juramento nunquam violandarum legum ſemet adſtringeret, obſequijque fidem à Proceribus acciperet: Hiſpanis, Italis & cujuſcumque generis externo militi ſtipendia Hiſpaniarum Rex ſolveret, cunctoſque Belgica avelleret. Belgarum proventus verterentur in ſtipendium patrij militis. Præfecturæ, dignitates, Senatus, judicum in quaque natione, & Machlinienſis auguſtior conſeſſus, tribuerentur indigenis, quîs & arces intra annum tradendas, ut ſolo æquarentur. Etiam Bruxellenſi aulæ novum eo ab tempore ſigillum rhombi ſpecie, qui bifariam diviſus, dimidiâ ſui parte Belgarum inſignia continebat: altera pars vacabat. His peractis in Germaniam Albertus contendit, hinc Hiſpanos petiturus. Regimen interea curare juſſus Andreas Archidux, Ferdinando Tirolenſium Comite genitus, cui deinceps Auſtriaci Cardinalis nomen datum. Exercitibus Franciſcum Mendozam, mari apud Arragones præfectum imponit. Tum miſſo ad Galliarum Regem legato, certiorem facit de ſuſcepto principatu, matrimonio, ac itinere. Addidit quoque ſerio à ſe interdictum Andreæ, ne quas abſente ſe alicujus momenti res, niſi ſociato cum Galliarum Rege conſilio pertractaret. Simul rogavit Regem daret interea operam Eliſabethæ ac Fœderatis ad pacem permovendis.

Mox

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Mox quoque Proceribus Belgicis poteſtatem facit ſuo ſub nomine cum Fœderatis Patribus colloquendi. Ipſe ad Fœderatos literas dedit humanas, & omni remotâ arrogantiâ, nomen ſuum, quod præſcribere Germanis Principibus ſolitum, literis ſubſcripſit. Primum ei iter ad fratrem Cæſarem. Mox cognatum Archiducem Ferdinandum adijt, cujus filia Margareta, Hiſpaniarum Regis filio deſponſa. Cum hac Novembri menſe Pontificem Romanum Ferrariæ uterque convenerunt, à quo poſt fixa pedibus oſcula, ut mos habet, plurimâ pompâ, ſolennibuſque cæremonijs Hiſpaniarum Regis filius ac Margareta, Albertus & Iſabella, matrimonij vinculo copulantur. Sed quia & hæc & ille aberat, adhibiti qui utriuſque implerent locum. Itaque Albertus, inſolenti more, Hiſpanico legato, ceu ſponſæ, junctus eſt. Ex Italia nuncij ferebant, Hiſpani Principis ſponſam Mediolani, fumo & igne propemodum intra cubiculi parietes ſuffocatam; & Cremonæ trecentos ex nobilitate pueros, cunctos ſerica veſte albi coloris inſignes, obviam extra portas ei proceſſiſſe, forteque orto jurgio à contumelijs ad verbera tranſgreſſos, adeo ut fuſtibus ſaxiſque nonnulli exanimarentnr. Adhæc Siculorum naves longas, Genuam euntes, tranſportando Barcelonam cum ſponsâ Alberto, Neapolim contrà diſiectas, & pelago nonnullas hauſtas, ſervatis tamen vehentium pleriſque. Hæc ut mali ominis accepta. Dein quoque vixdum Ferraria Romam reverſo Pontifice, nocte quæ Natalem Chriſti excepit, abundans Tiberis homines mille quadringentos hauſit; tecta, pontes, & ſuperba palatia, & cum his plurima immenſi pretij ſuppellex, vi fluminis abrepta periere. Nec totâ Urbe niſi navigijs quiſquam commeabat. Infuſi templis fluctus ſolennes ea die Sacerdotum cæremonias prohibuere. Altero paſſu aquarum altitudo, inundationem anni MDXXX ſuperabat: quo tempore Clemens, inter Pontifices id nomen ſeptimus, Bononia redierat, plenus lętitię ob coronatũ Carolum Quintum, acceptumq; ab eo juramentum. Unde multi prioris caſus memores, religiones fingere, quod Clementem octavum, itidem cum gaudio ob redactum in poteſtatem Ducatum Ferrarienſem, tranſactiſque cum ſponsâ Regis nuptiarũ ſollennibus, Romam reverſum, haud abſimilis tempeſtas excepiſſet. Cauſſa hujus rei, ſi præter Numinis voluntatem inquirere aliam libeat, fuit, quod imbrium vim, magno cum fragore montibus delapſam, adverſi venti retinuiſſent. Philippus Guilhelmus, Princeps Arauſionenſium, qui, ut ſupra relatum, cuſtodiæ exemtus in aula Alberti victitabat, abeuntem in Hiſpaniam quoque ad ſolennia nuptiarum ſequebatur; & in tranſitu ab Arauſionenſibus inauguratus, Blaccono Præfecto, paterno exemplo Principis inſtar illic agenti, codicillis poteſtatem ſancivit. Bonorum quæ in Belgis Burgundiaque fiſco attinebantur, nondum Philippus receperat. Tantum ſena millia coronatorum in annos ſingulos Hiſpani Regis liberalitate ei concedebantur. Cæterum mox, quicquid à patre relictum erat, redditum ei, præceptuſque domeſticorum & miniſteriorum numerus, quem egredi non liceret. Quo pro merito non dubitavit urgere eum Albertus, ut mercedem ab Hiſpaniarum Rege Balthaſari Gerardo, ob cædem Arauſionenſis pactam, hæredibus illius quotannis exſolveret. Ille impijs, & contra naturam poſtulatis, onerari ſe queſtus, cum non aſſentiret, bonis diu caruit: quæ ad ultimum tamen recepit. Per idem tempus Burlæus fato fungitur, ætate ad annum circiter octogeſimum productâ. Ortu humilem, & jus civile in Academia Oxonienſi profeſſum, vi animi eo faſtigij perduxerat, ut Principibus viris in veneratione eſſet. Infeſtum & æmulũ habuerat Liceſtrium: qui licet validus gratia Reginæ, cum dejicere dignitate eum nequiret, externo quovis honore proſecutus eſt. Adeoque fuerunt qui bacillũ Burlæi, quo ob valetudinem pedũ firmare greſſum ſole-

CIↃIↃ XCVIII.

cIↄIↄ xcviii. bat, à Liceſtrio, ſervilem in modum acceptum, cuſtoditumq́ue vidiſſent. Filiam ejus Oxonienſis Comes in matrimonio habebat. Opes tantas conraſerat, ut ducenta florenorum millia quotannis producerent. Solæ quas extra Londinum habuerat ædes, cum pretioſiſſimâ ſupellectili, undecies centenis florenorum millibus æſtimabantur. Ejus morte novæ Belgarum legatis ſpes, & nonnulli è Britannico Senatu, quamquam pacis cum Hiſpano percupidi, ubi Belgas quoque arma poſituros adverterunt, tutiſſimum rebus ſuis cenſuere, in fœdere, & belli ſocietate perſtare. Verebantur, ne Hiſpanus, undique quietus, & pace cum Gallis, Britannis ac Belgis fruens, quæſito obtentu (cujuſmodi nunquam Principibus augere potentiam cupidis deſunt) ſolos Anglos adoriretur: imprimis, quando jam animum ipſe prodidiſſet, pacem cum Gallis Belgiſq́ue, ſed excluſâ Britanniâ velle. Simul Britannorum Procerum quidam longius in poſterum proſpicientes metuebant, ne pace cum Hiſpano initâ, Brilaq́ue & Vliſſingâ, ac Rammekenſi caſtello à Reginâ retento, quondam, mortuâ ſine ſucceſſore Eliſabethâ, dum civilibus bellis Britannia arderet, præfecti illarum urbium, auro ab Hiſpaniarum Rege, ad proditionem impellerentur. Igitur decimâ Auguſti die inter Reginam & legatos Fœderatorum, in ſequentia pacta convenit, quæ Patres menſe poſt diem præſentem ſancirent, Regina decem diebus poſtquam à Patribus ſignata eſſent. Erant autem, ut *Pactiones anni* MDLXXXV *ratæ per omnia eſſent, exemtis quæ diſertim nunc mutarentur. Auxilia pro arbitrio, pro rerum ſuarum ſtatu Regina mitteret, & in bello adverſus Hiſpanum perſeveraret.* Datum quoque, *ut nomine ſuo unum in Senatu haberet: Patres faterentur debere ſe ei octuagies centena florenorum millia; cujus ſummæ dimidium trecentorum millium annuis penſionibus ſolveretur, quamdiu perſtaret in bello Regina: altera pars confecto bello: aut ſi pacem intra quadriennium cum Hiſpano facerent Britanni, colloquerentur Patres & Regina, de portione dimidiâ, & urbibus reſtituendis. Eoque caſu annuæ penſiones prioris ſummæ ad ducenta millia redigerentur. Viciſſim Regina Fœderatis debitorum reliqua remitteret, exceptis octingentis florenorum millibus à Pallavicino, cui integrum maneret jus & obtentus in nationes anno* MDLXXVI *Gandavi fœdere ſociatas. Patres, mille centum & quinquaginta præſidiarijs, Brilam, Vliſſingam; & Rammekam cuſtodientibus, ſtipendia annumerarent, ſingulis menſibus in centenos quoſque &* L *milites mille & ſeptingentis florenis erogatis, ſuper hoſpitiorum pretium, eamq́ue pecuniam Britannico quæſtori traderent, quamdiu in bello Regina perſiſteret. Quæ ſi præſidij numerum augeret, proprijs impenſis facturam. Hiſpanis Angliam invadentibus Patres bellicis navibus triginta, aut, ſi per vires liceret, quadraginta, militum millibus quinque, equitibus quingentis Reginam juvarent, ſed citra ſumtus ſuos. Reginâ expeditionem in Hiſpanias parante, parem numerum proprijs impenſis mitterent. Si exercitum decem, aut circiter, millium in Flandriam mitteret Regina, Patres dimidium ejus numeri, ac tormenta cæterumq́ue apparatum adjungerent. Victoriarum fructus, ex æquo, proportione collatorum auxiliorum dividerentur. Patribus ſemper liceret, militem & quando, & quantumcumque vellent, in Angliâ ſcribere.* Patres his cognitis, conditiones confeſtim ratas habuerunt, deinde & Regina. Hinc populo, diſceſſuros à fœdere Britannos metuenti, aucti animi, quamvis trecenta quotannis millia florenorum ſuper ſolitum pendenda eſſent. Tertiâ Septembris die Philippus, alter ejus nominis inter Hiſpaniarum Reges, fato ſuo fungitur, annum ætatis ſecundum & ſeptuageſimum ingreſſus. Quod ubi paullò pòſt ad Belgas fama tulit, acrius accendit cupidos bellandi animos, & commutationem rerum, ac novis conſilijs materiem ſperantes, ex obitu potentiſſimi Principis, qui gentes longiſſimis terrarum ſpatijs diſcretas, & diverſimode animatas, non tam voluntate, quam armatâ

manu,

manu, ſubditas habuerat: qui potiſſimos Europæ Reges Principeſque Im-
perijs ſuis ejicere conatus, alios creſcentis potentiæ metu terruerat, & huc cIↃIↃ
cunctos redegerat, ut in conſilijs, ac rebus cæteris, ſolliciti ac formidoloſi xcviii.
aſſiduè ſe ſpectarent. Plus ſane in Cæſarum, in Pontificum electione, il-
lius voluntas, quàm Electorum aut Cardinalium ſuffragia valuerant. Quo-
rum complures timore poteſtatem ipſi ſuam diminuerunt. Adeoque ſi non
quos vovebat ad Pontificatum ſemper perduxit, potuit tamen prohibuiſſe
qui diſplicerent. Longi dolores, diuturnæ illi, variæque ægritudines, ſin-
gulæ per ſe lethales. Manus & pedes tot meatibus ſcatebant, ut dextræ
digitis tantum duobus ſepteni numerarentur, ſine intermiſſione ſuppu-
rantes, acri adeò dolore, ut à nemine contrectari ſe pateretur: nec omni-
bus in membris firmum quidquam præter humeros. Has inter miſerias to-
tus illi annus exactus. Sexennium articulari morbo brachia & crura vexa-
ta. Accedebat ardentiſſima & interna febris, nonnunquam tertio intensâ
die, ſubinde & geminata: quâ duum ſpatio annorum nobiliores corporis
partes contabuere. Interea continenter etiam alvus fluere, nec munda de-
cumbenti ſupponere linteamina licebat. Adeò ut tribus & L poſtremis vi-
tæ diebus, eodem lectulo, ut excrementis inquinatus erat, jacuerit. Jam
& ſtomachus corruptus, & ſitis, inflammatæque fauces, nullo potu, nullo
humore ſedabantur: & duri caput, oculoſque dolores invaſerant, quîs te-
trus fœtor lecti, delatique in cerebrum vapores, originem dabant: tum &
inſomne corpus, ob acutiſſimos & pungentes humores, qui non die, non
noctu ſpiramentum permittebant. Denique tumore in genuum altero (ut
eſt ſenſibus obnoxiuin id membrum) ſuper cæteras partes torquebatur.
Quippe priuſquam internum virus, quod nullis medicamentis diſſolvere
erat, matureſceret, graviſſimis doloribus exercitus, dein ubi maturuerat, &
ſecare opus, novi cruciatus. Mox nunquam intermiſſa ſuppuratio alteram
quotidie patinam implebat, infando fœtore. Pedicularem morbum diſ-
ſimulabant amici, haud dubie, ob ignominiam: itaque in linteaminum ſor-
des culpam rejicere, tanquam natis inde vermibus. Sed fuere qui apertè
faterentur, examinis inſtar, ex ipſis ulceribus exundâſſe. Cæterùm ut fa-
mæ conſulerent, non Herodem ſolum, ſed & Jobum, virum ſanctiſſimum,
eodem laboraſſe morbo dictitabant: ejus vitæ cuncta Philippi & imprimis
patientiam comparantes. Certè potentiâ, citra controverſiam, ætatis ſuæ
Reges Philippus ſuperavit, armiſque per extrema orbis circumlatis, bella,
turbaſque ubicumque viſum, aut expedire judicaret, concivit. Unde erant,
qui Turcarum Imperatori illum contenderent. Vereque reputantibus opes
ei majores, quîs & Præfectos ac clientes ſuos adeò auxit, ut Principum
quoſdam, cujuſmodi, Poloniæ, Sueciæ, Daniæ, Scotiæque Reges, divitijs
antevenerint. Sed virorum multitudine ceſſerit: quippe minimum ſubdi-
tis fidens, ſenſim eos exarmaverat, mercenario milite bella gerens. Sic
anno MDLXXXVIII nautici generis homines pleroſque diſſitis ex oris in-
gentibus jacturis ad claſſem conquiſiverat, & decem annis pòſt captis ab
Eſſexio Gadibus, ingens ei diſcrimen impendebat, neſcijs armorum Hiſpa-
nis, ſi victoriæ Britanni inſtitiſſent. Nihilominus opum magnitudine res
ingentes geſſit, nihil arduum ſibi, nihil inſuperabile ratus: hinc nullæ cla-
des adeò frangere animum potuere, quin improſperè ante tentata pervi-
caciùs repeteret. Equidem in profanis olim gentibus, quîs potiſſima ad fa-
mam & æternum inter mortales nomen dirigebantur, id laudaverim: Chri-
ſtiano Principe, ob ſanguinis prodigentiam, indignum. Alebant hanc am-
bitionem adulatores, ita placere Numini dictitantes, ut totius orbis impe-
rium noviſſimè apud Hiſpanos conquieſceret. Primam in Oriente domi-
nationem paullatim ad Occidentem tranſlatam. Ceſſiſſe Perſis Aſſyrios,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ XCVIII. Græcis Perſas. Tum devolutum ad Italos imperium. Nunc Hiſpanis regimen in omnia deberi. His adſequendis Philippus Pontificiâ religione, pro obtentu, utebatur, quo Gallos ac Britannos, & quicquid viribus ejus impar, ſubigeret, apud Belgas dominationem ſine fine haberet, leges everteret, & urbes, portus, terrarum proventus verteret in commoda militis ſui adverſum, Germanos, Gallos, Britannos, aliaſque nationes. Itaque crudelitatem à parente Carolo in ſacrorum negotio cœptam, ipſe intendit. Quâ hominum millia plus centum, carnificis manu, igni, aqua periere, exceptis quos bellum hauſit. Nec perſecutionum in vetere Eccleſiâ, hâc aut truculentior ulla, aut diuturnior. Alioqui ſi mores, ſi vitam Philippi privatim conſideres, nequaquam ſævitiæ tantæ argueris. Idem ſemper habitus oris, &, ſeu proſpera, ſive adverſa nunciarentur, animus conſtans: inerat quoque mira comitas, promtique aditus, & colloquia, adeò ut ſupplicum libellos ipſe acciperet. Etiam facilitas adverſum domeſticos miniſtros. Cæterùm ubi de majeſtate, aut damno ullo agebatur, nulli parcere, fidiſſimos miniſtrorum, conjugem, prolem, nullo iræ indicio, tollere è medio; promtius, dũ Jeſuitæ, aut qui ſpreto penitus mundo ſacris ſe mancipaſſe videbantur, licitum ac ſine culpâ dictitant, quando bono fine, & prohibendis cladibus, regni, ſubditorum, aut Romanæ religionis fieret. Itaque in talibus permiſere etiam Regi, ut Senatorum nonnullos, non accuſatos, nedum auditos, aut defenſos necaret. Quod factitatum Herodi quoque legimus: cujus vitæ plurima Philippi mirè congruebant. Nam & ille, cætera mitis, nulli pepercit, ubi de ſecuritate novi imperij agebatur. Fuit Philippo parens, bello egregius, quem, fortitudine aut rebus geſtis inferior ipſe, opibus ſupergreſſus eſt. Verè idem de Herode firmaveris, qui licet multi in bello ſtudij, Antipatri patris geſta nequaquam adæquavit: faſtigij, & divitiarum magnitudine ſuperior. Philippus Hiſpaniâ ortus imperium in exteras exercuit gentes; Herodes, natalibus Idumæus, Judæos externum populum rexit: haud minus ægre illi parentes, quàm Philippo Itali, Belgæ, atque Indi obtemperabant. Unde & hic & ille armis, præſidijſque magis, quam clementiâ imperium retinuit. Herodes cogendæ Hieroſolymæ arces duas, & munitiones præcipuis Judææ itineribus extruxerat. Sic & Philippo arces ſuæ Antverpiæ, Gandavi, Olyſſipone, Neapoli, Mediolani, alijſque locis. Fulſit Cometes ingreſſo regnum Herode: fulſit & primo Philippi anno; prænuntius uterque impendentium ſubditis malorum. Altero Philippi anno, inauditâ annonæ caritate, egentium ingens numerus fame exanimatus; duplici indicio ſuam iram teſtante Deo. Bella & Herodi & Philippo pleraque adverſum ſubditos. Ille miris artibus, Cæſaris & Procerum Romanorum animos ſibi conciliavit, præſidium contra Judæos. Hic Pontificis Romani, & Cæſaris ope ad opprimẽdos ſubditos uſus eſt. Et, qui imperium à bello adverſus Paullum inter Pontifices ejus neminis quartum orſus erat, ſucceſſores ejus (quos novem vidit) non minus ſibi addictos expertus eſt, quam ſi beneficiarios habuiſſet: perſuadebat quippe, eorum ſe ſacra, eorum conſtitutiones defendere. Et quemadmodum Philippus, ſimulachrorum cultu firmando, mortalium ingentem turbam, igne exuſſit, ita Herodes, invitis Judæis, Romanis Cæſaribus imagines poſuit. Utrumque autem ambitio, & prava conſilia, adeò tranſverſum egêre, ut amicorum, quin conjugum liberûmque fidem ſuſpectam haberent. Herodes amantiſſimam ſui uxorem Mariamnem, & filiorum duos; Philippus Iſabellam conjugem, filium Carolum ſuſtulit. Herodi complures eodem tempore conjuges, Philippo ordine quaternæ (nam plures ſimul habere Chriſtianæ leges vetabant) & ſuper has pellices haud paucæ fuerunt. Utriuſque exteris in gentibus honos & autoritas ſumma; utrique privatim dolo-

res &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

res & domeſtici luctus. Alioqui ingenio, & animi dotibus & hunc & illum
natura ornaverat, quîs, ad inſatiabilem ambitionem abuſi ſunt. Laudata He- cIↃIↃ
rodis in ſontes ſeveritas, quâ ditionem ſuam latronibus expurgavit. Jacta- XCVIII.
bant quoque Philippum ſui, quod varijs edictis, civile ac criminale jus
emendaviſſet; quanquam, ſemet illis haud ſubjiciens, promtè ſuſpectos,
inauditâ cauſsâ ex mortalibus amoliretur. Erat in Philippo laborum tole-
rantia, & rerum graviſſima non ad Conſiliarios rejiciebat, ſed ipſe cogno-
ſcere, ac perpendere: raro inter hujus ævi Principes exemplo, qui otium &
voluptates ſibi, miniſtris curas, laboreſque relinquunt. Simile Herodi in-
genium fuiſſe, ſatis annalium ſcriptores teſtantur. Ingens Herodi laus cum
expugnata per vim Hieroſolyma, cives incolaſque, ab omni injuriâ defen-
dit. Sic Philippus quoque Albano cum exercitu in Luſitaniam miſſo,
Olyſſiponem diripi, ſumma cura prohibuit. Herodi maxima voluptas in
exſtruendis palatijs, & ſuperbis ædificijs, adeò ut finitimas civitates, con-
ciliandis habitantium ſtudijs, templis, turribus, muris, portubus, theatris,
porticibuſque exornaverit, & incredibiles impenſas in templum Solomo-
nis fecerit, quod veterem ad magnificentiam Eſdras & Nehemias, ob an-
guſtias temporum, perducere nequiverant. Philippo etiam cætera damno-
rum ſuſque deque habita, dummodo admirandam ædem Laurentio dica-
tam, immensâ auri vi exædificaret, ac æternam ſibi apud poſteros famam
quæreret. Quamquam interea ſtipendio fraudatus in Belgicâ miles, cuncta
ſeditionibus miſceret, magno rerum ejus detrimento. Utrique ætas ad
ſeptuageſimum annum proceſſit, utrique in imperio circiter anni XL ex-
acti, quos, ſupremi Numinis in humanum genus ira conceſſit. He-
rodes infantem in cunis Chriſtum trucidare conatus; Philippus pertinaci
ſtudio in ipſis incunabulis Euangelij lucem, Pontificijs opprimere tenebris
tentavit: ſed uterque multo nequidquam labore exhauſto, haud diſſimili
fato abſumti, victoriam Chriſto conceſſere. Editus erat anno MDXCVII
ab Hiſpano quopiam libellus, multa arcanorum Regis continens, & com-
plura, quæ huc pertinerent, vero haud abſimilia: Philippum ad augendum
imperium Romanæ tanquam ſpecie honeſtiſſimâ, religionis obtentu uti;
quam alioqui parvi penderet ubi major emolumenti ſpes offerretur. Idque
verè dictũ ſatis acta ejus cõprobavere, quando adverſum Belgas Germano,
quin & Græco milite uſus, permiſit ijſdem ſacra & conciones ſuis moribus
ac ritu patrio exercere, quas in proprijs ſubditis ferro & igne puniebat. Pa-
cem à Turcis ac Mauris multo ære redemit, Chriſtianorum modo perni-
ciem meditans, nec Cæſari, aut Auſtriacæ domui adverſum Turcas ulla au-
xilia tulit. Arſillam urbem Maroccæ Regi Muhammedano dedit, fruen-
dæ ejus amicitiæ adverſus Antonium. Ajebat porro libellus, anno
MDLXXVII quum iter ad Belgas parante Andino, Reformati in Galliâ
parùm præſidij in Navarreno, aut Condæo ponerent, ac Montalbanenſes
de novo belli duce deliberarent, metu impendentis belli (ut reapſe capto
Brovagio mox illud exarſit) Hiſpaniarum Regem magnâ curâ diffidentiam
hanc aluiſſe, ac potiſſimis reformatorum in Langedocia, terra Fuxiâ, Bear-
nia, Petrocorijs, oraque maritima ad Guipiſcoam, occultè denuntiaſſe,
conſulto prælatam Belgici itineris ſpeciem, & parari reformatorum cæ-
dem, qualem Pariſinis in nuptijs experti eſſent. Etiam annua ducatorum
millia quingenta, & Germanum militem, ſuo alendum ære, promiſiſſe, ſi li-
bertatẽ defendere ſuo ſub præſidio vellent. Quîs in rebus Herodis veſtigia
preſſit: nam & ille Judaicæ religionis amorem ſimulans, multos exornando
templo ſumtus fecit; interea ambitionis adeò immodicus, & æterni etiam
inter gentes nominis tantâ cupidine, ut religio ei non eſſet, eorum in urbi-
bus exſtruere delubra, factaſque mortalibus materijs Deûm effigies conſe-

crare:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ XCVIII. crare : quin & pecuniæ egentem , non puduit , Davidis Regis ſepulchrum diripere. Firmabat inſuper libellus Philippum anno M D LXXXIII, quo Gallos internis motibus diſtineret, & intentatam ipſe Luſitaniæ haberet poſſeſſionem , ingentibus jacturis primam conjurationi adverſus Regem cauſſam dediſſe, adeoque tentatum ad pacem Navarrum, quamvis diverſa ſacra palam profitentem, oblataque ei quotannis ducatorum millia ducenta: petitam in matrimonium ſororem ejus: & promiſſa addita, Navarræ regnũ habituros, qui ex ea liberi naſcerentur: ipſi Navarro ſuper Sardiniæ ac Balearium regna, æs promiſſum occupando Guiennæ regno, & conjugem, filiam Philippi, dotis nomine Mediolanum. Adjecerat autor, ipſi Galliarum Regi, cui libellum dicaverat, conſtare, verane differeret; quippe cui à Philippo hæc oblata fuiſſent. Memorabat præterea in levi habitum Philippo, utrum obſiſtentes incremento ſuo, veneno clam tolleret. Interceptas ejus literas ad Comitem Stabuli apud Caſtellanos; repertoſque in his nigri coloris, & nulli agnitos acinos, qui canibus, felibuſque præbiti, necem confeſtim attuliſſent. Defunctoque Comite ejuſdem generis acinos in marſupio ejus inventos. Addebantur ſecretorum alia, nobis prætermittenda, qui in Belgicam properamus, ubi navigatio in Orientem, & Occidentem, in Braſiliam, & Guineam tantopere hoc anno crevit, ut Hiſpani propemodum hâc parte actum de rebus ſuis arbitrarentur. Gnarum id Mendozæ, & ſeriò Senatum Hiſpanicum per litteras monuit, cordi rem haberent. Satis ſuperioribus annis expilatos, qui illuc commearent. At ſi mari vires ſuas Britanni & Belgæ jungerent, multum vereri ſe, ne penitus Hiſpani ac Luſitani proventibus, quos inde caperẽt, exciderent. Apud Fœderatos, aſſiduè hortante Mauritio, rei maritimæ præfecti, quatuor hoc anno bellicas naves extruxere, unam quingentarum, & ultra vehium; majoris, quam adhuc Belgæ habuerant molis, Hiſpanorum galeonibus cominus oppugnandis, quîs ob immenſam celſitudinem, noſtrarum humilitas navium deſpectui erat. Poſtrid. Kal. Jul. horrenda mari tempeſtas incubuit, qua in oſtio Amelandico, & Texeliam propter, naves circiter X L periere, pleræque lignis ex Septentrione advectis, nonnullæ frumento onuſtæ: eæ ſecundante vento Flevum ingreſſuræ in alto ſubſtiterant, omneſque litoribus alliſæ, ſervata tamen hominum potior pars. Naves unam & X X ad Indos tripartito ituras mercatores nonnulli privato ære paraverant. Amſtelodami octonæ earum erant, ſingulæ à Fœderatis terris denominatæ. Inerant homines ſupra quingentos L X, Præfecto Jacobo Cornelij Neckio, vicario Wibrando Warwicio. Roterodami quinæ ſtabant, milites quingentos vehentes, Præfecto Jacobo Manio, cui adjutor datus, Gerardus Benningius: Georgius Boecholtus, & Sebaldus Weertius centuriones aderant. Tertiam claſſis portionem inſtruxerant Zelandi mercatores, à quibus impetrari nequivit, ut eandem in ſocietatem venirent, quamquam id magis in ſecuritatem eorum, & Fœderatorum apud exteras gentes exiſtimationẽ eſſet. Nulli harum proſpera itineris principia. Zelandorum prætoria ſub ipſis Britanniæ litoribus demerſa, ſimulque homines, merces, & quicquid inerat hauſtum. Dederat cladi cauſſam incuria nautarum, qui temere inclinatâ in alterum latus nave, tormentorum feneſtellas adapertas reliquerant. Roterodamenſium una haud procul portu fluctibus obrui cœpta, neceſſario curſum retro unde venerat flexit, reparando vitio. Amſtelodamenſium naves diu in Ya flumine juxta Pampuſam hæſere, dũ humiliores æſtus non attollunt fluctus, vada trãſgredi nequeunt: mox ubi Enchuſam prætergreſſę, quãvis navium una, Hollandię nomen erat, malũ antennæ vi ventorum adactæ abſciderat, nihilominus itineri inſtitere, & nonnullæ, quia ſecundantium ſub Æquinoctiali ventorum tempus effluxerat, non ut

cæteræ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cæteræ præter promontorium Bonæ ſpei in Orientem tendere de- cIↃIↃ
creverunt, ſed directo in occaſum curſu, per fretum Magellanicum, XCVIII.
Moluccas inſulas, & Javam adire. Conſtituerunt tamen in tranſitu exſcenſum in Chiliorum terram facere, Peruviæ ab auſtro adſitam, & auri fœcunditate parem; unde Hiſpani armis habitantium prohibiti erant: quo auro argentoque permutatis mercibus ſuis, in occaſum ulterius pergerent, & in Moluccis inſulis, aut vicinis tractibus coëmtis aromatibus, circum Bonæ ſpei promontorium redirent in patriam. Ita quamvis univerſum terrarum orbem circumnavigantes, celeriori itinere quam cæteri perfuncturos ſe ſperabant; quia ſub Æquatore & tropicos inter, vaſto ac patenti Oceano, qui Africam, Americamque, Peruviam & Moluccas, & Indiam Africamque interluit, hyemem & æſtatem continenter ex Oriente venti flant, ſecundi in Occidentem decurrentibus. Navium harum nonnullæ præter pecuniam & merces, quas gentibus illis gratas norant, cataphracta quoque vehebant, quîs adverſum Hiſpanos ſe nationes eæ tutarentur: tum & calcem, lateres, ferramenta, aliaque caſtellis muriſque extruendis apta. Navigatio in Guineam jam adeo frequentabatur, ut nullo non anni tempore, viginti & eo plures naves Belgarum ijs oris verſarentur: quas haud procul litore in anchoris ſtantes, exiguis navigijs Æthiopes adibant, aurum, ebur, ebenum, ſpeculis, vitro, cultris, forficibus, lino, alijſque id genus rebus permutantes. Dein, quo mediterranea habitantibus laborem itineris levarent, remiges & valida navigia aſſumſere, penetrandis fluminibus, quæ ad interiora terrę ferebant, & quærendo commerciorum uſu: quare Luſitani mercatores (ij Minam caſtellum incolentes, centum xx millia ducatorum quotannis Hiſpaniarum Regi pendebant, ea lege, ut ſolis ſibi jus eſſet commercia ijs tractibus exercendi) pereunte negotiatione, renuntiarent conductioni. Hollandorum unus, amne defluens, & in penitiora gentis delatus, urbem reperit Amſtelodamo haud minorem, lateritijs domibus, & ſuperbo palatio; egregie, ut captus illarum gentium eſt, exornatam. Ubi comiter à Rege exceptus, rogatuſque eſt, ut deinceps ſæpius merces ſuas illuc deveheret. Obtulit idem locum jaciendo caſtello, ad ſecuritatem Belgarum. Nauta nequaquam id in more genti ſuæ reſpondit, ſed commercia libera, nec cogere quenquam velle. Quod Regi impensè adeò placuit, ut hominem (procerâ ſtaturâ, & veſte ſplendidâ majorem quam pro ſorte ſpeciem ferebat) veneratus, caput pene ad terram demitteret: nobiles autem crura ejus, (is mos populo, ubi honore aliquem proſequuntur) perreptare juſſit, & liberalitate auctum, ipſe non indonatus dimiſit. Jam eo contemtus Hiſpanorum ad prohibendas haſce navigationes imbecillitas venerat, ut Moucheronius, privatus mercator Middelburgi, expugnationem inſulæ Principis, Guineæ ad quartum ab Æquatore gradum adjectæ, ſperare, & Marchionis ſibi titulum ſumere auſus ſit. Ducentos promiſcue milites ac navales ſocios, centurione Juliano Cleerhagio, ſuſtentabat: qui nullo labore occupatâ inſula, potiſſima acceſſuum munitionibus firmavere; & jam ſemina arvis intulerant, utque patrium exercebant ſolum, miſſiſque domum literis, conjuges & liberos, ætatem ibi acturos, advocabant: nam inſignis temperies aëris & fœcunda humus erat. Moncheronius militum ſingulis florenos quotannis ſexcentos promiſit, tanto majorem Comberlandiæ Comite animum gerens, qui hoc anno, Portum, quem divitem nuncupant, in America expugnatum, direptumque, deſeruerat: præmium victoriæ in Angliam reportatis ex ære fuſili machinis LX, centenis aliquot zinziberis ſaccis, & ciſtis ſaccharo differtis. Nihilominus Moucheronij ſpes brevi evanuere. Nam Cleerhagium, quamvis primo adventu comem, &, ut juſſus erat, à cæde, atque injuria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ XCVIII. in inſulanos temperantem, Luſitanorum prava conſilia, imprimis fraus ſacerdotis, ſeduxerant. Quorum ſtudia impenſe adeo affectabat, ut etiam Miſſæ ſacris intereſſet. Viciſſim Luſitani omnia externæ venerationis ſigna illi exhibere: at clam externa averſari imperia, & propriæ ubique potentiæ operam dare. Itaque falſis delationibus Cleerhagium ab inſulanis, horum ab illo animos avertebant: quis temere ille credens inſulanorum nonnullos ſuſpendit. Hinc exacerbati, non capras, non gallinas aut alia, ut ſolebant, cibaria, venum in caſtella deportare. Et miles noſter menſes aliquot huic victui adſuetus, ſimul veterem & duram ex navibus annonam uſurpare neceſſitas adigebat, ægritudines contraxit. Ipſe Cleerhagius extinguitur. Reliqui animadversâ paucitate, rebus ſuis diffidentes, in Hollandiam rediere. Conſitus ijs ager pingues culmos, ſed ſine ariſtis produxerat, haud abſimiles arundinibus ſaccharum gignentibus. Idem in reliquis inſulis Luſitanos fatum manebat, ſed altero tertioque poſt anno, curatiùs arato ſolo, uberrima meſſis fuit; & ſæpe ex uno quem ſeverant modio, ducentos habuere. Eodem anno Zelandica navis, Guineâ remeans, quingenta auri pondo, eboris, aut ebeni nihil advexit. Cæteræ naves ducentas tantum libras auri, aut trecentas apportare ſolitæ, quarum ſingulæ florenis quingentis æſtimabantur. His rebus incredibilem in modum auctæ Fœderatorum opes, & facultas nationibus oppidiſque fuit, egregia opera complura patrandi. Hinc privatorum in Hollandia Zelandiâque impenſis agrorum merſa aggeribus obſepta ſunt. Ita Sypa Hollandiç Borealis ager, ſuperiore anno perruptis aggeribus aquis tectus, nunc rurſum obducto aggere ſiccatus eſt. Apud Zelandos Bevelandia Septentrionalis, bis mille jugera ſoli, aquis undique cincta perpetuo aggere clauſa eſt: qui labos eo gravior, quod ventorum fluctuumque injurijs cuncta æque latera patebant. Inſequente anno aliquot jugerum millia, inſignis agri, Axeliam propè, aggeribus ſervata. Simul citra Reip. impendia ipſi oppido conſultum, quia privatim agri ſui jacturam poſſeſſores metuebant: etenim promtus huc Hiſpano militi acceſſus: & ſperabant Patres (qui humentia ſiccantibus juris eximia commodaque multa largiebantur) addito tempore tantum agri vindicari ab aquis poſſe, quantum ſuſtentandis Fœderatis ſufficeret, ut jam nullum periculum eſſet ab Hiſpanorum artibus, de claudendo mari Balthico, aut retinendo quod ex Boruſſiâ Poloniâque advehebatur frumento. Sed cum fortunis ſimul & faſtus, & luxus, in veſte, in ſupellectile, in comeſſationibus crevit. Memorare ſingula cum ſupervacuum ſit, exemplum, unde cætera conjectentur, unum alterumque proponam. Wormerç, qui Hollandiç pagus eſt, mulieres, amylo parando quæſtum facientes, quot hebdomadis tricenas tritici vehes conſumebant. Amſtelodami unus, eandem exercens artem, pari ſpatio, ternas vehes. Equidem ante paucos etiam annos nonniſi furfures, panem pinſentibus inutiles, eam ad rem uſurpabantur. Nunc poſtquam multam in longitudinem promittere collaria, & ſinuare, poſtquam plagulis revincire caput, & reticula aciculis nectere luxus docuit, amylo parando flos ipſe tritici tam profuſe impendebatur, ut ſuſtentandis magnis urbibus ſufficeret. Hollandiæ Proceres, cùm nullum malo remedium viderent, novum tributum (quo ſaltem Reip. ex hâc luxuria fructus aliquis eſſet) amylo impoſuere: videlicet ſeſtertium in ſingulas libras, quod quamvis partem fere quintam totius pretij æquaret, leve tamen erat, quando ſolis opulentioribus id oneris incumberet. Numen ſupremum avertat, ne in effrenem licentiam longius degenerantes, ejus muneribus abutamur, neu pœnæ Hieroboami, quæ fortunatum Solomonis regnum, & auriferas Ophiræ claſſes exceperunt, noſtram quoque luxuriam ſequantur. Sed ut externarum navigationum cætera quoque exſequamur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

mur, magis magiſque indies Fœderatorum claſſibus Braſilia & S. Domi-
nici inſula frequentabantur; unde uniones, ſaccharum, zinziber, ac ruben- cIↄIↄ
tia ligna petebant. Et qui hactenus nonniſi Luſitanorum, aut Hiſpanico- xcviii.
rum mercatorum impendio illuc contenderant, nunc ſuâ ſponte, ſuo nomi-
ne proficiſcebantur, & vaſtis litoribus, quîs ingens centurionum minorum-
que præfectorum multitudo præſidebat, ſemper nonnullos reperere, qui
muneribus corrumpi ſe paterentur. Tum & incolentes Braſiliam Luſitani,
lucrũ, undecunque oſtenderetur, captabant. Primam hujus rei occaſionem
ipſe Hiſpaniarum Rex Fœderatis aperuerat, dum, ſubjectâ Luſitaniâ, ubi
gentem ſociorum navalium numero omni Hiſpaniâ validiorem advertit,
ne aleret vires', in claſſibus plerumque Belgarum operâ utitur; unde Lu-
ſitani nautæ, agriculturæ, aut alijs ſe opificijs dederant. Comberlandiæ
Comes Britannicis navibus quadraginta, Londinenſium mercatorum ære
paratis, Majo menſe hujus anni, Luſitaniæ litora obſederat, imprimis Olyſ-
ſiponenſi fluvio intentus, ſingulaſque tanto diſcreverat intervallo, ut al-
tera alterius in conſpectu ſtaret, ne furtim exire Hiſpanorum quiſquam poſ-
ſet. Quâ re multum corrupta hoc anno Luſitanorum negotiatio. Memora-
bantq; venientes ex Hiſpania Belgæ, Olyſſipone atque Hiſpali cum diebus
decreſcere mercaturam, & ſacchari libram tribus ſeſtertijs Olyſſipone,
quam Amſtelodami, cariùs venire. Ipſa Regis claſſis, quamvis promta iti-
neri, & Majo, & Septembri menſe egredi non auſa, illatas navibus merces
neceſſariò rurſum expoſuit, non ſine contemtu Regis, tacitâ confeſſione
convicti, nequaquam ſat virium ſibi navali prælio vel cum piratis conſeren-
do. Sic quoque bellicæ ejus naves cum claſſibus, quis præſidio additæ
erant, præcipiti æſtate Americâ remeantes, nihil præter varia mercium ap-
portavere, auro, & omni Regiâ gazâ Havanæ Anglorum metu relictâ. Ut
ſerò nunc experiendo Rex diſceret, ſuas ſe labefactaſſe vires, prohibitis à
navigatione Luſitanis. At Fœderatorum mercatoribus opportunum acci-
dit, retentatam claſſem: quippe à quibus ſolis penè hoc anno aromata, alia-
que Americano orbi nata, neceſſariò cæteræ gentes petituræ eſſent. Alte-
ra ex Oriente claſſis (ternæ galeones erant) Olyſſiponem appulſa, ad-
vexit piperis ſeptem mille, octingentas, ac tredecim quintales; quod
menſuræ genus libras centum & duodetriginta continet. Caryophyllo-
rum quintales mille octingentas, & quadraginta tres: quadringentas &
XII maceris: centenas & quadraginta ſex nucis myriſticæ: mille nongen-
tas & XII anethi, ſexcentas XIV duratæ ceræ: cinnamomi mille ſeptin-
gentas & XLVIII: zinziberis condîti quintales trecentas & nonaginta
duas: muſci odorati uncias ſex mille, quadringentas, & XXX. Navium
quarta, quæ tribus his opulentior, in itinere perierat; unde aucta piperis
caritas. Editus per idem tempus libellus à Gualthero Raleo, qui apud
Anglos, poſt Dracum, navigantium celeberrimus, firmabat, ſeſe, Pe-
ruviam Braſiliamque inter, Orenoquo amne (cujus oſtium in Septentrio-
nem octavo ab æquatore gradu jacet) ad interiora terræ defluentem, ape-
ruiſſe populoſam regionem, cui Hajanę nomen eſſet, recta ſub Æquinoctiali
ſitam, & gentibus Peruviâ Quitoâque ab Hiſpano pulſis habitatam. Ingen-
tes ibi urbes, lateritijs cinctas mœnibus adverſus vim hoſtilem eſſe. Ter-
ram ipſam fœcundiſſimam gignundo auro, unionibus, balſami ſucco, ſac-
charo, zingiberi, melli, ſerico, lanæ qualis Indis naſcitur, & mercium pretio-
ſarum alijs. Captamque à Britannis in Trinitatis inſula Hiſpanici juris ur-
bem, fluminis oſtio impoſitam, & patefactum aditum, magnaque emolu-
menta relata. Sed hæc ficta plerique, & opum ſpem prædicari credebant,
decipiendis populorum alijs, ut hianti cupiditate longiſſima itinera temere
ſuſciperent. Creſcentibus hoc modo in Orientem, & Americanum orbem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄ Iↄ navigationibus, ſpes inceſſerat, Belgas paullatim mercaturę Hiſpanicæ memoriam, & cupidinem poſituros: averſantibus eam & diſſuadentibus non
xcviii. Gallis modò, ac Britannis, ſed & pleriſque Fœderatorum. Atque adeo ipsâ hâc æſtate abrumpi illam Regina poſtulaverat. Sed Patres, quamvis gnari noxium id Hiſpano, remedium haud reperiebant, ṛe per diverſa arduâ. Etenim, etſi majus, conjunctum tamen cum illorum damno, Hiſpani detrimentum erat. Sed illis confeſtim incommoda hæc toleranda, travectionum in hoſticum, & illatarum mercium fructibus carendum. Simul anceps Reip. tollere negotiationem, & mercatoribus, nautis, navalibus ſocijs, quorum millia pluſquam x x x erant, eripere facultates, quîs ſe ſuaque ſuſtentabant. Contrà Hiſpani detrimenta incerta; quando Albim accolentes, & Dani, Gallique (quippe jam pacati) ſubminiſtrare ei cibaria poterant. Et haud dubiè Belgarum complures, relictis patrijs ſedibus, Rothomagum, Hamburgum, Lubecam, Gedanum, continuandæ mercaturæ erant migraturi. Quod ſi vi prohiberetur, certiſſima cum Danis, cum Polonis, cum Suecorum Rege, ac Anſeaticis urbibus bella manebant. Poteſtas Dano Codanum Sinum claudendi; & Scotiam ſupra vaſtus adeo Oceanus panditur, ut quamvis vicinorum inimicitias ſuſque deque habentes, cuſtodire immenſa maria nequirent. Illud maximè mirandum, pari contentione bellantium utramque partem ad abrumpendam hanc navigationem tetendiſſe. Etenim jam antè docuimus, quâ curâ, quo ſtudio Hiſpaniarum Rex negotiationis quæſtu exuere Belgas conatus ſit, edictis naves retinuerit, in debita ac facultates inquiſierit, denique & delatores ſuſtentarit, qui Belgas ab Albis accolis ſermonis indicio diſcernerent: quod factum impulſu emporiorum Brabantiæ, Flandriæ, Artheſiæ, Hannoniæque quæ miſſis ad Regem legatis, conſumi ſe egeſtate; contrà Hollandis, Zelandiſque opes & facultates, æternum ducendo bello, creſcere querebantur. Quîs motus Hiſpanus per legatos Anſeaticis civitatibus liberam in Hiſpaniàs navigationem, libera commercia, ſed excluſis Fœderatis, obtulerat, ut in prioribus demonſtravimus: verùm hæc, & cuncta difficultatum, quaſcumque aut amici, aut hoſtes excogitarent, ſuprema neceſſitas superavit, dum utrique id genti utile, & Hiſpani Belgarum mercibus, hi illorum ære juvantur. Itaque palam Patres permiſere, tantum interdicto, nequis armamenta, aut patrias fruges eo deportaret. Ita ut Hiſpani Luſitanique mercatores publicè Amſtelodamũ venirent, abirent, multi quoque ſedes ibidẽ figerent. At non eadem in Hiſpania libertas, ſed per diſſimulationem Rex ejuſque præfecti Belgarum mercaturam tramittebant, ob Majeſtatis decus. Ita ut noſtris gentem aut patriam profiteri parum tutum eſſet: quâ de cauſsâ Albis ſemet accolas ferebant, promtis, quò fidem facerent, falſis commeandi literis, quas Amſtelodami tabelliones, velut Hamburgi, Lubecæ, aut Gedani ſcriptas, conſignaverant. Et quamvis fraus advertebatur, admittebant tamen Hiſpanici præfecti tanquam probas, quia dolum detegentes quæſtu exciderent. Profecto in Hiſpanias Alberto, ſtatim Mendoza, Arragonici maris præfectus, in Clivios exercitum rapit, quærendo ex finitimis victu, ac levandis onere Artheſijs, Hannonijs, & Flandris; quîs licentia militis ſtipendio fraudati gravis erat: forſan & deliberatam diu Cliviæ ac Juliaci occupationẽ differre longius periculi rebatur, lethali ægritudine afflicto Rege, & haud dubie fato ejus res novaturo. Quin & certo nuncij afferebant, Senatus Juliacenſis hortatu ſuſceptam hanc expeditionem: ſimul occaſio Hiſpanis diuturnam Fœderatorum quietem ab ortu Rheni, interturbandi. Hæc igitur Mendozæ pretium fuere apertâ vi, nec ullâ ſatis honeſtâ ſub ſpecie tentandi; quæ alioqui trahere, & obtentus occaſionem exſpectare maluiſſet, quò aut à Clivijs & Juliacenſibus, aut Patribus Fœ-

deratis præbitam conatibus ſuis cauſſam dictitare poſſet. Habebat ſub ſi-
gnis centurias ſupra centum octonas & ſexaginta : quarum tres & ſexaginta cIↄ Iↄ
Hiſpani militis, in ternas legiones diſtributæ; reliqua exercitus erant qua- xcviii.
tuor Germanicæ, totidem Walonum legiones, Burgundica una. Turmæ
IV & XX, continentes millia equitum duo & quingentos. Peditum in uni-
verſum novemdecim millia, ducenti, & octoginta novem erant, ut index,
penes captum Hiſpanici exercitus cenſorem à noſtris repertus, pro-
debat. Sed terribilem turbam vulgi rumores faciebant, ob immenſam
vim meretricum, calonum, lixarum, & quæ alia caſtrorum neceſſitati
aut voluptatibus ſerviunt. Itaque ipſe Mendoza, inito copiarum numero,
millia plus quam LX, qua militum, qua adhærentis ijſdem turbæ, invenit.
Agebantur curruum fere millia ſeptem, ingenti terrarum deſolatione, per
quas ceu locuſtarum examen, fame attrita, & ſtipendij expers multitudo
exundabat. Edita omnis generis cladium exempla, actæ prædæ, & incen-
dij metu expreſſæ pecuniæ, agreſtibus præciſæ nares, & aures, & infanda
crudelitas in mulieres, nullo ætatis diſcrimine exercita. Trucidatæ puer-
peræ, necati in cunis infantes, etiam in nobilium arcibus, qui dato à magi-
ſtratibus ſuis ære tutelam publicam redemerant. Ne à ſocijs quidem effe-
ra ſe vis abſtinuit, lixæ ultro citroque commeantes direpti, hinc angu-
ſtię cibariorum & egeſtas in caſtris, & egeſtate aucta militum rabies. Quę
impunitate eo licentię prorupit, ut haud procul tentorio ipſius Mendozę
maritus cum conjuge interfectus; centurionum unus pro caſtris deambu-
lans, comprehenſus, & vitam pecunia redimere coactus ſit. Prima Orſoię
expugnatio fuit, ubi princeps Mendoza ſecurim portæ admovit. Arcem
Clivij jaculatores defendebant, acrius, quam cives, repugnaturi. Sed Men-
doza ſolus cum Pœnitentiario & carnifice à cæteris progreſſus, & manu
laqueos tenens, ni dederent, univerſos in patibulum ſublaturum ſe minatus
eſt; quo terrore evicti cuſtodes, deditionem fecerunt. Tum literis ad Cli-
vię Ducem, expugnatum à ſe locum trajiciendo Rheno ſcripſit, & quintum
intra diem redditurum. Cæterum facta haud congruebant: quippe muni-
tionibus firmare oppidum, & adverſa in Rheni ripa caſtellum extruere ag-
greditur, quo opere quinę hebdomades exactę. Interea & ponte amnem
junxit, quem mox confractum, rapuit fluvij curſus. Autores operis, pœnę
metu, diffugêre. Dein Buricenſibus denuntiat, certo compertum ſibi, re-
bellantes adverſus Regem Belgas, oppido eorum inſidias moliri, quos con-
tra præſidium ſi velint, miſſurum. Quibus humillime & demiſſiſſime re-
ſpondentibus, nullos ſibi hoſtes, & velut medios inter utramque partem
acturos, ſuccenſis portis oppidum diripit. At apud Fœderatos hęc nunciata,
majori profecto terrore multitudinē perculere, quam par erat gentem tot
annis bello aſſuetam. Rurſum è Geldria, ac trans Iſalam ſitis, in Hollandiam
homines demigrare, & pagorum plerique clam tributum redimendę va-
ſtitati hoſtibus pendere. Mox latiùs ſparſus terror ipſam quoque Hollan-
diam concuſſit, ubi tot urbium, infra memorandarum, expugnationes fama
vulgavit. Neque enim infirmitatem earum plebes, ſed numerum cogita-
bat. Differre quoque hoſtis, & excepti captivi firmabant, confeſtim in
Hollandiam iturum exercitum, tanquam promtâ re, & nullo adverſus im-
menſas vires remedio. Finitimarum gentium pleræque actum cum Fœ-
deratis, & conclamatas eorum res arbitrabantur, multo Pontificiorum, nec
diſſimulato gaudio. Reformatorum ut quiſque bonę cauſſę favebat, pri-
vatim fatum Belgarum miſerabantur. Quæ comperta perpulere Mauri-
tium, ut educere exercitum maturaret, quamquam militum quinque mil-
lia & quingentos, equites ſeſquimille, nec ultra cogere poſſet: etenim ob
ſummam rerum omnium caritatem, centuriones pleno numero habere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ XCVIII. centurias ſuas nequibant: & neceſſario malo, aliud ex culpa adjicientes, hâc præſcriptione, rapere quiſque, & publicas pecunias expilare: Patribus de remedio aſſidue deliberantibus, ſine effectu. Nonnulli Berkam prope caſtra locari ſuadebant, ſervandæ urbi. Sed quia facile Mendozæ tantis viribus inferiora Rheni inſidere, & interclusis à Belgica noſtris, pontem tormentis lacerare, Geldrowarta, ad Zevenariam, caſtris delecta ſedes; ubi certi commeatus, nec hoſti ulla facultas noſtros ad prælium cogendi, aut corrumpendi pontem. Accedebat his commodis, opportunus ſitus defendendis utcumque Geldrorum limitibus, & Comitatu Zutphanienſi, imprimis Doeſburgo, & quæ in Gravewarta ſunt munitiones. Simul promtum infeſtare hoſtium itinera; qui validis præſidijs commeatus ſuos deducere, & equitem atterere cogebantur. Primi Noviomagenſium, equites exceptis aliquot captivis, cognovere, mille Hiſpanos, comitante equitum turma, Orſoia Venlonam, petendo commeatu, per Stralam, iter feciſſe. Mauritius (nec enim arduum conjectare quantum temporis itineri requireretur) eodem ipſe contendit, & forte reverſum hoſtem cognoſcit; qui à captivis, quos deſiderabat, enunciatam noſtris profectionem ſuſpicatus, noctem diemque nunquam intermiſſo itinere, veteres ſedes repetierat. Hunc in modum hoſtilis miles varijs itineribus, & incommodis fatigabatur, nunquam progredi aut longius vagari auſus, niſi in Colonienſem, & Monaſterienſem agrum, aliaque à Fœderatorum caſtris longius ſita. Princeps Mauritius ex caſtris peditum centurias tres Berkam dimittit: mox, quaſi deſperans in urbem, ob propinquum hoſtem, perventuras, ſubito revocat. Statim Mendozæ nunciatur eſſe in itinere centurias: paullo poſt trepidas remeaſſe. Itaque priorem ad nuncium Barlotius cum legione ſua & campeſtribus machinis Buricam properat, ibique adventum noſtrorum exſpectans, & certior factus reverſos in caſtra, etiam ipſe regreditur: Mauritius exiguo tempore ob ſimulationem interpoſito, ire centurias jubet, quæ Berkam incolumes pervenere. Pari ratione Grolla, Brefurtum, ac Doeſburgum, validiori milite & commeatu firmatæ. Vicinis tractibus, ad Ruram amnem, Broekam arcem, Wirichius Comes Valkeſteinius, Germanico ſubditus Imperio, eoque pacatus, habebat, & tutelæ promiſſa à Mendoza impetraverat. Ea ex arce præſidiarij Hiſpanorum latrocinia coërcebant: & nonnullos, licentiùs facinora quævis patrantes, permittente Valkeſteinio interfecere. Mendoza extemplo copiarum partem, & machinas ternas arcem expugnaturas mittit. Comes militibus centum, & tertiâ parte pluribus ruricolis fretus, defenſurum ſe arcem confidebat, quamvis infirmo vallo. Toto die machinis diſploſis, accurrunt Hiſpani; ſed amiſſis centurionibus duobus & militibus L, à Comite repelluntur. Ubi vis parum ſucceſſit ad artes tranſgreſſi: Ferdinandus Lopeſius, & Hiſpanus centurio, honeſta omnia Comiti, & ſub nomine Mendozæ vitæ bonorumque incolumitatem promittunt, ſi inermis exiret. Poſtquam haud gravatè aſſenſit, & deditio facta eſt; quicquid in arce erat, contra datam fidem ſpoliatur atque interficitur. Comes ipſe paucis poſt diebus ab Hiſpanis duobus, quorum alter centurio erat, per blanditias evocatus, ſub ſpecie deambulationis Mendozæ juſſu in horto trucidatur: cadaver horreo inlatum, igne injecto in cineres redigitur. His patratis Hiſpani in arcem reverſi, velut irâ pleni miniſtros increpant: quippe conſcijs illis Comitem fugâ elapſum; proinde nullam jam veniæ ſpem, ſed ſtatim morituros. Scilicet hunc perfidiæ obtentum fruſtra quærebant: quando miniſtrorum unus exeuntem Comitem ſecutus fugâ evaſerat, qui rem, ut acta erat, omnem, Cancellario & Senatui Juliacenſi retulit, adeo veritatis certus ut jurejurando ſanciret. Mirari ſubit temere adeo violatam à Mendozâ fidem, quam dare nulla neceſſitas adegerat:

rat:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

rat: quippe infirma arx machinis brevi tempore convelli, & expugnatâ per cIɔIɔ
vim, Comitis mors pugnantium furori adſcribi poterat. Fredericus Ber- xcviii.
gius, equitum magiſter, obteſtabatur cædis hujus innocentem ſe, & oppu-
gnandæ arcis poteſtatem militi facere abnuerat. Sed Mendoza literis ad
Juliacenſem Senatum arcem vi & furore militum captam ſcripſit, Comi-
temque meritas luiſſe pœnas, tanquam hæreticorum ijs tractibus ducem,
qui Regium militem petendo victu egreſſum per prædones ſuos non pro-
hibuiſſet tantum, ſed & necaſſet. Perinde quaſi aliena diripere, regium;
ſua adverſum latrones tutari, prædonis eſſet. Adjecit Mendoza, per ludi-
brium literis ſuis Germanico ſermone Comitem reſcripſiſſe, quum ſciret
ignaram ſibi linguam illam. Potuiſſe Latine reſpondere. Nec multo pòſt,
Alpam, & Meurſam occupat, contra codicillos, contra fidem datam, & ſi-
gno Archiducis ſancitam, qui neutram ſe milite oneraturum Nivenarij Co-
mitis ſorori & conjugi (eæ locorum Principes) promiſerat, ſi Fœderati Pa-
tres deducto milite, locum utrumque juſtis poſſeſſoribus redderent. Mul-
tas quoque vicinis tractibus arces ſubigit; adeo nihil nobilibus, earum do-
minis, præſidij in Alberti codicillis, aut promiſsâ tutelâ erat. Direpta
omnia, & innoxia quoque in cunis ætas trucidata. Loëus Toparcha in arce
ſuâ cum conjuge tranſiectus, Veſalienſibus extorta dalerorum millia cen-
tena, mille modiorum frumenti, quîs præſidij immunitatem ìn præſens re-
dimerent: ſpatium non addebatur, ut brevem tantummodo requiem hoc
ære emiſſe viderentur. Tentavitque Arrago firmatas jam pactiones ever-
tere per varia effugiorum: primoque motâ quæſtione de dalerorum pretio,
non minores, ſed Imperiales intellexiſſe dictitabat: qua interpretatione,
ſumma omnium dimidio augebatur. Nam Imperiales duo ternos vulgares
daleros faciunt. Cæterum ut Veſalienſes extrema ante paſſuros reſponde-
runt, quam annuerent poſtulatis, daleris vulgaribus acquievit. Interea
Berkæ quoque animum advertit, multis mirantibus, Regio prorſus exerci-
tu, & machinis inſtructum, tempus terere invalidorum locorum expugna-
tione, infirmo ad prohibendum noſtrorum exercitu, & octo inſuper mil-
lium itinere remoto. Imprimis quando hyems, certum gerendis rebus
impedimentum, ſuberat. Nonnulli credebant, in rem ejus eſſe, ut Berkam
ad tempus retinerent Fœderati, quo honeſtior præſcriptio eſſet caſtra in
Germanici juris ſolo metanti. Et priorum temporum exempla repetenti-
bus occurrebat, Parmenſem Principem, alterum annum Imperij ſubdito-
rum impendio exercitum ſuſtentaviſſe, nec Berckam, quamvis in arduo
haud eſſet, oppugnaſſe. Exiſtimare alij, dilatum à Mendoza, ſi forte Epi-
ſcopus Colonienſis Patrum voluntate oppidum reciperet. Inſtabatque il-
le, negans more & exemplo S. Imperij ſe Patrum poſtulata perficere, aut
Electorum Germaniæ vadimonium impetrare poſſe. Nec fas urgeri ſe,
ut pro alio fidem interponeret. Sufficere debere, ſi ipſe, & pro ſe Weſtphali
ſpondeant. Quin & promiſſa Archiducis manu ſigilloque firmata traditurũ
ſe ajebat. Accepere conditionem Patres, & Epiſcopo ſcribunt, ſi ipſe, ſi Al-
bertus, & Weſtphali ſpondeant, urbem Hiſpanico milite nunquam onera-
tum iri, ceſſuros ſe. Tum rurſus ille, haud recte acceptam mentem ſuam
cauſſatus, nec expoſito in quo erratum à Patribus eſſet, reſpondit, tanquam
abunde ſecuritati ſui ſolius fide proſpiceretur. Redderent Patres Berkam;
Orſoium, aliaque loca retinerent. Tandem ex interceptis Mendozæ ad
Veſalienſes literis compertum, mutuis conſilijs innexum utrumque. Et-
enim, inter cætera cauſſarum, otioſum ſe in Imperij ſolo conſidere Mendo-
za dictitabat, quod hactenus in Berkæ negotio cunctatus eſſet Epiſcopus.
Et ſimile prorſus vero erat, omnibus modis illum Mendozæ in Germani-
cam ditionem iter juvaturum: quippe indigum auxilij ejus, ad expugnan-
dam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ xcviii. dam Delmenhorſtam, quam ab Oldenburgi Comitibus multos annos Monaſterienſibus præreptam teneri ferebat. Deinde & redigendo in poteſtatem Hildeſhemienſi agro, ubi ab Eccleſiaſticorum collegio Epiſcopatum idem adeptus; ſed ſoli pleraque Brunſuicenſis Dux retinebat. Mendodoza caſtellum inſulæ ad Berkam impoſitum invadere impetu Barlotium juſſit; eo repulſo dierum aliquot quies: quîs ſummo ſtudio Mendoza captivos de ingenio, de moribus Præfecti Schafij interrogare, & an auri avidus eſſet. Literas quoque ad ipſum dat, multa magnaque pollicitus, ſi oppidum ante admotas copias dedidiſſet. Schafius certiorem Mauritium facit, ſed priuſquam reſcriberetur, peſtilentiâ correptus, ubi adeſſe ſupremam neceſſitatem ſenſit, centurionibus, qui oppido præſidebant, literas Mendozæ tradit. Illi ſub nomine ejus ambigue reſpondent, neque annuentes poſtulatis, nec ſpe omni ſublatâ. Mendoza illico reſcribit, & opes, honores, omnia egregia Schafio cumulaturum promittit: addito, reperiſſe ſe, quemadmodum incorruptâ ejus fama, & nemine conſcio res conficeretur. Etiam per literas conjugem ejus rogat, ut maritum hortari atque impellere velit: quem ubi defunctum accepit, cum omni exercitu machiniſque urbem adgreſſus, per Alphonſum Davalum, præfectum equitatu, dedi poſtulat. Præerat urbi Lucas Hiddingius, in locum defuncti ſurrogatus. Is cum centurionibus præfectiſque deditionem non Ducis, ſed Vicarij nomine poſtulatam indignatus, nihil reſpondit: itaque durant animos, & extremum ſimul caſum ſuſtinere certi omnes, acerrime ingruentes hoſtes animosè repellunt, quorum multi proſtrati, dum non munitionibus factis, non diſploſis tormentis, molem pro urbe opprimere tentant, nudi, & ad jactus undique patentes. Caſtellum inſulæ inditum ultro Hiddingius deſeruit, acceptis in urbem, quîs defendebatur, tormentis, ac milite: nam neque teneri, & ab urbe machinis excludi poterat. At directis jam hoſtium tormentis, poſtquam quati loricæ, & propugnacula feriuntur, globus vallum ſupervolans, averſo urbis latere in turrim pyrio pulvere differtam delatus, incendium excitavit; dubium lapidibus, an anchoris quis muri fulciuntur illiſus, ſcintillas excuſſerit. Eodem igne arx, in qua Hiddingius erat, ſolo proſtrata, ipſe cum præfectorum & militum nonnullis obrutus: & quod maxime pernicioſum, diſiectum ingenti ruina vallum nudavit urbem, haud ſecus quam ſi tormentis ɪ v & x x diſiecta mœnia fuiſſent. Fortè objecta pro foſsâ moles, proſpectum hoſti adimebat; unde ignarus ille convulſum vallum haud ſtatim incurrit. Simul præfectis majorem quam pro fortuna animum ſimulantibus, ſpatium fuit, honeſtas conditiones paciſcendi. Ita, omiſſis vexillis, cum gladijs, omnique inſtrumento abiere, numero ſexcenti admodum: & quatuor proximis menſibus, non militaturos extra Hollandiam Zelandiamque promiſerunt. Parem numerum peſtilentiâ hauſtum ferebant. Sed incendio, quod diximus, adeo repurgatus aër, ut neminem ab eo tempore lues extinxerit. Sanctius hic noſtris, quam Broecenſi præſidio fidem ſervatam, gratia potiſſimum Alphonſo Davalo habenda; qui ante annos ſex Hagæ Comitis in captivitate liberaliter à Mauritio habitus fuerat. Inter præfectos oppidanos Weerdenburgius Ultrajectinus erat, ante duodecim annos Wachtendoncæ præfectus: quando à Gelænio Toparcha magnis pollicitationibus ad proditionem ſollicitatus, & ſpeciem inclinantis ſimulans, ingentem pecuniæ vim acceperat. Poſtmodo inriſo hoſte retinuerat arcem, & ſæpius inſidijs petitus effugerat. Nunc quoque alienam in centuriam tranſgreſſus, gregarij militis ſpecie feliciter evaſit, hoſtium incuriâ. Inter hæc vicinæ Germanici juris nationes, auditis Mendozę actis, convenerunt, & conſultare cœperunt, de prohibendâ terris ſuis bellantium Hiſpanorum & Fœderatorum vi. Cæterum nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

hil hic decretum, quàm ut delatis ad Cæſarem querelis, promiſſa adverſum Turcas tributa recuſarent. Mittuntur ad Mendozam ac Mauritium legati, cIↄIↄ ijſdem mandatis, ut terris ſuis, tanquam pacatis, & in hoc bello otioſis, par- xcviii. ceretur, exercitus deducerentur. Rogatuſque imprimis Mauritius, ut exemplo bono præiret, neu injuſta patrantes Hiſpanos, & varia Germanorum loca expugnantes, ſequeretur. His Mendoza contemtim ſatis reſpondit: *Eum nunc rerum ſtatum, ut Germanico ſolo decedere nequeat: omnibus modis rebellium Belgarum vires frangendas, qui obſtinatè pacem, & præreptam Colonienſi Epiſcopo Berkam reſtituere, abnuerent. Sumerent ſecum arma Germani, in perniciem rebellantium contra Regem ſubditorum. Ita brevem bello, & eorum oneribus finem ſperari poſſe.* Jus Regis in Cliviorum, & Juliacenſium terras, nullum obtendit; quod alioqui vindicabat, ex quo Wilhelmus Dux anno MDXLIII imperio redditus. Omiſit quoque, Hiſpano datam à Cæſare poteſtatem terras eas tutandi, quoad priſtinæ valetudini Dux reſtitueretur. Nec de teſtamento ejus additum quidquam; cujus faciendi impulſores Duci huic Cancellarium ac Senatum fuiſſe, credebatur. Quamquam infirmâ adeò mente erat, ut diſſimulare apud eum ditionis deſolationem conſultum videretur, metu redintegrandæ valetudinis. At Mauritius, poſtquam legati acceſſere, *Abunde*, inquit, *Fœderati Patres honorem, quem Imperio deferunt, oſtendêre, reſtitutis, ante aliquot annos, legatorum poſtulato, Germanicis urbibus. Stipulati paria de Hiſpanis erant. Nihilominus & Berkam, & alia loca ijdem retinuere: unde multis cladibus acceptis, tandem compulſi Patres Berkam expugnarunt: quam licet ſummo jure retinere poſſent, reddere tamen Epiſcopo voluerunt, ſi aut Electorum nonnulli, aut ſaltem Weſtphaliæ Proceres fidem darent, Hiſpanos neque illam, neque alias Germanici juris urbes occupaturos. Quæ dum agitantur, movit exercitum hoſtis, nec Berkam ſolùm, ſed & Orſoiam, & Burikam, & varias nobilium arces in poteſtatem redegit: quin Meurſam quoque, & Alpam; contra Alberti codicillos, quîs propriâ manu & ſigillo firmaverat, ſe pro pacatis eas habiturum, ſimul juſtis poſſeſſoribus redditæ à Patribus eſſent. Ille agris, ille urbibus Imperij, vaſtitatis metu intento, pecunias extorquet, diripit agros, ruricolas, nobiles, Comites trucidat, adeò non reſiſtente Imperio, ut de Alberto Romanorum Rege creando agitetur. Ex his manifeſtum nobis, hoſtem, juvantibus in Imperio nonnullis, omnem Germaniam, univerſam denique Europam ſubigere conari, quo diu meditatam in omnes populos dominationem exerceat: & haud dubiè apiſcetur, ſi conjugem Iſabellam, & regnum Romanorum Albertus conſequatur, ſubdolâque pace jugum Belgis imponat, quo jam pridem cuncta Hiſpanorum diriguntur. Itaque dudum tempus adeſt, ut omiſſâ ſegnitie, ijs, quas Numinis benignitate habetis, facultatibus, hoſtem Imperij ſolo pellatis, veſtræque ſecuritati adverſus jugum ejus proſpiciatis. Faciliora hæc defuncto Rege, fraudatis ſtipendio, & ſine duce militibus. His confectis, haud gravatim ſanè Patres veſtris excedent terris. Sin deſides ipſi, urbes, caſtellaque Imperij occupare Hiſpanum, & veſtra ſubſidia noſtrum in damnum vertere patiamini, quid reliquum nobis, quam Fœderatorum Remp. omnibus modis tutari? Cur nobis minus liceat pacata oppida in uſus noſtros præſidijs firmare, & abrumpere ſupervacuam noxiamque prorſus humanitatem, quâ Imperio parcentes, nos ipſos feſellimus? Teſtimonium Berka eſto, non aliam ob cauſſam amiſſa: quam firmare munimentis, firmare milite, in arduo Patribus haud erat, niſi omnibus officijs Imperium obſtringere paratiſſimi, Epiſcopo oppidum reddere omnino in animo habuiſſent.* Hæc reſponſa, & ſolatia utrimque legati retulere. Non tamen gravia perinde de Fœderatis, quàm Hiſpanis queſti. Apertè fatebantur, nihil recti, nihil illiciti Hiſpanicis in caſtris eſſe: unde Mendozæ fide parum freti, flexu itineris, & vitatis ejus caſtris, domum rediêre. Adeò Patrum regimini, quamvis haud uſquequaque bene compo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ fito, gloria quæſita eſt, deterrimâ Hiſpanorum comparatione. Die poſt
xcviii. ſubactam Berkam quartodecimo, Mendoza cum omni exercitu, & machinis xvi Rhenum tranſit: diſiectoque ad Orſoiam caſtello, ſolam arcem milite firmat, iterque inſtituit, tanquam Mauritium, aut vicina Iſalæ petiturus. Abundabant per id tempus amnes, & Mauritius aggerem Emmericâ altiùs ſitum perfodi jubet, quâ re interceptum iter ad caſtra, & Zutphanienſem Comitatum. Hohenloius cum militum copiâ aggeri, quâ perfoſſus, aſſedit, aggeſtoque raptim lunari munimento, ſuſtinuit hoſtem, multo ſtudio pellere noſtros, & obſtruere perfoſſa adnitentem. Poſtquam ſæpius rejectus tormenta admovit, allata Hohenloio abeundi neceſſitas: ſimul convulſa hoſtis reparavit, quamvis exæſtuans eodem tempore Rhenus adjecti agri aliquantum inundaviſſet. Reſa, & Emmerica, portas ſpontè patefecerunt, jurejurando (quod ultrò obtulerat) promittente Mendozâ, ternas modò centurias ſe ijs impoſiturum: ejuſque permiſſu, qui præſidebat centurio, juramento ſancivit, quicquid eum numerum excederet, urbe ſe prohibiturum. Neutrum ſervatum, & Reſa milite quantum caperet differta, adeò ut cives Cliviæ Ducem ac magiſtratus, velut magnum aliquid, ſupplices rogarent, facultatem ſibi dari, cum conjugibus, liberiſque, omiſſis bonis, oppido exeundi. Emmericam ſine morâ Barlotium Tribunum cum Walonum legione miſit: cæterùm is urbe excluſus à Centurione Germano, fidem ſuam ſanctè ſervaturum dictitante, quamvis perjuro Mendoza. Hæc præter fas & æquum patrata Eccleſiaſticorum animos (qui recipi præſidium multâ cum prædicatione Hiſpanorum ſuaſerant) Embricæ advertêre: quorum unus ſine diſſimulatione Mendozam coarguens, non his rebus aut Regi, aut ſacris conſuli objecit. *Hactenus*, inquit, *rebellantes Belgas incuſavimus, ut diffidentia adverſus Regem pacem averſantes. At non falſo diffiſos experiendo didicimus. Tua hæc culpa, tu cauſſam illis, & ſimul nobis præbuiſti; adeò ut ambigam, pluſne tibi, an Belgis, ſit fidendum.* Hæc ille, nec immerito, jaciebat: quippe exiguam ob ſpem emolumenti temere & fidem, & jurejurandum, & manum Mendoza dederat, & leviſſimam ob utilitatem violaverat. Itaque promiſſorum admonitus, feciſſe quidem fatebatur; cæterùm aliter nunc Regis utilitatem poſcere. Herenbergâ, & Anholto oppidulis pridem Patres militem deduxerant, & utrique viduarum, quæ Comitum titulo ea tenebant, reddiderant, conſpectis Archiducis codicillis, quîs immunitatem præſidij oppidorum utrique promittebat. Quantùm ad Anholtum, violata Alberti fides, mileſque impoſitus. Heremberga vacavit, quia viduâ loci Principe genitus Fredericus Bergius equitatu præerat. Poſtquam hunc in modum hoſtilis exercitus Elteno monti propinquavit, Mauritius Sevenariæ, Cliviorum urbi, haud procul caſtris ſitæ, diutius parcere noxium ratus, civibus denuntiat, exigere neceſſitatem, ut præſidio oppidum firmet: quare, dum liceret, bonorum mobilia exportarent: miſſique currus, & naves, & præfecti prohibendis injurijs, ac rapinis. Prætor urbanus, priuſquam portas panderet, ternos tormentorum jactus exſpectavit, magis ne in famam peccaret, quam ſpe ſuſtinendi. Simili ratione diſploſis aliquoties tormentis Cliviorum arx exigendis portorijs, Gravewartæ, urbem propter, impoſita, deditionem fecit, & Fœderatorum militem intromiſit. Mauritius Mendozæ adventum in Geldrowartâ exſpectare certus, Comites Hohenloium, Solmenſem, & Ludovicum Naſſovium cum turmis quinque Eltenum ad caſtra hoſtilia mittit, velitationibus tentandis. Biduo pòſt inſtructâ acie Doetecomum progrediuntur. Et nonnulli Fœderatorum equites intra globi jactum hoſti propinquavere, nulla tamen pugna facta. Ipſe Mauritius & Guilhelmus Naſſovius iv equitum comitatu, & conditis in proximo equitum infidijs,

hoſtili

hoſtili agmini adequitant, exploraturi militiæ apud eos rationem: ſed quan-
quam puriſſimo & patenti campo diu reſtiterant, nullus Hiſpanorum ad cIↄIↄ
pugnam prodijt. Neque ijs diebus quidquam in Fœderatorum caſtra xcviii.
Mendozæ tentatum; nec claſſicum perturbandis, aut fallendis noſtris
incendit. Ipſe ſæpius à noſtris ex compoſito ad arma conclamantibus,
inquieta caſtra ſua vidit. Dum ad Orſoiam hæret, fortè Mauritius ſub
monte Elteno univerſas copias exercitando militi in aciem eduxerat: quod
ubi exploratores nunciavere, infeſto ſe agmine peti exiſtimans, ſtatim ar-
mavit ſuos, & in agmen coëgit: qui hoc maximè tempore gravi egeſtate
conflictabantur, dum propinquo Fœderatorum exercitu vagari ne-
queunt, aut edicto prohibentur. Adeò ut gliſcentibus indies anguſtijs,
complures deſertis caſtris ad noſtros transfugerent, diem alterum, ter-
tium, ſæpe & plures pane ſe caruiſſe conquerentes; unde manibus noſtro-
rum & captivitati complures ſeſe tantum non obtulerunt: certè adeò non
repugnabant, ut volentibus vincula injecta crederes. Maximè tamen fati-
gavit eos, quòd decem continuos dies in acie ſtetere, ne noctibus quidem
ad quietem datis: ſed cuique, quem occupaverat in acie locum, cubile fuit,
nullis adverſus cœli injurias munimentis, nullis tugurijs, quæ extruere an-
guſtiæ temporis prohibebant, & ſimul fame, & frigore vexabantur: quippe
feſtum Martini ſuberat. Potiſſima ſemper Regijs in equitum numero fi-
ducia: ſed ij hâc tempeſtate tirones; contrà Patrum eques exercitatiſſi-
mus. Unde haud exiguus inter eos timor, licet peditatu valebant, armis,
tubis, alijſque neceſſarijs accuratiùs, quàm Fœderatorum milites erant, in-
ſtructo: idem inſuper mixtus varijs è gentibus, quas æmulatio virtutis ac-
cendebat. Evenit, ut XVI Fœderatorum equites, numerum triplo majo-
rem Hiſpanorum profligarent, equoſque XL, & nonnullos equites in ca-
ſtra captivos adducerent. Similia alijs quoque diebus ſæpius geſta. Simu-
latque Doetecomum iter vertit Mendoza; Mauritius, Hohenloio cum
nonnullâ manu in Gravewartâ relicto, carpendis hoſtium per Rhenum
commeatibus, Sevenariâ Doeſburgum movet, &, oppidum Iſalamque
inter, caſtra communit vallo: cujus ima quadragenûm in latitudinem pe-
dum aggeſta, faſtigium IV & XX, altitudo octonûm pedum erat, impoſitâ
ſex pedum loricâ. Tum duplicem foſſam à fronte, & ponè vallum ducit,
maturando operi: nam celeriùs ligonibus utrimque humus adjiciebatur,
quàm ſi vehiculis conveheretur, quanquam plus roboris in hoc. Interea
Mendoza tridui labore munitiones ad foſſam Doetecomi perducit: quaſ-
ſatoque XII tormentis vallo & propugnaculis, deditionem centuriones
faciunt: quippe milites trecenti, nec plures inerant: arma omittere, & pro-
ximis ſex menſibus, extra Hollandiam Zelandiamque nulla ſe facturos ſti-
pendia polliceri coacti ſunt. Ferebant, niſi deprecatus eſſet Bergius Fre-
dericus, immotum Mendozæ fuiſſe, cives pactis excludere. Qui, ſubjuga-
to oppido, quid potiſſimùm ordiretur ambigebat. Nihil adhuc dignum
tantis viribus in Belgicâ geſſerat: nec limitaneas urbes, quales Novioma-
gum, Daventria, Zutphaniaque, aut munitionem in Gravewartâ impetere
auſum illi. Doeſburgum (quod invalidum, ſed opportunum Iſalæ & Ve-
laviano agro in poteſtate habendis, cum Doetecomio ſimul capere in arduo
non fuerat, ſi aut conſulere ipſe, aut alios ſalubria monentes audire ſciens,
Elteno confeſtim huc tetendiſſet) nunc caſtrorum propinquitas tutabatur,
& impendebat hyems. Diu deliberato, Rhenum repetit, ſatis habens ad
victoriarum cætera arcis Scuilenburgi expugnationem adjeciſſe. Præſi-
debat hic cum pedeſtri centuriâ Theodericus Dortius; qui alterum diem
toleratâ machinarum violentiâ, cum diutius nequiret, dedidit, impetra-
to ut inermes exirent, niſi quod ipſe, adjutor, ac ſignifer, gladijs accincti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ XCVIII. abiere. At Mauritio Principi non minùs gloriæ quæſitum eſt, providè defenſis adverſus ingentem exercitum Fœderatis terris, quàm ſuperiorum temporum victorijs. Ubi abſceſſit hoſtis, Doetecomum ipſe contendit, cognoſcendo caſtrorum ſitu, & munitionum formæ: ubi ingentem multitudinem vulneribus, valetudine, aut fame afflictam, ſine tectis, ſine ullo miſeriarum lenimento, aut ſubſidio, jacentem reperit: & miſeratione commotus, miſſo in oppidum tubicine, centurionem monet, ne triſti adeò caſu ſocios deſtitueret. Sed ille mitem adeò Imperatorem ridens, integris ſe militibus, non infirmis, in oppido egêre reſpondit. Mauritius ægros ſubmiſſis cibarijs juvit, abducturus in caſtra ſua, ſi ad currus pervenire per valetudinem ijs licuiſſet. Hunc in modum Mendoza, fugientis magis, quàm victoris ſpecie diſceſſit; ſubitoque Monaſterienſem, Cliviorum, & Colonienſium agrum irrumpit; ubi non miles, non bellici apparatus quidquam ad reſiſtendum; quippe ſine hoſte gentes, fiduciâ pacis ſecuræ agitabant. In Monaſterienſi parte Boeckholtum, Borcham, Ranſdorpum, Suidlonam, Vredam, Stadtloonam, Nahuiſam, Ottenſteinium, Metelam, Ochtorpam, Schoppingam, Renam, Horſtmarum, Halteram, Dulmanum, Coesfeltam, Bilderbeccam, Ludinghuiſam, Alam, Warendorpum, Nienburgum, Schultorpam: in Benthemenſi Comitatu, juris Colonienſis Dorſtam & Rekelinckhuiſam in poteſtatem redegit. Tum Werdanum, & Eſſenſe territorium, & quæ in ijs erant oppida, Dorſtam tormentis ſubigit, conſcio Epiſcopo, ut creditum pleriſque. Idem qui urbes caſus, etiam ruricolarum fortunas involvit: quippe bonorum fere cuncta in illa oppida comportaverant; adeò ut uno tempore univerſa regio direpta exhauſtaque ſit. Occupantur in Cliviorum ditione Orſoia, Burica, Dinſlaka, Holtum, Reſa, Roerurtum, Schembeka, Calcaria, Gocha, & Gennapium. In Bergenſi Comitatu Hattinga, Lènnapiumque: nobilium, & faventium Regi arces plures v & x x direptæ, aut incenſæ; inlataque vis nobilibus matronis, ac virginibus. Nulla religio, nihil ſacri, aut penſi. Temerantur ſacratæ Numini virgines, quæ nobili genere Mariendalæ, ac Friedæ, in cœnobijs vitam à mortalibus diſcretam tranſigebant; imprimis Sleenhorſtæ, ubi nec una vim effugere potuit. Oſnabrugga, Paderborna, Oldenburgum, Dortmuntium, Clivia (quamvis hanc ſedem ipſe Dux, & ſoror ejus habebant) Vetera, Duiſburgum, deditionem flagitantur, quam pleræque, pecuniâ incendij metu datâ, redemere. Hæc in loca longè lateque Regius miles diſtributus: Mendoza ipſe Reſam hybernaculum ſibi delegit. Iiſdem diebus Ludovicus Naſſovius, hoſtium turmam inſecutus, Ulſtam compulit, & penſilem pontem attollere conantes prohibuit. Ipſe cum equitum parte (nam hoſtibus numerum triplo majorem habebat) equis deſiliens, oppugnat locum: & decem duodecimve equitibus proſtratis, cæteros acrem pugnam cientes, cum equis cepit. Adſpectabat certamen è feneſtris arcis vidua Bergij, cum filiabus, & cætero nobilium virginum comitatu. Ibidemque Henricus Bergius decumbebat æger: quem noſtri, quamvis hoſtilem, intactum tamen reliquere, quia arx inter pacatas erat. Ne turmæ quidem præfecto, qui in eam perfugerat, injuria ulla eſt inlata. Sed Ludovicus arcem ingreſſus, tantùm ut amitam, & cognatos ſalutaret, mox diſceſſit. Nec multò pòſt ſuum etiam Mauritius exercitum in hyberna diſtribuit; ipſe non longiùs à limitibus & hoſte abſcedendum ratus, Arnhemi permanſit; ac menſe Novembri Emmericam contendens, machinas properè adeò ei admovit, ut præſidiarij, numero ſeptingenti, deditionem facerent prius, quàm ſuccurrere Mendoza poſſet, qui duûm millium itinere aberat. Obſeſſi vexilla, arma, ac ſarcinas cum machinis duabus campeſtribus, quas ipſi intulerant, avexêre. Mauritio, ne offenſæ cauſſam ullam Imperio daret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ret, ſatis viſum, præſidium nequaquam imponere: & magiſtratus repellendis Hiſpanis omnia ſe tentaturos promiſere. Guilhelmus Naſſovius legione ſuâ in limitibus relictâ, paucis detractis cohortibus, Friſiam repetivit. Fortè ſub adventum ejus conventu Leovardiæ haberi cœpto, opportunitatem habuit hortandi Patres, ut ſubditis tributa majora imperarent. Etenim & Mauritius, & ille, gnari quanto in periculo, ob militum paucitatem Reſp. fuiſſet, ſi aut duce bono, aut occaſione pro ſe uſi hoſtes forent, novos delectus habendos cenſebant. Sollicitabatque nationes Senatus, ut ineunte brumâ de cogendis pecunijs conſultarent, quò maturè miles ſcriberetur, nec, ut ſolitum, Martio, aut Aprili menſe, quando jam paratum eſſe exercitum oportebat. Quâ de cauſsâ tributa ac vectigalia, quàm hactenus graviora, quadringenta XIV florenorum millia, ſexcentos & XVII in menſes ſingulos à Geldris, Hollandis, Zelandis, Ultrajectinis, Friſijs, Tranſiſalanis, Groningâ, atque Omlandis poſtulavit. Tum extra ordinem millia trecenta ſuſtinendis caſtrorum oneribus, exſolvendis vecturis curruum naviumque, & quæ ſuper hæc equis in promovendis machinis, ac alijs id genus, denique & foſſoribus deberentur. Sed hæc ab Hollandis, Zelandis, Ultrajectinis, Friſijs, & Groninganis exacta ſunt, ut limitaneis & propiùs hoſti ſubjectis nationibus parceretur: quas nunc & hoſtilis, & ſociorum exercitus onerabant. A Geldris tamen poſtulata millia LX, à Tranſiſalanis quinquagena: ab Drentanis ſeptena millia quotmenſibus, terna à Linganis, exactaſunt; rogatumque, ut proportione tributorum, quæ nationum cæteræ conferrent, ijdem quoque extra ordinem ſolverent. Præter hæc in ſingula cereviſiæ dolia, quæ caupones emerent, ſeſtertij duo; unus in ſalis vas imponitur; exſolvendis, quæ Reginæ debebantur. Quin & florenorum millia quadringenta, ſupremus Quæſtor fœnori accepit: procedentibus interea tributis, quæ populationis metu hoſtiles agri pendebant, & manentibus oneribus quæ ſali impoſita, quæque advectis, aut exportatis, denique & in hoſticum tendentibus incumbebant. Ad ultimum poſtulata florenorum millia ſexcenta, peditum millibus ſex, equitibus quingentis in Germaniâ, Galliâ, aut Britanniâ contrahendis, & ſex ſeptem æſtivis menſibus ſuſtentandis: conceſſumque Senatui, urgente neceſſitate, florenorum millia CL mutuò ſumere, ac nationum fide interpoſitâ, de ſolutione cavere. Ex Hiſpaniâ nuncij ferebant, non minore ſtudio bella juvenem Regem parare, totos dies conſilijs intereſſe, penituſque exercitus terreſtres duos, totidem mari claſſes habere decreviſſe, conficiendo quamprimũ bello, licet impenſæ annuę decennij ſumtibus æquandę eſſent. Confeſtim quoque regni forma mutata, & diverſa omnia à Philippi patris inſtitutis. Nonnullos vetuſtiſſimorum parentis Senatorum ordine movit, ſuffectis ſui ingenij hominibus. Semper parenti viſum fuerat, per diſſimulationem Belgas negotiantes tolerare, ob commoda ſubditorum. Hic commercia abrumpit, merces in fiſcum redigit, nautarum pleroſque tetris cuſtodijs intrudit; ubi miſerijs, fœtore, fameque enecti. Multos ad remos damnat; alios, tanquam direptarum Gadium reos, occidit. Belgas triceſimum jam annum in Hiſpaniâ habitantes, quin & Hiſpanos Belgarum mercatorum inſtitores, comprehenſos, tormentis ſubigit, edere merces, & credita cujuſque; diſpretis ſubditorum querelis, fame ſe perituros dictitantibus ob ingentem annonæ caritatem (nam quæ in Hollandiâ ducentis florenis emebatur tritici vehes, quadringentis quinquaginta apud Hiſpanos venum ibat) ſi vehentes frumenta naves crudeliter adeò vexarentur. Quibus quodammodo motus, indulſit, ut quæ triticum apportaverant naves, vacuæ abirent, ſeverè interdicto, ne ſalem, aut quas alias merces veherent. Mitigabant quoque inclementiam Regis, miniſtrorum nonnulli,

CIↃIↃ XCVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ XCVIII. munerum dulcedine, aut favore, Belgas, ſub nomine accolentium Albim, tramittentes. Itaque è quingentis, quæ detentæ erant, navibus, dimidius admodum numerus evaſit. Imprimis Olyſſipone clementius cum Belgis actum, quàm Hiſpali, aut alijs Hiſpaniæ locis. Præter hæc Philippus II, quotieſcumque ob ſpem emolumenti, Germanos Principes, aut Imperio ſubditos vexaverat, ſemper obtentum, ſi non juſtum, certè ſpeciem ejus habentem prætulerat, palam offendere non auſus, aut in longiorem diem differens, gnarus, quantum irritati Germani poſſent. Cæterum filius, perſuaſus, eâ in hæreticos clementiâ bellum ali, palam vi Imperium invadi, hæreticos vicinis tractibus deleri, & opportuna premendis rebellibus loca expugnari, ſubſidijſque ac gratiâ Imperij dejici eos voluit. Unde animadvertebatur, multa ſæva Philippi autoritatem & experientiam prohibuiſſe, jampridem Hiſpanico Senatui & Inquiſitoribus agitata. Adeoque Bonaventuræ vocibus cuncta congruebant, qui præpoſitus fratrum ordinis S. Franciſci, jam ante biennium eximi humanis rebus ſenem Regem voverat; quippe valetudinario aut languenti parcendum eſſe, nec poſſe gravibus eum curis onerari; & quamvis aperiantur, cunctabundum & tardum in decretis. Majorem ſpem, ſi filius rerum potiretur. Transfert dein curam Rex ad ea, quæ Philippo patri circa donationem Belgarum acta. Principum nonnulli ratam cupiebant, haud dubiè ut cum imperio ſimul quoque impenſæ ceſſarent, & permanentibus intra Hiſpaniam pecunijs, ſpes illis quondam fruendi. Contra Fontanus, & qui Belgicam ipſi perluſtrarant, donationi obſiſtere. Potiſſimum rerum munimentum Hiſpanis ſubduci, tranſlato in alium imperio Belgarum. Etenim ex quo in unum ij coaluiſſent, non modò aliarum gentium irruptionibus Hiſpaniam non obnoxiam; ſed & parem fuiſſe gerendo exteris in terris bello. Belgarum principatum Gallo, Anglis, Germanis terribiles facere Hiſpaniarum Reges. Si formidatum populis eſſe, rebus ſuis conſulere ſit, non aliam æque terram Hiſpanis opportunam, aſſiduo in metu vicinis retinendis. Annis LXXX, multis bellis, multis de pace colloquijs compertum, qui Belgarum potiatur, ponere alijs leges poſſe. Orientis & Occidentis commercia, quæ rem Hiſpanam ſuſtineant, ſolos in Chriſtiano orbe Belgas eripere poſſe. Quod fœderis arctiſſimo nexu adſtringi Belgas, & donationem certis legibus fieri velint, anceps eſſe, nec temere faciendum. Facile Principem tot terrarum, & ſolo manus ac ſigilli vinculo obnoxium, adjecto tempore cauſſas inventurum, proprium quæſtum, propriam tentandi potentiam. Potiùs Luſitaniæ regnum Alberto Rex traderet. Non diffiteri ſe, proventus hic majores: ſed, quantum ad vicinos populos, emolumenta ex Belgis uberiora. Simul plus Philippo autoritatis in Albertum, & poſteros ejus, ſi Luſitaniam propinquam, quàm remotiſſimos Belgas teneant. Hæc Fontanus. Quæ ubi Bruxellenſem in aulam fama tulit, varij animorum motus. Miſſique ab Alberti amicis ad Regem, qui demonſtrarent, exitium Belgis impendêre, ſi huc deductæ res, revocarentur: jam Proceres, jam plebem cuncta ſua ad eas compoſuiſſe. Iere quoque ad Pontificem nonnulli, rogaturi, ut Regi ſuaderet, ſemel acta non mutare: manſeruntque rata. Ea quam diximus irruptio Mendozæ in Monaſterienſum & Cliviorum agrum, demeſſis frugibus accidit; unde arvis vix quidquam ſeminis ad ſecuturam meſſem inlatum. Tum civibus & ruricolis omnis multitudo militum, meretricum, calonum, incubuit; ſingulis ſeni, octoni, quin & duodeni homines alendi: qui ſæpe ſuetum ijs locis victum coaſpernantes, exquiſita cibaria, & aliunde petenda poſtulabant. Nec rarò uno die prodegere, quæ frugaliter erogata, ad dimidium hebdomadis ſuffeciſſent. Tum verberibus & pecuniâ mulctare, quorum tectis recepti erant. Conſtat gregarios

CIↃ IↃ XCVIII.

garios milites, quadringentis, quingentis florenis, & eo amplius, ex rapto collectis, Coloniam Agrippinam veniſſe, ut trajectis nominibus pecunias Antverpiam tranſmitterent. Sed truculentiæ execrabilis infanda penè exempla edidere, ſuſpenſis civibus, ruricolis; qui miſerando ſpectaculo non cervicibus tantùm, ſed lacertis, pedibuſque ſæpe & pudendis laqueo circumdato, pependerunt. Multis toſtæ plantæ pedum, aliaque dolorum acerba excogitata, ſubigendis innoxijs, ut pecunias ſuas proderent. Reccæ (quod pago nomen) terni agreſtes ad arborem eandem revincti, admotoque igne ſenſim aſſati ſunt. Pluribus civium aut ruricolarum cutis innumeris locis, veſtis inſtar, diſciſſa. Non ætas, non ſexus miſerationem invenit; ſtupra mulierum aut virginum levia ſane aliorum comparatione: ſed teneris puellis, & congreſſum non tolerantibus, vis inlata, pluſquam ferinâ crudelitate. Dulmenſem judicem quini milites pedibus manibuſque vinxerunt: dein conjugem in oculis ordine omnes ſtupravere. Eodem loco puellam, diductis lacertis cruribuſque quatuor palis humo infixis alligatam, ſtuprarunt, donec exanimaretur. Bedlinckhovæ, alijſque nobilium in arcibus, non fœminæ tantùm temeratæ, verùm & poſtquam ſatiata libido in rabiem vertit, detractâ veſte, converſa deorſum ora plumarum acervis immiſere, & horrendis modis cruciavere, quos referre pudor ſit. Quæ prolem extra pericula ablegarant matres, tormentis ſubactæ revocare filias, militumque libidini tranſdere. Biſlici, Impelæ, alijſque locis, gravidæ confoſſæ, diſiectaque corpora. Fuere qui reſciſſa matris alvo, lactentem, & vix anni unius infantem, immiſſo capite, materno ſanguine ſuffocarent. Vigente hyeme, exhauſtus penè omnis ager, exhauſtæ terræ erant: jam atri panis libra duobus ſeſtertijs, butyri octonis veniebat. Unde ortâ inopiâ neceſſariò latius ſe diſperſere in Marcanum Comitatum, & Ducatum Bergenſem, horæ tantum itinere à Naſſoviorum ditione, ubi cum militum millibus ternis junior Comes Joannes Naſſovius limites inſederat. Hæc nefariè adeo ab Hiſpanis patrata magnis in Imperio rumoribus cauſſam præbuere, crebri conventus acti, crebræ literæ, & legationes ad Mendozam miſſæ, Cæſar ipſe, quanquam conſcientiæ innexus ſuſpectabatur, bis per legatos monuit eum, excederet Imperio, proſcriptionem ni pareret interminatus. Sed licet Cliviorum, Bergenſium, & Marcanorum legatis fidem dediſſet, minas exſequendi, ſi juſſa aſpernaretur Mendoza, nihil tamen promiſſorum perfecit. Lotharingiæ Dux (cujus filia Cliviæ Duci deſponſa, filius Galliarum Regis ſororem in matrimonio habiturus erat) reſumturum arma affinem Regem minatus eſt: quippe violari pacem injurijs in nationem conditionibus comprehenſam. Carolus Nutzelus, legatus Cæſareus, per id tempus Cliviæ agitans, ſeriò hortatus Mendozam eſt, pacatis ut gentibus parceret, abſcederetque; nec Germanos Principes, Lotharingum, & Galliarum Regem, novo matrimonio Clivicæ domui innexos, irritaret: neu Hiſpaniarum Regis, totiuſque domus Auſtriacæ famam, & gloriam, nefandis latrocinijs & ſceleribus corrumperet; denique & in periculum Romanenſia ſacra adduceret. *Certò*, inquit, *credidi, te, ut Principem, quem ſanctiſſima fides decet, ſervaturum, quæ tot promiſſis, toties dicto jurejurando, ſcriptis codicillis, Cliviæ Duci, ſorori ejus, alijſque pollicitus eras, de reddenda Orſoia, & , ubi in poteſtatem Berka redijſſet, avellendo his terris exercitu. At nunc, proh dolor, eluſum me, ruptum juſiurandum, violatam fidem, quin & cuncta in contrarium, quam putaveram, tendentia reperio. Hinc quid ſperare queam, præter contemtum Numinis, & divinarum rerum? Opprimitur Princeps inter medias hæreticorum procellas fortiter rectis ſacris adhærens. Spernitur ſanguinis vinculum, & immenſi exercitus, ac deterrimus quiſque in propinquos Regis armantur, ducuntur. Spoliantur templa, rapiuntur cœnobia; cædun-*

tur

cIↄIↄ *tur ſacratæ vitæ homines, teneræ & dicatæ Deo virgines temerantur, omnia*
xcviii. *divina humanaque permiſcentur. Legati, ſanctum etiam apud gentes nomen,*
palam vi invaduntur. Ego ſanè plurimum vereor, ne in Catholicum Regem, &
ſcelerum horum autores, juſta Numinis nunc ira, olim ſit vindicta. Etenim,
quænam illum felicitas, quæ maneat fortuna, cui nihil penſi, nihil moderati eſt?
Cui propinqui, ſocij, innoxij, ut alieni, ut hoſtes, ut nocentes vexantur? Ab-
unde hæc oſtendunt, quo animo pluſquam barbaram crudelitatem legatus
exceperit: qua ex indole ſiquid Cæſar aut Albertus hauſiſſent, in arduo non
erat occurrere malis; quorum ſola diuturnitas ſatis approbabat, alijs eos co-
gitationibus diſtineri, & proferendi imperij cupidine parum miſerari fortu-
nas ſociorum. Unde conſtat, nequaquam arcanorum in conſcientiam Nut-
zelum adhibitum. Sed illa poſt magis patuere, quum audacter adeò Men-
doza Cæſaris monita aſpernatus, dictitavit, tum utendum illi poteſtate
ſuâ fuiſſe, quando Bonnam & Berkam Fœderati habebant: manife-
ſto indicio, diſpretas ei Germanorum vires. Adeoque haud dubitavit di-
cere, quamvis hinc Cæſar proſcriptionem, inde Pontifex divinis omnibus
humaniſque interdicturum ſe minarentur; nihilominus, quod ex uſu Regi
ſuo eſſet, perfecturum; neque ceſſurum, antequam armis pelleretur. Ad-
debat, non neceſſitate tantùm victum regio militi quærere compulſum; ſed
omnino Calviniſticam ſectam, materiem omnium rebellionum, evellere,
ac Romana ſacra reponere velle. Itaque miſſo ad Cliviæ Ducem legato,
obtulit operam ſuam in coërcendis rebellibus ac hæreticis: cumque Sibyl-
la, Ducis ſoror, fratris valetudinem obtendens, reſpondiſſet, nullos rebel-
les eſſe, quos autoritate Cæſaris accedente compeſcere Dux nequiret; &
confeſtim fecialis à Cæſare miſſus Mendozam decedere Imperij ſolo juſ-
ſiſſet: adeo illi hæc ſpreta, ut poſtridie Calcariam, tormentis admotis ex-
pugnaret, & indignè in civitatem ſæviret. Paullò pòſt eandem in ſenten-
tiam à Lotharingiæ Duce per legatum admonitus, Gocham, Gennapium,
ac Vetera deditionem facere juſſit. Gocha, ubi multis annis Reformata
ſacra viguerant, militem accipere vi coacta. Gennapium & Vetera ære
præſidij immunitatem redemere. Per idem tempus Veſaliam, quamvis pe-
cunia & frumento collato aliter convenerat, minis & terrore perpulit, ab-
dicatis concionatoribus, ſublatoque Reformatæ religionis exercitio, Pon-
tificios ſacerdotes, Monachos, ac Jeſuitas admittere. Quærebant ſolatium
Veſalienſes apud Cancellarium ac Senatum, & majorem Eccleſiam (quòd
in Ducis arbitrio erat) ac Scholas Jeſuitis tranſdituros offerebant, modò
cæteras obtinerent. Sed nequicquam omnia, cunctis templis, & fanis ce-
dere compulſi ſunt. Addita ludibria, & ridiculæ cæremoniæ à Jeſuitis ſug-
geſta virgis cædentibus: quîs inſiſtentes alij, peccaviſſe ſe altâ voce excla-
mabant. Etiam Paderbornenſem Epiſcopum, ut Hæreticos & Lutheranos
urbe ſuâ pelleret, Mendoza admonuit; alioqui militem miſſurum, quem
neque in Hæreticos à cæde, neque in cæteros injurijs temperaturum, ſed
ſævitiâ in nocentes & innoxios promiſcuâ uſurum. Scripſit quoque ad
Oſenbruggæ & Bremæ Epiſcopos, atque Oldenburgenſem Comitem,
alioſque vicinis tractibus Principes, ingentem pecuniæ vim, tranſitum mi-
liti ſuo, & hybernandi locum dari à nonnullis poſtulans. Sed fortiter illi
abnuere, ſcriptuſque ad defenſionem miles, ſiquid hoſtile tentaretur. Inter
varias finitimis illatas injurias & clades, nullius perinde, quam Edſardi Co-
mitis ditione, Mendoza abſtinuit, partim ob conſcientiam mutuam, partim
majoris emolumenti ſpe. In Hungaria Cæſarianis proſperrimæ hoc anno
res, expugnato ſine labore Javarino. Pylorecte portam urbis noctu Chri-
ſtiani diſiecerant, & trucidatis excubijs ad ſudeti portulam progreſſi, aper-
tam invenerant, negligentiâ aliquot centuriarum, quæ nocturnis tenebris,
ad latro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ád latrocinia, aut ſtruendas inſidias, oppido digreſſæ, obicem obdere, & cIↄIↄ
attollere pontem neglexerant, ita ut inoffenſo pede ad majorem urbis por- xcviii.
tam aditus daretur; quam itidem ſuccenſo pylorecte Cæſariani convulſe-
runt, & quamvis urbe potiti, victoriæ inſiſtere neglexerunt. Exactâ jam
æſtate Varadinum in ſuperiore Hungaria Turcæ obſederant. Quos ut
propriorum cura oppido avellerent, Chriſtiani Budam adgreſſi, tormento-
rum violentiâ ſuburbium capiunt: quod tantæ magnitudinis, ut tectorum
IV millia contineat. Tum directis in urbem machinis Novembri menſe
abſcedere coacti, quia tormentorum plerique magiſtri ceciderant: neque
enim ſolitum ijs tractibus aggeris aut pluteorum obtectu hoſtium ab ijs
jactus prohibere: dein ipſæ machinæ ex vitioſo metallo cuſæ poſt paucos
jactus tumeſcentes, inhabiles ad uſum erant. Sed quod præ cæteris no-
xium, dux bonus deerat. Paullo ante Varadinum quoque Turcæ deſerue-
rant, nequidquam munitionibus, cuniculis, alijſque id genus magno labo-
re exhauſto: & fortiter repellente eos Melchiore Rodero, qui urbi præ-
erat. Poſtquam diſceſſere, Michaël Walachiæ Weiwoda eorum agros ir-
rumpens, Nicopolim, urbem ſex mille domuum, ad Danubium ſitam, di-
ripit, inceditque, & ulterius progreſſus, pagos, vicos, cuncta vaſtat, Tur-
cas obvios proſternit, & Chriſtianorum millibus aliquot ex Turcica ditio-
ne abductis agros ijs trans Danubium aſſignavit. Superiore anno Se-
venbergenſis Dux emotâ mente (erant qui venenum à Jeſuita præbitum
putarent) omnem ditionem ſuam, & hæreditarium in eam jus Maximilia-
no, Cæſaris fratri, tranſdiderat. Ipſe, miſsâ conjuge, certus deſtinationis, vi-
tam à mundi conſortio ſegregandi, tandem, pœnitentiâ priorum, queritur,
nequaquam ſibi ex agris, quos in Sileſiâ ad vitam ſuſtentandam Cæſar aſſi-
gnaſſet, ſperatos proventus, ne arcium quidem ſtructuram pro dignitate
ſuâ magnificam: & mox exiguo comitatu, in Sevenbergiam regreſſus,
magnaque primorum urbiumque voluntate exceptus, uxori rurſum jungi-
tur. Poſtquam firmatam ſuæ ditionis poſſeſſionem iterum habuit, Batorio
Cardinali hæreditatio eam jure donat, viro Auſtriacis infeſto, rurſumque
facto divortio conjugem ad propinquos ſuos Gratzam remittit. Eodem
anno mota Septentrionis arma. Sigiſmundus jure majorum Sueciæ Rex,
& apud Polonos idem faſtigium adeptus, horum in terra ſedem poſuerat.
Suecorum regno multos ante annos Pontificia religio exacta erat. Apud
Polonos utraque vigebant ſacra; & urgebatur à Jeſuitis Rex, ut Romanam
quoque religionem in Sueciam reduceret. Haud abnuebant eum rerum
ſtatum Poloniæ Proceres: itaque cogendis Suecis millia aliquot militum
Regi offerebant. Sed illi reſtitere, Carolumque, Finniæ Ducem, regimi-
ni impoſuerunt, non illæsâ majeſtate Regis. Qui militem multo tempore
ad Gedanum tenuit. Civitas haud immemor ante biennium inducere
Pontificia ſacra eum tentaviſſe, ſuſpectabat vicinum exercitum, Suecos
prætendi, cæterum in ſe copias comparatas exiſtimans. Quare acribus cu-
ſtodijs cuncta Regis obſervavit, tametſi commeatum, naves, aliaque ne-
ceſſitatum ſubmitteret. Tandem ille militem in Sueciam trajicit, qui ſi-
mulatque exſcenſum in terram fecere, primorum multi, jam ante clam in
partes tracti, palam ſe Regi jungunt. Nonnullis in urbibus pulſi, qui Caro-
lum ſequebantur; proprijque ejus ſubditi arma adverſus Principem ſuum
cepere, quos ille feliciter vicit, diſſipavitque. Poſtea quoque ipſum Re-
gem caſtris exuit, qui Gedanum paucis comitantibus profugit: gaudenti-
bus Fœderatis: quippe Jeſuitis, ſi proſpere deſtinata ſucceſſiſſent, prom-
tum retinere Poloniæ Boruſſiæque frumentum: quo fine claudi Codanum
ſinum ſæpius à Daniæ Rege Hiſpanus contenderat. Simul quoque Emda-
nam civitatem Poloniæ Rex opprimere adniſus fuiſſet, quod haud dubie

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcviii. Belgarum navigationi detrimentoſum. Et jam in expeditionem Suecicam proficiſcens, per literas acres Emdanis minas intentaverat. Interfuerant prælio Edſardi Comitis filij duo, quos captos Carolus inſectatus, quòd religionem ab incunabulis hauſtam, oppreſſum irent, nullâ præter hanc injuriâ affectos dimiſit, tanquam ſorore ſua genitos. Illi Emdanis cum navibus, quas tranſportando militi Rex in Boruſſia attinuerat, Emdam remeantes, effecere ut eas in tranſitu Holſatiæ Dux comprehenderet, & nautas cuſtodiæ includeret, augendæ nautarum Emdanorum adverſum magiſtratus ſeditioni.

FINIS LIBRI XV.

EVERARDI REIDANI
ANNALIVM
LIBER
DECIMVSSEXTVS.

BREVIARIUM LIBRI.

CARDINALIS *Andreas apud Germanos patrata ſibi excuſat. Hiſpanicorum legatorum oratio ad delegatos Weſtphalorum, & nationum infra Rhenum ſitarum, qui Coloniam Agrippinam convenerant. Fœderati Patres legatos mittere ad Imperium negligunt. Nihilominus egregio ſcripto adverſus Hiſpanos iÿdem defenduntur. Quibus de cauſſis Germani ſe Fœderatis nequaquam junxerint. Palatinus Comes, Dux Brunſvicenſis, & Haſſiæ Comes fervidi; de imperio in exercitum contendunt. Mendoza Emmericam recipit, quâ in urbe Ieſuitarum templum corruit. Ludovicus Naſſovius Bucquoium capit. Navis Hamburgenſis arma in Hiſpaniam deferens intercipitur. Friſiæ Orientalis ſtatus: Edſardi Comitis mors: Ennonis ſimulatio, & ſuperba apud Emdanorum legatos reſponſa. Fœderatorum miles ſuburbio Emdano impoſitus. Ennonis Comitis utile propoſitum Weſterholtius evertit. Concionator Daventriæ in templo confoſſus. Bergenſis Comitis uxor defungitur. Patres militibus ſuis ſtipendia augent. Seditiones, & pecuniæ in Hiſpanorum partibus inopia. Mendoza Gravewartam aggreditur; cui cum paucis, exin firmatis copiis, Mauritius reſiſtit. Iſabella commerciorum cum Fœderatis uſum edicto vetat. Patres ipſam invadere Hiſpaniam magno animo decernunt, & nationes omnes eâ cum gente negotiari prohibent. Petrus Douza cum ſeptuaginta navium claſſe ſolvit, in quâ militum bis mille, navales ſociÿ ſexcenti erant. Mendoza Bommelianam inſulam ingreſſus, urbem ipſam, à quâ nomen inſulæ, oppugnat. Patres prælium ſuadent, diſſentiente Mauritio, & Guilhelmo Naſſovio. Sylvæducenſes præſidium accipere abnuunt. Crepicordium amiſſum. Mendoza Bommeliâ deſertâ Roſſemum venit. Mauritius in Vorenâ inſulâ munitionibus ſemet circumdat, & Herwardæ caſtellum excitat,*

fruſtra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

fruſtra hoſtibus tentatum. Andreanum caſtellum extruitur. Mauritius Hiſpanos tertiò invadit. Worcomum ferè amiſſum. Germanorum Principum miles, duce Simone Luppiæ Comite, Reſam obſidet. Doetecomum à Guilhelmo Naſſovio in poteſtatem redactum. Germani trepidi ſine ordine ullo Reſam deſerunt: & Gennapium dedunt. Albertus & Iſabella Bruxellas venientes inaugurantur, & tributis, vectigalibuſque imperatis, commercia abrumpunt. Quæ Belgarum ſuprà memoratæ claſſi acta ſint, exponitur. Spinola ſex longis navibus Sluſam venit. Claſſis ab Hiſpanis in Britannos parata. Quatuor naves ex Iavâ inſulâ reverſæ. Duinquercani ingentia inferunt damna. Guineana ſocietas à mercatoribus inſtituta. Mendoza militem in hyberna dimittit, & paullò pòſt Mauritius. Emmerica validiore præſidio firmatur. Mantuanus Dux Principem Mauritium ſalutat: quem & Viqueſins Gallus ſalutatum venit. Orientalis Friſiæ Procerum querelæ de Comite Ennone, cui poſtea rcconciliantur, & Enno inauguratur. Bellum Hibernicum. Eſſexius offensâ Reginâ accuſatur. Hiſpanorum cum Anglis de pace colloquium. Eâdem de re à Cæſare ad Fœderatos legati mittuntur, quîs illi reſpondent. Regina quamvis pronam ſe paci aſſerens, ad bellum Patres hortatur. Germanis formidoloſa pax Belgarum. Hiſpani Resâ excedunt. Lotharingiæ Dux Gallorum Regis ſororem ducit. Edictum de ſacrorum libertate in Galliâ promulgatur. Caroli Finnorum Ducis oblationes apud Fœderatos. Calmariam in poteſtatem accipit. Fœcunditas anni. Cliviæ Dux Lotharingiæ Principis ſororem ſibi conjugem ſumit. Tiberis inundatio, & motus terræ. Monachus Pontificius ſacra ſua deſerit.

VIx Germanorum, quos dixi, conventus, totam con- cIɔIɔ
tinuati hyemem, Martio & Aprili menſibus anni xcix.
xcix finiverant, cum rurſus nationes Principeſque convocati. Nec omiſerunt Andreas Cardinalis, & Mendoza ad conventuum celebriores, Principumque ſingulos, legatos mittere, irruptionem, illataque damna excuſaturos. Ad accolas Rheni Principes Delrius Comes ijt, palam complura, quæ de Hiſpanis ferebantur, ut invidiâ conficta arguens; cætera, & manifeſta, molliendo imminuens. Apud Electores, Palatinumque Comitem etiam interjectæ minæ, ni irritare Mendozam deſinerent, cum deſperato milite rem habituros, & ſi neceſſitas ingrueret ad deteriora tranſituro. Alibi ipſe Mendoza jactare, nihil perinde gratum ſibi, quàm ſi Germani, arreptis armis, materiem cauſſamque ad majora præberent. Guilhelmus Rodwitzius, Germanicæ legioni vicario jure præpoſitus, ad Saxoniæ, Brùnſvici, ac Luneburgi Duces, Haſſiæque Comitem, & Paderbornæ, Mindæ atque Oſnabruggæ, alioſque Epiſcopos miſſus, à Fœderatorum equite cum literis & mandatis intercipitur. Continebatur, Regem neceſſitate, ac jure ſummo arma cepiſſe. Quin & beneficia ejus in Cæſarem, in Imperium, & pronus paci animus memorabantur. Extremo diſcrimine, & inevitabili temporum fato adactum Mendozam finitimorum in terras exercitum duxiſſe. Damnorum quod illatum ſit, patienter tolerandum, & beneficiorum interventu penſari. Nec diuturnum id fore, brevi avellendum hybernis militem. *Teſtor famam* (his verbis Mendoza ſcripſerat) *teſtor exiſtimationem meam, omnem Cæſari Imperioque venerationem Regem deferre, eorumque commodis intentum, non præreptum quidquam, ſed brevi reddere cuncta velle. Proin rogo, mittantur ſuſpiciones, ne temere cædibus, atque armis cauſſa detur. Abeat diffidentia à rebellibus injecta, qui vos trahere in perniciem, & belli univerſum onus rejicere in Imperium adnituntur. Pacem potius & ipſi quærite, & ad eam ſocios hortamini, ne longa Imperij quies, ne ſocietas vicinorum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcix. *rum, & vetera cum Burgundicâ domo fœdera abrumpantur.* Hæc palam Rodwitzio mandata: quæ præter, occulta alia erant, ex quîs compertum, legati ſpecie ſpeculatorem tegi. Etenim ſeriò inquirere juſſus erat, qui Principum, quove numero fœdus iniiſſent: quo fine, quibus conditionibus, & propulſare tantùm vim, an & inferre parati. Quos ſinguli eminentioris nominis conſiliarios haberent, & an non aliqui in Regem proni, aut muneribus corrumpi faciles. Quîs fidendum, qui vitandi eſſent, aliaque id genus. Repertæque penes eundem literæ ad Simonem Luppiæ Comitem, artæ ſocietatis indices. Comitem tamen pro purgato Patres habuere: quippe Reformatorum ſacris addictum, non ſuâ ſponte, ſed metu, ſimulatâ ſpe Mendozam impleviſſe credebant. Convenerant jam Colonienſium, Weſtphalorum, & earum gentium legati, quæ cis & uls Rhenum colunt. Eos ſibi imprimis honorâ legatione adeundos rati Cardinalis & Mendoza, fuſiùs Regem purgatum ivere. Unde pretium nobis erit, curatiùs cuncta memorare, omiſſis quæ ſupervacua, aut legatis repetita. Et primò quidem nectebant mores, collegarum adventum obtendentes, quos jam jam adfuturos, neque ante fas ſibi quicquam promere dictitabant. Cæterùm ut properare Germanos vident, poſcunt indicem cunctorúm, qui legatos ad conventum, & quos miſiſſent, quando prorſus conſtare ſibi neceſſum ſit, quibuſcum res eſſet. Abnuerunt Germanici delegati, æquum firmantes, ut ipſi codicillos Hiſpani, teſtes conditionis, & mandatorum ſuorum proferrent. Contrà Hiſpani de indice pertendere; ita contentionibus dies complures abiere. Tandem ut fruſtra ſe niti vident, præcipitari cuncta, & præproperè agi teſtificantes, datâque occaſione plura in rem ſuam allaturos, hunc in modum verba fecere. *Iamdudum diverſis Imperij tractibus ſermones, variaque audiuntur judicia, & acerbis vocibus Regis & Archiducum acta bellaque damnatum eunt nonnulli, quîs magis paucorum querelæ gemituſque ob acceptas injurias cordi ſunt, quàm religio, quàm pietas, & noſtræ bonitas cauſſæ. Iidem exacerbatione tantâ dira nobis omnia imprecantur, ut ſi ulterius abominanda eorum licentia prorumpat, nec pietati inter homines, nec legibus ullis, nec ſacris in Eccleſiâ ullus futurus ſit locus. Iam in aures animoſque complurium Imperij Principum, quin ipſius etiam Cæſaris ea penetravere: & forſan veſtrum quoque conventum. Vnde ſola nobis cauſſa profectionis fuit, pium propoſitum, & egregia facta Regis Archiducumque, licet omnibus aperta, accuratiùs vobis coram exponere. Quippe univerſo terrarum orbi gnara Regis innocentia in diuturno hoc bello, à ſeditioſis hominibus moto; qui multis abhinc annis impia in Deum, in religionem, in Regem arma ſuſtulere, turbatâque communi pace, everſis, quæ tantopere laudatæ, Imperij legibus atque inſtitutis, & innoxio ſanguine temere crudeliſſimè effuſo, non Catholico tantùm Regi, ſed & cunctis Principibus Chriſtianis (ſi modo jure id vocabuli gerere velint) cauſas juſtiſſimas dederunt, omnem furorem, iram omnem in ſeſe effundendi: qui flagitijs, rapinis, ſacrilegio, perjurijs, & nullis non ſceleribus uſque adeò polluti ſunt, ut, niſi arrogantiæ, aut impuræ conſcientiæ eximius, nemo defendere eos, aut devocare in dubium facinorum damnationem poſſit. Decorum ſane Cæſari, decorum cunctis Imperij Principibus, ac nationum rectoribus fuiſſet, ferre opem ruentibus ſacris, vindicare jus divinum humanumque, & ſeditioſas rebelleſque gentes, auxilio, conſilio, opprimere, ac internecione delere. Quod ni faciant, falsò divinâ ſe gratiâ, aut juſta habere imperia ferunt. Etenim ut in armis præſidium, ita à legibus decus Principi. Quem culpæ omnis immunem ipſum, alios aut imbecillitate, aut pervicaciâ regere ſemet neſcios, compeſcere ipſum voluit Numen. Cujus vindictam jam ſenſerunt, qui prudentes id neglexerant, & dignas otioſis à bello pœnas retulere. Vnquamne præfectus Weſtphalorum orientibus hiſce malis, quîs publica pax turbata, ſacra peſſumdata, pietas ludibrio habita, denique & magiſtratuum everſa fuit autoritas,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

tas, memor officij, aut ſuæ, aut vicinarum nationum Proceres convocavit, aut Im-
perij Cancellario rem detulit, ut remedium malis ſtatueretur? Quin ſpreto Rege cIↄIↄ
Catholico, contemtâ religione, non modò in Numen ipſumque inſurgere, verum & xcix.
inferiores vaſtare tractus, cuncta ferro, atque igni pervaſtare paſſus eſt, intactis
hactenus Monaſterienſibus, donec Paderbornam rapinis exhauſiſſent. Eadem
porro fortuna ſi rebellibus annuiſſet, quid vicinos, quid Eccleſiaſticos Principes
præter extremam perniciem manebat? Loquantur Colonienſes, univerſum dicat
Imperium, quo animo cum Truchſeſſio adverſum Catholica ſacra, urbes, caſtella,
arces hoſtiliter expugnaverint, nova in Imperij ſolo munimenta exſtruxerint,
quamvis abdicato jam Truchſeſſio, ſuffectoque & in Electorum ordinem adſcito
Erneſto Bavaro. Loquantur Iuliacenſes, quibus artibus, quîs injurijs Princi-
pem ſuum exagitaverint. Falsò certè Cæſar, Principeſque Imperij graves adeò
querelas de Meñdozâ, de Rege, & Archiducum utroque moverunt, ſolis priva-
torum clamoribus adducti, non cauſſarum, non officij ſui ullâ ratione habitâ; nec
conſiderato, pro lubidine & petitionibus Germanorum, arma ab Rege ſuſcepta,
aut poſita, & arbitrorum qui darentur judicio rem omnem permiſſam. At pro-
fectò rebelles impijs artibus ſpem pacis evertêre, rejectis Galliarum Regis horta-
mentis, inauditis Germanorum poſtulatis, tum & Berkam caſtellumque Schen-
kianum reddere tam diu ſubdolè diſtulerunt, & occultis fraudibus, ſimulatæque
pacis imagine, regium exercitum in Geldrenſi ditione attinuere, quoad, tranſactâ
æſtate, adegit bellicum Senatum neceſſitas proxima in hyberna diſtribuere mili-
tem, niſi inopiâ miſerijſque perditos univerſos vellet. In his tamen æquitatis &
modeſtiæ ſumma cura fuit, monitæque civitates, ut de recipiendo milite cogita-
rent, ac rebus ſuis adverſum injurias illorum providerent. Sed ab omnibus ſin-
guliſque omnes prohibere injurias, arduum in tantâ multitudine, ex tam varijs
conductâ nationibus, quàm utcumque reprimere coneris, erumpent nihilominus
indicia licentiæ militaris. Id belli ingenium, ea eſt natura, ut neminis commodo,
damno plerorumque geratur, cujus ſæpe in finitimos pars redundat, etiam inſcio
& invito duce. Teſtimonio ſunt bellantes in Hungariâ Chriſtiani, & Galli,
vetereſque Germani, repertos milites his deteriores. Imprimis quando anguſtè
ærario eſt, ægrè diſciplinam, militumque retineas proterviam. Vt noviſſimè fa-
ctâ cum Gallis pace, tot urbes reſtituendæ, ſeditioſi pecuniâ placandi, mirum
quantum Regias facultates attriverint. Sed Mendozæ quam ob hæc ægrè fue-
rit, quâ miſeratione innoxiorum queſtus exceperit, injurias aſpexerit, quo ſtudio
afflictos ſolari, ſuccurrere oppreſſis adniſus ſit, ſoli referre poſſint, qui oculis ipſi
uſurpavere. Ille & Montis nigri Marchionem, & Auditorem caſtrenſem, circui-
re hyberna, componere cuncta, & in flagitioſos animadvertere juſsit, & malis, ubi-
cumque potuit, occurrit. Comperient illius ſucceſſores, nequaquam omnium ſe
gratiam promereri poſſe. Iam redintegrare bellum, & alios movere in tractus
properat, quâ re levabuntur ſinguli onere quod jam premit, & otio reddentur: ſi-
mul quoque loca quæcumque neceſsitate capta, bene cuſtodita, & integra domi-
nis ſuis reſtituentur. Rogantur interea, quibus nunc hybernorum incumbit onus,
paullùm modò tolerent, & ad animum revocent, paucorum quamvis juſtas quere-
las, poſthabendas communi Chriſtianorum fœderi, & utilitatibus Eccleſiæ. Et-
enim fatalia hæc belli mala; quod finiri nequit, niſi pacis turbatoribus oppreſsis.
Quando autem nec Cæſar, nec Principes Imperij, armis Regem juverunt, negle-
ctoque officio ad pacem rebelles adigendi, univerſam molem ſoli Hiſpaniarum Re-
gi exhauriendam reliquerunt: facilè quivis, hoc rerum ſtatu, quo Chriſtianorum
tota res in diſcrimen venit, (cujus læsâ parte unâ, cæteras quoque dolor contactu
invadit) vacare culpâ regem judicet, quòd conſilij melioris inops, proxima in hy-
berna militem diſtribuerit, quo in unum retinerentur copiæ, quis turbatas Imperij
res, & ruentem in Galliâ Remp. religionemque extremâ à pernicie prohibet.
Evolvantur fœdera Burgundicæ domus, cum Electoribus, Ducibuſque, Coloniæ,

cIↃIↃ Cliviæ, Monaſterij, cum Emdanis atque Oldenburgenſibus Comitibus, per id tem-
xc ix. pus inita, quo Imperium Ferdinando fratri, Belgarum principatum filio Philippo, Carolus Cæſar tradidit. Perpetua in his mentio ſervandæ religionis Catholicæ, & mutuorum auxiliorum. Eadem ad fœdera provocans Margarita Parmenſis, monuit Principes Imperij, præter fas & æquum eos terris ſuis exulantes hæreticos recipere. Pari modo apud Cæſarem, apud Germanos Principes queſtus eſt Dux Albanus, contra pacta, atque inſtituta Imperij, Guilhelmo Arauſionenſi auxilia, tranſitum, aliaque belli ſubſidia data. Nec levius Requeſenius, Ioannes Auſtriacus, & Farneſius Alexander apud Cæſarem Germanosque Principes obteſtati ſunt, ſiqua paterentur damna; ſuâ in rebelles clementiâ, ſuâ culpâ paſſuros. Ante omnes tamen monitus Cliviorum & Iuliacenſium Dux, ut memor fœderis Venloniani, & quæ alia ad mutuam opem, & tutelam Catholicæ religionis contraxiſſet, maturè naſcentibus ſemet hæreſibus opponeret. Sed ille nutabundus, & eventum rei opperiri præferens, exules ſeditioſoſque admiſit, hæreticis Veſaliæ ſcholas reliquit, nec ſubditos modò arma pro hoſtibus geſtare paſſus eſt, verùm & ipſe machinis, bellicoque eos paratu adjuvit. Fidiſſimi miniſtrorum Regis ex oppidis ejus ad vincula abrepti; in his Schenckius, Bodbergiuſque, Veteribus; infans quidam Rheſâ abductus; denique paſſim violatæ ibi fœderis leges, quæ memorare ſingula ſupervacuum. Tandem ubi, multum urgentibus Clivijs, pro facilitate ſuâ, Parmenſis Princeps, redditâ Burikâ, caſtellũ Rheſam contrà ſitum ſolo æquavit; pactus ut viciſſim demoliendo caſtello Schenkiano operam darent, quo ſemper regijs pateret iter ad Belgas, ipſique in poſterum pactis melius ſtarent; paullò pòſt cum Gallici belli cura Parmenſem occupaſſet, non modò neglecta, quæ ex pactis perficienda erant, ſed & hoſtibus terrâ fluvijſque ex Cliviorum ditione majora ſubſidia miſſa, jactatæque voces ſunt de Reip. & ſacrorum ſtatu novando. Quin ipſâ in aulâ Calviniſtarum auditæ conciones. Vnde hoſtes, diſiecto ad Rheſam caſtello, aperto flumine ad ſubvehendos commeatus uſi, Berkam expugnavere, & mox intercluſo regijs itinere, quicquid locorum trans Rhenum tenebant, eripuerunt. Quare ut reddita Burika, everſumque ad Rheſam caſtellum, accepti trans Rhenum damni cauſſa Regi fuerunt; ita ſarciendo detrimento, (poſtquam promiſſa de patefaciendo per caſtellum Schenkianum itinere Colonienſes neglexerant) id modò remedij ſupererat, hoſtes Rheno ut depelleret: quod majore illi & pecuniarum, & ſanguinis ſtabit impendio, ut juſtiores Regis, de Cliviæ Duce, ob neglectum fœdus; quàm hujus de Rege, ob illatum hybernis damnum, futuræ ſint querelæ. Quantum ad libertatem, manifeſtum eſt, è duobus fœderatis, neutrum pro lubidine ſuâ, & repugnante altero, fœderis ſemet vinculo exſolvere poſſe. Imprimis quum nunc, commiſſo cum ſubditis Rege, datum ſibi in hoc bello otium aſſeverant, æquum viciſim Clivios eo liberius paci, & demoliendo caſtello Schenkiano incumbere, regijſque aperire iter, ut compendijs viarum intima hoſtilis ditionis penetrent. Alioqui univerſus fateri orbis teneatur, ut inter Principem ac rebellantes ſubditos, ita & inter Numen ac dæmonas, medios aliquos vivere poſſe. Sunt & alia Regi id genus fœdera cum Colonienſibus, qui pro ingentibus meritis Brabantiæ Duci aulam ſuâ in urbe ponere permiſerunt, quantum ad immunitates, æqualem aulæ quam propriâ in ditione habet. De Colonienſium verò principatu hoc ſolum memoraverimus, vigere eum nunc, & quod ad ſucceſſores tramitti poterit, ſolius Regis munere habere. Ille non vade, non pignore ullo accepto, nec redditis belli impenſis, omnibus Colonienſium locis ceſſit, & modeſtiſſimè abducto exercitu, id modò monuit Epiſcopum, ne ſegnitiâ cauſſam aut jus daret ſibi, ſuper laborem, noviſſimos juxta & veteres ſumtus à ſe repetendi. Ita anno pòſt mille quingentos octogeſimo quinto, ſacris atque adeò univerſâ Colonienſium Republicâ ob expugnatum Noveſium trepidantibus, poſthabitâ Belgarum curâ, urbem iteratis ſumtibus armiſque Rex recuperavit, receptam Epiſcopo reddidit, tantummodo eadem quæ antea obteſtatus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

obteſtatus. Rurſumque altero pòſt anno, negligentiâ miniſtrorum Epiſcopi amiſ- CIↃIↃ
ſâ Bonnâ, & terrore concuſſis conſilijque egenis Colonienſibus, denuò ſuo ære, ſuis XCIX.
auxilijs diſcrimini gentem anno undenonageſimo exemit, nihil præter mutui reſtitutionem pactus; & quamvis abundè molis adverſum Belgas ſupererat, bellum ijs tractibus geſſit, pellendiſque Colonienſi ditione hoſtibus, Berkam eodem anno obſedit, expugnavitque. Sed illâ ſeptimo pòſt anno, dum Epiſcopus Gallorum bello diſtineretur, amiſſâ, neceſſitas regiò exercitui allata eſt, Rhenum novis laboribus, atque impenſis repetendi. Quâ in re rurſum id Epiſcopo honoris datum, ut multum temporis per otium regius miles traheret, ſi fortè interea voluntate rebellium oppidum reciperetur. Id ubi parum procedebat, neceſſariò in arma itum. Et quia tranſactâ æſtate deerat ſpatium ſubigendo caſtello Schenckiano, compoſitus finitima in hyberna miles, & ſimul Imperio, Belgarumque defenſioni conſultum eſt. Epiſcopum certè gratias ob hæc Regi agere magis decuiſſet, quam graves adeò querelas ciere, ob levia damna Monaſterienſibus, & exiguæ Colonienſium parti hybernatione militum illata: quæ beneficiorum interventu penſabantur. Quippe & reliqua ejus ditio defenſa; & Catholicæ religionis, Imperijque ſaluti proſpectum, & Eccleſiaſticorum Principum rebus conſultum eſt. Etenim tantâ prudentiâ militum hybernis circumdati rebelles ſunt, ut Colonienſes, Treviri, Leodicum, Oſnabrugga, Paderborna, Monaſterienſis ager, & Iuliacenſium, Cliviorum, Bergenſiſque Ducatus, ut Comitatus Marcanus, & complures Weſtphalorum Toparchiæ adverſus eorum excurſus, rapinas, ac cædes in tuto locatæ ſint. Igitur quia juſtum & inevitabile bellum gerere Regem, & temerè queri approbavimus, qui hybernorum onere premuntur; nedum ut illi, quorum nulla in damnis pars eſt, Cæſaris ac Principum Germanorum aures querelis ſuis implere, ad ciendos motus debuerint: id unum poſtulamus, ne falſis auditionibus de ſtupris, de homicidijs, alijſque id genus ſceleribus, quæ acerbiùs quàm pro re differuntur, fidem ullam habeatis. Quod ſi non vetera, non noviſſima Regis beneficia in Sacrum Imperium, non denique emolumenta fœderis Burgundici quidquam valent; at certè pericula, & perniciem cogitate, haud dubiè impendentem, ſi ad arma veniatur. Advertite, quo fructu anno MDLXXXV *Caſimirus valido exercitu & ingentibus fretus auxilijs, depellerè Imperij ſolo regium militem tentaverit; quo jure Cæſar, quo obtentu Principes Germani proſcribere Mendozam queant, qui Caſimirum, qui Arauſionenſem, & turbatorum alios paſſi ſint impunè militem per Imperij terras ducere, templa, ſacratoſque Numini locos incendere, & pervicaciâ rebellium Regis ſubditorum, non ſine Imperij detrimento confirmatâ, bellum diuturnum commovere. Sed finem orationi facimus, veſtroque & aliarum Imperij nationum arbitrio univerſam rem ſubmittimus, teſtamurque, ſi quis vulgatos rumores in deterius trahat, & majora hinc mala oriantur, caſura in autores, & Regem, Archiduces, Mendozamque, univerſo orbi, ut nunc, ita æternùm purgatos fore.* Hæc, ac talia, Hiſpani diſſeruere. Fœderati Proceres, quanquam omnino neceſſaria defenſio adverſum enormia adeo crimina videbatur, & Germanorum Principum nonnulli idem ſentiebant; neminem tamen ad conventum, nec Principum quemquam miſere. Judicabant, tot incaſſum admonitionibus factis, plus ponderis apud Germanos acceptas clades & triſtiſſimam ſubditorum calamitatem, quam literas aut verba ulla habitura: ſuberat quoque metus, ne repetitis toties de pace ſermonibus denuò legati obtunderentur: & Mendoza, audito Fœderatorum legatos Germanorum animis inrepere, à violentiâ temperaret, promiſſiſque abſcedendi ab Imperij ſolo, Germanorum incitatos animos placaret. Itaque pertinaces in ſilentium duravere, haud ægrè laturi, ſi acriori certamine Rex & Imperium committerentur. Solùm Guilhelmus Naſſovius, (qui faciliùs id per parentem & fratrem, propinquamque Germaniæ præfecturam, præſtare poterat) rogatus, ut Germanorum accenderet animos; & Belgas

nequa-

cIↄIↄ xcix. nequaquam deſides fore in ſociorum contentionibus, ſed maturè valido cum exercitu moturos promitteret. At quamvis ſilentibus Patribus, non inultæ tamen Hiſpanorum calumniæ manſerunt: fuit enim qui ſuppreſſo nomine libellum edens, hunc in modum loquentes Patres induxit. *Præpotentes & finitimi ſocijque Principes, Niſi univerſo terrarum orbi belli Belgici conſtarent cauſſæ, vobis imprimis, contermina colentibus loca, nequaquam complures dies fallaci & longè petitæ Hiſpanorum orationi refellendæ ſufficiant. Nunc varijs in conventibus Imperij ſæpius demonſtrata, ad animum revocare ſatis erit: quo falſæ legatorum orationi, quam tantâ arrogantiâ effuderunt, ac ſi non cum hominibus, ſed brutis res eſſet, qualitercumque occurratur. Etenim quis pudor, eſt dictitare Chriſtianæ rei, & ſacrorum, Imperijque caritate, bella hæc Regem ſuſcepiſſe? An non illatam ab illo vim nos repellimus, invadentem propulſamus? Ille rapaci lupo, nos ovium innoxio gregi ſimiles? Æqua & ſubditorum more, humiliter poſtulantes, nequaquam ut arma poneret, aut cædibus modum faceret, impetravimus. Quid reſtabat, quàm extremam perniciem prohibere? Etiam emtis pretio ſervitijs, apud gentes jus datum eâ neceſſitate, dominis obſiſtendi. Nulli ſanè Regum addictius in cunctis ſæcularibus ſubditi paruere. Qui unum id queri poteſt, Numini ſe à nobis poſthabitum; & animum ac conſcientiam, ſoli Deo obnoxiam, liberam nos petijſſe. In ſacris quoque obſequium, & patientiam retinuimus, cum millia hominum centum & quinquaginta, propinqui, conjuges, uxores, emeritæ & innoxiæ ætatis homines, in oculis, in conſpectu noſtro, flammis exuſti, patibulo, gladio hauſti, & nullis non tormentis excruciati, truculentis carnificum manibus (ne fuſus bello ſanguis memoretur) periere. Non ante arma capta, quam patientiam, nullis ſæculis, nullis in gentibus auditam, quam ſupplices preces, querelas, gemitus, barbarâ immanitate ſperni advertimus. Et adhuc inevitabile ſe gerere bellum dictitabit, qui Turcarum gentem, hæreditario odio omnibus Chriſtianis inviſam, pace ſibi jungit, & magnis muneribus Baſſarum ſtudia conciliat, ut in ſubditos, patientiæ & obſequij eximios, omnem effundat iram, ardentemque rabiem exerceat? Si ullum unquam bellum contra Numinis, naturæ, omniumque gentium jura, ambitione & ſanguinis ſiti, quæſito obtentu cæptum eſt: ſi juſta unquam ulla fuit defenſio, hoc tempus illud, hoc bellum eſt, de quo jure utrumque dici queat. Tantundem cauſſæ illi de ſubditorum rebellione querendi, quam lupo qui fingitur fabulis inſectatus ovem, tanquam turbatis aquis potum ſuum interpellaſſet. Idem de eximiâ illâ, Chriſtiani orbis, ac religionis, quam præfert, caritate, judicium eſto. Quæ ſi cordi uſque adeò ei eſſet, conceſſas à Numine vires opeſque Turcarum, ac Muhammedanorum in perniciem vertere æquum erat. Sed ab his pacem ingenti redimit impendio, quo inoffenſus ſubditos premat ſuos, Chriſtianum turbet orbem, ſibique ſubjiciat. At hercle Golettam, & Tunetum, & Arſillam Maurorum in manus venire, id vero ei leve. Eodem religionis obtentu, mille nos malis, & exquiſitis divexat cruciatibus. Cæterùm ſuis in caſtris, in præſidijs, ſæpe veſtræ gentis militibus palam exercere Auguſtana ſacra permiſit, eadem nos amplectentes perſequitur. Ne Albanenſes quidem aut Græcos, licet perinde ut nos Pontificem execrantes, peragere ſacra, & circa divina quod vellent ſentire prohibuit. Vel infantes judicaverint, lupum hunc, qui ferro & igne Chriſtianum orbem pervaſtat, non Paſtorem gregis & Eccleſiæ Chriſtianæ eſſe, qui agnis, innoxijs animantibus, conferri ſolent; quippe mites, nec cuiquam ob injuriam aut vim metuendi. Credite, Principes, non religionis ſtudio tanta agitare; ſubeſt, inexplebilis cupido dominatum proferendi: hæc illi cauſſa, hic ſtimulus verus, quem ſpecioſâ præſcriptione occulit. Non Numinis illi gloria, ſed proprium quæritur faſtigium: & ſi Pontificiâ religione eſſet aptior alia apiſcendis deſtinatis, nequaquam pudor foret ei, huic ſe palam adgregare. Sed Romanus Pontifex diſtribuit regna mundi, pellit Principes, ſucceſſores legit: illius munere majores ejus*

Occiden-

Occidentalem orbem, Navarræ regnum, poſſederunt: ille Philippo Britanniam, cIↃIↃ
& forſan veſtras quoque ditiones donavit: etenim non aliud ſuſpicari libet, quan- XCIX.
do nullus præter hunc prætextus, nullum ei jus eſſe poteſt: qui Numinis mandatum, de ſuo cuique relinquendo, aſpernatus, terris, nationibus alijs, quarum non illi, ſed vobis regimen dedit Deus, miſcere ſe, ac ponere ſacrorum leges auſit. Nec argumenta diu quærere opus: experti hoc anno conatus ejus Clivij, & Monaſterienſes, & Eſſeni. At in Galliâ multò apertiore ambitione egit. Henricuſne defunctus Galliarum Rex, in quem ſacri fœderis conjuratos concitavit, ſtudio Romanæ religionis ipſi ceſſit Inquiſitioni? An non hunc Regem, quamvis in gratiam à Pontifice receptum, multis annis tutari regna ſua adverſus ambitionem & libidinem Hiſpanicam neceſſum fuit? Ludibrij eſt, Hiſpanorum merita in Cæſarem, Imperiumque, tantopere jactare, & vim, injurias, ſtupra nobilibus matronis & virginibus inlata interpretari, tanquam ex uſu Imperio accidiſſent. Sic beneficium prædo æſtimat, ubi ſpoliato fortunis innoxio viatori, vel minimum quidpiam, vel vitam relinquit. Ait Mendoza, niſi Imperij terras ipſe occupaſſet, multò immitiùs Fœderatos Patres ſævituros fuiſſe, & direpturòs terrarum quicquid hybernis circum aut interjacet: at proviſum nunc earum ſecuritati, dum militem ijs tractibus præſidio teneat. Scilicet intulerunt Patres damna Imperio, vel milleſimam partem his calamitatibus comparanda. Satis ſciebant, inferioribus ſibi nihil licere. Abundè ſibi virium quiſque putabat, repetendæ ab ijs injuriarum, ſi quas inferrent, ultioni. At Hiſpaniarum Regem, acceptis quoque detrimentis, vicinæ nationes adulantur: perinde atque Orientis populus Calechutani, dæmones injuriarum metu ſupplices adorant. Multos quoque afflictorum hoc uno magiſtratus ſui ſolatio dimittunt, ſatius cuncta vinci patientiâ, quàm potentem adeò Principem repugnando offendi. Multâ Patres curâ ſtipendia ad diem militi ſolverunt, proprios ſubditos caſtris hyberniſque oneravere, ſuâ in terrâ delectum militem convenire juſſerunt, ut Imperio parcerent. At Hiſpanus ſeditioſum militem de induſtriâ ſæpè finitimorum impendio ſuſtentavit, complures legiones in Imperij ſolo ſcripſit, & victum ſibi, cæteraque neceſſaria, quærere ibidem coëgit, quo ſtipendia extenderentur. Quicquid Patrum militi præter fas patratum, id aut neceſſitate hoſtem quærendi, vitandiſque cladibus, aut gregariorum militum petulantiâ, invitis Patribus, qui nec inultam reliquere, aut denique juſtis de cauſſis accidit. Sic abductus Veteribus Schenckius, qui Imperij ſolum, direptis in Rheno amne Fœderatorum navibus, alijs ad captivitatem abductis, multimodis violaverat, nec dignus erat cui jus Imperij ſervaretur. Sic quoque Truchſeſſio lata à Patribus auxilia, poſtquam in diverſa abeunte Eccleſiaſticorum collegio, Hiſpaniarum Rex armatâ manu potiri Colonienſium terrâ tentaverat: quod & ante incaſſum conatus deceſſor ejus Carolus Burgundus, obſeſſo Noveſio, dum duo inter ſe Epiſcopi contendunt. At quæ ab Hiſpaniarum Rege damna Imperio inlata ſunt, præter ambitionem, & obſtinatum ad nocendum animum, cauſſam habent nullam. Non gregariorum militum culpanda licentia, quos ducum huc imperia egere. Regij præfecti cenſus Imperij ſubditis ac tributa imperavere, intentato incendij & populandi metu. Illi vicinas in Imperio nationes huc adegere, ut terrore aliæ, metuq; aliæ juſſis magiſtratuum, quos in ſua pronos, melioribus Hiſpani ſuffecerunt, etiam illorũ ad nutus intentæ ſint. Hunc in modũ Colonienſe bellum movit, aluitque Rex, quum pulſo Truchſeſſio, cognatum ſuum ſurrogavit. Pari ratione apertè Parmenſi imperare auſus, ne Cliviorum ac Iuliacenſium terras, defuncto Duce, delabi in Germanorum Principum manus pateretur. Et quamquam à Clivijs & Colonienſibus favore, pecuniaque, & commeatu adjutus; quanquam tranſitus, militum dilectus permiſſi; communicata conſilia; & denique nulla non ſubſidia collata; contrà Fœderatis clauſa itinera, damna palam, & occultè inlata, milites eorum ſuſpenſi, capti, aut gladio percuſſi, denique pulſi omnes Belgæ; inſectari tamen audet, tan-

cIↄIↄ xcix. *quam in hoſtilia pronos, tantùm quia ad finitimos opprimendos arma palam non cepere. Quin dicere nequaquam veritus, eo fine datum illis à ſe jus pacatorum, ut honeſtiori præſcriptione Schenckiani caſtelli demolitionem, aut pacem, velut medij inter partium utramque, promoverent; vel, quod tantundem, pacatorum ſpecie Fœderatos Patres eluderent. Etenim manifeſtè oſtendit, ad belli ſocietatem adigere ſe finitimos velle, &, ni obſequantur, hoſtium ſe eos loco habiturum. Sic olim populus Romanus mutuam in perniciem gentes armavit, attritiſque jugum impoſuit. Sic Turcarum Imperator ſubditis ſibi Græcis, Vngariſque Chriſtianorum cæteros oppugnat. Novum ſanè & inauditum eſt, finitimos, perverſâ fœderum interpretatione, cogere pro ſuâ libidine, vitam fortunaſque omnes periculis objicere: cum fœderibus ad mutuam initis amicitiam, nullus armorum in ſocietatem venire obligetur; nedum ut Germani pacem religionis, quinquaginta annorum exercitio per omne Imperium uſurpatam, violare teneantur, unum ob placitum Hiſpani, quo Inquiſitionem firmatum eant: ut omittatur, quod fœdera à Clivijs, Colonienſibus, alijſque Imperio ſubditis, cum prioribus Brabantiæ Geldriæque Ducibus, & eorum ſubditis, percuſſa ſint ad pacem habendam, mutuamque amicitiam, non cum Hiſpano ad quemquam opprimendum. Sed eo jam arrogantiæ proceſſit, ut quamvis abſurda poſtulare à vobis nequaquam dubitet. Scilicet hos fructus edit amor ejus in Imperium. Sanè, Germanis addictus promiſſa à parente adverſum Turcas tributa, nimirum, quantum Electorum duo pendere ſolent, exſolviſſet, quorum adhuc ne obolum quidem contulit: nec graviſſimo in onere contra Turcas, Cæſarem deſtituiſſet, ſed celebratum parentis exemplum, in continuandâ Imperij pace ſecutus eſſet. Denique, multa legati in pejus trahentes invidioſa nobis expoſuere, quæ refellere ſupervacuum. Id modò dicere libet, Buricam oppidum, ſitumque ad Rheſam caſtellum (hæc tamen ille, ut grandia merita jactat) non ante Regem reddidiſſe, quàm expugnatâ Berkâ, tranſitum Rheni conſecutus, alijs locis præſidia ſuſtentari non opus judicavit. Ita ut conciliando Imperio nullâ urbe, nullo ceſſerit caſtello, niſi quo carere facilè poterat. Contrà Fœderatis Patribus Imperij dignitas tanti fuit, ut quæ poſt Colonienſe bellum loca in poteſtate habebant, ſuo damno, ſuo reſtituerint incommodo. Et licet pacto cum Germanis Principibus, ut Parmenſem quoque exemplum imitari cogerent; nihilominus Berkam, Bonnam, aliaque loca, Hiſpani retinuere. Caſtellum verò Schenkianum in ſolo olim Geldrici juris exſtructum, comprobari ex publicis actis poteſt: exin pignoris nomine Cliviorum Duci, mox & emolumenta ſoli hæreditario jure eidem tranſdita: cæterùm ſupremâ poteſtate reſervatâ; cujus vi, jus Patribus eſt ad defenſionem ſui caſtella, præſidiaque ei loco imponendi: quod ſi temere quis firmari credat, non abnuunt Patres jure diſceptare. Quamobrem ſublimes ac præpotentes Proceres, ſeriò vos rogatos volumus, ne fallaci Hiſpanorum oratione adducti, ſuſpectos habeatis vicinorum proximos ſitu, fide maximos, tanquam aliena rapere, aut invadere Imperium moliantur. Has nimirum artes à Phariſæis, præceptoribus ſuis hauſere, à quibus humani generis Servator, ut affectati Imperij reus, apud Cæſarem delatus eſt. Confidite, pro regiminis, rerumque noſtrarum ſtatu, non aliud majus ſperare nos poſſe, quam domi tutelam libertatis, foris, ſocietatem finitimorum. Helvetij quoque receptâ libertate, licet armis viriſque potentes, ſatis habuere propria poſſediſſe, nec alienam in perniciem ſuis viribus ſunt abuſi. Quartus jam agitur annus, quòd Emdâ, contra multorum opinionem, excedentes, & paullò antè redditis Colonienſium locis, noviſſimè Emmerica, abundè animum hunc noſtrum teſtatum fecimus. Nec alia nobis amiſſæ Berkæ cauſſa: quippe quia fixum erat, oppidum reddere Epiſcopo, præſidij ſegnior cura fuit. Hæc reputantes, facilè metum noſtri ponetis. Sed cruentæ Hiſpaniarum Regis ambitioni animos advertite, cujus palam facta clamant, univerſo Chriſtiano orbi jugum imponere eum velle, cujus legatis auſum, pleroſque veſtrûm in auguſto hoc conventu ut hæreticos inſectari, &*

bellum

bellum tantum non apertè denuntiare. Capite arma pro vetere libertate. nam ſi ulla unquam fuit, vobis certè, poſt tot acceptas injurias, juſtiſſima belli cauſſa eſt. cIↄIↄ
Accendant animos veſtros miſerandæ oppreſſorum ſociorum querelæ, triſtes gemitus & lamenta ſtupratarum nobilium matronarum, virginumque, & temere fuſi ſanguinis innoxiorum. Oſtendite crudeli & arrogantiſſimo tyranno, qui tanto faſtu veſtram nationem ludibrio habet, nondum veterem Germanorum virtutem, nondum fortitudinem exſtinctam. His patrandis, quanquam ipſi ſat validi, cum nemine partiri gloriam confectæ rei opus habeatis, tamen ſi noſtra non diſpreta vobis auxilia ſunt, oſtendemus, nos incorruptæ fidei ſocios, & poſteritatem non indignam origine priſcorum Germanorum. Hæc Patres. Mirum ſanè erat, Germanos ac Belgas anceps bellum diviſis viribus, proprioque conſilio gerere, quam junctis viribus conſilijſque communem hoſtem brevi tempore debellare maluiſſe. Germani paucis oppidulis receptis, prohibere ſolo ſuo hoſtem, & deinceps, pacatorum more, ut ante, ſuperſedere ſe bello poſſe exiſtimabant. Imprimis tamen metuebant, ne armorum ſocietate cum Fœderatis initâ, ſuper diuturnum cum Hiſpano bellum, Cæſarem quoque, & Principes Pontificios, ad hoſtilia irritarent, & belli univerſa moles in Imperium traheretur. Contrà amiſſa recuperare, apud omnes favorabile & laudatum. Diversâ in parte Patribus externorum incommoda auxiliorum obverſabantur. Et coacto in unum exercitu, de ſummâ Imperij contentionem fore prævidebant. Hærebat animo annus pòſt mille quingentos duodeoctogeſimus, Caſimiri & Boſſuvij æmulatione notus. Simul metus ſuberat, ne Germani bello mox feſſi, pacem cum Hiſpano facerent, & Belgas vel invitos eodem compellerent: aut, ſi proſperè cuncta ceſſiſſent, ne Belgæ confecto bello temperandæ victoriæ impares, nimiâ felicitate corrumperentur. Quippe faciliùs, qui tunc rerum ſtatus erat, ex otio, ac ſecuritate, quàm belli onere rerum commutationem orituram judicabant. Etenim bello curas, concordiam, ſalutaria cuncta vigere; ex pace licentiam luxum, & immodica quævis. Hæc quamvis in utrumque afferrentur, Guilhelmus Naſſovius tamen, vires omnes una in caſtra colligi ſuaſit; certò credens, ni fieret, hoſtem roboris quicquid haberet, in Germanos verſurum; nec victoriam in arduo, quando nihil veterani militis, ſed tyrones omnes eorum in caſtris eſſent. Illis victis, graviorem Belgis molem, & terrorem. Cæterùm ut revertamur eò unde digreſſi eramus, in memoratis ſupra Germanorum conventibus, nihil quidquam penè decretum, ob deliberantium multitudinem, unde diverſæ ſententiæ, ſua quoque reſpectante. Pontificijs, quorum plena Weſtphalia, juxta utrique in ſuſpicione erant, Hiſpani, & confeſſionis Auguſtanæ Principes; illi tanquam inſidiantes Germanicæ libertati, hi ob diverſa ſacra. Tandem apud nutantes vicit religionis odium, ut poſt Gandavenſem pacem, Antiſtites quoque, & Abbates Belgæ factitaverant. Et quanquam Principibus pro libertate, re æquiſſimâ, nitentibus, obſiſtere nequibant; retinere tamen huc proclinatos, varijs artibus eludere conſilia, &, ſi evertere non daretur, morari tamen pro viribus conabantur. Itaque dictitare, nequaquam Hiſpanorum injurias, & violentiam, pro fama eſſe. Neceſſitate adactos proxima in hybernacula exercitum compoſuiſſe, parabili victu contentos. Germanos Principes ſi armatâ manu depellere eos aggrediantur, ſub ſpecie officij, novis Weſtphalos oneribus gravaturos, &, pro ſolatio, damna majora fore: Hiſpanos enim exeunte hyeme ſponte ceſſuros. Pretium non eſſe, eam ob rem bello cuncta miſcere, & turbatâ pace, Turcis aperire Germaniam. Quod ſi decedere Imperij ſolo Hiſpani abnuerent, haudquaquam longiùs ſitorum Principum eſſe, huic ſe negotio interponere. Weſtphalis, ſecundum Imperij inſtituta, relinquendam ultionem. Ea natio Pontificijs quàm maximè abundabat;

 quos

cIↃIↃ quos conſcientiæ cum Hiſpano ſuſpectos, liberaliter adeò ſibi vindicandi
xcix. munus depoſcere, cæteri ridebant. Hæc, aliaque id genus impedimenta,
Cæſar, Imperijque Epiſcopi adjuvabant; quibus in metu, ne ſemel cœptum
adverſus Hiſpanos bellum, verteretur in bellũ contra ſacerdotes. Nec Au-
guſtanis Principibus idem animus, aut, quæ vocabuli id mereretur, concor-
dia. Nonnulli, & hos inter imprimis Philippus Ludovicus, Palatinus Comes,
Hiſpani formidine in conſilijs, in literis, eum hoſtilia adverſus Imperium
patraviſſe, ne dici quidem patiebantur. Alij diffidentiæ ſemina ſpargere,
& haud dubiè Calviniſtarum occultari molimina differebant, quibus ju-
vandis tanto ſtudio Palatinus, ac Marchio, incumberent. Magdeburgenſis
Adminiſtrator, fato parentis Brandeburgicum adeptus Marchionatum,
cujus plurimùm filij cauſsâ intererat, deſes, & ſecurus agitabat; licet mul-
tis ſæpè, & tantum non interpoſito jurejurando, affectum & voluntatem
ſuam Belgarum legatis coram jactaviſſet. Et tum quidem patris juſſa ob-
tenderat, armis abſtinere imperantis, nec decorum filio detrectare. Nunc
defunctus parens, atque alterâ parte auctæ vires; ſimul nova in Daniæ ac
Sueciæ Regibus munimenta; quorum ille filiam, hujus cognata filium ejus
in matrimonio habebat. Unde ſuſpicio inceſſit, quieſcere ingentibus pro-
miſſis à Cæſare evictum, de tradendo ſoli filio illius Cliviorum ac Juliacen-
ſium principatu, eâ lege, ut viciſſim ipſe Cæſaream dignitatem (quando va-
caret) ſuo ſuffragio ad Auſtriacam domum traheret. Cæteris otioſis, Ele-
ctor Palatinus, Dux Brunſvicenſis, & Haſſiæ Comes, maximè rem urge-
bant: quippe periculo proximi, & bello intrepidi, juſtiſſimam cauſſam, &
occaſionem non deſerendam rebantur. Ii, auxilio nonnullarum Auguſta-
næ religionis civitatium, millia equitum quatuor, peditum duodena coge-
re, ijſque ſuſtentandis promiſſam contra Turcas pecuniam impendere de-
creverunt, & Pontificiorum principum pecunias, non militem poſtulare.
Etiam amicitiam cum Fœderatis Patribus exerceri placuit, fœdus nole-
bant. Nec Patres abnuebant, ob relatas ante cauſſas: etenim exturbatis
Imperio Hiſpanis, & reducto in poteſtatem Rheno, ſatis ad utilitatem pro-
fectum arbitrabantur. Sed Germanos contentio de exercitus imperio di-
duxit. Certabant ob faſtigium Brunſvicenſis & Haſſiæ Comes. Electori
haud ægrè perſuaſum, ut intra fines ſuos maneret: quippe inconſultum vi-
debatur, diſcrimen Principes ſimul omnes ſubire, & ditionibus ſuis abſcede-
re: itaque relinquendum cenſebant, qui orituris in Imperio difficultatibus
occurreret. At Brunſvicenſis, & Haſſiæ Comes, obſtinatè ſummum ſibi
quiſque faſtigium depoſcentes, multis eam in rem conventibus incaſ-
ſum actis, manſere diſcordes, & infenſis animis diſceſſere. Chriſtianum
Anholdium præficere copijs neuter detrectabat: ſed abnuit ille contentio-
nibus ſe interponere. Hinc nova Cæſari & Weſtphalis occaſio, quos penè
jam intermiſerant, ſermones repetendi: & indicto Monaſterium conven-
tu, cæteros rogavere, ut communi omnium nomine, ac ſecundùm Impe-
rij inſtituta res gereretur. Ceſſaturas hâc re controverſias de regimine ex-
ercitus. Suis in terris bellum gerundum. Solos ſe damna paſſos, quæ vindi-
cari non alterius magis intereſſet. Principum reliquos tantum auxilia miſ-
ſuros. Quare æquiſſimum, & Imperij inſtitutis congruens eſſe, ut ſuos ipſi
duces exercitui præficerent. Quod ſi reliquis placeat, & exemplum ſe-
quantur, trium ſe menſium tributa collaturos, proportione gradus, quem
quiſque in pendendis adverſum Turcas tributis obtineret. Pronis hæc ac-
cepta animis, dum Haſſiæ Comes, & Brunſvicenſis, mutuâ æmulatione al-
teri alicui honorem eum deferre, quam repulſam pati malunt. Simul trium
tributa menſium & illos, & Principum cæteros illexere: quippe quanto plus
ab alijs pendebatur, eo minores ſibi impenſas faciendas prævidebant. Hæc
ita acta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ita acta Mendozæ animum auxerunt, & tantò audacius monitus Germano- cIↄIↄ
rum, Cæſaris minas, & proſcriptionem adſpernatus, Februario menſe Em- xcix.
mericam urbem, admotis tormentis, in deditionem accipit. Magiſtratuum
nonnulli diffugere, derelictis civibus, ac præſidiarijs, utriſque repellendo
Hiſpano pronis : quod in arduo minus erat ob incitatiſſimum aquarum
æſtum, adeò ut quamvis ignaviâ regentium conceſſo aditu, penetrare in
urbem Hiſpani, niſi naviculis, nequiverint. Per idem tempus Jeſuitarum
in oppido templum ſubito lapſu corruit, depreſsâ, quæ molem ſuſtinebant,
columnarum unâ. At in Fœderatos omni hâc hyeme nihil Mendoza ten-
tavit, tametſi bis amnes & paludes omnes duriſſimâ glacie concreti ſtete-
rant: dubium, aliáne meditaretur (ut inſidias Bredæ ac Noviomago ſtru-
xit, & Daventriam Præfecti Ockerhuiſij indicio tentavit, qui ad ho-
ſtes tranſgreſſus, quando Patribus militabat, præſidium eâ in urbe egerat,)
an Mauritij, & Guilhelmi pervigiles curæ, & in omnes caſus paratus exerci-
tus, retinuerint. Quanquam illis exiguæ erant copiæ, & hæ ipſæ diviſæ,
dum incerti aguntur, quâ irrupturus hoſtis eſſet. Partem unam ad Arnhe-
mum Mauritius tenebat, tutandæ Velaviæ, agroq́ue Ultrajectino, & Hol-
landiæ. Alterâ cum portione Guilhelmus Naſſovius Meppelæ, in agro
Drenthano conſederat, Friſijs, & Omlandis intentus: ſed aſſidui inter utroſ-
que curſores commeabant, jungendis viribus, ſi quo Mendoza ſe vertiſſet.
Sevenariam, Tol-huiſam (id vocabulum munimento, quod ad exigenda
portoria anni impoſitum eſt) Grontſteinam, Halſafiamque, Cliviorum lo-
ca, Mauritius recepit, quo præſidijs illis hoſtis ſuſtineretur, ne ſubitò in-
gruere poſſet. Ineunte anno, qui noviſſimum ſæculi decimi ſexti præceſſit,
ſæpius levibus prælijs certatum, plerumque ſuperioribus noſtris. Januario
menſe Gocham prope cæſi aliquot hoſtiles milites: & in Brabantiâ per
idem tempus centuriæ nonnullæ in fugam actæ, pars conciſa, plerique ar-
mis exuti. Apud Juliacenſes, Schinckius equitum Magiſter, equites quoſ-
dam è turmâ Edmondi in patibulum ſuſtulerat: quâ contumeliâ Edmondus
irritatus, aſſumtis auxilijs, caſtellũ Germanis inſeſſum haud procul Juliaco
expugnavit, omneſq́ue trucidavit, & plurimis tectis injecto igne, equorum,
agriculturæ aſſuetorum, centenos aliquot abegit. Martio menſe Ludovi-
cus Naſſovius inſidijs ad Emmericam conditis, præfectum urbis, (erat is
ex Comitibus Buquoijs) elicuit, & cum præfectis pluribus cepit: cæterorum
ducenti in loco periere. Pari fortunâ ad Rhenum Fredericum Bergium
noſtri adgreſſi, in fugam egere. Ipſe gravi & obeſo corpore duabus quibuſ-
que horis equum mutavit: & ſimulatque propius noſtri acceſſiſſent, in re-
centem ægre à quatuor viris imponebatur; qui dein ob propinquita-
tem noſtrorum excluſi ne equos conſcendere ſuos poſſent, plerique capti.
Venêre quoque in poteſtatem miniſtri Comitis, & arcanorum curator, ci-
ſtæq́ue complures, & multa veſtis. Alijs tractibus, noſtri Lilloo ac Lief-
kenshouca digreſſi, aggerem ripæ Scaldis Antverpiæ adgeſtum, quo naves
appelluntur, diripuere, & caſtellum tutandis qui amnem trajiciebant, ex-
ſtructum, per vim adorti, centurionem, qui præſidebat, captivum abduxe-
re. Præterea cæſi, ut ſupra demonſtravimus, qui Guilhelmum Rodwitſium
deducebant milites. Et Noviomagum Graviamq́ue inter captus Paulus
Æmilius Martinengus, Comes; equites qui trecenti aderant interfecti, aut
diſſipati. Pro portis Coloniæ ſexdecim Fœderatorum equitibus, totidem
Hiſpani occurrerunt, Carpæ, ſub Ferdinando Lopeſio, militantes. Et
quia impedita loca, nec apta equeſtri certamini erant, utrique deſiliunt
equis, & gladijs tubiſq́ue brevioribus præliantur. Unus hoſtium primo
impetu cecidit, reliqui ponè obicem, quo via claudebatur, ſemet recepe-
runt, cujus objectu tuti noſtros impetere volentes, à civibus, qui pacati juris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ erant, prohibentur. Itaque equos omnes, ad arbores hortorumque ſepes
XCIX. religatos, noſtri abduxere. Præter hæc, aliaque id genus cladium, erepta Hiſpaniarum Regi navis, & tuborum longiorum millia ſex, cunctaque huc pertinentia; tum & arma, pyrij pulveris libras ſexagies mille, & fomitis incendiarij, glandiumque vim magnam, Hamburgo vehens. Navium altera, ſimiliter armis onuſta, evaſit. Tertia ex ære fuſili tormenta portans, Hamburgi remanſit, unde conjectare erat, magna Hiſpaniarum Regem moliri. Interea Emdæ indies in pejus cuncta ruere. Nautæ, ac mercatores, impulſu Comitis, omnibus locis vexabantur, aut diripiebantur: unde orta ſeditio inter omnes, qui navigatione alimenta aut quæſtũ expediebant. Comes de induſtriâ alere incendium, & ſemper nonnullos minis, aut ingentibus promiſſis blanditijſq; in ſua trahere. Appropinquabant Orientali Friſiæ Hiſpani milites, quîs palam ſe filiorum Comitis unus adjunxit. Civium indies L aut LX peſtilentiâ hauriebantur. Multique luis metu, aut tædio diſſidiorum, ſedes alias quæſiverant. Quæ reputantes magiſtratus, & deteriora cum tempore veriti, neceſſariò aliquid indulgendum plebi exiſtimarunt. Itaque impoſita nuper onera, vectigaliaque, remiſere. Et ni florenorum millia XLVI Fœderati Patres mutuo dediſſent, pecuniæ inopiâ, ducentos milites, (unicum rerum ſuarum munimentum, & peſſimi cujuſque frenum) dimiſiſſent. Nec tamen ipſa hæc pecunia parcè aut frugaliter habita; ſed pleraque ſupervacuos in uſus, legatis Pragam & Spiram euntibus, impenſa. Januario menſe magiſtratus, (ut pactis Delfſilanis cautum erat) miſſis ad Comitem literis, duplicem ei numerum propoſuere eorum, ex quibus novos Conſules, & Senatum reliquum urbis crearet. Adjecerant, ut Comes, priuſquam electionem faceret, in cæteris quoque Cæſaris arbitrio & Delfſilanis pactis ſtaturum ſe promitteret. Sed ille abnuit. Unde civitas ſe per omnia fidem impleſſe rata, novos ipſa magiſtratus deligit, quos jurejurando Cæſari, Imperioque, & Emdanæ civitati fidem adſtringere coëgit. Comitis mentio nulla. Qui totam hyemem ſcribendo militi, navibus armandis, & locorum ubicumque poſſet vexandis terra marique Emdanis, intentus fuit. Acerbis cenſibus pagos onerabat, in ſingula jumenta Imperiali impoſito. Anabaptiſtarum familia quæque denos pendere coacta. Tum graviſſima quoque edicta in eoſdem promulgat, & execrabilem ſectam nuncupans, quæ horrendis circa divina opinionibus una malorum omnium cauſſa eſſet, quîs ditionẽ ſuam Deus puniret; pecuniariam ijs multam imponit: habebantque obtentum nefaria edicta, tanquam ſubſidium contra Hiſpanos quæreretur. Quorum adventum identidem memorabat, terrendis ſubditis. Sed non eò deſperationis ira eum ſua compulerat, ut tam exitiabiles ſibi ſuiſque auxiliarios, arceſſeret: quamquam, ſatis, ut videbatur, huc promtis filijs ejus, qui ad Mendozam, Bruxellas, ac Orientalem in Friſiam, ultro citroque commeabant. Dein pagos juramento fidelitatem adverſus hoſtes omnes promittere cogit: detrectantes, & rem ad conventum trahentes, in vincula conjicit: nec, quamvis promti jurejurando adverſus externos hoſtes, accipiebantur. Etiam contra Emdanos, ut hoſtes jurari cupiebat. Hæc inter diſſidia Edſardus Comes Kal. Martijs fato ſuo fungitur. Enno filius, ſæpè patris incuſare duritiem, & ſpeciem pacis cupidi ſimulare ſolitus, indies ſpem mitioris imperij majorem faciebat: tametſi nihil de cenſuum acerbitate remitteret. Plurimâ in urbe Dynaſta Kniphuiſius, cum fratre, erat gratiâ: id gnarus Enno, perſuadet, nihil ſibi concordiâ potius, ſi humiliter eam ciuitas expoſcat. *Etenim* (inquit) *ſi prior ipſe rogavero, & promtum huc me oſtendero, provocabo matris fratrumque iram, & inſectationes, tanquam parente prudentiorem me exiſtimem, & fatum ejus avide exſpectaverim: quippe qui, vix mortuo eo, omnia ejus acta reſcindere velim.*

His

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcix.

His intellectis Kniphuiſius Emdanos adit, inducitque, ut ſimul cum Equeſtri ordine Friſiæ Orientalis, legationem, ferè ſupplicem ad Comitem mitterent: quæ dolorem ex fato Comitis ſuum teſtaretur, Ennonem ſolatijs adficeret, & de hæreditate adeptoque imperio ei gratularetur. Adhæc rogare juſſi, ut dimiſſo milite, graviſſima vectigalia & cenſus abrogaret, & ditionis ſuæ conventum ageret, tollendis controverſijs. Imprimis imperatum, contenderent, ut Emdæ cadaver Comitis monumento inferretur. Quanquam antè verebatur civitas, ne opportunitatem hanc avidè Comes arriperet, & ſub funeris ſpecie, ingenti comitatu urbem ingreſſus, plebem & ſuarum partium homines in magiſtratum concitaret. Vix hæc decreta erant, cùm prædo Hiſpanus, nonnullis civium Emdanorum, parati æris, & panni vim, ſexaginta florenorum millibus æſtimatam eripuit: & cum prædâ Auricum, ubi Enno erat, ingreſſus, accuſatuſque, connivente eo, rurſum vinculis exſolvitur. Mox ubi Eſenſiam profectus, & aditu prohibitus ad Comitem refugit, juſſu ejus, centum jaculatorum præſidio Stickhuiſam deductus eſt. Civitas hoſtilia adeò facta, nequaquam blandæ orationi congruere advertens, omninò à legatione mittendâ abhorrere: cæterùm Kniphuiſio quædam ad purgationem Comitis afferente, antè placita repetit. Legati ubi acceſſere, à Comite nequaquam placidè excipiuntur. Sed faſtus pleno, & indignabundo vultu, ne Kniphuiſium quidem principem legationis, quem blanditijs uſque adeò demulſerat, ſalutare, aut porrigere ei dexterã dignatus eſt; callido conſilio, ut autoritatem ejus apud Emdanos augeret, quemadmodum poſt acta indicio fuerunt. Ad primam legatorum orationem, quâ nonnulla in honorem defuncti Comitis, ad ſpeciem, jecerant, Enno reſpondit: *Multò majori laude parentem ſuum dignum fuiſſe: & nunc propriâ Emdanos conſcientiâ convinci, quàm falsò apud Cæſarem eum accuſaſſent. Iure quoque ſe ab ijs ſucceſſorem agnoſci. Quippe cui parentis teſtamento adſcripta hæreditas, & à Cæſare ſancita eſſet. De conventu agi nequire, dum luctuoſus ſibi annus duraret. Poſſe minoribus in conventibus, & ſeparatim in ſingulis præturis ſe inaugurari quamvis ad conventum tota ditio non conveniret. Militem, quo ſua tutaretur, nec dimittere, nec ſuo ære ſuſtentare, proinde neque tributa remittere poſſe. A ſubditis leges nequaquam accepturum ſe, & Aurici manſurum, donec intraret rebelles pudor & pœnitentia patratorum.* His ſuperbè adeò reſponſis, inceſſit Emdanos metus & ſuſpicio, Comitem auxilia aliunde ſperantem, eò pervicaciæ prorupiſſe, adhibitaſque nuper blanditias aſpernari. Confeſtim itaque civium meliores, qui ſacris, & patriæ libertati conſultum cupiebant, auxilia à Fœderatis Proceribus petunt, reprimendis cæteris, quis navigationis & commerciorum quæſtus, ſacris, & reliquis omnibus, potior futurus erat. Mittitur Hagam Guilielmus Kniphuiſius, Dynaſtæ frater, rogatoque ter mille militum ſubſidio, oſtendit, brevi quæcumque Comes teneret loca, redigi in poteſtatem poſſe. Quod acriter id adeò diſſuaſum Guilhelmo Naſſovio, ut remeans Kniphuiſius, non recta per Groningam, ſed flexu itineris, colloquia Guilhelmi vitans, domum profectus ſit. At Patres militis ſui ipſi indigi, & ſimul aliorum calumnias antè conjectantes, ſi Imperij rebus ſemet interponerent, non pleno, ut fermè in talibus, conventu, ſed inter paucos conſultato, pecuniæ ſummam haud aſpernandam obtulere, quâ militem, exſequendis deſtinatis, Emdani ſcriberent. Cæterùm eâ conditione, ut civitas de ſolutione caveret. Hoc reſponſo digreſſus Kniphuiſius multo veſpere Emdam venit, & re apud eos, à quibus miſſus erat, diſſimulatâ, primâ luce ad fratrem contendit, in aulâ Comitis per id tempus agitantem. Huic obviam factus rem totam primò aperit; exin illis, quorum juſſu ad Patres ierat. Ii parùm bonâ fide actum advertentes, ſuſpectare Kniphuiſios cœpere. Simul ad animum

occur-

cIↄ Iↄ XCIX. occurrebat, valere opibus Comitem, nec arduum illi corrumpere quemquam; præſertim Kniphuiſios, qui & ipſi quemadmodum Comes, ſubditis ſuis diſcordes, & vocato in judicium Oldenburgenſi Comite, litis eventum nullum videbant, niſi juvante Ennone. Sed enim mox conſilium de ſcribendo milite, pellendoque Ennone ſuâ ſponte evanuit. Quippe parùm ſpatij dabatur, nec multitudo (quam penes Emdanum eſt regimen) accenſa moram ullam ferebat. Itaque, quod ſupererat unum, milites ſexcenti è legione Guilhelmi Naſſovij, quippe proximis locis hybernante, poſtulantibus Emdanis, ad urbem mittuntur, ducibus Cornputio, & Aſſuero Adriani. Qui ſextâ Aprilis die ſummo mane in ſuburbio conſederunt. Multitudo, ad nova omnia mobilis, proditionem & hoſtilia parari exiſtimans, acriter ad arma concurrit. Clamitare multi, Belgas, quando ipſi commercia exercere in Hiſpaniâ prohibeantur, eorundem quoque uſum nunc ſibi invidere. Alij his commotiores, divini verbi miniſtros, judiceſque, à quibus ſupplicio Joannes Groenius affectus erat, haud quaquam placidis ſermonibus differre. Erantque in diſcrimine Concionatores juxta & Magiſtratus, ni ſubitò, & ferventi adhuc ſeditione, miſſæ à Naſſovio literæ, palam prælectæ fuiſſent. Iis paullulum motus conſedere. Scripſerat enim: mirari ſe, ſocium militem, & conatibus Hiſpanorum avertendis, ut ante quadriennium accidiſſet, ſubmiſſum, indignè adeò excipi: quieſcerent, & ab injuriâ temperarent: militemque, ſi accederent Hiſpani, præſidio urbi intromitterent. Nec dubitare ſe confeſtim id facturos. Ni facerent, certum ſibi, nullam ex portu Emdano navem dimittere. Et ſimul detinuit naves omnes, oſtenſurus, à non alio navigationem faciliùs, quam Fœderatis prohiberi. Biduo tamen pòſt, nautarum clamoribus quereliſque motus, quacumque iter facere vellent, miſſas fecit. Nam quingentas jam in procinctu ſtare audierat. Hoc furore, terni civium Tribuni, moti ordinibus ſuis, alijſque ſuffecti ſunt, & novum XL virorum collegium lectum, vetere necdum abrogato: ademta quoque Magiſtratibus poteſtas ſignum dandi, & claves urbis. Etiam miſſi ad Ennonem nonnulli, quorum ſuaſu terni ab eo legati ad urbem venere. In his Gerlacus Feuwenius civis Emdanus, turbidi homo ingenij, & ob id urbe pulſus. Sed hi adeo accenſam & furentem multitudinem reperere, ut fruſtrà audiri peterent. Itaque tribus horis exſpectato, Borſumam, qui proximus pagus, abeunt. Eo ſepteni à multitudine miſſi, dilationem excuſavere. Utroſque & Comitis & urbis legatos è diverſorio, quo convenerant, Præfectus Cornputius extractos Groningam miſit, ut avellerentur civitate præcipui turbatores: ſimul obſidibus his impeditum, ne temere plebes ad injurias aut vim provolveretur. Poſt hæc Olderſumum ipſe Enno cum ſeptingentis militibus venit, & humaniſſimis literis plebi obtulit, venturum ſe in civitatem, ſi id velint: ſin abnuant, nihil contra tentaturum. Sed inexſpectato reſponſo Kniphuiſium Wengiumque in urbem mittit, qui animos multitudinis blandimentis ſeducerent, ac in adventum ſuum præpararent. Judicabat prudentior quiſque, ſi per id tempus confidenter in urbem veniſſet, autoritate ſuâ facundiâque (qua multum valebat) quocumque voluiſſet incitatam plebem (nam ſilebant magiſtratus) tracturum fuiſſe. Cæterùm id, quia omiſſum illi, potuit tantum melior pars, commodùm allatis eodem tempore Naſſovij literis, ut juxta utroſque, & qui à Comite, & qui à Patribus venirent, urbe prohibendos decerneretur. Itaque Naſſovio exemplum decreti mittunt, ad introſpiciendum ejus judicium: etenim ille, ita rerum ſtatu poſtulante, ſine ambagibus ullis, civitatem monuerat, Comitem Hiſpanorum conſcientiæ innexum eſſe. Igitur legatos octo dies Groningæ hoſpitaliter excepit, remiſſoque in urbem Adſeſſore, qui eorum

unus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

unus erat, ſeriò civitatē monuit, ut cunctis veteri in ſtatu relictis, redditoq; cIↄIↄ
magiſtratibus regimine, donec electionis tempus adeſſet: neminis interea xcix.
vitæ, fortunis, aut famæ vim inferret. Pateretur Fœderatorum militem in ſuburbio agitare, quoad compoſitis turbis, Patrum conciliatione, in gratiam cum Comite reducerentur. Nam Naſſovius eum pacandæ plebi, & nequid hoſtile tentaretur, conſcendere naves, & in anchoris ante urbem ſtare juſſerat. His compertis, plebs nihil penitus aut in ſacrorum, aut Reip. ſtatu mutare, neque uſpiam à Delfſilanis pactis abſcedere velle reſpondit; ſed paratam vitæ omniumq́ue fortunarum impendio ea defendere. Quare cæteris, quæ Naſſovius poſtulaverat, conceſſis, id modò oravere, ut miles abduceretur, & integrum ſibi pacatorum jus eſſet. Ad ultimum tamen inducti, ut in ſuburbio miles eſſet: ſine quo, nec munimentum melioribus, nec pravis ulla formido erat. & multitudinis haud ſatis tuta fides. Quibus perfectis, legatos Naſſovius miſſos facit, Comitemq́ue hortatur, moderata uti imperia exerceret, exemplo potentiorum Principum; neve inteſtinis diſſidijs Hiſpano occaſionem in ſe aut ſuos daret. Legatis denuntiat, non aliud Patribus conſilij, quàm ſopire incendium, ne effuſum latiùs ad ſe quoque ſerperet: alioqui non invidere ſe Emdanorum libertati, aut quieti. Quin votorum hanc ijs ſummam, ut pacatorum inſtar Emdani ſub Imperio, tranquilli, & concordes Principi ſuo agant. Adjecit monitus, ut omnibus huc modis tenderent, & per magiſtratus, quemadmodum æquum ſit, cum eò tranſigerent. Etenim ſi à turbidâ multitudine ſine ordine, ſine imperio, pacta expoſcerentur, ut his diebus accidiſſet, nunquam ceſſatura diſſidia. Eandem fortunam habituros, quàm obſeſſi milites conſueverint. Illos enim, ubi invitis ducibus deditionem faciant, arma plerumque, nec raro vitam amittere. Enno, ubi hæc intellexit, diverſo penitus à prioribus conſilio, conventum ditionis ſuæ agere, & ſubditorum audire atque ex æquo & bono tollere querelas; judicum inſtituere conſeſſum; & pactis Delfſilanis, ac Cæſaris decreto ſtare; denique & Fœderatos Patres, ad conciliandas diſcordias invitare, & Delfſilam, aut Groningam, ad colloquium venire ipſe, decrevit. Cæterùm hæc agitanti, Conradus Weſterholtius, Cancellarius, Pragâ reverſus, ſpem bonam afferebat: & Cæſarem brevi pronunciatam nuper ſententiam, quia mutare nequiret, interpretando lenituram. Quîs motus propoſitum damnat, & priora repetit. Abſcedunt ab aulâ Kniphuiſius, nobiliumq́ue alij: Comes, alijs conſiliarijs adhibitis, apertè civitati denuntiat, nequaquam ſe Patres conciliatores paſſurum: malle omnem ditionem ſuam amittere. Eſſe ſibi vires adverſum Patres, urbemq́ue. At Naſſovium Emdanorum melior quiſque hortari, ut inſeſſum militi ſuburbium firmari munitionibus juberet. Gratum id non vulgo tantùm, ſed multis quoque diverſæ factionis fore; ob privata commoda. Quando domicilijs, & quos ibi haberent fundis, pretium hâc re augeatur. Simul bello ardeſcente tutum id urbi, quatenus editum illic ſolum, & accipiendo operi idoneum. Promtius quoque hoſtilia omiſſurum Ennonem, ubi antè captum hunc locum videat. Naſſovius contrà abnuere. Odioſum Fœderatis, munitiones Imperij in ſolo facere, quaſi perpetuum manere in eo velint: & Mendozam Fœderatorum exemplo, quæcumque patraviſſet, excuſaturum. At ſine caſtello, ſine munimentis ad urbem confidentes, ſpeciem jam jam abiturorum præbere. Iram quoque Ennonis munitiones provocaturas; quem fortaſſis proximum ſuburbium per vim expugnaturum, turbandis operis, quo caſu & illud validiùs firmandum. Neceſſarium magis Fœderatis adverſus Mendozam ſui militis uſum. Nec decorum Patribus, qui ſe medios, & arbitros diſſidentium ferrent, quicquam alteri adimere parti (nam

 in ſub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃ IↃ in ſuburbium ſoli Ennoni jus) atque Urbi donare. Ob hæc data militum
XCIX. præfectis inſtrumenta caſtrenſia, adjecto, ne uterentur, aut opus inciperent, niſi hoſtis, aut neceſſitas ingruiſſet. Hoc ſtatu manſere cuncta, quoad Majo menſe anni undecenteſimi à Fœderatis Patribus, Cruningius, Hellius, Boleſius, Fockeſius, Franciſcus Janſſonius, & Fredericus Coenderus; à Reginâ Gilpinus, Emdam venêre. Eodem anno, primo & viceſimo Januarij die, qui Dominicus erat, Achtveltius, civis Daventrienſis, Concionatorem urbis Franciſcum Schurichmannum, peractis ſacris domum comitibus duobus remeantem, cultro invadit, gulamque præcidit. Ipſe pernici fugâ oppido elapſus, ab inſequentibus comprehenditur. Et damnatus capitis, neminis impulſu cædem patraſſe faſſus eſt, ſed irâ, ob quædam in Pontificem à Schurichmanno dicta. Per idem ferè tempus, Ulſtæ, quod arci nomen, mortalitatem implevit Maria Bergenſis, ſoror Guilhelmi Arauſionenſis, multis querimonijs effuſis, quòd in religione à teneris hauſtâ mutaviſſet: monuitque filias, ut conſtanter veritati, & rectis ſacris adhærerent. Etiam Sacram Cœnam à divini verbi Miniſtro ſe coram adminiſtrari juſſit, plurimis Numini gratijs actis, quòd munere ejus, extremo hoc beneficio uteretur. Ante obitum filijs perſuaſit, ut confeſtim hæreditatem partirentur: quâ prudentiâ prævenit diſſidia, patri ante cum fratre agitata, & haud dubiè alioqui inter filios oritura. Etiam Mauritio, & Guilhelmo Naſſovio, tutelam filiarum ſuarum commendavit. Comes Hermannus, inter filios natu maximus, paullò ante Bergellij Marchionis Bergizomij filiam uxorem duxerat. Februario menſe, ſupra beneficium ſuperioris anni, quo menſium ſpatia in dies duos & quadraginta contracta erant, denuò aucta militum ſtipendia, & centurionum his, qui ducentos ſub vexillo milites habere tenebantur, datum vicenos detrahere: his qui centenos & quinquaginta, quindenos. Addita gravis pœna in fraudatores, & qui plus quæſtus affectarent. Ut ſigillatim cuique ſtipendia ſolverentur, etiam hoc tempore omiſſum. At in partibus Hiſpanorum haudquaquam recte ſtipendia procedebant. Toto ſuperiore anno, Antverpiæ Liræque pręſidiarij in ſeditione perſeverarant, demumque adulto Februario anni nonageſimi noni annumerata pecunia: tum illi præſidijs deducti, & ſubmiſſi alij, quîs itidem à multo jam tempore æs debebatur; non ſine civium dolore. Etiam Berkæ miles in ſeditionem prolapſus, toto hoc anno XCIX obſequium abnuit. Eandem ob pecuniæ inopiam in Italia quoque neglecti dilectus militum: nam centurias XL illis regionibus ſcribi Rex præceperat. Sic quoque Chriſtophorus, Orientalis Friſiæ Comes, principio hyemis Germanicam legionem pro Rege ſcribere orſus, vix vergente æſtate plenam habuit. Qui in ſolo Imperij miles agitabat, æris vix quidquam, victum, cæteraque à ruricolis civibuſque percipiebat. Quamobrem inito poſt exercitus cenſu, ſtipendiorum ijs partem Mendoza detraxit. Et ſimulatque hybernis digreſſi, complures ad Fœderatos transfugêre, fraudari ſe ſtipendijs conquerentes. Ineunte Aprili copias luſtrat, deſertiſque Monaſterienſium, Marcanorum, & Colonienſium invalidis locis, diductum longè militem, Rhenum juxta, congregare cœpit. Hinc Reſam abductos, in pagis utrimque Rheno appoſitis, Emmericam uſque collocat. Ex urbibus ſolas Berkam, & quas duas proximè memoravimus, ad Rhenum, ad Moſam Gennapium, Cliviorum oppidum, præſidio dignas judicavit. Emmericam ipſe Cardinalis Andreas venit, manifeſto documento, Cliviâ eum non exceſſurum; ſed ibidem munire ſe, bellumque in terras Rheno ab ortu ſitas trahere, decreviſſe. Hoc fine Gravewartam, (Schenkianum caſtellum alij nuncupant) adgreditur: cui ſeptimâdecimâ Aprilis die, à latere, quo Duſſelam ſpectat, tormenta admovit. Adverſam fluminis ripam Fridericus

Bergius

Bergius inſedit. Siccitas cœli, & matura ſupra ſolitum æſtas erat, adeò ut jumentorum greges, demum Kalend. Maji ſtabulis emitti ſoliti, in pratis vagarentur; quod quanto opportunum hoſti, tanto noſtris magis noxium. CIↃIↃ XCIX. Necdum enim decreta Germanorum, Gallorum, Scotorum, atque Helvetiorum ſubſidia acceperant. Et præterquam quòd exiguæ Fœderatis copiæ, ne omnes quidem adeſſe Mauritio poterant, dum Friſia, & Emdani motus, Guilhelmum Naſſovium, alios alia diſtinent. Georgius Eberardus Solmenſis Haſſiæ Comiti in Germaniâ aderat. Hohenloius ad Brunſvicenſium Ducem iter parabat. Verius necdum Britanniâ remeaverat. Hinc anguſtiæ militum Mauritio, & magna moles, multæ curæ, & ſæpe pervigiles noctes exactæ: qui unum id maximè querebatur, abeſſe ducum præſtantiſſimos, atque occaſionem ſibi eripi, diviſum hoſtem ab alterâ amnis parte diſſipandi. Quatuor militum millibus (hoſti quindecim erant, quamvis rumores multò majorem numerum ferrent) Aertæ in Batavorum inſulâ, & vicinis locis in Geldrowartâ, Sevenariam contra conſederat: quo loco annotina caſtra, & munitiones adhuc integræ ſtabant: ut mirum eſſet, Mendozam opportunitate loci pro ſe nequaquam uſum. Gravewartam utrimque, quà Moſâ & Rheno amnibus alluitur, perpetuâ circumdari loricâ, & hanc ponè minora caſtella excitari jubet, prohibendo hoſti, qui, utrimque machinis directis, bellicas naves amnibus depulerat. Dein quoque Tolhuisâ caſtello Schenckiano tenus latum tramitem deprimit, & vallo utrimque obſepit, quà currus tuti adverſum hoſtiles machinas commearent. Nam multiplices illum curæ eodem tempore diſtringebant: Doeſburgum, caſtellum Schenckianum, Sevenaria, & Vorena inſula ſimul cuſtodiendæ erant, quando omnibus illis locis tentare trajectum hoſti dabatur. Jamque pontes tranſeundis fluminibus, & ſpeculas in ripis, paratas habebat, faciendis, ſiqua neceſſitas eſſet, properè ſignificationibus. Noviomagum, Doeſburgum, Zutphania, Daventriaque, limitaneæ urbes, latere uno munitæ erant: alterum Mauritius, ſiquam earum hoſtis impeteret, exercitu ſuo obtegere conſtituerat. Tum ſupra caſtellum Schenckianum palorum duplicem ordinem amni infigit, ne rates, à Mendoza Coloniæ totam hyemem præparatæ, ut milite, machiniſque impoſitis ſecundo amne defluerent, propiùs ſuccedere caſtello poſſent. Præterea & machinas contrarias hoſtilibus adversâ in ripâ locat, quîs invicem ſine intermiſſione nocte dieque infeſtavere. Ex urbe Noviomago ſæpius equites noſtri hoſtilia loca incurrerunt, nec ſine fructu: quippe XIV admodum dierum ſpatio quadringenti equi capti, & publicâ auctione in civitate venditi ſunt. Addebatur, plures mille militibus machinarum globis hauſtos, quæ uſque adeo intonuere, ut ter eâdem nocte, aſſignatam quibuſdam militibus ſedem aliam atque aliam in partem caſtrorum transferre coactus ſit Mendoza: nam pridie explorato caſtrorum ſitu, tormenta eam in partem Mauritius converterat. Multi inſuper, ut fermè non procedentibus ſtipendijs, transfugiebant. Quamobrem Mendoza deſperans de expugnatione caſtelli Scheuckiani, maximè cum milites, ex Gallicâ, Germanicâ, Helvetiâque legionibus indies adventarent, conſilia ſua mutat. Sed priuſquam hæc componam, memorare viſum, quæ Hollandiæ Zelandiæque Patribus interea acta, ad oppugnandam claſſibus Hiſpaniam, & quæ huc impulerint. Quemadmodum jam antè interdicta Belgis commercia in Hiſpanijs erant, ita Februario menſe, ex aulâ Bruxellenſi edictum prodijt, ſub nomine Iſabellæ, quo graviſſimè Fœderati accuſabantur, & hunc in modum, ſed fuſius aliquanto, Archidux verba faciens inducta. *Vniverſo terrarum orbi compertum eſt, Hollandos, Zelandos, quique eorum ſectam ſequuntur, parentis mei lenitatem, quà in pace, & anteactorum veniâ offerendâ, quà in bello clementer*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ gerendo aſpernatos. Quæ tanta fuit, ut non modo ab omni ſævitiâ in bello tem-
xcix. perârit, ſed, eximiâ prorſus comitate, media inter arma, negotiationem, & commerciorum libertatem, omnibus regnis, omni ditione ſuâ, illis conceſſerit: partim ut manſuetudine ſuâ culpæ confeſſionem rebellibus extorqueret, partim ut commerciorum uſum, à multis gentibus, quæ Hiſpanorum invidiâ, ad ſe pertrahere eum conantur, expetitum, ſubditis ſuis gratificaretur. Sed cuncta hæc obſtinavere animos, impulſu quorundam, qui publicam calamitatem privatum vertentes in quæſtum, regimini ſe inſeruerant: cum alioqui faciles, & humano Belgæ ſint ingenio. Hinc quæcumque honeſta Bredæ, quæ liberaliter Coloniæ oblata fuerant, rejecere. Hinc Cæſaris & Germanorum Principum legatos à parentis mei Præfectis hoſpitaliter exceptos, Hollandi, Zelandi, & qui eaſdem partes ſequuntur, indignos cenſuere, qui audirentur. Hinc denique ſuſque deque habitis miſerijs, cladibus, Imperio, & toti Chriſtianorum orbi, cruento hoc bello illatis, in ſocietatem armorum populos quoſcumque poſſent adſcivere, oppugnandis, qui incorruptam adverſum nos fidem in obſequio retinuiſſent. Quin & ipſi Turcarum Cæſari occaſionem dedere tractus Europæ complures invadendi. Quîs compulſi Principes S. Imperij (quamvis meritò Hollandorum arrogantiæ proterviæque infenſi) decrevere pacem omnibus modis promovere, ac novam mittere legationem, cujus adhuc in ambiguo eſt exitus. Interea proſpera nonnulla, durante Gallorum bello, huc petulantiæ rebelles provexerunt, ut nunc quoque, poſtquam pacem Gallus fecerit, & veniam ipſis à parente meo impetraverit, ſerioque ad quietem hortatus ſit, obſtinati maneant, malo nonnullorum conſilio, qui cætera in levi habent, dummodo regiminis potiantur. Nec juvit, quòd tollendæ, quam obtendebant, diffidentiæ adverſum Hiſpanici generis Præfectos, externaſque nationes, à parente meo annis abhinc nonnullis Erneſtus Archidux, noviſſimè Albertus, dilectus conjux noſter, genere Germanico cretus uterque, Cæſarum frater & filius, in Belgicam venere. Fruſtra eorum induſtria, fruſtra nuntij, literæque fuerunt, quîs reducere ad obſequium rebelles conati ſunt: qui cunctis ſpretis, oppreſſum populum eo deſperationis, tam duro imperio adegerunt, ut nullas amplecti opportunitates queat. Quin & Parens, ut inſigni experimento approbaret, omnes ſibi curas ſubditorum quietis caritate leviores, ſuperſtes Belgis proprium Principem dedit, quod unum ſupereſſe Belgarum Patribus videbatur, ad libertatis legumque ſecuritatem. Quod faſtigij mihi conceſſit, diſertim addito, quò teſtatiorem ſuum in Belgas affectum faceret, ut Archiduci Alberto nuberem. Sed enim tantum abeſt, ut ſuo ſe Principi idcirco ſubjecerint, ut multò majorem faſtum, obſtinatiorem mentem induerint, nec contenti pro ſe bella ciere, etiam alios Principes, ut ante conati apud Gallum erant, à pace deterrere tentaverint. Nec hic ſtetit: ſed & ubi Proceres ſubditæ nobis Belgicæ ab Archiduce facultatem accepere, tentandi per literas rebellium Patrum animos, (ſi fortè redirent ad obſequium, concordiamque) ſine reſponſo nuncius remeavit. Hæc cuncta obſtinatos in pravitate eſſe, evincunt, & ingratos in Deum, in Principem, Patriamque: quod ut de cunctis fere dici poſſit, maximè tamen rectores damnandi. Qui nihil vicinorum & quondam eodem ſub Principe florentium vaſtitatem, nihil Imperij clades, nihil denique formidatas in Chriſtianum orbem irruptiones Turcarum morantur. Qui miſeræ plebi perſuaſum eunt, bella cum fructu geri, piſcatum, commercia, navigationem integra haberi, quin & vires, opeſque bello magis, quàm pace creſcere. Quandoquidem igitur clementiâ hactenus abuſi, commerciorum uſu, & commeandi, travectionumque ex hoſtico in hoſticum libertate, bellum aluerunt; eamque ob cauſſam nuperrimè Rex, frater noſter, commercia abrupit, donec ad obſequium rebelles revertantur: nos quoque, qui omnibus modis ſubditos noſtros paci atque otio; errore ad prava prolapſos, ſanitati reddi cupimus; Senatus, Secretique concilij, & Ærarij curatorum ſuaſu, deliberatâ re cum Andrea Cardinale, propinquo noſtro, & multis alijs in conſilium adhibitis; vetamus, nequis cum Hollandis, Zelandis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ XCIX.

Zelandis, eorumque ſectâ, mercaturam, commerciave exerceat, aut quidquam commune habeat, donec Hiſpaniarum Regi, aut nobis, quibus eorum principatus debetur, reconciliati ſint. Nec deinceps cuiquam pecunias, merces, aut alia cuicuimodi in rebellium ditionem tranſmittere, aut terrâ, mari, amnibuſve vehere per ſe, vel per alium licebit. Eodem modo quidquam illis tractibus editum, aut per eos tranſportatum, petere prohibemus; qui ſecus faxit, ſuper mercium multam, judicum arbitrio pœnæ obnoxius erit. Et nos quicquid gratificatæ ſumus aut ipſæ, aut per Præfectos noſtros, commeandi, travectionumque beneficia, reſcindimus. Etiam immunitates piſcatus, ac navigationis, & conceſſa privatis tuti itineris diplomata, hactenus irrita eſſe volumus, ut menſis ſpatium cuique ſit in ſua ſine periculo aut noxâ remeandi. Subditis autem noſtris, quandocumque veniam rogaverint, gratia noſtra patebit. Diu ſuper hoc edicto diſputatum fuit; promulgari diſſuadentibus Brabantiæ ac Flandrorum non paucis civitatibus. Demonſtrabant, tolerandas travectiones, ob privatorum neceſſitates, nec quamdiu ab hoſte concederentur, ultro abrumpendas. Itaque rumoribus hâc de re vulgatis, plerique cœpta intermiſſum iri credebant, ut ſæpe incaſſum ante tentata erant. Poſtremò tamen vicit ſententia eorum, qui publicandum contendebant. Simul Hollandiæ, Zelandiæque Patribus, quos maximè res tangebat, novorum conſiliorum cauſſa. Prævidebant, niſi occurreretur, mercaturam, ac navigationem, quîs potiſſima eorum nituntur, peſſum ituras, & cum ijs quod gerendo bello facultatum proveniebat. Præterea, anceps malum, queſtus, & clamores tot mille hominum, nauticâ famem propulſantium, ademtis, quis vitam ſuſtentabant. Nihilominus Hiſpano neceſſaria omnia ſubvectum iri. Ituras eò alias nationes, quæſtum ſequentes. Belgas ipſos Rothomagum, Diepam, Caletum; aut in adſitas Albi civitates, Hamburgum, Lubecam, Gedanum ſedes ſuas tranſlaturos. Eundem in modum piſcatores pacata loca, exercendæ impune arti petituros. Hæc adverſum non aliud conſilij ſupererat, quàm ut claſſes id virium inſtruerent, quîs Hiſpanicâ navigatione cæteras gentes prohiberent: quâ re & multitudinis otium impediebatur, & mercatores retinebantur, nec Hiſpano neceſſaria ſuppetebant; qui ut in abrumpendis commercijs, ita & in damno ſentiendo primus fortaſſis futurus erat. Sed hoc dimidiæ ferè Europæ bellum trahebat ſecum. Et pecuniæ ingens vis requirebatur: quam cogere arduum, quia tributa vectigaliaque hujus anni, ſuperiorum temporum cenſus egrediebantur. Unde periculoſum, multitudinem vergente negotiatione haudquaquam lætam, novis oneribus tentare. Cæterùm vicit extrema neceſſitas quæcumque obſtabant, factumque decretum, quo non aliud unquam generoſius à Patribus aut laudabilius, poſt abjuratum regẽ editum eſt. Fuit id de transferendo in Hiſpaniam bello, Regeque propriâ in ditione oppugnando: ac Gallis, Britannis, Germanis, Scotis, Danis, & Suecis, denique cujuſcumque nationis mercatoribus, qui illuc commearent, prohibendis, ſine auxilio Reginæ, aut Britannorum; quando priorum annorum documentis compertum erat, nequaquam ſatis aut fortitudinis, aut conſtantiæ in magnis rebus habere eos, qui proprij quæſtus ſpe, proprio periculo itineri ſe committerent. His conficiendis cenſum navibus imperant, pro ſingulis, quas caperent vehibus, florenos ternos. Minora navigia, nec longinquis per maria itineribus ſueta, & quæ harengarum piſcatui adornata, dimidium ejus, ſeſquiflorenum pro quâque vehe, penderent. Vectoriæ, aut his exiguiores, ſolidos duos. Sæpius ſanè antea de hoc cenſu in conſilijs diſputatum, ſed qui eum perrogari poſſe judicaret, nunquam quiſquam repertus erat. Cæterùm quia neque hinc pecuniæ, quantum pro neceſſitate rerum, ſatis proventurum, nec properè adeò perfici decretum poterat, ducenteſima excogitatur.

cIↄIↄ xcix. Quod ne in acerbitatem verteret; aut egentium provocaret querimonias, placuit immunes eſſe, qui tribus florenorum millibus minus poſſidebant: quîs ducenta millia erant, mille florenis ſatisfacere conceſſum: nec quamvis decies centena millia habentibus, quidquam oneris ultrà impoſitum. Ne anxiè quidem in cujuſque facultates inquiſitum, ſed permiſſum cuique æſtimare poſſeſſiones ſuas, ac magiſtratibus indicium facere, ſine jurejurandi vinculo. Quos bona ſua multò infra magnitudinem æſtimaſſe cuique conſtabat, his paullum ab magiſtratibus tributum gravabatur; cæterùm eâ moderatione, ut neminis queſtus auditi, nec ullum unquam tributum promtiùs collatum ſit. Multi qui datis centenis ſatisfacere quiviſſent, ultrò florenos mille contulerunt. Exemplum Haga Comitis eſto, ubi quamvis nulli mercatores, ſed Advocati plerique, aut qui privatis reditibus vivunt, cenſu hoc florenorum millia L provenere. Amſtelodami decuplo amplius. Etiam Geldris, Ultrajectinis, Friſijs, Tranſiſalanis, Groninganis, atque Omlandis omnino conſilium placebat; ſed ſpatium deerat conventibus agendis, & ſingulis perducendis, ut eodem conſentirent. Quare Hollandis Zelandiſque permiſere ex communi pecuniâ, quam invecta evectaque pepererant, capere quantum neceſſitatibus ſupereſſet. Deinde & parati æris inopiâ, Collegia præfectorum rei maritimæ multum commeatus, armamentorum, navium, & quæ huc neceſſaria, coëmerunt, pretio certis poſtea penſionibus ſolvendo. His decretis, quum jam pecuniæ exſequendis deſtinatis repertæ eſſent, edictum Patres publicavere, quo prætermiſſis ſilentio accuſationibus, toties repetitis & refutatis, hunc in modum loquebantur: *Satis jam humano generi manifeſtum eſt, Hiſpanos, & qui eorum in partibus ſunt, non modò Belgarum fortunas, animoſque; violentis ſuis, ſuperbiſque imperijs ſubjicere velle, verùm & minas vicinis gentibus, regniſque intentare. Vt proximis annis incaſſum Gallos, Britannoſque opprimere tentaverunt, ita nunc libidinem ſuam, vertunt in Electores Principeſque Imperij, in pacatas Colonienſium, Cliviorum, Bergenſium, ac Monaſterienſium civitates, & quamvis nullius injuriæ aut damni illati conſcias, tormentis hoſtiliter expugnant, præſidijs onerant, vaſtant agros, pecunias extorquent, prædas, incendia, cædes, ſtupra, & nulla non barbaræ crudelitatis exempla miſcent. Nec modus hic injurijs, ſed inſuper inſigni arrogantiâ jactant, pro lubidine ſe Electoribus, Principibuſque Imperij Romani dominaturos, quicumque Pontificia ſacra non amplectantur: jactant non ſine gaudio audire ſe arma à Germanis parari, quo facilius, & honeſtiore obtentu, deſtinata adſequantur, donec cuncta ſub Hiſpanico jugo, veraque ſacra oppreſſa jaceant. Quemadmodum noviſſimè in liberis gentibus, & ſui juris, quà minis, quà malis artibus, regiminis ſacrorumque formam mutaverunt. Iam verò Hiſpaniarum Rex, Iſabella, & Hiſpanicus Senatus ſubdolè per vim abrumpunt commercia Fœderatorum cum reliquis Belgis, alijſque gentibus, & perfidè in homines ſæviunt, naves detinent, non aliam ob cauſſam, quam quia hactenus eorum aut vi aut dolis reſtitimus, & Belgas eorum tradere crudelitati noluimus. Nunc poſtquam, juvante Numine, juvante Anglorum Regina, alijſque Principibus ac Rebuſp. dein noſtra conſtantiâ ac fortitudine, immane ejus propoſitum, tendens in perniciem Chriſtiani orbis, prohibuimus; non modò inſiſtere cæptis & repellere vim parati, ſed & Hiſpanorum invadere terras decrevimus, penitus confiſi, neceſſitate ac jure hæc conantibus Numen proſperum fore, ac tandem Belgas Hiſpanorum tyrannidi erepturum; atque adeo vicinos etiam Reges, & Imperij Principes ad arma exciturum, ut adverſum impendentia diſcrimina rebus ſuis provideant. Sed his conſummandis unum id maximè curandum, ne Hiſpanos, eorumque ſectatores, ſubvectionibus navium, aut mercium juvari patiamur. Quod non modò omnium gentium jure, verùm & Cæſareo, & Regum Principumque belligerantium moribus exempliſque fas &*

juſtum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

juſtum eſt: pluribus quoque edictis partim ab fœderatâ nobis Angliæ Regina, cIɔIɔ
partim à nobis jam olim comprobatum: ob hæc igitur re conſultatâ cum Illuſtriſ- xcix.
ſimo Principe Mauritio Arauſionenſi, Comite Naſſovio, Veræ & Vliſſingæ Marchione, ſupremo militiæ præfecto apud Geldros, Hollandos, Zelandos, Vltrajectinos, ac Tranſiſalanos, & maris præpoſito, prædam facimus omnes eos, eorumque bona, qui in Hiſpaniarum Regis ditione ſunt. Monemus ſingulos, cujuſcumque fortunæ, aut ordinis ſint, ne in Hiſpanicos aut Luſitaniæ, aut denique omnium earum terrarum, quæ Hiſpano, Alberto, aut Iſabellæ ſubditæ ſunt, portus, navibus contendant, aut ullas omnino merces terrâ marive inferant, ſub pœna publicandarum navium, curruum, equorum, aliarumque id genus multarum. Imperamus invehendarum atque evehendarum mercium præfectis, obſervatoribus, & miniſtrorum noſtrorũ alijs, per juramenti quo nobis tenentur vinculum, (& quiſquis non paruerit, ordinẽ ac munus amittet) poteſtatem etiam facimus cuique Belgicam habitanti, ut ſedulo inquirant, ullæne contra edictum merces navibus inferantur, & ſi deprehenderint renuntient, quo cognita re, damnentur publico judicio ſontes, & mercium tertia pars delatori, reliquum publicæ rei cedat. Etiam mercium tam poſſeſſores, quam nautas, rectoreſque in vinculis haberi volumus, donec irrogatam ab arbitris multam exſolverint, quæ mercatori millenis, nautæ aut aurigæ, quingentis florenis minor nequaquam imperabitur: ſpatium poſtulandi anno poſt delictum finietur. Quod ſi ex Fœderatorum imperio quiſquam, vicinas ſociorum in terras deportare quidquam voluerit, non niſi noſtro, aut Præfecti maris conſenſu licebit. Simul vades dabit, qui ſpondeant, non alias in terras bona delatum iri. Præterea mandamus Præfectis, ac vicarijs maris, ducibus, equitum præpoſitis, centurionibuſque terrâ aut mari militantibus, ut quicumque hoſti mercium aliquid ſubmittunt, ſine diſcrimine gentis aut conditionis, comprehendant, ac collegio rei maritimæ præfectorum, alijſque judicibus tradant. Dein, ne ex noſtra ditione cuiquam, mercaturâ aut piſcatu quæſtum facere ſolito, in poſterum literæ tutelæ publicæ ab hoſte redemtæ fraudi aut noxæ ſint, prohibemus, nequis eas ab hoſte emat, aut poſtulet: ſi faxit, naves, merces publica ſunto, & inſuper pœna, pro judicum arbitrio, conſtituitor. Quippe ita mare ab hoſtium incurſionibus repurgaturos nos confidimus, ut impunitatem ſua perficiendi ab eis redimere opus habeat nemo: quod ſi nihilominus damnum quemquam pati contigerit, curæ nobis res erit, & ultionem ex Brabantis, Flandris, aut alijs Hiſpano ſubditis nationibus petemus, & damnum paſſo rependemus. Edictum id Galliæ, Britanniæ, Daniæ, Scotiæque Regibus miſſum, cum precibus, ut ſubditos ſuos ſecundùm ea componere ſe ſuaque juberent. Quorum tametſi indigne nonnulli ferebant, non adhibitos ſe in conſilium, cum primùm agitari res cœpta, Galliarum tamen Rex ſex menſes navigatione in Hiſpaniam abſtinere maritimas civitates juſſit; ni obtemperarent, nullum querimonijs locum ſperare, ubi naves, merces, cunctaque in Hiſpanias tendentia, Belgæ rapuiſſent. Cæteri per diſſimulationem tramiſere. Anſeaticarum urbium ad Albim nonnullæ perſeverare in navigatione auſæ, & quædam Gedano ac Lubecâ profectæ naves, cum frumento captæ, atque in Hollandiam abductæ, præda fuere. At Patres claſſem navium LXX cogere decreverunt, & ad eam militum millia duo, ſena ſociorum navalium. Summa imperij Petro Douzæ, militum præfectura Stormio data. Quod ſimulatque in Hiſpaniam fama tulit, multi maritimam oram habitantes, in mediterranea refugêre. Rex ipſe naves quæcumque in Hiſpaniam venerant, promiſcuè detinet, bello idoneas electurus, ut tanto majoribus viribus ingruentibus Hollandis reſiſteret: ſed mali, rudentes, aliaque id genus deerant, nec ſubvehi, prohibentibus Belgarum navibus, quibant. Majo menſe claſſis ſoluit. Cui mandatum, regias in Coronenſi portu naves diſiicere, ac corrumpere, & claſſem quotannis Hiſpali Americam petentem, obſervare, inſulaſque

omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcix. omnes Hiſpanis inſeſſas oppugnare. Sed quid his actum ſit, poſtea memorabimus. Mendoza, ut nequidquam caſtello Schenckiano ſe adſidere videt, conſilium de Bommelia oppugnanda capit. Monebatur Mauritius, captivi Itali indicio, ut Tielæ, Vorenæ, ac Bommeliæ intentus ageret: ſed neque dividere copias, nec temere Schenckiano caſtello abſcedere audebat, metu, ne alia hoſtis ſimularet, aliò incumberet. Speculæ, faciendis igni ſignificationibus erectæ, erroris quam damni plus afferebant. Quippe facile hoſti ludificari noſtros ficto conclamatu ad arma, ut ſæpe ad ſtrepitus locum fruſtra concurrerent. Igitur hærere caſtris Mauritius ſtatuit, donec ſeriò Mendoza alia loca tentaret. Et nequa in perſequendo mora inferretur, totam noctem currus oneratos, & junctos equis retinet, qui interdiu per vices paſtum dimittebantur. Mendoza primo alteroque die militum, ſed exiguam manum, præmittit, nondum auſo movere Mauritio. Tertia die exactâ, ſecreto noctis, ſine tubarum aut tympanorum ſonore, ſummo ſilentio, ipſe cum toto agmine ſubſequitur, relictis contrà Schenckianum caſtellum millibus duobus, quæ ſpeciem manentis exercitus præberent: & quo occultior diſceſſus eſſet, tormenta (nam & illa reliquerat) noctu aliquoties diſploſa. In tranſitu Vorenam tentat, ſed acres cuſtodias, & cunctos intentos ubi advertit, propoſitum perſequitur, & milites nonnullos navigijs, (hæc Sylvâducis curribus devexerat) Bommelianam in inſulam tranſmittit, pulsâ primum tormentis campeſtribus bellicâ nave, quæ Lutſenhamum propter, in ſtatione erat. Equitum excubiæ, aggerem continenter perequitantes, oppreſſę, & ſexdecim cæſi ſunt. Joannes Egmontius, Tribunus, qui aliquot centurijs id loci impoſitus erat, nihil contra hoſtem tentavit. Mauritius quamvis cum nuncio profecti hoſtis moviſſet, properare adeo nequivit, ut Bommeliam prius quā poſterâ die attingeret. Urbs ea ante biennium muniri cœpta, & valida circum propugnacula deſcripta; ſed minora perfecta erant, dum Patres tot ubique ſumtibus non ſufficiunt. Ita ut, quę conſummata erant munimenta, damni plus quam utilitatis adferrent. Veteris autem muri ea infirmitas erat, ut ægre valido præſidio defenderetur, nedum ut infrequenti milite propugnari poſſet. Sed ita viſum Numini, ut Mendoza, an belli, an locorum inſcientiâ incertum, nonnullos dies otio extraheret. Id ſalutem attulit urbi, ſi ſubitò incurriſſet, exitio propinquę: quod nec Mauritius ipſe, nec ducum militarium quiſquam diffitebatur. Nunc ſpatium fuit raptim claudendis propugnaculis, & munimento in campo ſuburbano excitando, unde propugnare commodius noſtri, & foſſis prohibere hoſtem poterant: id opus celeritate incredibili conſummatum, & tria militum millia urbi ac novis munitionibus impoſita: reliquus miles Tilanæ inſulæ aggeres (trium millium itinere extendebantur) tutari, & trajectu hoſtem prohibere juſſus. Vorena inſula, præter validiſſimum caſtellum, quod ſex propugnaculis ibi ſitum, etiam circumdata eſt vallo adverſus quoſvis machinarum jactus. At Patres immenſos ſumtus pyrij pulveris, & munitionum ad Gravewartam, aliaſque urbes limitaneas, factarum, reputantes, ſimul novum opus ad Bommeliam, incumbere, & aggeres per aliquot millia paſſuum amni obducendos, quo fluminis tranſitu hoſtis prohiberetur, cum impares ſe impenſis viderent, ſine mora Bommeliam venere, demonſtrantes novis militum dilectibus, claſſis paratu, alijſque belli impendijs, vires ſe ſuas ſupergreſſos, nec diu ſufficere poſſe, inferendo pariter & arcendo bello. Quare aggerum amniumque præſidio ſatis tutas terras arbitrari, & parci poſſe novis delectibus; aut ſi militis abunde foret, fruſtra operi tot centena millia impendi. Proinde ſeriò poſtulare à Mauritio, ut prælij omnes occaſiones quæreret, priuſquam recens miles, adhuc animo & corpore validus, timore aliquo

pervade-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

pervaderetur, quod familiare in externo exercitu, ſi diu caſtris continea- cIↃIↃ
tur. Numero hoſti parem eſſe, equitatu præſtare, peditatu non cedere. Et XCIX.
quod potiſſimum, citra controverſiam, uſu ac prudentia militari ipſo Mau-
ritio inferiorem Mendozam. Poſcere id Reip. ſtatum: nec temere dimit-
tendam occaſionem à Deo oblatam: quem propitium meliori cauſſæ fore
non dubitarent. At Mauritius, & Guilhelmus Naſſovius, plurimùm mirari
uſque adeò mutatos eſſe Patres, qui anno MDXCII, & triennio poſt, in Co-
vordæ Grollæque obſidijs, tantopere incerta belli reformidaſſent; quos an-
no nonageſimo nullis rationibus ad bellum inferendum permovere fuiſ-
ſet; qui denique ſemper ſuam ſalutem in nihil temere tentando ſitam exi-
ſtimaviſſent. Reſponſum dedere, anceps videri prælio rem committere.
Animum adeò hoſti non deeſſe, ut propior furori ſit: militum vitam, le-
vem illi jacturam, quia ære deſtituatur. Eſſe jam Patribus, certam ſpem
morâ diſſolvendi hoſtilem exercitum; neque dubia certorum impendio
conſectanda. Externo milite, Peruvianis opibus, bellare Regem. Amiſſo
prælio, integras tamen vires reparando exercitu. Patribus omne in ſuis,
nullum in exteris præſidium: cæſoque exercitu conſternari ſubditos, va-
ſtari agros, migraturos mercatorum quemque ditiſſimum, negotiationem
perituram, nec ullas ſuper ſarciendo damno facultates. Si prælium ipſe
Mendoza quærat, non detrectaturos. At caſtris inhærentem, foſſis, val-
lo, amnibus, munitum laceſſere, nimij periculi eſſe. Etenim ſolo crebris
aquis interſecato, cuncta vim arcenti opportuna, oppugnanti adver-
ſa. Dein ſi omnino res ad prælium trahatur, cum omni exercitu flumen
trajiciendum, tentandumque an in Brabantiæ patentibus campis, & utri-
que bellantium æquis, confligere Mendoza velit. Quod ſi illi plus pru-
dentiæ, quam ut certare cum hoſte pugnam expoſcente velit, quid de
ſubvectionibus ſperandum? Quem exercitui commeatum, quem Hollan-
diæ loca adverſus vim ejus tuta præſtiturum? Eſſe in periculo Bomme-
liam, hanc omni ſtudio cuſtodiendam. Semper prudentiores ſatis profe-
ctum arbitratos, quando facultates, exercitum, famamque ſuam irritis ob-
ſidionibus hoſtis attereret. Bommeliâ, modo Numen faveat, retentâ, cæte-
ra tempus & occaſionem monſtraturam. Nequaquam perinde grata Pa-
trum omnibus hæc oratio fuit, quorum juniores nonnulli, ut ætati illi plus
caloris eſt, tantâ contentione prælium urgebant, ut ni locorum natura ob-
ſtitiſſet, tentaturus rem Mauritius fuerit. Sed Guilhelmus Naſſovius in
ſententia manebat, certa ambiguis antehabenda. Poſtera die Mendoza
exercitum tormentaque Bommeliæ, & factis noviſſimè munitionibus ad-
movet, attonitis Patribus ad tantam audaciam ejus, quem concidi facilli-
me poſſe crediderant: itaque multum de priori fervore remittentes, pro-
ximam in urbem ſemet receperunt. Mauritius, quamquam in Senatu bel-
lico nonnulli abiturum ſuſpicarentur, manſit in loco, & operibus novis
propinquare hoſtem prohibuit, quæ indies firmans, non omittebat tormen-
tis interea, & eruptionibus, Hiſpanos infeſtare. His rebus poſtquam pri-
mus terror deceſſit, redeunt Patribus priora conſilia, & acriter denuo de
prælio pertendere: omnibus illuc fœderatis nationibus inclinantibus. At
poſtquam demonſtratum eſt, paucas militum centurias, factis raptim mu-
nimentis ab univerſo hoſtium exercitu, ob intercurrentes rivos, expelli ne-
quiviſſe, tantoque minus, validas hoſtium copias caſtris ſuis exturbari poſ-
ſe; admiſere ſalubria conſilia, & Mauritio Guilhelmoque arbitrium rei
permiſere. Illi prælium nec recuſabant, neque promiſere; ſed, invaſuros
hoſtem, ſi caſus obveniret. Inclinabant ad prælium ex militaribus præfe-
ctis Verius, Lanoviuſque. Quibus cum poteſtatem Mauritius feciſſet Gal-
lo, Britannicoque milite, additis aliquammultis Belgarum centurijs, rem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↃ tentandi; explorato itinere, ejus naturæ campum compererunt, ut hoſtili-
XCIX. bus caſtris propinquare non daretur. Forteque Anglorum aciem in urbe, ut ad hoſtes egreſſura erat, inſtructam, repentè, dubium qua origine, tantus terror inceſſit, ut cives, hoſtem in urbe eſſe rati, oppido profugerent. Inter hæc Sylvamducis Cardinalis Andreas venerat. Qui deducto Emmericâ præſidio ſuo, codicillos à Magiſtratibus ſumſit, quîs teſtabantur, militem modeſtè & innocenter egiſſe. Similibus teſtimonijs diſcedentes honorare etiam Monaſterienſes coacti ſunt. Nimirum tali ſpecie ſcelera ſua tegere, & Germanis imponere ſperabat, licet gnarus, nequaquam id oppreſſis animi ut negare auderent; qui lubenter hujuſmodi officio crudeliſſimam turbam proſequebantur, dummodo metu ita liberarentur. Berkam Rheſamque Hiſpani retinuerunt, ut aſſiduo in timore Veſalienſes agitarent, & Gennapium, (arx ad Moſam eſt) utroque amne commeatus ſupportarentur. Cardinalem cum domeſticis miniſterijs in urbem Sylvæducenſes admiſere, excluſo milite, quem contra acres excubias diſpoſuerant: adeo ut venientibus in urbem ponendi ad portam gladij eſſent; cætera, omnibus rebus exercitum ſublevabant. Etenim omnium rerum copia in urbem convecta erat, quo tempore, edicto de abrumpendis in hoſticum travectionibus, ſe Bruxellis oppoſuerant, miſerantque interea in Hollandiam cujuſq; generis merces. Crepicordium paucis poſt trajectũ amnem diebus hoſtibus ſe dediderat. Centuriæ duæ, quæ præſidebant, armis omnibuſque ſuis retentis, abiere; cæterum datâ fide, intra menſes duos nulla ſe facturas ſtipendia. Mendoza incaſſum ſe Bommeliam tentare jam ipſe animadvertebat, & quotidie in caſtris fremitus militum atque indignabundæ voces audiebantur, quod ſine ſpe rei gerendæ ſuos in mortem ageret (etenim jam duo millia ceciderant) & contra naturam, contra omnium rationes bellorum niteretur potiri urbis valido præſidio, & propinquo exercitu fretæ, & tormentis, quam oppugnantes erat, inſtructioris. Sanè inſulam hanc de induſtria caſtris ſuis delegiſſe videbatur, prohibendis militum transfugijs, qui ob non ſoluta ſtipendia ægre continebantur: nemini enim ponte in Brabantiam tranſire, niſi oſtenſis miſſionis literis, licebat: & pontem, quà Brabanticæ ripæ incumbebat, frequentes Hiſpani inſederant, in inſulam tranſire veriti, memoriâ cladis acceptæ anno MDLXXXV. Tandem Mendoza iracundis militum vocibus perpulſus, noctu Roſſemum contendit. Adverſam ripam, cum novâ Germanorum legione, Erneſtus Naſſovius tutabatur. Ille tamen diſpoſitis machinis, amnem tranſit. Erneſto id prohibituro relinquendi aggeres erant. Itaque in Roſſemowartum ſe recipit, ubi nudus, & hoſtium tormentis expoſitus, propere humum adgerit, quantum per anguſtias temporis liceret, donec miſſa auxilia opus juverunt. Hoſtis indies machinarum numerum multiplicabat, quîs nocte dieque intonans, plures XXX mille jactibus fecit; adeoque ſola in Erneſti caſtra globorum millia XIV cecidere. Nam ijs depellere ſtatione noſtros cogitabat. Sed adverſum eas tormenta VI & XXX promiſcuæ magnitudinis directa, frequenter adeo ſonuere, ut factâ cum noſtris comparatione triplicata hoſtis damna perſentiſceret: nam & machinarum ejus complures noſtrorum globis corruptæ, & earum curatores trucidati, ita ut prior intermittere vim compelleretur. Inſolens hæc belli ratio erat, quâ continuis aliquot diebus machinarum imbres hinc inde effuſi, ut urbem quampiam oppugnari crederes. Mauritius, quò impenſis quodammodo parceretur, interdixit, ne plures quottidie centenis globis, quaterni in ſingulas horas emitterentur, ut aſſiduus hoſtem metus occuparet. Evenere omnino ijs diebus jactus nonnulli, quos præterire haud libeat. Cæteros inter, maritus cum conjuge, ut lectulo ſopiti conquieverant, impetu prætervolantis globi, exani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

exanimati ſunt, nullo membrorum læſo. Mulieri infantem in ſinu geſtanti crus alterum avulſum; ipſa exſpiravit; infans ad viceſimum paſſum abre- cIↄIↄ
ptus, vitam retinuit. Militi & puellæ ut capita jungendis oſculis inclinave- xcix.
rant, ab intervolante pila, huic naſus, maxilla alteri avulſa, & uterque ſuperfuit. Una ex majoribus machinis fortè globo in os adverſi tormenti librato accendit illud, diſploſitque. In talibus æquatum cum milite periculum ducibus erat. Quini globi, Erneſti domicilium; bini, cubile penetraverunt. Sextadecimâ Maij die Mauritius, ſecundâ noctis horâ cum omni equitatu, & tribus peditum millibus, in Brabantiam contendit, peditum centurias XI, equitum turmas ſeptem & X adgreſſurus, quas Antverpiâ pecunias in caſtra portaturas intellexerat. Sylvamducis prætergreſſus, longius abeſſe hoſtem ubi accepit, pedites, aſſiduo inceſſu horarum viginti & duarum, fatigatos, remittit, trecentis circiter è promtioribus retentis. Heuſdâ jaculatorum centurias aliquot evocat, & totam noctem ſine intermiſſione progreſſus, hoſtes Eindovæ noctu conquieviſſe intelligit. Unde ratus, vitando æſtu, prima luce, quando frigidior aura, eos moturos, opportunis locis inſidias condit. Cæterùm commodo ſuo, & præter conſuetudinem ad medium diei ſubſtitere: nec latêre noſtrorum adventus potuit: nam ruricolæ ex agris in oppidum remeantes, patefecere inſidias hoſtibus, qui machinæ jactu ab oppido progreſſi, citato curſu refugere. Mauritius fere totum biduum & noctes totidem equo vectus, in caſtra revertitur. Poſtea transfugæ & captivi firmabant, commeatum hunc quinquaginta millia ducatorum attuliſſe, datumque Hiſpanis & Italis menſis dimidij ſtipendium, reliquis altera parte minus. Simulac relicta Bommelia Roſſemum abijt Mendoza, Mauritius præſidio quod ſufficeret Bommeliæ relicto, militem per Tilowartæ ac inferioris Betuwæ aggeres diſtribuit: ipſe cum ſola prætoria cohorte in Vorena inſula conſedit, quæ trecentorum & L plus minus jugerum, ſuperiorem Bommelowartæ angulum contrà ſita eſt, ubi Moſa & Vahalis colliſi, ſtatim diſpeſcuntur. Tertia & viceſima Junij die exiguâ cum manu amnem tranſmittit, & Herwardæ munitionibus Bommelowartæ angulum firmare aggreditur, primâ quaque opportunitate hoſtem invaſurus. Principio palos tranſverſis pinnis præfixos defigit, quos ponè caſtellum miles orſus. Vix horas IV & XX in opere fuerant, quum Mendoza, non ignarus quanti intereſſet cœpta prohiberi, militum quinque millia inſtructo agmine impetum facere jubet. Fortè Mauritius, qui celerando operi toto tempore ipſe affuerat Vorenam inſulam repetierat, indignum exiſtimans ſuam ſalutem invalido caſtello committere. Quare confeſtim ſubſidia mittit repellendo hoſti. Acerrime extra atque intra caſtellum dimicabatur, ſummo mortis contemtu in prælium ruentibus Hiſpanis: quorum nonnulli jam ſudes ſuperaverant: & conſpectus, qui, licet omnibus gravis armis, eas tranſiliret: nam quaternum tantum pedum altitudine erant, adeo ut in affixis ferramentis, quam celſitudine, plus præſidij eſſet. Bis impetum hoſtes fecere, bis repulſi ſunt, & in diſceſſum erumpentes noſtri bonum numerum proſtravere, occiſis in univerſum, & prioribus prælijs, & in abitu, hominibus quingentis. His geſtis Andreas Cardinalis (ubi de urbibus caſtelliſque expugnandis deſperavit) novum exſtrui caſtellum, & à ſe denominari jubet, tum ut è propinquo Fœderatis inſtaret, tum ne exercitus, nulla memorabili re geſta, abduci videretur. Utcunque res caderet, Hollandis ea re Moſam Vahalimque amnes dividi, & ſimul ſpem irrumpendæ quondam Betuwæ reputabat. Et id ſi eveniſſet, opportunum caſtellum fore ſubvehendis exercitui commeatibus, quod initio belli, & aliàs ſæpe agitatum Hiſpanis, nunc quoque Sylvæducenſes ſummo ſtudio urgebant. Mendozæ tamen extrui caſtellum haud placebat, ut diſcors

cIↃIↃ ubique publicis in rebus Cardinali erat: nihilominus opus proceſſit, caſtel-
xcix. lumque Roſſemum juxta poſitum, ubi in arctas adeo fauces terra compellitur, ut propugnaculorum nonnulla Moſam, alia Vahalim contingerent. Ibi operis & excubiarum, quod ſatis viſum, relictis, cæteros trans pontem in proximos Brabantiæ pagos diſtribuit; qui, ut ferme ſtipendio fraudati, confeſtim in licentiam prolapſi, ruricolis maximam armentorum vim eripuere. Mauritius cum cura exploratis hoſtium æſtivis, & rei bene gerendæ occaſionem veniſſe ratus, quintâ Julij die militum quinque millia Littæ, ponte navali facto, tranſiicit, ac duplici acie (primam Verius, alteram Ludovicus Naſſovius ducebat) invadere hoſtem jubet. Verius exiguum Littæ caſtellum, qua ex Marumo, Keſſeliâque, vicinis Brabantiæ pagis, ſucurrere ſuis hoſtis poterat, expugnat, ac centurionem Hiſpanum capit; alter ejuſdem ordinis Moſâ hauſtus. Ludovicus interim pagos petens, omnia, quam exploratores retulerant, curatius munita repperit. Accedebat incommodi aliud, quod non niſi anguſto aggere aditus dabatur. Nihilominus acerrimo impetu in hoſtem ruit, & ſuorum vicenos circiter amittit. In his Larocheum, ex Lanovij legione Centurionem. In regreſſu notatum noſtris, pagum averſo latere, & occaſionem patere. Jamque irrumpebat hac Batenburgius turmæ præfectus: cæterum Naſſovius concurrentes vicinis ex locis hoſtes veritus, omitti cœpta ſatius putavit. Saucios plures quinquagenis habebat, quos inter Fredericus Groveſteinius Præfectus, & Galli duo ſigniferi erant. Militum pars in Brabantica ripa relicta, & campi ſpatium, quod Moſâ prætexitur, Littam contra, munimentis firmatum. Ac ferendum id Mendozæ erat, & qui ante amnis tranſire, Hollandiamque irrumpere tentaverat, nunc & ſua ægre tutabatur, neque tranſiectu prohibere Mauritium poterat, cui tribus ex locis, Bommelia, Herwarda, Littaque, incurrere caſtra ejus licebat. Etenim quinos è navibus pontes maximis amnibus impoſuerat, quorum mille alij, alij ducentorum ſupra hunc numerum paſſuum forent, niſi quod pons, quo Vahalis brachium & Tilana inſula Roſſemowartæ jungebatur, ſexcentorum tantũ erat paſſuum: adeo ut collata quinq; pontium longitudo (mitto ſextum, qui Germanis datus) Helleſponti ſpatium ſuperaverit, quem ſeptem in latitudinem ſtadiorum, ſive quater mille, trecentorum & ſeptuaginta quinque paſſuum, Xerxẽ ponte conſtraviſſe prodidit Herodotus. Worcomi cuſtodia, ob propinquitatem exercitus, ſolis civibus permiſſa, ad inſidias ſtruendas Barlotium incitavit. Decimâ Julij die conditis urbem juxta in abditum militibus, paucos prima luce, viatorum ſpecie præmittit, qui tranſitu poſtulato, portam urbis, ſimulatque panderetur, occuparent. Poſtquam acceſſere, vigiles, leviculam ob ſuſpicionem, præfectum oppidi adeunt. Interea hora elabitur, cum tubicen in turri excubare ſolitus, armatorum conſpectâ manu claſſicum incendit: & parùm motis ea re civibus, hoſtem adeſſe & vim parari clamat. Illi tandem ad mœnia trepidi diſcurrunt, ſimul inſidijs digreſſi hoſtes tanta celeritate advolant, ut ægre oppidani pontem, nam catenis alligatus erat, ſuſtulerint. Uſque adeo ingens propemodum commutatio rerum exſtitiſſet, ut non ſine Numine ſervatam urbem dici poſſit. Eodem fere tempore Chriſtophorus Orientalis Friſiæ Comes, cum militibus mille ducentis, ad Mendozam venit; quorum brevi altera pars dilapſa, non procedentibus ſtipendijs. Nono Kal. Sextiles juſſu Mauritij Verius Eques, & Ludovicus Naſſovius, cum equitibus quingentis, pontem ad Bommeliam tranſgreſſi, hoſtium in inſula caſtellum celerrimo curſu petunt, intercludendis lixis ac ſpeculatoribus, & prælij ſimulatione, naturam pontis, Moſæ ab hoſte injecti, cognituri. Ii cæſis captiſque nonnullis rediere. Sed Mauritium majore manu pontem diſiicere, ac novum Roſſemi
caſtellum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

caſtellum, intercluſo externis auxilijs itinere, opprimere meditantem, cIↄIↄ
Mendoza, dubium an monitus, prævenit, contractumque ex Brabantiæ xcix.
pagis exercitum propius ponti admovit. Tertio Kal. Auguſti Ludovicus Naſſovius Moſam ad Gorcomũ tranſmittit, & mille equitum manu Sylvamducis prætervectus, à porta decumana hoſtium caſtra irrumpens, equitum nonnullos concîdit. Mox ponte è navigijs, quæ curribus impoſita ſecum trahebat, Sylvamducis inter & Crepicordium trajecto Diſâ, ad Littam, ponte à noſtris ſtrato, in caſtra reverſus eſt, ducentis equis, captivis xxx adductis. Mauritium pridem Fœderati Patres monuerant, ut Doetecomo recuperando incumberet. Jamque obſidio pars copiarum, & machinæ decretæ erant: ſed quia periculoſum diducere vires, exſpectabatur, donec Germani Berkâ aut Rhesâ obſeſsâ, hoſtem Rheni tranſmiſſu prohiberent. Segnius ea res, quam pro opinione procedebat. Jam Aprili menſe parato exercitu, milites partim ad Haſſiæ Comitem, plerique ad Brunſvicenſem (nam duo hi de imperio contendebant) miſſi erant. Brunſvicenſis ſuorum pleroſque in Corveienſis Abbatis Principiſque ditione; Haſſiæ Comes, in Fuldano ac Paderbornenſi territorio collocaverat, quo Pontificiorum potius ſubditos, quàm ſuos, milite onerarent. Unde Paderbornæ Epiſcopus, Haſſiæ Comiti diffiſus, terrâ ſuâ profugerat. Junio menſe motis caſtris in Weſtphalia aliquamdiu conquievere. Sed manebat de imperio certamen, adeo ut nonnulli, paullatim decreſcente rei bene gerendæ ſpe, ad Fœderatos Patres inclinarent. Quibuſcum Haſſiæ Comiti convenit, ut quatuor menſes amborum utilitatibus miles ſerviret, & ſtipendiorum dimidiam ille, Patres alteram partem ſolverent: qui & Hohenloio ſcripſere, ut ſimilia cum Brunſvicenſi pacta iniret. Eodemque tempore Weſtphali, ſuſcepta in ſe oneris parte, trium menſium æs collaturos promiſere; dummodo ſecundum inſtituta Imperij, regimen Simoni Luppiæ Comiti, ſuæ ditionis præfecto, tranſderetur: eique Brunſvicenſis, & Haſſiæ Comes (qui hactenus cum Anſbachio Brandeburgenſi Marchione exercitum comitati erant) militem ſuum ſubjicerent. Igitur huic ſumma imperij datur, & codicillos mandata continentes ſigno manuque ſua Cæſar ſancivit. Fuit inter cætera mandatorum caput, jampridem Confluentiæ à Principibus Imperij decretum, ut Imperij ſolo militem depelleret: cæterum ſuis viribus, ſine ope Hiſpanorum aut Belgarum. Legatus Luppiæ Comiti Thomas Dynaſta Kriechingius datur, annis abhinc quindecim Truxeſſij Patrumque militiam ſecutus. Equitum magiſter dictus Arnoldus Frenſius, quondam turmæ noſtris in partibus præfectus, cæterum nunc uxoris Pontificię, & imprimis Colonienſis Epiſcopi, cui ſubditus erat, artibus, diverſa ad ſacra pertractus. Armamentarij cura Olivario Tempelio mandata: Hohenloio imperium in Saxonicum militem, in Rhenanos Solmenſi. Sed tres hi, adhuc Patrum ſacramento obſtricti, propter decretum Germanorum, qui ſe medios inter Hiſpanos Fœderatoſque gerebant, miſſionem petiere, atque impetrarunt. Brunſvicenſi legioni impoſitus Otho Bilandius Dynaſta Reidanus: vir Juliacenſium Cliviorumque rectoribus non minus, quam olim Brouckius Comes, ſuſpectus. Adiutorem habuit Planitſium nuperum militię apud Patres. Fredericus Comes Hohenloius, ſorore Guilhelmi Arauſionenſis genitus, Brandeburgicum militem, pedites ter mille, equites nongentos duxit. Frater ejus Caſimirus, turmam equitum. Hunc in modum dignitatum ſummas quaſque proni in noſtra, & averſi ab Hiſpanis duces obtinebant. Quin & ſuſpectorum nonnulli, in his Alexander Velius, (qui Hiſpanorum in partibus militarat) & Ruiſchenbergius, uterque à Weſtphalis miſſus, bellico Senatu arcebantur. At Brandeburgicus, Brunſvicenſis, Haſſiæque Comes, domum quiſque ſuam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ remeantes, monuere in diſceſſu Luppiæ Comitem, reputaret, quantum in
XCIX. ſe onus, & quo fine ſuſcepiſſet. *Incumbit tibi*, inquiebant, *exturbare Imperij ſolo copias Hiſpanorum, illata damna, ac Broucquij Comitis mortem, vindicare. Hæc ſi conſtanter patrare fixum tibi, Cæſaris, Hiſpani, Pontificis, & Romanenſium Principum odia atque iras in levi habebis. Sin offenſam eorum vereare, eoque ſegnius agas, nos adverſum te hoſtilia ſumturos certum habeto.* Hæc taliaque Principes; unde optima quæque de re tota ſperabantur. Simon igitur Luppię Comes, exercitum, ineunte Julio luſtratum, ad Rhenum rapit, & militem Veſaliam Berkamque circum diſpergit. De numero haud conſtabat. Duo & XX equitum peditumque millia, Trans ac Ciſrhenana ditio, Franconia, Inferior Saxonia, ac Weſtphali decreverant: ſed à Weſtphalis ac Tranſrhenanis nihil militis miſſum. Elector Palatinus ſuas quoque copias retinuerat, poſtquam à Moguntinenſi ac Trevirenſi Electore, nulla venire auxilia advertit. Ita in univerſum circiter millia equitum IV, peditum duodena, & curruum quinque millia in exercitu eſſe credebantur. Interea à Cardinale ac Mendozâ complures legati venere, cum promiſſis, ceſſuros Imperij ſolo regios, ſed conditiones addebantur; & in his, ut Schenckiano caſtello Fœderati excederent: ita ſcilicet ſtipulando, & varia interponendo, trahere rem nitebantur: cæterum, brevi & ſerio reſponſo, quod maxime è dignitate Sacri Imperij, remiſſi ſunt. Sextadecimâ Julij die Germani caſtellum, inſulę ad Berkam inditum, expugnant, cæſis viginti admodum militibus; etiam Orſoiam & Emmericam, milite de legione Reidani firmavere. Hæc initia erant, neque Hiſpani multum repugnaturi videbantur. Mendoza cum omni exercitu Mauritium contra tendens validiore præſidio neque Berkam, nec Reſam munivit. Quin & Berkæ ſeditionem orſos milites non repreſſit, & ſtipendijs allatis, reliquo exercitui æs, Bercanis nihil annumeravit. Certò conſtabat, ſexcentas tritici vehes, Reſam congeſtas, divendere eum moliri. Sed cum Germanos Berkam noſtri oppugnaturos crederent, ſumma apud eos neceſſariorum inopia animadverſa eſt. Senas tantum medij generis, octonas campeſtres machinas adduxerant, pulveris globorumque ad ſexcentos, nec amplius, jactus: etenim ſperaverant Colonienſes, Clivios, ac Monaſterienſes, tanquam his locis proximo ſitu, tormenta, & neceſſitatum reliqua, abunde ſuffecturos. Quin & ſtruendo ponti naves, & commeatus, deerant. Ut Coloniâ frumentum ſe accepturos deſperaverunt, nam cum hæc urbs tum huc prompto ſe Weſtphalorum tota ditio impromptior & ſegnis ad auxilia erat, quarta & viceſima Julij die Reſam infra conſedere, faciendis è Fœderata Belgica ſubvectionibus. Hiſpani, ubi contationem advertere, aſpernati Germanos, reſumunt animos, ac Berkam ſimul Reſamque adverſus eorum vim defendere ſperant. Interea & Cardinalis Andreas, & Mendoza, dum locum caſtris idoneum quærunt Germani (id enim ipſorum literæ teſtabantur) rurſum legationibus & colloquijs moras nectere, & impetum animorum, ſiquibus adhuc duraret, ſpe reſtituendi erepta, componere nitebantur. Mittitur Coloniam ad Weſtphalorum conventum Ferdinandus Lopeſius, qui multis affectum amoremque Archiducis & Cardinalis in Sacrum Imperium, jactans, cujus ipſi membra, nec è minimis forent, memorabat, quam inviti bello Germanorum implicarentur: quorum gratiâ poſthabitis, quæ magna forent, incommodis ſuis, militem abduxiſſent, tot reſtituiſſent loca, & vindicandæ Broucquij Comitis neci, Petrum Boſſchium Auditorem dimiſiſſent; ſed illi à Weſtphalorum nonnullis, opem negatam in conquirendis ſontibus. *Ob hæc*, inquit, Lopeſius, *imprudenter Germani Regem Archiducemque, per omnia eorum poſtulatis morem gerentes, & amicitiam affectantes, armis laceſſunt. Caſtello ad Berkam hoſtiliter expugnato, mili-*

tem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

tem trucidaverunt. Nunc quoque reſtitutionem ab Rege & Archiduce omnium CIↃIↃ *Imperij locorum poſtulant; quæ rebellibus relinquere non contenti, eoſdem & ſocios* XCIX. *bello vocant, & Comites Hohenloium ac Solmenſem, præfectum Tempelium, Regij nominis hoſtes infeſtiſſimos, palam in caſtris habent. Compelletur ad ultimum Rex, compelletur Archidux, quamvis cætera mites, nec avidi vindictæ, ire ultum injurias, ni metus impendentium Germaniæ malorum, inſtigatores maturè cœptis abſiſtere, & arma ponere adigat. Etenim cuivis gnarum, nequaquam Cæſaris juſſu, aut omnium Imperij Principum decreto, expeditionem hanc ſuſceptam; ſed privatim Procerum quorundam conſilio, qui Catholicam religionem, Catholicos Principes, atque adeo univerſam rem Germanam extremam in perniciem conjicere velle videntur. Rogat Cardinalis, ut propere obviam euntes, fœdus, ſi quod initum cum Regis hoſtibus eſt, reſcindatis, & promiſſa ejus de reſtituendis Germanici juris locis, de puniendis ſontibus, accipiatis; ut diligantur, qui illata damna, & noxios oſtendant. In quos ejuſmodi ſupplicia Cardinalis ſtatuet, ut nova ad bella, periculoſis hiſce temporibus, recurrere ſit ſupervacuum. Itaque conteſtatur ille Deum homineſque, nihil ſibi prætermiſſum, quod quietem communis patriæ ullâ ratione juvare potuerit.* Hujuſmodi minis, & ſubdolis artibus Lopeſius Weſtphalos, alioqui per ſe impromptos, magis magiſque à Germanis avertit. Adeo ut Colonienſes, qui milites quadringentos ſubmittere exercitui tenebantur, palam in urbe ſua Hiſpanos militem ſcribere paterentur. Etiam centena aliquot pyrio pulvere completa dolia Rheſam Coloniâ deportantur, nonnullis è magiſtratu, ut fama creditum, ſubmittentibus. Ad Simonem Luppiæ Comitem, reliquoſque exercitus duces, miſſus Hermannus Bergius, memoratæ ſupra orationi, de prona Cardinalis in Imperium voluntate, adjecit, *valde mirari ſe caſtellum vi expugnatum. Cardinalem, tanquam Germanum natalibus, & Imperij membrum, monere duces, adverterent animum, quantas moverent turbas, quam injurij in Regem, in Archiducem eſſent, dum rebelles firmarent. Quam indignam laudatâ antiquitus fide & conſtantiâ Germanorum rem committerent, Bercanis milibus ad ſacramenti oblivium & ſeditionem impellendis. Deſererent cœpta: etenim jam Cardinalem, ut voluntatem ſuam ſignificet, agitare cum Sibylla Cliviæ Duce, de Reſa reddenda, dummodo ab armis abſcedatur. Berkam verò quam magno labore, magnis ſumtibus hoſti extorſiſſent, Regi ad tranſitum amnis neceſſariam. Rogare etiam, quando Regis majeſtate, & faſtigio Archiducis alterum inferius ſit, ut priores Schenckianum caſtellum, aliaque loca rebelles reſtituant.* Luppię Comes, & quos in bellico Senatu habebat, nequaquam audiendum Bergium cenſuere, quia toties repetita memorabat: itaque mandata ſua ſcripto tradere juſſus, hujuſmodi ſcripto reſponſum accepit. *Fœderatos Patres locis nonnullis* (Sevenariam, Huiſſam, Tolhuiſam, & nonnullas arces deſignabant, quîs paucis ante diebus præſidia Mauritius deduxerat) *ſine conditionibus exceſſiſſe. Sequeretur exemplum Cardinalis in Reſa, Berka, Gennapioque: nec de Schenckiano caſtello adderet. Cæſaris ſuper eo arbitrium exſpectare ſe. Adjiceret quoque, quo tempore, quibus modis extortas Imperij ſubditis pecunias redditurus, illataque penſaturus eſſet damna. Tranſderet Broucquij Comitis interfectores, & nonnullarum Imperij civitatum vadimonio caveret, in poſterum nulla id genus damna Imperio ſe illaturum. Etenim in ſigillo & codicillis Regis, aut Archiducis, haud ſibi ſatis præſidij. Arma, aut gerendæ rei opportunitatem ſe non ante omiſſuros, quam in hæc ſatisfactum ſit.* Talia reſponſa Germani dedere, generoſa profectò, ſed nequaquam par in rebus fortitudo. Reſæ penè otioſi adſidebant; nihil ſolitum oppugnantibus cernere erat, tametſi è Belgica machinas, globos, ligones, & omne caſtrorum inſtrumentum, etiam pontem navalem haberent; qui ea, velut propria Hohenloij, aut ære Germanorum emta, tranſmiſerant. Etiam navales centuriones,

cIↄIↄ xcix. riones, & caſtrenſium operum periti à Fœderatis impetratâ miſſione, confeſtim in Germanorum militiam cum navibus tranſiere: quo pacatorum inſtar Patres agerent, nec in ſuſpicionem partium venirent. His tot commodis ſublevati, multum tamen temporis otioſe conſumſerunt, ducis, bonique conſilij inopia. Neſcium ſe militiæ ipſe Luppiæ Comes fatebatur, rogabatque ſedulo conſilium ſuggererent prudentiores, non minus promte ſe accepturum, quam alij ſuaderent. Multum in bellis, & diu verſatus erat Hohenloius; ſed curarum intolerans, compotationibus, quam Senatui, intereſſe, malebat: & plus illi ad pericula audaciæ, quam inter ea conſilij: denique miles, quam dux melior. Gloriæ potiſſima adeptus erat, quo tempore impavidum & bellacem animum prudentia Arauſionenſis rexerat. Solmenſis Comes plerumque diſcors illi, & de ſe uterque, ut humanum eſt ingenium, plus quam altero ſentire. In cæteris non id autoritatis aut loci, ut neglectam à ducibus rerum ſummam dirigere poſſent. Hinc nihil ſani, nihil integri in caſtris; ſed plena cuncta rapinis, populationibuſque: non ſocijs, nedum hoſtibus, parcebatur, omniaque aliquot paſſuum millibus circà infeſta. Nemini redemta à ducibus tutela proderat: quin & patratæ cædes, temeratæ mulieres, quæ dein in deteriora prorumpebant, dum ſtipendia non procedunt, & turbas augent Coloniæ Agrippinæ, Monaſterij, Juliaci, Cliviæque rectores, clam læti diſciplinam & imperia diſſolvi, unde in vanum caſuros Germanorum conatus ſperabant. Itaque nec pecunias, neque militem mittere, tametſi non aliâ ſpe ditioni eorum Præfectus ſummum in milites imperium acceperat: adeo ut nonnulli ſeditionem induerent, ſtipendia expoſcerent, & indies ſui apud hoſtem contemtionem augerent. Qui impune ad vallum portaſque urbis eos accedere paſſus, non tela, non vim ullam intentabat. Et modo ut ſocios, modo per cavillationem compellans, S. Imperij uſibus ſe urbem ſervare jaciebat, nec quicquam hoſtile patrare in eos velle. Venirent in urbem, hoſpitaliter ſe excepturum. Fecitque profecto, & multis diebus Germanus miles ultro citroque in urbem commeans, mero epuliſque impletus eſt. Interea Mendoza ternas cohortes mille quingentorum militum in urbem mittit, & Gennapium ad Moſam ultro deſerit: quod confeſtim præſidio Hohenloius firmat, & mille equis Moſam tranſgreſſus, quia ſtipendia dare nequibat, ex Cuickiano & Brabantico agro prædam petere jubet. Quibus rebus dum obſidio trahitur, etiam Luppiæ Comes, & bellicus Senatus, Mendozę, colloquium, & ſine armis componi rem poſtulanti, aurem præbuere, ac dierum xiv inducias faciunt. Mauritius ubi fluctuare Germanos advertit, Doetecomi obſidionem non longius differendam ratus, id modò Hohenloium rogat, hoſtem amnis tranſitu ut prohiberet. Quod ille & Kriechingius ac Solmenſis (quorum in manu exercitus; nam Luppiæ Comiti nullus ex ſua ditione miles erat) codicillis conſignatis promiſere: cæterum rogato, ne Doetecomo prius exercitus admoveretur, quam ad Rheſam oppugnandam paratas ipſi machinas haberent. Non viſum Mauritio diutius exſpectare. Quare Guilhelmum Naſſovium ex inſula Vorena præmittit, cum turmis vii, centurijs xxv: quîs additæ totidem centurię Geldrowartę, caſtelli Schenckiani, Doeſburgi, Grollę, & Breſurti præſidijs detractę. Interea iterato Hohenloij poſtulata afferuntur, de differenda in reditum ſuum oppugnatione. Fortè enim per id tempus cum parte equitatus in Brabantiam ierat: addebatque vereri, ne, abſente ſe tranſitu fluminis hoſtes non prohiberentur. Sed quia in expeditione jam Naſſovius, & machinæ motæ erant, quod clam hoſtē fieri nequibat, tertia decima Auguſti die Doetecomo adſedit, quãdo denſi cœlo imbres, & creberrima ab obſeſſis tela fundebantur. Naſſovius opus ſtatim orſus, tantũ profecit, ut tertio poſt adventum die,

die, tria tormenta oppidum contra ſtatuerentur: quîs quater ſingulis diſ- cIↄIↄ
ploſis, deditio poſtulata, adjectis minis, ni parerent, & plures machinæ, xcix.
(erantque in promtu) admoverentur, nullum veniæ locum fore. Præſidebat oppido cum trecentis militibus Damianus Gardotus, cujus pertaciâ ante biennium Breſurtum perditum, ipſe ſummo vitæ in periculo fuerat: is igitur fruſtrà tentato, ut in urbem trecentos milites reciperet, ſtatim aſſenſit, convenitque ut cum armis, omnibuſque bonis exiret, & locis ab ortu Moſæ ſitis intra menſes treis nequaquam militaret. Multam Doetecomi prædam habebat, & pecuniæ vim vaſtitatis terrore ruricolis extortam; unde memor diſcriminis Breſurti ægrè evitati, & ſe ſuaq; periculo exponere timens, faciliùs ad pacta deſcendit: dictitabat quoque à Frederico Bergio extremum ſe caſum opperiri prohibitum: quem parcere civibus oppidoque voluiſſe crediderim, quod cum arce Schuilenburgo, donatione Alberti & Iſabellæ, hæreditario jure, acceperat, ſimulque promiſſa de educendo præſidio, ſi à Fœderatis Patribus impetrare cives poſſent, ut nunquam milite oppidum oneraturos pollicerentur. Neque negaſſent ij, ſed Geldriæ Proceres, ſancire donationem hanc Bergio, & urbem à Zutphanienſi avellere Comitatu, abnuebant. Septimadecimâ Auguſti die Doetecomo præſidiarij, & Schuilenburgo milites L, nec viſis tormentis, ijſdem conditionibus exceſſerunt. At Reſæ, poſtquam induciarum tempus ſine fructu exſpiraverat, viceſimâ Auguſti die novus miles immiſſus, ut universè militum jam centuriæ ſeptemdecem, turma equitum una, urbem caſtellumque cuſtodirent. Diſcordabant in exercitu duces, hoc an illam oppugnari magis è re eſſet; caſtellum ſubigi poſtulante Hohenloio, ne iter hoſti eſſet milite in poſterum obſeſſos juvandi. Solmenſis urbem expugnatu facilem, & captâ illâ vix quidquam adverſus caſtellum laboris ſupereſſe dictitabat: at redacto in poteſtatem caſtello, reſtare urbem, & conatuum principem cauſſam. Nec deerant aut huic, aut illi, partes ſuæ: Guilhelmus Naſſovius Doetecomi per id tempus agitans, ſimul utrique incumbi ſuadebat: quippe virium abunde illis, & pontem navalem eſſe. Promittebat quoque Mauritius, ſi Bommelianâ ex inſulâ ſuppetias urbi Mendoza veniret, equitum ſe millia duo, peditum quina, lectum militem, auxilio adducturum. Sed illi Guilhelmum Naſſovium Doetecomo cum copijs quas haberet ad ſe venire poſtulabant. Feciſſetque, ni fortè eodem tempore nuncij attuliſſent, validam ex Hiſpania claſſem oppugnandis Belgis adventare, Reginæque legato ſancte Hiſpanum affirmaſſe, nihil adverſum Britanniam ſe tentaturum. Quamobrem Mauritio militum pars mittenda in Zelandiam fuit. Et Regina, Hiſpani verbis nequaquam fidens, Verium cum Anglorum centurijs x in Britanniam; Mauritius, infirmato exercitu, Guilhelmum ad ſe revocat, nihilominus datam Germanis fidem ſervaturus. His de cauſſis Mendoza motis caſtris Germanos petit, tametſi imperfecto in Bommelianâ inſulâ caſtello haud abſceſſurum plerique ſuſpicarentur. Nec Germani, quamvis acceptis à Mauritio promiſſis, Rhenum oppugnando caſtello tranſiere, quia animus deerat, an diſcordiâ ducum. Satis habuere munitionibus ſe adverſum oppidanos firmare: & duobus locis oppidi portis propinquabant. Proximè urbi operibus ſuis Solmenſis ſucceſſit, nec promovere ulteriùs poſſe teſtabatur, ob negatas ab Hohenloio machinas. Lorica & propugnacula tribus ac xx tormentis (pleraque Fœderati Patres commodato dederant) feriebantur, quorũ metu cohibere à defenſione oppidanos, & foſſas urbis adire ſe poſſe Germani exiſtimabant, latere uno ſiccatas: nec vallum propugnaculis defendebatur, adeò ut minore impenſâ & labore, ſuffodi poſſe, quam machinis diſiici putarent: etenim jam à multo tempore mœnibus urbis forma circularis, quæ adver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ XCIX. ſum oppugnantes invalida, nec ullis cingebantur propugnaculis: niſi quod portis ſingulis exiguam molem Ramirus Guſmannus, Præfectus urbi, obduxerat. Erant in caſtris Germanorum complures foſſores, quorum antè opera varijs in obſidionibus Mauritius & Guilhelmus Naſſovius uſi fuerant. Sed hi arduorum aut periculoſorum operum ultro ipſi autores eſſe nequaquam cupiebant, & poſtquam parum duces inſtabant, diuturna ſtipendia, & tuta periculoſis prætulere, languidiuſque in opere verſabantur. Interea crebrò pedibus equiſque obſeſſi erumpere, nec Guſmannus omittebat offerre pacem, ſoli ſe Cliviorum Duci ſervare urbem dictitans, eumq; ſine cauſsâ oppugnari. Acceſſit præterea Mendozæ medicus, tridui inducias orans: addebatque, redijſſe nunc Albertum, quo abſente certi nihil decerni potuiſſet, & haud dubiè urbem reddi juſſurum. Bellicus Senatus, hæc ut fallacia aſpernatus, nullam rei gerendæ occaſionem prætermittendam cenſuit: nihilominus effluxit ea, dum ſegniter cuncta, & ſine ordine adminiſtrantur. Unde nonnulli Imperatorem exercitus ſuſpectare, famoſiſque differre vocibus, cujus imperitiam excuſari æquius, & palam ipſe confiteri ſolitus erat, regimine in omnia uni pene Hohenloio permiſſo. Hic, vigilans ſatis, ſed ſupervacuè, & in rebus quas inferioribus committere poſſet: interea ſummæ rei curam negligere: ſæpeque octo dierum ſpatio veſtem, ocreas, calcaria ne noctibus quidem exuere, ſed ſeque & alios fatigare, & præcipitare cuncta damno quam fructu majore. At ducum cæteri, ubi ſegniter cuncta procedere adverterunt, ſeriò conſultare de Mauritio & Guilielmo Naſſovio arceſſendis, qui triduo Doetecomum, Reſa haud infirmius oppidum, expugnaverant. Quippe exiſtimabant, ſi Confluentiæ decreta ſpectarentur, ſatis jam diu pacatorum inſtar ſe egiſſe, nec negligenda Fœderatorum auxilia, cum ludibrio ſe Hiſpanis eſſe, nec loca erepta niſi vi recepturos viderent. Præſertim quando jam conſilio, ope, & neceſſarijs, (licet occultè) ab ijſdem adjuti forent, haud ignaris Hiſpanis, & palam pro fœdere interpretantibus. Eadem quoque Galliarum Rex ſuadebat, nihil Germanos abſque Belgarum auxilio effecturos dictitans: ſed invidebat hanc Naſſovijs gloriam Hohenloius. Alioqui Patres Fœderati, ſi ſeriò rogarentur, cæteras poſthabituri difficultates, & conſenſuri ad jungendas vires videbantur: etenim animadvertebant, ſummam imperij penes Mauritium fore, & ſolis rem gerentibus Germanis, amnibus hoſte potiturum. Unde &, ſi Germanicus exercitus turbis & diſcordiâ ducum diſſolveretur, deliberabant jam de millibus aliquot ſuam in militiam vocandis, & æſtatis ſpatio, quod ſupereſſet, retinendis: quippe jam pecuniæ proviſæ erant. Quæ dum agitantur, rurſum quingentos milites Reſæ Mendoza immittit: quos quamvis in itinere eſſe Mauritius Hohenloium, & ducum cæteros, præmonuiſſet, nihilominus Kal. Septembr. negligentiâ Germanorum in urbem penetravere. Pridie diſputaverant in caſtris Hohenloius & Solmenſis, diſplodine omnes machinas, & deditionem poſtulari placeret: Solmenſis intempeſtivum adhuc rebatur: Hohenloij tamen ſententia vicit: & primâ luce ter exoneratis omnibus machinis, tubicen in urbem miſſus petendæ deditioni, quo ad meridiem retento, oppidani, denſo imbre juti, in caſtra erumpunt, cæſiſque militibus ducentis, tormentis depellunt oppugnantes, & dum confuſa omnia in caſtris, ſeptenas machinas infixis clavis corrumpunt, jamque ad urbem trahere orſi, perfeciſſent, ſummâ cum Germanorum ignominiâ, ni funium inopia, & anguſta foſſa morata eſſet. Campeſtrem machinam Rheno merſerunt, alteram à Weſtphalis acceptam (qui unam modò hanc in caſtra miſerant) in urbem pertraxere, raptis etiam tribus vexillis, ac nullo inſequente, nedum ex ſuis amiſſo quoquam, in oppidum regreſſi. Interea in caſtris (ut cuncta terror vero majora facit)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

facit) rumor ortus, eſſe jam in urbe quatuor militum millia, quorum tria cIↄIↄ
ſimul millia eruptionibus caſtrorum nunc hanc, nunc illam perrumpere xcix.
partem poſſent: itaque, IV Septembris die, obſidium propere adeò omittunt, ut ſine ordine, ſine imperio ſe caſtris vulgus militum ejiceret, neque ducum imperia audirentur: ægreque increpando & obteſtando effectum Hohenloio, ut machinæ abducerentur; ſed multa huc pertinentia cremavit: etiam farinæ publicæ ignis injectus, cujus ingens vis congeſta, quia ignem materies illa reſpuit, hoſti in prædam ceſſit. Iiſdem turbis naves quarum ingens numerus ad urbem cereviſiâ, vino, pane, & omnis generis commeatu, onuſta ſtabat, de diſceſſu admonere neglexerant: unde illæ properum adeò abitum nihil opinantes, hoſtis in poteſtatem venêre, multique Veſaliæ civium, ſuper navium & cibariorum jacturam, gravi ære ſalutem & libertatem redimere coacti: quin ipſi Germani naves adgreſſi, ſocios ſpoliavere. Nonnulli ſumtis animis, valido amnis curſu urbem machinaſque prætervecti, evaſerant. Sed obſeſſos Germanorum tergis hærentes, qui extremum agmen ducebat Fredericus Hohenloius, ſæpius laceſſitus, cum nonnullis equitibus in fugam egit, & ad portas urbis compulit, ſuo experimento oſtendens, non animos, ſed ducem Germanis defuiſſe. Primâ die Grieterboſſchæ, Roſaviæque, & circumjectis locis caſtra habuere; ubi novum repentè malum, ſeditio ob non ſoluta ſtipendia inceſſit. Haſſici quartum, Brandeburgici tertium menſem ære ſuo fraudabantur, Brunſvicenſes paucos tantum dies; nihilominus cæterorum & hi clamores imitati, dicereque omnes, trium tantum menſium ſacramento ſe rogatos: nunc eos exſpiraſſe: adeo ut ne datâ quidem pecuniâ (cujus bona pars Coloniam Agrippinam delata, in promptu erat) retineri potuerint. Invalida ducum imperia, & ſuâ ſponte militum complures ſigna relinquere: qui ne omnes dilaberentur, viſum ducibus cum reliquo agmine ſequi abeuntes, & fœcundis maxime, pleniſque jumentorum locis, caſtra ponere. Simon Luppiæ Comes ſuperiora Coloniam verſus, ubi pecuniæ erant, peti volebat; Hohenloius contra deſcendere, gratum id Fœderatis Patribus fore ratus. Itaque majorem exercitus partem Arnhemum rapit. Sed nihil commodi Patres, neq; utilem ullam operam à diſſolutis ſperabant, quibus plus in vexandis ruricolis, quam bello fortitudinis eſſet. Itaque ſacramento eos rogare abnuebant. Hunc in modum ſuâ confuſione ingens illè exercitus periit, Resâ temere deſertâ, quam milites non plures mille ſeptingentis cuſtodiebant. Malorum potiſſima ex inopia ducis. Etenim Luppiæ Comes, cætera ingenij aut judicij haud aſpernandus, militiæ ignariſſimus erat. Hohenloius, cui penè ſummam rerum tranſdiderat, gratus militi præfectiſque ob luxum & epulas, ſed diſponendarum rerum neſcius. Incredibilem laborem huc illuc curſitando exhauriebat; ſed vinolentiæ immodicus, & hinc incurioſus, ſæpe literas ſemilectas ſacculo condidit, nec poſtea inſpexit: ſæpe claſſicum incendi juſſit, & dum miles arma aptat, equos alij inſternunt, ipſe ſomno vinoque oppreſſus, & cuncta omittenda fuere. Sæpe ſiquid perperam adminiſtratum, iræ impotens, milites confodit: alijs, ob delicta puniendis, patrocinatus eſt; unde eò licentiæ miles proceſſit, ut litigando, pugnis, rapinis, & ebrij in contubernijs commilitonum quam hoſtium plures occiderent; nihil ſibi, nihil alijs tutum paterentur; adeo ut lixis, metu petulantiæ, caſtra adire non auſis, annonæ caritas oriretur. Hæc præter excubiæ quoque negligentes, & obſeſſi caſtra illuſtri die ingreſſi, captivos abduxere, aſpectantibus cunctis, & populares eſſe, jurgiumque, aut pugnam ortam, exiſtimantibus. Accedebat aſſidua Hohenloij & Solmenſis Comitis diſcordia; in uno congruebant, quod Naſſoviorum conſilia & opem, uterque aſpernaretur. Utrique æquale faſtigium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcix. tantundem animi, & imperij atque experientiæ; par ætas, & ſcientia; unde cedere alteri neuter volebat: & quod rebus gerendis tempus dari par erat, diſputationibus extrahebatur. Dein quoque ducibus erratum in eo, quod ſolum militem, qui ad bellum requiſitorum altera tantum pars eſt, nullas machinas, nihil caſtrenſis inſtrumenti, non foſſores, aut commeatus adduxerant: etiam maturè pecunias mitti, aut ſaltem, dum mittebantur, dimetiri frumentum militi oportuerat. Paucis ante abitum diebus omnis bellicus Senatus, quum nullum rei exitum perſpiceret, auxilia à Mauritio petenda decreverat, miſſuſque Theodericus Wierius literas afferebat à Luppiæ Comite, Kriechingio, Solmenſi, alijſque, quin & ipſo Hohenloio ſubſignatas. Paulloque poſt eadem mandata Smeltzingius turmæ præfectus afferebat, ſed parum pronis Naſſovijs. Quippe cognoverant corruptam pene rem, & an reſtitui, an componi eorum autoritate diſcordiæ poſſent, an accepturus conſilia exercitus, ambigebant. Simul, (nam improſperi exitus metus ſpem boni ſuperabat) rebus male geſtis, multum ſibi dedecoris; ſi proſpera evenirent, parum gratiæ, & multorum invidiam prævidebant. Caritate tamen & ſtudio publicæ cauſſæ, & quia nationum, quîs Guilhelmus præpoſitus, plurimum intererat trans Rhenum hoſtes pelli, ſubitò cum paucis Reſam contendit, cognoſcendis bellici Senatus conſilijs, & quâ ſpe, quo fine, exercitus jungi poſſent. Interea ad Fœderatos Patres (quibus ignaris rem tantam aggredi non oportebat) literæ miſſæ, an è re putarent copias jungi. At Guilhelmus Naſſovius in caſtra veniens, cuncta triſti, quem ſupra memoravimus, ſtatu reperiens, ubi neque tempus, nec locum videt conſultationi de continuando obſidio, oppugnandis hoſtibus, aut militum parte Patrum ſacramento roganda, Germanos tantùm oravit, ut urbium nonnullas, Emmericam ac Gennapium, adverſum Hiſpanos, nequa Fœderatis damna inde inferrentur, cum curâ cuſtodirent. Nec omittebat monſtrare, alioqui intima Germaniæ petituros Hiſpanos, & qui ante pacatos vicinos efferâ crudelitate divexaſſent, nunc armis laceſſitos, multò truculentiora tentaturos. Sed nihil monita, nihil conſilia valuere. Germanique non tantum limites ſuos non cuſtodivere; verùm & caſtellum ad Berkam deſeruerunt, quamvis multum obnitente Veſaliâ, & pecuniam commeatuſque offerente. Emmericam Dynaſta Reidanus duabus cum centurijs cuſtodiebat, invalido adverſum oppidanos numero; civeſque metu præſidij majoris, militaribus excubijs ſuas contra poſuere, alterâ parte plures, etiam machinas Germanorum oppido inferri prohibuerunt: quâ neceſſitate illæ Arnhemum devectæ, impoſitaque hic centuria una; cui præfectus fortiori ſe animo, quam cæteri, geſſit. At duæ, quæ Gennapio præſidebãt, centuriæ, adeo ignavæ fuere, ut non modo nihil in Hiſpanos hoſtile tentarent; ſed eorundem ſibi ſtudia conciliare niterentur: nam in propinquo exercitus erat. Itaque ingreſſum, abitum, & annonam in oppido coëmere, & flumine commeatus atque armamenta impune Venlonâ in caſtra convehere permiſerunt: quin & ſæpe & acerbas Hiſpanorum voces patienter tolerarunt, validiore numero ſe pellendis præſidio illis brevi venturos minitantium. Ad ultimum quoque, ubi exiguâ cum manu pauciſque machinis, ineunte Octobri, Mendoza acceſſit, fœdiſſimam deditionem fecerunt. Ille præſidio arcem firmare ſupervacuum ratus, quia pluribus locis tranſire amnem poterat, Cliviæ Duci reſtituit. Dein Orſoiæ, quam duæ centuriæ tutabantur, minas intentans, ubi munitionibus incumbere præſidiarios audijt, intactam dimiſit. Emmericam, Gennapium, Orſoiam, & Arnhemum qui cuſtodiverat miles de legione Brunſvicenſi erat: huic maximè fidebatur, tanquam ſtipendijs non fraudato. Quam ob cauſſam Dux gentis, remeantes in patriam ſeveris ſupplicijs affecit. Et præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

fectorum ſinguli, militem, ut quiſque præ cæteris noxius, tradere coacti.
Quinque & XX ſine mora in patibulum ſublati: & quia exiguus ille nume- cIↃIↃ
rus, ac mitis pœna, ubi omnes peccaverant, reliqui ſortes ducere juſſi, ut XCIX.
decimus quiſque eandem pœnam ſubiret; cæterum deprecatione aliorum
exemti ſupplicio, atque in Hungariam deportati, ut plurium annorum ad-
verſum Turcas militiâ, & meritis, veterem ignominiam abolerent. Vice-
ſimâ Auguſti die Ludovicus Naſſovius Moſam cum equitibus quingentis
tranſgreditur, Batenburgum, Raveſtæniumque inter, quà facilem tranſi-
tum, & nullas excubias eſſe, exploratores falsò retulerant. Nam XL equites
ad vadum excubantes, confeſtim in caſtra nuncium tulere. Ille tamen
progreditur, celeritate hoſtem imparatum opprimi poſſe exiſtimans. Sta-
timque lixas, & qui frumenta hoſti ſubminiſtrabant, à caſtris excludit,
equiſque trecentis admodum, & militibus nonnullis captis, regreditur. In
reditu, ſemihoræ à Graviâ itinere, ubi ad anguſtias ventum, inopinanti
cum turmis ſeptem Ambroſius Landrianus ſupervenit, adeò ut neceſſariò
vertere agmen, & prælium, quanquam impar numero, committere coge-
retur. Igitur equitum pleroſque cum prædâ anguſtias tranſire, turmæque
præpoſitum Petrum Fannium, cum ſuis, ingreſſum earum juxtà conſiſtere
jubet. Hoſtes Hamiltonum, qui agmen ducebat, invadunt; ſuccurrit huic
Paignetus, ac latus hoſtium invehitur, Hamiltonus, converſis ſuis, Paigneto
ſubvenit: ad ultimum multitudine circumventi, uterque diſſipantur, amiſ-
ſis LX equitibus: cæteri per anguſtias fugam capeſſunt, inſequente Lan-
driano, quem Naſſovius anguſtiarum exitum obſidens, excipit, repellit-
que, tantâ vi, ut XL noviſſimi hoſtilium equitum, impeditâ à præcurrenti-
bus fugâ, equis deſilirent, & dumetis vepribuſque, latere utroque enatis,
ſemet occultarent. Naſſovium victoriâ uti militum laſſitudo, qui horas
XIV equitaverant, prohibuit: ſimul Graviâ pedites, & cum reliquo equi-
tatu Contreras, adventabant: quamobrem diſceſſum parat, ac ſeptempar-
titò pedetentim quatuor horas per latiſſima camporum Gennapium uſque
procedit; aſſidue noviſſimos carpente Landriano, ſed, quia inſtructo ordi-
ne incedebant, prælium non auſo. Naſſovius Moſam iteratò cum omni
præda tranſit. Mox quoque Contreras ſubſecutus tanta feſtinatione, ut
equi plures centenis in itinere deficerent: etiam noſtris complures equi
poſtea extincti, dum ſudore perfuſi amnem tranſeunt, cujus frigore con-
ſtricti artus. Eâdem tempeſtate Albertus & Iſabella Bruxellas venientes
ſummis honoribus, & exquiſitiſſimâ pompa excipiuntur. Occurrebant in-
greſſuris Patres ac magiſtratus omnis, rubrâ veſte è nobiliore ſerico inſi-
gnes; minores ordines idem color, ſed ſecundarij ſerici; aurigas auro inter-
textus habitus exornabat: unde cætera conjectare eſt. Ipſe Albertus &
Iſabella, ſurſum oculos, aut in conjugis uterque ora defixos tenebant, nun-
quam populum reſpectantes; qui omnia venerantium officia ad Principes
ſuos vertens, tacite mœrebat, ne blandum quidem aſpectum humanitati
ſuæ referri. Introitus dies fœdus denſis imbribus fuit. Adventum Reip.
nomine Maſius Juriſconſultus facundâ oratione gratulatus eſt, genu al-
tero, donec dixiſſet, procumbens, quod inſolens Belgis. Paullò pòſt Car-
dinalis ac Mendoza rerum à ſe, abſente Alberto, geſtarum rationem reddi-
dere; damnorum, quæ accepiſſent, culpam quoque in alterum rejiciente.
Querebatur Mendoza, caſtellum Andreanum à Cardinale exſtructum, ſi-
bique neceſſitatem allatam, cum omni exercitu operi ad conſummatio-
nem uſque adhærendi: interea alibi, quæ utilia Reip. damnoſa hoſtibus, pa-
trare potuiſſet, negligere coactum. Eratque inter amicos Mendozæ qui-
dam è Societate Jeſu, qui ſiniſtra de caſtello hoc ominatus, ſcripſerat, glo-
bis confixum (nam ſine intermiſſione tormenta in operas ſonuerant) hu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

c IↃIↃ xcix. mano ſanguine cæmentatum, ac prædæ plenum eſſe. Etiam in Hiſpania Italiaque à nonnullis Mendoza accuſatus videbatur, quaſi irruptione in Germaniam, militumque petulantiâ, Principum Imperij iram provocaſſet. Quos contra ille dictitabat, Cardinalis, Senatus, & inſpectorum ærarij codicillis juſſum, in Imperij terras moviſſe: quo caſu nequiſſe prohiberi querelas gemituſque ea loca habitantium. Præſertim fraudato ſtipendijs milite: quippe octonûm ſpatio menſium unius tantummodo menſis ſtipendium acceperant. At Reſanam eruptionem, quæque adverſus Ludovicum Naſſovium geſta, ſummis tollebat laudibus, tanquam memorabiles victorias, queis vix pares ullas Belgarum memoriæ prodidiſſent. Firmabatque apertè, ſua prudentiâ ſervâta caſtra, quinto Julij die manifeſta exitij, ſi conſilia Cardinalis ſecutus fuiſſet. Hunc in modum diſcordes alter alteri erant, & utrique in Senatu, in caſtris, ſui ſectatores, magno Fœderatorum commodo, quod diſcedens Albertus, committendas uni curas, in duos diviſiſſet. Bruxellis prima ſermonum de inauguratione fuere. Patres abduci externum militem, diſiici arces, aut indigenis tranſdi, cæteraque ſub diſceſſum ab Alberto promiſſa, impleri poſtulabant. Sed Iſabella ignaram ſe horum, & arces præſidiaque ad ſecuritatem ſui neceſſariò retenturam dixit; palam aſſerens, loqui Belgas tanquam Principis pertæſos. Itaque nec dubitavit de exſtruenda Cameraci arce proponere. Parum hæc Patribus grata: quem mox mœrorem Iſabella auxit, graves cenſus tributaque poſtulans. Demonſtrabat, validiorem ab Alberto exercitum eorum defenſioni in Belgica relictum, quam adhuc habuiſſent: qui tametſi rebus geſtis conceptas ſpes haud æquaviſſet, arcuiſſe tamen potentes duos, Germanorum, & rebellium exercitus; nec tantùm Regis ſubditos tutatum, ſed & validiſſimum caſtellum procul à finibus, & hoſtili in ſolo exſtruxiſſe: adhæc rebelles quęcumque in Imperio loca tenuiſſent, reddere adactos, & trajectum amnis, nequidquam obnitentibus Germanis, retentum. Denique Moſam & Vahalim amnes in poteſtatem redactos, & occaſionem premendis rebellibus oportuniſſimam, ſed pecunias requiri. Decoram ſanè Belgis liberalitatem in talibus, præſertim primo Principis adventu. Promiſiſſe Novembri menſe anni cIↃIↃxcIIx Brabantos, quina ſe & vicena florenorum millia quotmenſibus, per annum dimidium collaturos, & exacto ſpatio illo, octodecim per menſes quatuor. Nunc xlv millia in ſingulos menſes per annum ſolvenda, quîs præſidiarijs ſatisfiat; & per dimidium xxv millia quotmenſibus in uſum caſtrorum. Hanc ſi pecuniam conferrent (nam ex Hiſpania magnam quoque æris vim Regem miſſurum) cætera immunes onerum fore, & militem in caſtris aut limitaneis urbibus habitum iri, cui neceſſario alioqui victus ex præſidijs quærendus eſſet. Nequaquam hæc læta principatus primordia Brabantiæ Patribus fuere, & ſine aſſenſu digreſſi; reputantibus nonnullis, ſi paria Flandris, Artheſijs, Hannonijſque imperarentur (quorum tunc res meliori ſtatu, quam Brabantorum erant) quadringenta florenorum millia quotmenſibus inde proventura. Unde ſuis tantum ſumtibus bellum gerendum; nec quidquam ex Hiſpania æris venturum conjectabant. Averterat Comitum & potiſſimæ nobilitatis animos faſtus Iſabellæ, in alloquijs, in congreſſibus, ſervilibus propemodum obſequijs honorandæ. Indignabantur, ut rebellionis, aut ſaltem infidelitatis accuſati, dum arcium militumque præſidio, magis quam ſuæ fidei, Archiduces niti vident. Præ cæteris tamen Jeſuitæ, & Eccleſiaſtici, has amoliri difficultates, ac inaugurationem promovere conabantur; quorum operâ huc perducta res, ut ſeorſim apud ſingulas nationes inaugurarentur: quod demum adulto Novembre Lovanij, à Brabantiæ Proceribus, exin Machlinię, & Januario menſe inſequentis anni à Flandris Gandavi factitatum.

CIↃ IↃ XCIX.

tum. Cæterùm dum, recepto more, in Abbatia ad Lovanium inaugurationis ſolennia Brabanti peragunt, Duboiſius, turmę equitum præfectus, duos in propinquo pagos exuſſit, & agreſtium quingentos cecîdit: ita damnum, paullo ante ijſdẽ in pagis acceptum, forte tali tempore ultus eſt, quo ignem Archiducum uterque aſpectare poterant. Albertus, quando inaugurabatur, purpuram, melium pellibus ſuffultam, induere abnuit; quod, uſurpatum jam antiquitus cunctis Brabantiæ Ducibus, ad hæc tempora duraverat etiam Carolo Cæſare, Philippoque & Andino Duce eandem conſuetudinem ſecutis. Diutiſſimè omnium nationes Gallobelgicæ inaugurationem detrectavere, abruptas in hoſticum travectiones reſtitui poſtulantes: quippe ſalito piſce, & caſeo Hollandico, carere nequibant: quorum utrumque, uti & quaſcumque Hollandorum merces, Archiduces advehi ſeverè adeo prohibuerant, ut ne Gallis quidem mercatoribus, quamvis pacatis, harengas ex Hollandia advectas vendere in Artheſia liceret. Simili etiam modo omnibus, cujuſcunque gentis aut ordinis forent, interdictum, manu & artificio parata, ex Fœderatorum terris in hoſtilem Belgicam, aut Hiſpanias, venum deportare. Quâ re commerciorum uſum (potiſſimum belli alimentum) eripi Belgis poſſe ſperabant. Nec ſanè ſine damno id abijt: dum multæ familiæ ex Zelandia Rothomagum, Amſtelodamo Emdam, atque Hamburgum, ſedes transferunt. Lugduno, Harlemo, Alcmariâque, omnes penes Flandri textores in Flandriam, aut finitimas Gallorum civitates migravere. Sed levis ea jactura in tantâ remanentium multitudine, qui ſocietate cum Gallis, aut ad Albim, aliarumque nationum mercatoribus initâ, negotiationem in Hiſpania continuaverunt. Adeoque nihil hæc edicta Hollandiæ Proceres perculere, ut non minori ſeveritate in eos, qui furtim Sylvamducis & in alias hoſtilium urbium, merces ſuas deveherent, inquiri, & bona publicari juberent. Etenim primas illas abruptarum travectionum incommoda perſenſuras rebantur. Sed edictum de publicandis aliarum nationum, quæ in Hiſpaniam irent, navibus, paullatim infractum eſt, dum naves per diſſimulationem tramittuntur: forſan, quia paucæ ex vicinarum gentium pacatis, ſine Belgarum mercibus ſolverent. Ad exercitus ut revertamur, manſere ij etiamnum currente Octobri contrarijs in caſtris, pluribus incommodis, & ægritudinibus conflictantes. Querebatur Mendoza, enecari fame homines, exſtingui jumenta, & potentem nuper exercitum ad millia peditum decem, equites mille quadringentos redactum; ſibique hærendum in loco, donec conſummaretur caſtellum Andreanum. Nec abducto exercitu commeatus ſubvehi poſſe. Subierat quoque Crepicordij cura, & retineret, an demoliri ſatius eſſet, ambigebat. Retinenti munitiones faciendæ, quod arduum hyeme; æquari ſolo Sylvæducenſium querelæ prohibebant. Ipſe Mendoza diſiici caſtellum, ſpernique Sylvæducenſium querimonias ſuadebat. Poſſe urbi validum imponi præſidium. Quippe integrum haud dubiè poſt diſceſſum ſuum Patres expugnaturos, firmaturoſque: ſimul & excludi à ſuis Andreanum caſtellum, & Sylvæducenſibus majus malum. At ſolo æquatum inutile Fœderatis, nec hyeme facile munitiones extruere. Minori etiam cum labore, tum impendio, initio venturæ æſtatis vacuum à ſe locum occupari, quam hoſtibus eripi poſſe. Nec ſegnius componere in hybernacula exercitum Patres properabant, minuendis ſumtibus, quis impares, & jam duodecies centenis millibus initas rationes ſupergreſſi erant. Ut verò extra ordinem poſtulata à nationibus millia florenorum octingenta, aliæ aperte abnuerunt, nonnullę aſſentientes, contanter promiſſa præſtabant. Adeo ut hoc rerum ſtatu, omnino ſeditionem in caſtris præmetueret Senatus, ni fortè Galliarum Rex florenorum millia trecenta, opportuniſſimo

tempore,

cIↃIↃ XCIX. tempore, miſiſſet. His de cauſſis Fœderati Patres, & Senatus, Hagâ Gorcomum, propinquam caſtris urbem, profecti, Mauritio ac Guilhelmo Naſſovio difficultates & ærarij anguſtias propoſuere; dimitti in hyberna militem rogantes, ne auctis morbis attereretur exercitus; quamvis ante id tempus talia ſpernere ſolebant: dein ut parceretur graviſſimis impenſis curruum, navigiorum, equorum, aliorumque caſtrenſium onerum, totam æſtatem toleratorum. Mauritius, impenſas malum inevitabile, & neceſſaria omni tempore, omni loco, in promptu habenda fuiſſe reſpondit. Etenim incertam neceſſitatis horam. Reputarent Patres, durante hoc bello, non aliam unquam majore vi, majore periculo, irruptionem ab hoſte factam, depulſamque. Bommeliæ obſidium deſerere coactum: nunc confectam exercitus tertiam quoque partem: quod ſi occaſio non deſeratur, poſſe extructum ab eo caſtellum Andreanum, verti in uſum Fœderatorum. Denique intempeſtivè nunc de remittendo in hyberna milite agi. Nec ſe ſubire id dedecoris velle, ut hoſti, omnem æſtatem finibus prohibito, ultro iter in media Belgarum pandat. Sed currus, naves, impedimenta, aliaque id genus, ſtatim dimitti paſſus eſt. Agitabat quoque trina ad Vahalim caſtella exſtruere, coërcendis excurſionibus Andreani præſidij: ſed quia florenorum millia LXXX requirebantur, & exhauſtum ærarium erat, complura minora caſtella ſparſim ad aggerem Tilanę inſulę jaciuntur, propter alveum, qui olim Vahalis fuerat. Id factum, ut in poteſtate amnis eſſet, ac minuendis, quantum fieri poſſet, ſumtibus. Quamquam autem Albertum & Iſabellam indies Sylvæducis exſpectari fama ferebat, & memorabile quid tentaturos, ut primo adventu fiduciam ſuis, metum hoſtibus augerent: urgente tamen neceſſitate, decretum, ut XXVI Anglorum, Germanicæ XIII, totidemque Scotorum, & Gallicæ XIV centuriæ, quarum pleræque ducentorum fuerant capitum, ad centenos & XIII milites redigerentur, exceptis Tribunorum cohortibus, in quîs milites centum L relinquerentur. Præterea ut turma quęque pro centum equitibus octogenos haberet: & pro mille, qui ſcripti erant, Helvetijs, ſexcenti tantum eſſent. Etenim credebant Patres, militum præfectos, multis militibus valetudine hauſtis, occiſis, vel denique miſſione acceptâ, aliaſque ob cauſſas digreſſis, non majorem ſub ſignis numerum habere: & reliquorum ſtipendia ſuum in quæſtum vertiſſe. Hoc decreto in menſes ſingulos impenſæ florenorum millibus LX minuebantur: ſed motæ ſimul militum querelæ. Nam præfecti ſupra Patrum opinionem mille circiter & quingentos milites exauctorarunt. Interea Belgarum, quam ſupra memoravimus, claſſis Kal. Junijs Coronenſem portum, ubi pleræque regiarum navium ſub arce ſtabant, ingreſſa, dejectis intra tormenti jactum anchoris, an ad prælium Hiſpani prodirent exſpectaverat; & poſtquam neminem movere, ſed tormentis tantum eminus rem gerere advertit, tametſi ſpes erat incendiarijs navibus Hiſpanicam claſſem, palis & catenis undique circumventam, evertendi, Douza tamen, temporis irreparabilem jacturam ratus, ſatis habuit, regijs ſuis in portibus inſultaſſe. Itaque Oceanum petit, claſſem Hiſpali in Americam euntem quæſiturus: cæterùm ſerò, fortè enim quatriduo ante ea ſolverat. Sextadecima ejuſdem menſis die inſularum, quas Fortunatas vocant, maximam adortus, terna in eâ caſtella expugnavit, non paucis ſuorum amiſſis, partim prælio (acerrime enim inſulani repugnaverant) partim nauticorum hominum incuriâ, dum temere diſiecti & palantes, poſt victoriam, prædę cupidine vagantur; ſæpeque ab Hiſpanis oppreſſi; qui, deſperatâ urbium cuſtodiâ, in montes ac ſaltus ſe ſuaque receperant. Urbem Douza incendit, redemtionem quam petierat minorem offerentibus inſulanis, neque tempus videbatur diu ſuper pretio conten-

contendendi. Exin Gomeram quoque inſulam diripuit, & machinas
XXII, maximæ aut mediæ formæ pleraſque, tum & vina oleumque in utra- cIↃIↃ
que repertum, navibus impoſuit. Inſularum cæteras, Palmam, Tenariffam, XCIX.
Maderam, quas ingens terror pervaſerat, intentatas reliquit. Poſtea diviſa claſſe, partem in Hollandiam remittens, cum reliquis ipſe ulteriora petijt. Crebras mari oceano teſtudines noſtri cepere: quarum ingens una trecentas pendebat libras. Inerant alvo ova quingenta, lentâ quædam pelliculâ obducta, irritorum ſpecie; & humi projecta pilarum inſtar reſultabant, illæſa, niſi majore vi allidentur: pleriſque tamen vitellus erat, unde placentas paravere; ſapor vitulinæ carni accedebat. Interim validam jam claſſem Rex inſtruxerat, quam in Belgicam contendere, & jam Breſtoum Britannorum appuliſſe, rumores currebant: adeo conſtanter idem firmantibus exploratoribus, ut Regina, parum freta promiſſis Hieronymi Comanni, qui Hiſpanicus legatus, nihil adverſum Anglos tentatum iri fidem dederat, terra marique ſe ſuoſque armaret. Etiam auxilium à Fœderatis poſtulat naves quadraginta, mille militum, nautarum duo millia, qui confeſtim ſubmiſſi. Sed tandem Septembri menſe ſolus Spinola naves longas ſex adduxit: quæ aliquamdiu Breſtoi moratæ, mirâ felicitate ac periculo mare tranſierunt, vento ac tempeſtate leniori, quam pro anni tempore uſæ. Curſum Sluſam direxere, humilibus ad Duinquerkam aquis. Fuit inter nautas Hollandus, qui in Hiſpania captus, & comitari proficiſcentes adactus, reperit quomodo occultè de adventu claſſis Fœderatos certiores faceret; ut ei, Galliam Britanniamque inter, qua breviſſimus tranſiectus eſt, occurrerent. Cæterum adeo proſpera longis navibus tempeſtas adſpiravit, ut à noſtris, qui, quanto navium mole ſuperiores, tantò celeritate cedebant, compelli ad certamen nequirent. Homines in univerſum mille ſexcentos, quà milites, qua ſervos, remis aut id genus miniſterijs ſuetos, vehebant. Primoque adventu Zelandis damni nonnihil, cæterum plus terroris intulerunt. Octobri menſe captato cœlo marique placido, & ſupra ſolitum numerum è præſidijs mille ducentis militibus aſſumtis, pariter omnes navem Centurionis Legieri, vicariâ poteſtate claſſibus apud Zelandos præpoſiti, in qua homines LXX erant, adortæ, prope adeo nunc hæc nunc illa ſucceſſere, ut retinaculis connexæ viderentur, ac per vices majores minoreſq; machinas diſplodebant. Stabant in propinquo bellicæ noſtrorũ naves, quæ certamen adſpectantes, ne ſuccurrere poſſent, vento, & æſtu attinebantur. Legierus tamen ſolus adverſum plures fortiſſimè rem geſſit, tubis, quotieſcunque longarum navium una propinquaverat, damni plurimum inferens: adeo ut tandem hoſtes, duabus horis certato, & ſuorum CCL amiſſis, recederent. Legierus ſaucios aut interfectos XXV habuit. Aliàs ternas noſtrorum bellicas naves eædem aggreſſæ ſunt. Mercatorias rebantur, ſpecie deceptæ, & Centuriones noſtri foverant errorem, donec intra tormenti jactum ſuggreſſas, tormentis ſumma vi concuſſere: VI horis in conſpectu Vliſſingæ dimicatum eſt. Neque ex eo Fœderatis amplius à longis navibus terroris quidquam aut damni, niſi quod plures bellicæ in ſtationibus habendæ erant, quò Zelandi retenta tributa ac vectigalia ſua verterunt; XL florenorum millia amplius, quam obveniebat in menſes ſingulos erogantes. Per idem tempus Hiſpanorum bellica navis in Britanniæ Aremoricæ litora à noſtris acta: centurio tempeſtate ſe à claſſe diſtractum fatebatur. Junio Auguſtoque menſibus in Ferolíæ, ac Coronenſi portu, naves duas dequadraginta bellicas ſtetiſſe, & in his galeones decem & VIII, mille aut octingentorum ſingulas vaſorum. Quaternas Lepantinas, mille aut ducentorum eo amplius, doliorum, ſenas Fliebotas, totidem Patachas, ſex Caravellus, & naves decem XL

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcix. ſingulas vehium. Denique naves longas omni armamentorum genere inſtructas XXIII. Claſſis imperium penes Adelantadum, vicarium jus Didaco Brochiero datum, Joannes Haquilla terrâ militibus præpoſitus. Militum XX millia Coronæ, ac vicina in præſidia diſtributa, dictaque Auguſti decimaquinta dies, quâ octonis militum millibus, & navibus brevioribus, Angliam peterent: longæ tutandis Hiſpaniæ oris relinquerentur. Sed Rex, audito Fortunatarum maximam noſtros invaſiſſe, properare illuc Adelantadum juſſit, ſpatiumque Belgis ſe muniendi adimere. Biduo pòſt, ubi ultro Canariâ abſceſſiſſe Belgarum claſſem, & in Americam contendere intellexit, Terçeram proficiſci eidem, & obviam ire Americanæ claſſi mandat: quam immenſas gazas, & Indorum, de adepto regno Hiſpaniarum Regi gratulantium, munera advehere ferebat fama. Fortè digredientibus Coronâ Hiſpanis, dimidia noſtrorum claſſis eandem oram prætervecta eſt; ſed neutra alteri viſa, magno noſtrorum commodo, qui numero longe inferiores Hiſpanis: nam pleræque inſtructiores diverſo itinere abierant. Cęterùm illi, Terçeram juxtà, atrociſſimâ tempeſtate afflicti, diſſipatique, nunquam poſtea in unum convenere: multæ navium hauſtæ, ſed numerus incertus: nam neque ſimul, neque ijſdem locis, & diverſis temporibus, aliæ alios Hiſpaniarum portus appulere. Invaſæ direptæque Canariæ ſpolia impenſos apparandæ claſſi ſumtus nequaquam æquavere. Nec tamen infructuoſa navigatio: nam & ſimul otio nauticorum hominum obviatum, & regis infracta fama, & claſſes adverſum Anglos Belgaſque comparatæ, ad ſua tutanda in Americam pertractæ ſunt. Quæ quidem dimidio navium numero geſta; claſſis altera pars fructuſque ejus adhuc exſpectabantur. Junio menſe, profugêre Hiſpaniâ duæ Hollandorum naves, Regis mandato detentæ, ut tritici vehes CLIII Oranum in Africam deportarent. Nautæ miniſteriaque Hiſpanica regundæ navi impoſita; tertiam partem mixti his Belgarum captivi faciebant; qui captatâ occaſione, Hiſpanos in fluctus præcipites egere; ipſi cum nave frumentoque in Hollandiam reverſi. Eodem tractu temporis in Hollandiam rediere naves quatuor. Octonæ ſuperioris anni menſe Majo Amſtelodamo ſimul profectæ, pars Javam Bantamque, reliquæ Moluccas inſulas petierant. Ubi motas ante turbas Indi, qui noſtros in Hollandiam proſecuti erant, excuſavere, bonorumque direptio, factâ æſtimatione, ære dato penſata, eâque re tantopere conciliati barbarorum animi, ut ante quintam hebdomadem quantum capere poterant mercium, noſtri collectum haberent, quarum cæteras inter piperis trecentę vehes erant. Non multò ante Luſitani, inſidijs Bantamo ſtructis, principem regni portum, & forum rerum venalium in poteſtatem redigere hoſtiliter tentaverant; ſed improſpere, & magnâ ſuorum clade: eoque maturius Belgę, cum alij emtores nulli eſſent, coëmto, quicquid petebant, quartodecimo, ex quo iter ingreſſi erant, menſe, in patriam revertêre: quo tempore ne Oliſſipone quidem Goam euntes remeare potuerant: unde Luſitanis Amſtelodami habitantibus incredibilis res viſa, & medio itinere, ex obvio hoſte, aut caſu oblatis navibus, ſpolia rapta eſſe dictitabant. Mercatores, quorum impendio paratę naves, quæſtum ſuum altera parte ſumtibus majorem, & ſi incolumes cæterę naves reverterentur, quinctuplices fructus ſe habituros fatebantur: cunctis qui mari negotiabantur exultantibus: ſimul ſpes concepta, averſa Olyſſipone Indorum commercia ad Belgas tranſlatum iri, & æternùm manſura; quo facilius in poſterum navigatione Hiſpanica carituri erant. Itaque ſine mora novas inſtruere naves orſi: & ut eſſet, quod Hiſpanicis galeonibus opponeretur, duas quingentarum quamque vehium ædificavere. Cæterùm quo tempore noſtri ſancito jam contractu, pro mercibus,

ſupra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſupra memoratis, pactam Bantamenſibus pecuniam numeraturi erant; cIↃIↃ
Rex pecuniȩ æſtimatione novatâ, regalem Hiſpanicum tertia parte infra xcix.
vetus pretium numerari coëgit. Quod ut exemplum refero, barbarȩ in acquirenda pecuniâ ſolertiæ. A Duinquercanis clades hoc anno plures & majores, quam ſuperioribus temporibus, illatȩ: captaque inter cæteras navis Hamburgum aromata vehens, centenis florenorum millibus æſtimata. Unde graves mercatorum querelæ ortȩ: *Tot bellicis, quas Patres haberent, navibus, tantis vectigalium, tantis & advectarum & exportatarum mercium fructibus, non plus damni hoſtibus inferri. Centurionatus maritimos favore & ambitu, non ob merita donari. In collegijs rei maritimæ homines eſſe nauticæ ignaros, & publici incurioſos; quorum privatæ rei publica detrimenta conjuncta non eſſent.* Contrà Centuriones dictitare; *vaſtum ac longe patentem Oceanum, nec ſtationes ubique diſponi, aut excubias agi; ægreque opprimi poſſe perditos ac deſperatos homines, quos exitij, ſi in poteſtatem venirent, certos, ſalutis ſpes in rabiem ageret. Male rebus ſuis mercatores conſulere, quod ſeparati, nec junctis navibus proficiſcerentur.* Cæterum non inultò nobis damna hoſtes intulere. Quinæ eorum naves hâc æſtate captȩ, & quicquid hominum inerat, in patibulum actum eſt. Unam haud procul Norvegiâ in poteſtatem redigit bellica navis, exiguæ molis, ſed tormentis ac defenſoribus egregie inſtructa. Simulabant mercatoriam eſſe noſtri, qua re illecti Duinquerkani non niſi commiſſis jam navibus, bello inſtructam intellexerant. Alteram Cloierus centurio expugnavit, mira felicitate: nam priuſquam connexæ naves eſſent, ingenti animo in hoſtium ſolus deſilierat, & fortè ventus abreptâ longius nave, diviſum à ſuis in hoſtium reliquerat poteſtate: ſed ij metu omnes inferiora navis petierant, ignari ſolus Centurio, an alijs comitatus, ſuperiora occupaſſet, & priuſquam reſcirent, noſtri converſis velis ſubvenere. Inter navium cæteras Enchuſanȩ mercatoriæ memorabilis fortuna fuit: quȩ à quinis Duinquerkanorum navibus oppugnata, & injectis harpagonibus retenta, hoſtes ſupremo tabulato jam potitos depulit: nam ſingulari prudentia majorem medij mali antennam, ne prȩcideretur, catenȩ noſtri alligaverant, & cancellos clavis extantibus ſurſum acuminibus confixerant, nequis temere tranſcenderet. Etiam evaſere periculo quinque mercatorum naves, quas in Havanȩ portu ſecuras, & inopinantes, Hiſpanorum bellicȩ circumſtiterant. Sed noſtri ſimul anchoras Hiſpani pro portu demiſere, poſteram certamini diem exſpectantes, totam noctem tormentis expeditis, cunctiſque ad prælium paratis, priores primâ luce hoſtem invadunt, ac fortiſſime dimicantes perrupere. Venit cum ijſdem in Hollandiam Havanȩ prȩfectus, regis iram, & ſupplicium metuens, quod impune Hollandos negotiari paſſus eſſet. At illi mercatores atque inſtitores circiter XL omiſere, in mediterranea, emendis ac permutandis mercibus, profectos: quorum parentes & propinquos luctus vehemens inceſſerat, noviſſima crudelitatis exempla ab Hiſpanis editum in eos iri exiſtimantes; cæterum benignitate Numinis & hi, exiguo navigio elapſi, ac ſuos ſubſecuti ſunt. Plura alia id genus mari geſta, captis hinc, illinc, navibus, aut amiſſis, quȩ alijs memoranda relinquimus. Enchuſana navis ex inſula Americȩ propinquâ, & eodem gradu ſitâ quo Canaria jacet, ſalem advexit, XVI hebdomadis itinere confecto, quod ſpatium Gades navigantibus inſumi ſolet. Itaque XXX majores naves inſtructȩ, quoque exultante, Hiſpaniâ, quantum ad ſalem, carere noſtros poſſe: quem non niſi pretio illic, hic gratis in litoribus & multo præſtantiorem, colligere licebat. At ex Guinea non eadem hoc anno, quȩ ſuperioribus, emolumenta fuere, dum certatim pro ſe quiſque huc navigantes mercatores, alter alteri pretium mercium augent. Cui malo vitando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ Amſtelodamenſium quicumque ijs tractibus negotiabantur, in unam So-
XCIX. cietatem convenere: ab his inſtructę naves octonę, quę ſolę Guineam pe-
terent, ac eundem in omnibus caſum, eandem ſubirent fortunam. Sed re-
ſtabat cura, quod nihilominus liberũ Zelandis relinquebatur, mercaturam
ea regione exercere. Ineunte Octobri Mendoza, vaſis conclamatis, caſtra
relinquit, admotiſque Gennapio tormentis, duas, quę præſidebant, Ger-
manorum centurias abire præſidio adigit. Dein militem per omnes Braban-
tię pagos, in agrum Cuickianum, Keſſeliam, & per Moſę ripam diſtribuit.
Quę Mauritio cauſſa, quòd veteribus caſtris non excederet, antequam XI
caſtella, in fluminis ripâ, conſummarentur. Ipſe opus nocte dieque urge-
bat. Suberat quoque remaneandi altera ratio, inſidię Sylvæducenſibus ſtru-
ctę. Unde adulto demum Novembri caſtra deſeruit, dura multa paſſus,
nec ſine dolore, morbis quotidie hauriri militem videns. Incommodo-
rum cæteris murium tanta vis acceſſit, ut vix ægroti noctu corpora ab ea-
rum morſibus tutarentur. Sextâ Novembris die Mauritius, monitus Em-
ricę oppugnationem Mendozam meditari, Petrum Sednitzkium, ſupre-
mum vigilum pręfectum, ac Edmondum tribunum, ad urbem miſit. Ii con-
ſcio Dynaſta Reidano (qui cum duabus centurijs Germanorum oppido
impoſitus erat) noctu portis ſucceſſere. Cives jampridem diffidentia dupli-
ces adversũ Germanos excubias diſpoſuerant: & hac nocte, ubi novi aliquid
conſilij initum ſenſere, portas omnes ſtationibus firmaverant; quod Reida-
no neceſſitatem attulit vi agendi, & cum omnibus ſuis portarum unâ cives
depulit. Portam ipſam hinc Reidanus, inde Sednitzkius excidêre, quo tu-
multu militum civiumque nonnulli peremti: arſiſſetque propè prælium, &
in cædem, ac rapinas miles prorupiſſet; ſed Reidani & Sednitzkij fama, &
clarum nomen cuncta compoſuere. At Mauritium ob res hoc anno ge-
ſtas, non perinde ſui, quam exterę nationes laudabant. Etenim inter Fœ-
deratos, indiſcretę primorum & vulgi querelę audiebantur, quaſi ſuper-
vacuis munitionum impenſis onerare Belgas, quam prælio vincere hoſtem,
maluiſſet. Contrà exteri, ad eventum ſuſpenſi, ingentem Fœderatis cla-
dem præmetuerant à potentiſſimo exercitu, terrore Germanię: multum-
que profectum rebantur, quod ludificando hoſtium conatus Mauritius ir-
ritos feciſſet: itaque creſcebat indies alijs in gentibus fama ejus. Quâ motus
Mantuę Dux, qui ex Italia cũ Alberto Bruxellas venerat, quandoquidẽ ſua
nihil intereſſe bellantium iras rebatur, nobilium quendã miſit, cum donis, &
gratulationibus; non negligente Mauritio ad penſandam ejus humanita-
tem. Eum tamen nonnulli Vorenam in inſulam, ubi caſtra erant, ſpeculandi
cauſſa veniſſe crederent: ſed compertum pòſt, Mantuę Ducem humanita-
te ſuâ ſuſpicionem Hiſpanici Senatus provocaſſe. E Gallia Vicus, Caleto
præfectus, inter celeberrimos & veteres ſuæ gentis duces præcipuus, in
Belgicam tranſiecit, cupidine Mauritium & caſtrorum munitionumque
formam viſendi. Superiùs memoravimus, legatos in Orientalem Friſiam
â Patribus miſſos, qui Ennonem ſubditoſque, ut ante quatuor annos actum,
in concordiam reducerent. Enno, velut à ſocia gente miſſos, comiter ex-
cepit: interea nihil diſſimulans dixit, videri ſibi parti alteri eos obnoxios,
neque pro ſequeſtris agnoſcere velle. Æquum adeo ſe ſubditis fore, ut
conciliatores nulli requirantur. Ita ſpecioſa quidem diſſerere, ſed nequa-
quam facta congruebant. Ipſe ludificari urbem, cui ſpes identidem bona,
ſæpe ingens metus erat. Hunc in modum totam æſtatem ſuſpenſa ſpem-
que metumque inter civitas exegit: viſuſque Comes de induſtria moras
nectere, & quem exitum Hiſpanici exercitus conatus haberent, exſpecta-
re, haud dubiè victoris populi gratiam quæſiturus. Nobilitatis, urbium,
ac ruricolarum conventum Emdam egerat; omnibuſque querelas ſuas
exponen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ XCIX.

exponentibus, agreſtium graviſſimæ erant, dictitantium, contra laudatam Friſiorum libertatem oppreſſos ſe, neque relictum quidquam, agros, aquas, gramina, triticum horreis ereptum, ademtas arbores domicilia propter, aut in agris ſuis natas, ademta armenta, butyrum, ova: imo ne contractus quidẽ ſervatos, qui omnium jure gentium valerent. In omnibus deminutum jus ſuum, aut graviſſima tributa impoſita: ipſos inſuper ſe intolerandis adeo miniſterijs oneratos, ut nulla Germaniæ, nulla alia gens (niſi ſub Principibus quibus in corpora quoque jus ſit) duriore conditione utatur. Diu ſuper his diſputato, ad ultimum Comes, ut Patres conciliandis partibus operam darent permiſit. Et fuit, quum multis contentionibus, tandem compoſita diſſidia ſunt. Sed poſtquam oblatæ Comiti conditiones, ut ſubſcriberet, multa mutare, & abnuere id ſibi animi fuiſſe. Exin cum ſola nobilitate in gratiam redit, cujus leviores querimoniæ, de venatione, piſcatu, & alluvionibus, alijſque id genus erant. Etenim quantum ad cætera, in tributis imperandis, in ruricolis ad ſua privatim miniſteria cogendis, mirè Comitis animo congruebant; à quo nihil acerbum adeo ſubditis imponebatur, quin ſine mora exemplum nobiles, in ſua quiſque ditione, ſequerentur, & ſæpe avaritiâ ſuperarent. Adeo ut agreſtium quidam, non niſi ære, nubendi veniam filiabus ſuis impetraverint; quia antequam Chriſtiana religio invaleſceret, receptum illis tractibus, ſponſas primò nobilium libidini tranſdere. Pacatâ nobilitate, etiam cum urbe in gratiam Comes revertitur; unde minora oppida, & ruricolæ, utrimque deſerti, penè in prædam ceſſere. Tametſi primo Comes, non ignarus juſta queri, componere eos, atque à cæteris avellere, tentaverat, quod ob fœderis vinculum abnuerant. Conditiones Emdanis datæ, congruebant pleræque pactis Delfſilanis, & Cæſaris reſcripto. Quæ Comes non, ut ſolitum, paucis verbis ſancivit, ſed repetitis pactorum capitibus, prolixas & longe arceſſitas verborum ambages intexuit, gratas urbi, aut ſuſpectas implexaſque nonnunquam, & novis materiem quæſtionibus daturas. Cæterum hæc diſſimulatione tramiſſa, quia concors Comiti nobilitas, difficultatum quaſcumque leviores faciebat. Dein quòd in urbe nonnulli, Comitis blandimentis permulcti; alij ſtudium pro libertate nitendi dimiſerant, ubi, invalido munimento, ob mobilitatem vulgi, ſe inſiſtere adverterunt. Oppidorum minora, Norda, Aurica, & ruricolæ, his pactis nihil præter ſpecioſas pollicitationes habuere, de tollendis oneribus, priuſquam Comes inauguraretur. Additum conditionibus erat, ut ſumtus in hanc litem à Comite & urbe, ad aulam Cæſaris, aut alijs locis facti, dein vetera Comitatus debita exſolverentur, quorum rationibus initis, compertum requiri duodecies centena millia florenorum. Et miſeri agreſtes, quamvis pactis pene excluſi, nihilominus in ferendis litis ſumtibus cæteris æquati ſunt. Nobilitas Comitem confeſtim, urbs quinis ſeniſve poſt hebdomadis inauguravit. Interjecto tempore, præparati Emdanorum animi, quaſi indecorum eſſet adigere Comitem arrectâ dexterâ juſiurandum dicere. Quippe perinde æſtimandum, ſi per famam atque honorem ſuum juraret. Cæſaris eum ſacramento obſtrictum, eique regiminis rationem reddere teneri. Abſurdum eſſe, ſubditis Principem jurare. Hunc in modum IV Kalend. Decembr. Emdæ inaugurationis ſolennia peraguntur, erecto tribunali, quod atratâ veſte circumdatum. Cancellarius, adſtante Comite, longam orationem habuit: mox poſtulato ejus juravere cum Senatu quadragintaviri, ſublatis, ut ſolitum, dexteris. Tum rurſum Cancellarius, Comitem in omnibus eos tutaturum, legeſque & quæcumque pacti eſſent, porrectâ dextera firmaturum dixit. Et nequis de fide ambigeret, ſtare Comitem aperto ſub cœlo, & populo omni coram conteſtari ſupremum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ Numen, æternamque Trinitatem, perinde promiſſa, quæ datâ dexterâ
xcix. firmaverit, quam juramentum, ſervaturum. Quæ verba rectè æſtimantibus juſiurandi inſtar, niſi quod non à Comite, ſed Cancellario prolata. Exin Comes, porrectâ Senatui & xl viris dextera, paucis, quæcumque Cancellarius dixerat, ſancivit. Secutæ epulæ, & comeſſationes, reſtitutæ amicitiæ ſigna. Quas inter complures ſigillatim Comes compellavit, repetens identidem adverſum ſe acta. Adjeci tamen, condonaturum omnia, unde plus timoris quam ſpei civibus. Weſterholtium Cancellarium paullo ante loco moverat, tanquam inviſum Emdanis, ſuffecto Francio Juriſconſulto Magdeburgenſi. At à Senatu carnificem, qui Groenium ac Kiſtemakerum gladio percuſſerat, urbe pelli, & conſpectu ſuo arceri poſtulavit, facile hinc ejus animum erga ſe conjectantibus ſupplicij autoribus. Guilhelmo Kniphuiſio Emdanam dedit præturam, qui acris ante civitatis defenſor, nunc eundem fervorem illi præſtabat: dubium quam ob cauſſam, ſeu quia ſupervacua jam ſimulatio, ſive in publica calamitate proprio quæſtu, & faſtigio tentato, Hagæ Comitis actorum memoriam novo in Comitem beneficio abolere nitebatur. Tranſijt quoque in partes Comitis Viſſcherus Conſul, princeps civitatis, & pluribus ad Cæſarem, ad Fœderatos Patres legationibus inclytus. Publice deinde utroque in templo ex umbone pronunciari Comes jubet, ad Paſchatis feſtum ſe in civitate manſurum, &, audiendis ſubditorum cunctis, daturum matutini temporis ſpatium, quod horas nonam ac decimam intercederet. Subinde & civium convivia ultro adijt, comitate, ac jocis, inter pocula, ſeque alioſque oblectans. Sed Menſoni concionatori iniquus hactenus fuit, donec ab Amſtelodamenſibus ad divini verbi miniſterium vocatum, cives dimittere abnuerunt: ex eo gratia & honore multo dignatus eſt. Decembri menſe cum nonnulli Ducis Brunſvicenſis milites, qui Hiſpanorum metu copias retinebat, Weſtphaliam, & propinqua Orientali Friſiæ adiiſſent, Comes cauſſam cepit, recognoſcendi ruricolas, novumque Emdæ militem ſcribendi. Cui nobiles quatuor, Emdanam ditionem defenſuros præfecit, datis adiutoribus Heremâ Broerſmâ, Burſmaniaque præfectis militaribus, qui nuper Hiſpani ſtipendia fecerant. Agreſtium ſigniferum, ferocius loquentem, militum duo adgreſſi, in urbe confoderunt. Propinqui Ennonem, ut doli machinatorem, ſuſpectabant: ſed tormenta in reos poſcentes, haud impetravere, & militum, qui cædem patraverat, gladio percuſſus, honeſtâque decoratus ſepultura; alter in exilium actus eſt. A Britanniæ Reginâ neque Belgis ulla hoc anno auxilia, nec damni quidquam Hiſpano: ſupervacuo & injuſto bello tempus ac facultates trivit, contra Hibernos, gentem nudam, nulli finitimorum noxiam, ſed libertatis patriæ cuſtodem. Patentia loca Eſſexius tenebat, agebatque huc illuc militem, cogendis ad prælium Hibernis, magniſque pollicitationibus & gratiæ ſpe transfugas invitabat: inridentibus Hibernis vilia transfugij pretia, quorum non unus alicujus inter ſuos loci ad eum venit. ſummo ſtudio prælium vitabant, velitando aut inopinis incurſibus bellantes, & cedentibus tutiſſimum perfugium ſylvæ ac paludes erant. Ea belli ratio non hominum modo ingentem turbam hauriebat, ſed & culti in Britannia agri ad urbium portas, & maritimam uſque oram vaſtabantur, liberiùs vagantibus Hibernis, quòd agriculturæ neſcios, ſua egeſtas ab vaſtitatis metu ſecuros faciebat. Cliffordium Tribunum cum bis mille Anglis ſexcenti Hiberni conciderunt. Cæſus quoque Hatingtonus, cæterum hîc clade fuga fœdior fuit, adeo ut reverſorum decimum quemque Eſſexius capite multaverit. Qui ubi illis Hiberniæ tractibus nihil ſuis laboribus reliquum vidit, navibus omnem exercitum, non ſine difficultate & ſumtibus magnis,

in Septen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

in Septentrionalem oram tranſmittit: & poſtquam ne illic quidem plus ſpei, inducias facit cum Tir-oeno, Hibernorum duce, qui colloquio poſtulato ad Eſſexium veniens, firmavit, invitum ſe ad arma compulſum, ob inſidias vitæ ſuæ ſtructas ab eo qui Prorege gentem obtineret. Eo ſi metu liberaretur, in obſequium Reginę ad extremum uſque ſpiritum duraturum, etiam redituram gentilibus ſuis quietem, ſi patratorum venia daretur. Igitur factæ induciæ ad Kalend. uſque Majas, ſic ut fine cujuſque ſeſquimeſtris temporis, & his, & illis, recedere liceret. Additum, non valituras, niſi Reginæ probatu. Quæ indigne adeo tulit, ut Eſſexium confeſtim ex Hibernia ad aulam properantem, congreſſibus ſuis arcuerit, & Cancellarij ædibus velut captivum claudi juſſerit. Ex eo priſtinus amor ceſſit in alta ſuſpicionum, & metuere femina, ne conceſſo faſtigio in diminutionem ſuam abuteretur. Etenim jam huc perducta res erat, ut Reginâ cum Eſſexio in publicum prodeunte, fauſtas quoque in illum comprecationes populus adjiceret. Hinc inſurgere altius, & pluſquam civilia agitare, unde alimenta ſuſpicionibus Reginæ. Ille belli haudquaquam neceſſarij primus autor fuerat, ut juſti exercitus imperium haberet, & militum ſibi conciliaret ſtudia. Exceptæ amicorum ejus voces erant, compoſitam Hibernorum gentem abunde facultatum & hominum daturam ſubjugandis Britannis. Quod interpretabantur, tanquam Scotorum ſimul Anglorumque dominationem affectaret. Ille quoſcunque acceptos Reginæ videret opprimere: adeo ut graviſſima in Verium odia ſuſceperit, non aliam ob cauſſam, quam quia, ob ſummam experientiam, de aptis Hibernorum bello ducibus, ſe inconſulto, eum ab Regina interrogatum intellexerat. In Hiberniam contendens pactus erat, ut quandocunque, & quoties libuiſſet, Londinum etiam non vocatus remeare, & militares præfectos creare pro arbitrio, aut movere ordinibus poſſet. Unde nonnullos à Regina commendatos præterijt, delectis ſuæ familiæ hominibus. *Suidthamtoniæ Comitem equitatu, peditibus Rutlandiæ Comitem, caſtris Blondum* præpoſuit. Quorum ille cognatam, privignam alter, Blondus matrem Eſſexij in matrimonio habebat. Hæc alte adeo animum Reginæ penetrarunt, ut omnibus his munere dimotis, alios ſufficeret, ac mandatorum partem reſcinderet; Eſſexium per officium, per jurejurandum, quo Britanniæ adſtringeretur, conteſtata, ne Hibernia, niſi vocatus, excederet. Ille tamen fretus prioribus codicillis, Reginæ manu & ſigillo firmatis, redijt in aulam, inimicorum impulſu antè conceſſa Reginam revocaſſe, & facile præſentiâ ſuâ opprimi illos poſſe ratus: ſed ſpem exitus fefellit. Etenim atrium more ſolito, quamvis obnitente, quæ fores ad pulſum patefecerat muliere, ingreſſus, humano quidem, cæterum brevi reſponſo à Regina ad Conſilium remiſſus eſt. Ubi monitus, in quis officij limites exiviſſet, & defenſione poſtulatâ, abnuit eò ſe humilitatis demittere, apertè dictitans, non Conſilio, ſed Reginâ corã, purgare ſe velle. Quæ, cognitâ re, coërceri eum ædibus ſuis jubet, & cum leve id æſtimans Eſſexius, pro feneſtris Reginæ identidem obambularet, ne id quidem dandum rata, Cancellarij eum domo includi, omniumque prohiberi congreſſibus mandat. Exin à Conſilio accuſatus in ſupremo Britanniæ judicum conſeſſu. Objiciebant, data ei ab Regina peditum millia XVI, equites mille trecentos, non accenſis, qui è Britannica & Hibernica nobilitate voluntarij in exercitu fuiſſent: datas machinas XII, veſtimenta militaria hiberno frigori, aut æſtu tolerando apta, millia unum & XX; ad hæc quingenta & decem millia florenorum, trium ſtipendia menſium, totidem menſium annonam, trecentis & decem florenorum millibus emtam; & quæcumque alia bello forent uſui, promtè adeo ſuppeditata, ut Reginæ liberalitatem ipſe jactare ſolitus eſſet: quippe quæ

CIↃIↃ XCIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ XCIX. quæ tribus ante menſibus à commeatu pecunijſque exercitui providiſſet, quas Hiſpaniarum Rex, Europæ Principum ditiſſimus, ne poſt diem quidem ſolveret, unde militem ſeditioſum ſæpius haberet. Nihilominus, tantis viribus, quîs terrore ſe univerſum terræ orbem quaſſaturum, gloriatus fuiſſet, nihil ab eo memorabile, nihil utile geſtum; prodactas facultates, non accepta Ormontij vicarij conſilia; & adverſum Reginæ mandata (quæ Ulſteranam peti ditionem, & Tir-oeno rebellionis præripi alimenta præcepiſſet) Monaſterianum ab eo agrum petitum. Aprili menſe Hiberniam, Auguſto demum Ulſteranam partem ingreſſum. Interea Hatingtono & Cliffordo cæſis, quorum hunc, (quo major ignominia) ruſtici filius ſuperaviſſet, adeo deminutum regium exercitum, ut tria, nec amplius, millia contineret; & Tir-oenum rebellem eò arrogantiæ proceſſiſſe, ut indignas Reginâ conditiones petere non dubitarit, non modò veniâ omnibus rebellionis ſocijs, verùm & ſibi Donceli titulo poſtulato; qui proditionem juxta gentis legibus æſtimetur: & Tir-oeno, ſi adipiſceretur, jus futurum in alios tractus, familijs ſuâ haud inferioribus habitatos. Flagitaſſe inſuper Miſſæ, & Romanenſium cæremoniarum exercitia; quod ne quidem, ſi vitâ cedendum ſit, Reginam toleraturam. Traxit quoque in crimen Conſilium, quòd Tir-oenus mox poſt Eſſexij diſceſſum, & prius quam de captivitate ejus intelligere potuiſſet, Warrino, amicorum fidiſſimo, firmaviſſet, ſperare ſe brevi Britanniæ partem in poteſtate habiturum. Hinc arcanæ ejus conſcientiæ illigatum Eſſexium conjectabant: addebantque veri ſpeciem, ex ipſius vocibus, quîs Hibernorum vicem dolens, ſuperbe crudeliterque imperatum dictitaverat, additâ ſpe æquioris imperij, ac recipiendi, quæcunque in fiſcum redacta amiſerant, quod adverſum famæ Henrici Regis: quippe illum pleraque Hibernis erepta Anglis nobilibus collocaſſe. Objectari quoque Eſſexio, diſperſos in vulgus libellos factioſos, tanquam rerum graviſſima otioſe Regina tranſmitteret, militum exiguam haberet curam, eâque re in Hibernia ſucceſſum belli morata eſſet. At ſatis, quæ antè memoraſſent, ſollicitudines Reginæ oſtendere. Fuiſſe Eſſexio, quum reverteretur, parati æris millia florenorũ quingenta, & xxv, ſuper trecenta millia, quæ diſcedenti donaſſet Regina; unde ſatis approbari, quo illum, quo milites loco haberet. Falſo libellorum autores in eam rejicere, quicquid Eſſexius deliquiſſet. Illum tricies centena florenorum millia ſeptenis menſibus profligaſſe. Reginam in Gallijs aut Belgica nunquam parcè, nedum avare, bellum geſſiſſe. Ab anno MDLXXXIIIX tercenties & quadragies centena florenorum millia militaribus eam uſibus impendiſſe. Hunc in modum, quicquid premendo Eſſexio opportunum, vera, falſa, conquirebantur. Amicorum ejus languere alij, alij palam deficere, & Reginæ inclinationem ſequi. Æmuli & obtrectatores ante ob metum florentis ſilentes, eò nunc acerbiùs loqui, & nonnulla etiam laudabilia in pejus trahere. Quis victus malis, & menſes nonnullos domo Cancellarij clauſus, valetudine afficitur; ac Regina veterem rurſum ad caritatem redire, languentiſque miſereri cœpit, ciborum lectiſſima quæque & aromatis condita ſubinde de menſa ſua ægrotanti ſubmittens. Tandem & exemtus Cancellarij ædibus, propriâ ſe domo continere jubetur. Reginam jam ineunte hoc anno ad pacem Hiſpaniarum Rex & Albertus ſollicitaverant; adeò non averſam, ut legatos totam æſtatem Londini retentos, ſæpe promtè ſatis audiret. Britannos centuriones, qui mari militabant, ſolis nocere Hiſpanis, eorumque ſubditis, in pacatos temperare injurijs juſſerat. Qua re navigatio in Hiſpanias, hactenus edictis ejus prohibita, cuique patebat. Comberlandiæ Comes, qui ſuperiore anno validâ cum claſſe Oceanum pervagatus multa Hiſpanis in orbe Americano

damna

damna intulerat, navium duas, quas pulcherrimas habebat, rei maritimæ cIↄIↄ
apud Belgas præfectis vendiderat: ipſe totam æſtatem in Britannia otioſe xcix.
exigens: unde novus Patribus metus, ne bellum ſolis ſibi deinceps geren-
dum eſſet. Regina tamen apparatus belli à Patribus inſtitutos probare, &
tollere laudibus, quòd diverſo à priori conſilio, abrumperent commercia,
armiſque non in Belgica modò, ſed in Hiſpanijs quoque, laceſſere regem
molirentur. Quin & Patres de Hiſpanorum claſſe, quæ certò compere-
rant, nunciare, & revocare ſibi in memoriam, quod ſæpius ante firmare ſo-
lebat, nunquam intentioribus curis agitandum, quam cum de pace loque-
rentur Hiſpani, adeo recte accepit, ut Carronum, (eum in Britannia rerum
ſuarum actorem Patres habebant) comitate ſupra ſolitum proſecuta ſit;
ejuſque in ædes, quod honoris perraro exteris legatis tribuere conſuêrat,
ad epulas non vocata venerit, majori inter cibos hilaritate, quam vidiſſe
quiſquam meminerat. Etiam Belgas qui Londini mercaturam exercebant
benignius habuit, & grates Patribus per Verium, ob ſubmiſſa navium auxi-
lia egit, aperte addito, Fœderatorum claſſem averſos à Britannia Hiſpanos
in Americam traxiſſe. Præter hæc impulſu ejus Londinenſes merca-
tores denas armavere naves, Indiam petituras, quo mercium ijs tractibus
frequentium partem, & fructus caperent: quod pace cum Hiſpano inita
fieri nequibat. Hæc reputantes ſperabant Patres perſeveraturam in bello
Reginam. Sed diverſa è Brabantia in Hollandiam rumores ferebant.
Quippe Albertus, jam conveniſſe cum Reginâ pacem ſpargebat, ſeque pa-
ratum liberales adeo conditiones in legum, in religionis negotio Belgis
concedere, ut continuandi belli nullum deinceps obtentum, nedum cauſ-
ſam adferre poſſent. Sed ad Patres nec de pace ſcripſit, nec per alium de-
nunciari juſſit, id modo agitans, ut in ſpe ſuos teneret, Fœderatas natio-
nes languore perfunderet. Pari modo Cæſar perſuadere Germanis Princi-
pibus nitebatur, pacem cum Rege Britannos Belgaſque facturos, quo à
bello deterreret eos periculum oſtentando, ne omnis in eos moles recide-
ret. Itaque, occaſione utendum ratus, Salentinum, quondam Colonien-
ſium Electorem, cum Hermanno Comite Manderſcheitio, & Carolo Nut-
zelo, ad Fœderatos Patres mittit: ij præmiſſis viatoribus, ut impune venire
liceret, petiere. Reſpondent Patres, gnara ſibi quæcumque afferrent le-
gati, multumque mirari, eſſe adhuc in Germania, qui Hiſpanorum ſuſcipe-
re cauſſam velint, quando ne ipſi quidem Imperio erepta per vim loca
reddidiſſent, aut de injurijs ſatisfeciſſent. Igitur misêre exempla reſponſi
Cæſareis legatis à ſe anno MDXCI. & inſequente anno, Dynaſtæ Reidano
dati. Item quæ biennio poſt Erneſto, exin Imperij delegatis Moguntino,
& Saltzburgenſi Epiſcopo, Saxoniæ Duci, Philippo Ludovico Comiti Pa-
latino, urbibuſque Noribergæ Coloniæque, & Poloniæ, ac Daniæ Regum
legatis, denique ipſi Nutzelo reſponderant. *Satis tunc oſtendiſſe, quid de
pace ſentirent; neque nunc mutandæ ſententiæ vel leviſſimam cauſſam. Et ut
olim, ita in præſens quoque, de pace per diverſa deſperare; quando novus Rex,
& Albertus, in prohibendâ navigatione, in tollendis commercijs, cuſtodiæ intru-
dendis duriſſimeque habendis innumeris nautis, alijſque hominibus, in violanda
fide, & plurimis id genus facinoribus, crudelitatem ille patris, hic ſoceri, longe
anteveniſſent. Quin ipſum dotale inſtrumentum Archiducis; arcana Regis, &
ſuprema, quæ jam moriens filio reliquiſſet mandata; & codicillos, quîs pactum fo-
ret, ut abducto externo milite quatuor ſemper urbes Principes Hiſpanis inſideren-
tur, manifeſtò declarare, in magni momenti rebus, Hiſpanorum conſilijs, & lu-
bidini, Albertum obnoxium, terras ſuas nonniſi ut feudum poſſidere, & ſucceſſo-
res Hiſpanorum poteſtati ſubdidiſſe; ipſique præreptam poteſtatem, quicquam in
religione, in legibus, aut libertate largiendi.* Exitus reſponſi fuit, tam Imperio,

CIↃIↃ XCIX. quàm Fœderatis Patribus, noxium eſſe de pace colloquium, ſupervacuas itinerum impenſas, inutilem laborem. Itaque nec tuti itineris literas miſêre, rati Cæſarem, lecto reſponſo, boni conſulturum, quòd legatos ſuos eo labore levaviſſent. Hunc in modum ſpreta, quæ Cæſar monuerat; nec ille vacabat partium ſtudio, in cauſſa fratris Alberti, & rarò de pace quidquam propoſuit, quin contrarijs factis ſuſpectum ſemet redderet. Nam eodem tempore non dubitavit ſollicitare Argentinenſes, ut Pontificijs unum in urbe ſua templum tranſderent: dein quoque ſciſſo diverſa in ſtudia Eccleſiaſticorum eadem in urbe collegio, Pontificijs, Metenſi Cardinali Epiſcopatum civitatis ſuæ deferentibus, acceſſit, omnemque ei ditionem attribuit, quòd vergenti ætate Metenſis, & haud diu ſuperfuturus, adiutorem ſibi & ſucceſſorem delegerat Leopoldum, Auſtriæ Archiducem. Dein & Brandeburgicum, quem Auguſtanæ partes Epiſcopum creaverant, omittere cœpta, & quæcumque tenebat loca Metenſi reſtituere juſſit. Hæc in Germania: cæterum magis cordi Patribus erant nutantes Britannorum animi. Reputabant, quantopere vires convulſæ eſſent pace Gallorum, quorum fœderi innixa plebes fuerat: at nunc, Britannis quoque bello abſiſtentibus, omnia forſan in præceps itura. Hæc ſpem metumque inter animos ſuſpendebant. Donec ad ultimum veniens ex Anglia Carronus, indicavit Patribus apertè ſibi denuntiaſſe Reginam, compelli ſe ad pacem, partim querelis ſubditorum, qui diutiùs navigatione & commercijs Hiſpanicis carere nequirent: partim ob ſecuritatem regij faſtigij: quippe vereri, nequis (Eſſexium deſignabat) etiam ſe ſuperſtite, eo abutatur. Fœderatis tamen Patribus conſulere, uti gnaviter pertendant, libertatem ſuam tutentur, neque alterius ſe imperio ſubjiciant. Etenim formidoloſum ſibi, ſi Galliarum Regi imperium deferatur: ut verò Archiduces Belgarum potiantur, nullo modo paſſuram. Quod ſi omnino Principem deligere fixum ijs ſit, ſanè non alteri quàm Mauritio id dignitatis ſe optare. Nequaquam dimittendos Fœderatis animos, quamvis pacem ipſa faciat: etenim domeſticâ quiete, habituram ſe opportunitatem augendis auxilijs. Nuper quidem neceſſitate rerum præſtitas pecunias acrius ſe repetiviſſe, & navium auxilia, quis ipſi Patres eguiſſent, poſtulaſſe denique & Verij ac Britannici militis intempeſtivâ revocatione, Belgici exercitus vires infregiſſe: ſed ceſſatura in poſterum hæc incommoda, & utilitatibus incrementum ex otio ſuo fore. Videbatur non ingratum Patribus accidiſſe, tam apertè, quę meditabatur, Reginam denuntiare: fortioris animi ſpeciem præbuere: nam quę Salentino reſponſa memoravimus, jam cognitis Reginę conſilijs facta ſunt. Non abnuerim tamen, privatim viros primores triſtitiâ fuiſſe perturbatos: ſed nationum aut urbium nullę perculſę, præter Zelandos; qui ſoli, non obſcuris indicijs, inclinatos ſe ad pacem cum Alberto faciundam oſtendebant. At Hollandi, invicto animo, poſtulata Senatus de novis tributis promtiſſimè accepere, quamquam longè graviora ſuperioris anni oneribus, quę ipſa tanta fuerant, ut ſeditionis ſpem hoſtis concepiſſet. Quæ verò hoc anno ab ſolis Hollandis exacta ſunt, millia ducenta ſeptuaginta ſex, & nongentos ac ſexaginta duos florenos confecere. Univerſe quæ ex quinque nationibus Hollandis, Zelandis, Ultrajectinis, Friſijs, Groninganis & Omlandis collecta, fuerunt millia quadringenta ſexaginta quatuor minus undetriginta florenis. Tum & capitatio redintegrata, relatique in indicem quicumque pecunias conferebant, duplicando, aut triplicando cujuſque, ſi neceſſitas popoſciſſet, oneri. Id exemplum opulentiorum nationum utile fuit, infirmioribus incitandis. Singulari autem Numinis beneficio accidit, ne Regina Majo menſe anni MDXCVIII à fœdere cum Gallis ſimul abſcederet; quod, humano judicio, exitiabile Belgis fuiſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſet. Etiam Auguſtani Germaniæ Principes aurem præbebant ſermonibus, quos de mutatione rerum apud Britannos Belgaſque oritura Cæſar habebat. Reputabant ſecum, cœptam molem, ſolis ſibi ſuſtinendam. Scripſeratque fortè per idem tempus Albertus acres Colonienſibus literas, interjectis in Germanos Principes minis, quorum nonnullos Imperij Cæſariſque nomine abuſos, pacis atque otij odio hoſtiliter ſe invaſiſſe dictitabat: addito, durare ſibi injuriarum memoriam, & ulturum in tempore. Dux Brunſvicenſis & Haſſiæ Comes in gratiam rediere. Elector Palatinus, datis per Anholdium Principem literis ad Guilhelmum Naſſovium, quis rerum ſtatus eſſet, exquiſivit. Et comperto, ambiguas Britannorum res, ſed de Belgis ſpem eſſe in bello perſeveraturos, brevi deliberato, Johannem Naſſovium, Guilhelmi fratrem, ad Patres miſit, denuntians, ſe, Principumque alios, pecunias coacturos ſuſtentandis peditum denis, equitum duobus millibus, ac ſtipendia per tres menſes ſoluturos. Poſtea duorum menſium æs Patres ſufficerent, copiaſque ſuas omnes, cum bellico apparatu huic militi jungerent, Reſæ ac Berkæ ante omnia expugnandis. Exin totis viribus ituros quocumque Patres voluiſſent: quibus ſi grave foret, eam pecuniam largiri, non abnuere ſe reſtitutionem certis penſionibus. Poſtulabant quoque, ut æternum cum Imperio fœdus Patres facerent, ac confecto Belgarum bello, æs adverſum Turcas conferrent, nunc autem Imperio caſtellum Schenckianum reſtituerent. Patres non ſine Numine ſibi, deſtituentibus Anglis, nova auxilia offerri reputantes, & Germanorum ope patrari poſſe bellum, quod ſolis eorum auxilijs Arauſionenſis cœperat, promtè obtulere (tametſi tributorum onera, ut ſuprà demonſtratum, graviſſima erant) quadringenta ſe florenorum millia Germanis ſubmiſſuros, biennij ſpatio ſolvenda: & militum millia VIII, equitum bina eorum exercitui adjuncturos: quin alijs etiam locis modicas, diſtinendo hoſti copias alere, & dare tormenta velle, cæteraſque belli neceſſitates, florenorum millibus octingentis conſtituras; deinde & navales pontes duos, quina & XX florenorum millia, per menſes quinque alendis foſſoribus, alijſque ſumtibus faciundis. Petebant inſuper, ut Palatinus ſuper ſtipendia, pyrium pulverem, globos, glandes, aliaque bello neceſſaria, XV aut duodena Germanicorum florenorum millia quotmenſibus, pari ſpatio, procuraret: copiarum numerum tertiâ parte augeret, & nequa, ut antè, confuſio oriretur, imperium aut adminiſtraret ipſe, aut alteri transferet, non certis mandatis adſtricto, verum liberæ poteſtatis, qui pro tempore, pro re, conſilium caperet. Convenit dein, ut Germanico in ſolo Elector, aut quem is exercitui præfeciſſet; in Belgarum ditione ſupremum imperium Mauritius haberet: videlicet ut in Germanico ſolo Palatini vicarius mandata & conſilium ſuum ſoli Mauritio, ille militibus ſuis aperiret. Eandem viam Mauritius in Belgica ditione cum Germanorum duce inſiſteret. Poſtulata de fœdere, & pecunijs ad Turcarum bellum conferendis, de reſtitutione caſtelli Schenckiani, quia majoris momenti, & cum nationum ſingulis communicanda erant, in aliud tempus, & occaſionem dilata. At Hiſpani, mox poſt diſceſſum Joannis Naſſovij, Reſâ urbe exceſſerunt. Quamobrem Patres, prævidentes, Albertum, ſubdolâ reſtitutione oppidorum Imperij, quæ per Colonienſes Cliviosque, in ſua pronos, omni tempore recipere poſſet, Germanorum ardorem ſtudiumque fortaſſis omne extincturum, neque tunc ullam belli juſtam ſpeciem eos habituros; Naſſovium rogavere, ut, ſi id eveniret, Germani pacatorum inſtar, & quieti agitantes, occultè pecunijs Patres juvarent; promittere tot curis Archiducem ſe diſtricturos, ut propriorum curâ, minas Germanis intentatas facilè obliviſcatur. Berkam Hiſpani retinuerunt, tranſlato illuc ponte navali, CIↃIↃ XCIX.

 machinis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ machinis, & reliquo belli paratu, denique & præſidio Rheſano: ac ſeditioſos, numerato ſtipendio, dimiſerunt, manifeſto indicio, oppidum eos,
xcix. ut in poteſtate Rhenum haberent, reſervaturos. Simul cauſſam Patribus dedere Emmericam retinendi. Sed Germani Principes tam Emmericâ quam Orſoiâ militem ſuum evocavere, quo ſumtibus parcerent. Emmerica in manu Patrum relicta eſt. Brunſvicenſis Dux, ſine morâ, bellum adverſus Brunſvicum orſus eſt. Interea Galliarum Rex cuncta ſua ad habendam quietem, ſervandamque cum Hiſpano pacem, dirigebat: quo fine ſororem quoque ſuam filio Lotharingiæ Ducis, in Hiſpanum jam pridem proni, conjugem dedit, firmioris amicitiæ vinculum. Illa Reformatorum ſacra palam amplectebatur. Lotharingus Pontificijs addictus, ſummo in honore Jeſuitas habebat, qui multo ſtudio ſuam in religionem trahere ſororem Regis nitebantur. Ipſe Henricus defunctâ, non ſine gaudio multorum, Gabrielâ, Florentini Ducis propinquam ambiebat, Pontificis approbationem poſtulans; interea libidinibus explendis novam pellicem Eutrachiam delegerat. At edictum, de tolerandis diverſum circa divina ſentientibus, publicare ſeriò laboravit; quod primùm Parlamento, dein ærarij curatoribus acriter obſiſtentibus, prid. Kal. Majas Pariſijs promulgatum, mox & Aureliæ ac Rothomagi. Tholoſanus, Burdegalenſis, ac Rhedonenſis in Britannia conſeſſus, acerrimè reſtiterunt: quorum hi tyrannicum appellare edictum auſi, effecere, ut eo ex conſeſſu nonnullos Lutetiam Pariſiorum Rex evocaret. Rei potiſſima in eo verſabantur, ut Pontificiorum ſacra cunctis in urbibus, palam; Reformatorum in quibuſdam exercerentur; relictâ cuique libertate in divinis opinionem quam vellet fovendi. Denique ut in juridicos conſeſſus æquali numero ex utraque religione homines admitterentur. Hujus edicti autoritate permiſſum denuò Pontificijs cæremonias & ſacra ſua Rupellæ celebrare. Et quanquam Jeſuitarum nulla erat mentio facta, paullatim tamen ij hic illic, etiam tractibus in quîs ante non fuerant, rurſus inrepere. Multa præter hæc utilia & æqua admodum Rex conſtituit, ac lege immanem luxum ſumtuſque coërcuit; fiſci proventus Præfectis Provinciarum, qui pro lubidine ſuâ eis abutebantur, eripuit; ipſos militem dimittere compulit: ſolique Regi armatorum millia aliquot fuere, vi ad obſequia adigendis qui minus obtemperarent. His rebus colligere pecunias, & paullatim debita diſſolvere cœpit. Singulis vini, quæ exportarentur, dolijs, coronatos ſex impoſuit. Quod ubi Alberto cognitum, ſubtrahendis Regi, quæ hinc capiebat, emolumentis, vina petere ex Gallijs ſubditos ſuos prohibuit, exſpectare jubens donec ultro ab Gallis adveherentur. Per idem tempus Lanovius cum duobus Gallorum millibus in Patrum militiam venit: & Hiſpanico legato adverſari id pacis legibus querenti, Rex reſpondit, nobiles eſſe, alioſque Reformatæ religionis, quorum ſtrenuâ in bello operâ adverſum conjuratos ſacri Fœderis uſus fuiſſet. Attritas ea re illorum facultates, neque ſe ſarcire detrimenta poſſe, eoque lætari quod alias oras peterent. Si Pontificiorum legionem Hiſpaniarum Rex velit, lubentem ſe daturum. Nihilominus Lanovium cum ſuis abſiſtere cœptis juſſit, nec parêret an perſeveraret multum inquiſivit. Multis id genus alijs indicijs ſuam Patribus voluntatem ſignificans, duabus penſionibus ducenta ijs coronatorum millia tranſmiſit: monuitque ditionis ſuæ emporia, ut menſes quatuor navigatione in Hiſpanias abſtinerent; quod ſi neglectis præceptis damna à Fœderatis paterentur, nullum querelis locum fore. Poſtea Alberto Hollandorum merces terris ſuis prohibente, ut ſaiarum (texti è lana genus eſt) ac ſerici nothi (quod vulgus tripam nuncupat) mercatum in Flandriam traheret; etiam Flandros Rex ſperato quæſtu ſpoliavit, interdicto ne quis id genus merces in Gal-

in Galliam deportaret. Addidit obtentum, quaſi opificia ea Gallos addi-
ſcere, indeque victum ſibi quærere vellet. Etiam Patrum poſtulatis de- cIↄIↄ
dit, ut naves quæcumque portus ab ortu Samaræ amni ſitos adirent, idem XCIX.
in Belgica vectigal penderent, quod in Flandria, ac hoſtilibus portibus
pendebant: prohibendis mercatorum fraudibus, qui Caletum, Diepam,
alioſque pacatos ſe portus petere ſimulantes, proxima hoſtium loca adi-
bant. In Septentrione Polonorum Rex, cujus in manu portus & arx Cal-
marienſis erat, novum Carolo Duci bellum minitabatur, inclinantibus
huc Polonis, eâ lege, ut utrumque regnum æterno vinculo Rex conjun-
geret. Ea res Carolum exſtimulavit, ut ſocios novos, & præſidium rebus
ſuis quæreret. Itaque honorâ legatione Patribus Mauritioque obtulit de-
na ſe peditum millia, ad menſes ſex Patrum commodo aliturum, ſi mili-
tis aliquantum ſine mora & imprimis bellicas naves ſubmitterent. Sed
longè nimis abſita hæc ſocietas, & domi onera graviſſima Patribus erant.
Carolus Calmariam obſedit atque in deditionem accepit, poſtquam na-
vibus ſuccurrere Sigiſmundus incaſſum tentaverat. Qui eodem tempore
per Eduardum Fortunatum, Badenſem Marchionem, præfectos arci ad
Codanum ſinum corrumpere auro adniſus eſt. Sed Fortunatum Daniæ
Rex in vincula conjecit, moxque dimiſit. Autumno bellicas naves octo-
nas, & mille milites emiſit, ſpe potiundi Elſburgo, Livonum arce: quo
parum ſuccedente, jam in tuto res Caroli, & extra periculum Sueciæ poſ-
ſeſſio videbatur: auctaque ſecuritas, inſequenti menſe Martio, detectâ quo-
rundam nobilium cum Poloniæ Rege conjuratione, qui in Procerum con-
ventu accuſati, atque à judicibus ex ſingulis nationibus delectis, damna-
ti, & gladio percuſſi ſunt. Ipſe ab ijſdem primoribus ad ſuſcipiendum re-
gale faſtigium ſollicitatus, tres menſes deliberationi petijt. Fœcundum
hunc annum, Dei munere, omnis pene Europa habuit. Matura ſupra ſoli-
tum æſtas ipſis Kalend. Aprilis jam viridantia in paſcua armenta expule-
rat; quod apud Hollandos Friſioſque rarum ante Maium menſem. Reper-
ti ſane frumenti ac tritici culmi, tredecim, & eo pluribus ariſtis uberes.
In Geldria frumenti modius ſuperiorum temporum menſuram XVI libra-
rum pondere ſuperavit. Ibidem viſæ Kalend. Auguſti maturæ uvæ,
quod etiam ſuperioribus ad Rhenum locis perquam rarum. Galli quos
annotina egeſtas ex Hollandia commeatus petere adegerat, naves tritico
hordeoque onuſtas in Belgicam miſere. Nihilominus cara ut ante anno-
na fuit. Et incredibilis murium vis, poſt meſſem multiplicata, pluribus
locis horrea exhauſit. Eæ ſemina ſub hyemem arvis inlata abſumſere, ut
ſæpe iterum tertioque conſerendus idem ager fuerit. Acceſſit huic malo
peſtilentia, ſed haudquaquam conferenda illi, quæ proximis annis Ger-
manos, Gallos, Hiſpanoſque vexaverat. Olyſſipone anno MDXCVIII
centum L hominum millia interiverant. Sed imprimis memoranda quæ
ex Africa redeuntes narrabant, Marocci quaterna ſæpe, ſæpe ſena de-
functorum millia ſingulis diebus numerata. Non multo pauciores Feſſæ
extinctos. Sueſam urbem uſque adeo lue exhauſtam, ut qui ſupererant
invalidis ad portarum cuſtodiam, digreſſi Atlante monte latrones oppreſ-
ſerint, direptiſque veſtibus & ſuppellectili, peſtilentiam circumjectis lo-
cis intulerint, qua hominum decies centena millia perijſſent. Apud Cli-
vios ob graſſantem luem ambigebatur, quis locus celebrandis Ducis nu-
ptijs deligeretur. Ille jam à furore quomodocumque convaluerat, & Lo-
tharingiæ Ducis filia, in matrimonium adſcita, Cliviæ peragi ſolennia nu-
ptiarum cupiebat; Duſſeldorpium, veterem cuſtodiam, ubi inclemen-
ter adeo habitus, repetere abnuens. Sed Senatus, qui propinquum adeo
Fœderatis Ducem agitare nolebat, terruit ſponſam, ne Cliviam iret, ſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ xcix. ullis locis, ibi atrocem in modum valeſcere peſtilentiam dictitans. Poſt varia contentionum tandem Duci Duſſeldorpium proficiſcendum fuit. Quam vix attigerat, quum is quem aulæ procuratorem ſponſa habebat, alijque aulicorum, contactu luis periere. Itaque rurſum mutato loco Hambachij ſolennes cæremoniæ, & nuptiarum læta tranſiguntur, pompâ & impenſis exiguis, ob egeſtatem gentis, quæ tanta, ut & medicus, qui menti Ducem reſtituerat, debitâ mercede fraudaretur. Romæ tranſigendo Jubilæo ſe Pontifex parabat, compluribus ſiniſtra Italis ominantibus, quîs jam olim obſervatæ Tiberis inundationes, ut portenta malorum. Nam Natali Servatoris anno MDXCVIII graviſſimè Tiberis abundaverat. Et noviſſimè anno MDXCIX paucis hebdomadis ante idem feſtum, Romam, & circumjecta, terræ motus aliquamdiu quaſſavit, domos non paucas, & inter cætera integrum oppidulum evertit. Triduo ante Natalem Chriſti horrenda tempeſtas exorta, auditi tonitruum, ventorumque ſonores, conſpecta fulgura, & Urbs ducentis locis de cœlo tacta. Monachus Pontificiæ religionis, egregius eruditione, & incenſus ſtudio homines convertendi ad ſua ſacra, Genevam ierat. Cæterum aliorum argumentis evictus, Reformatam ibidem religionem publice ſuſcepit, & eodem conſilio Romam contendens, ut Pontificem & Cardinales, quos inſcitiâ errare ac inauditos damnare judicabat, ad ſanitatem revocaret: ſed paucis conventui ſui Monachis ad veram circa ſacra opinionem tranſductis, cum ijſdem, ut hæreticus, crematus eſt.

FINIS LIBRI XVI.

EVERARDI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

EVERARDI REIDANI ANNALIUM LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

AEris inopia, fraudatus ſtipendijs miles Hiſpanus ſeditionem induit: nec minus arctæ Patrum res. Quas fortiter Hollandi diſſimulant, languentibus Zelandis. Friſij ad ferenda onera belli imprompti, de cenſibus inter ſe diſputant. Wachtendonca à Ludovico Naſſovio in poteſtatem redigitur. Breautæi cum Leckerbetio certamen. Belgarum claſſis in patriam revertitur; quæ, quantaque egerit. Laurentius Bickerus Hiſpanorum manibus ereptus. Crepicordij & Hamondæ mota ſeditio. Crepicordium, Batenburgum, & caſtellum Andreanum ſubiguntur. Groningani cives ob non collatas in publicum pecunias exarmantur, & caſtellum urbi imponitur. Friſiorum contentiones ardeſcunt. Delegati Oſtergoæ & Weſtergoæ Franequeram ſecedentes, apud judices accuſantur. Sed octo arbitrorum arbitrio lis finitur. Ambitio in Friſiorum conventu regnat. Palatinus Comes fervidus, Imperij Principes, atque Electores, qui Auguſtana ſacra foverent, ad ſubmittendas Fœderatis pecunias fruſtra hortatur. Albertus per legatos illata Imperio detrimenta apud Germanos excuſat. Cæſaris legati ad pacem, aut inducias, Patres hortantur. Eodem fine legati à Brabantis ac Flandris veniunt. Albertus Archidux ſubditos graviſſimis cenſibus onerat. Patres, adverſante quamvis Guilhelmo Naſſovio, Duinquerkam oppugnare conſtituunt; quo fine Mauritius cum exercitu Flandriam ingreditur. Eum Archidux pacatis ſeditioſis inſequitur, & Erneſtum Naſſovium cædit. Mauritij prælium ad Neoportum, & victoria, fuſe atque accuratè commemorantur. Albertus poſt pugnam novo exercitu coacto, victorias Mauritij ſiſtit: qui eam ob cauſſam Flandria excedit. Legati bellantium utrimque partium Bergas ad Zomam de pace acturi incaſſum conveniunt. Sic quoque colloquium Alberti cum Britannis, ſine fructu finitur. Bellum Galli cum Sabaudo, ob Saluciæ Marchionatum, pactis finitur. Zwollani ad obſequium adacti. Rei maritimæ præfecti gravia conflant debita. Harengarum piſcatores capti & crudeliter habiti à Duinquerkanis. Friſij agrorum tractum (novam Biltam nuncupant) aggeribus obducunt. Sebaldus Wertius quinque navibus per fretum Magellanicum iter facit. Cæſaris emota mens. Vngariæ ac Sevenbergenſium res. Perſica legatio. Venetijs quidam Sebaſtianum Luſitaniæ Regem ſe fingit. Scotiæ Rex in periculo vitæ. Britannorum cum Danis controverſiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ c. MANIFESTE animadvertebatur, anno qui ſæculi decimi ſexti noviſſimum præceſſit, bellantium utramque partem ſummis viribus contendiſſe; illam, ut ſuperior bello finem imponeret; hanc, ut extremam à ſe perniciem prohiberet. Adeò ut feſſi ambo, exhauſtiſque opibus, ægrè bellum perſequerentur, & victoria perſeverantem manere viderentur. Etenim apud hoſtes non copiæ modò, quàm adhuc, validiores ſuſtentatæ; verùm & ingens claſſis parata adverſum Britannos, & præſidijs Hiſpani portus, inſulæque contra Belgarum claſſem firmatæ: in his ſola Terçera ac S. Michaëlis inſula trinis militum millibus. Neque æris multum ex Hiſpaniâ attulerat Archidux, ubi ut intenſi ſumtus, ita, interdictâ navigatione, minores reditus: & Rex hoc anno non ſupra vicies & quinquies centena ducatorum millia, mercatores quadruplo amplius accepere. Hinc primo adventu Brabantos Flandroſque acerbis cenſibus onerare Albertum neceſſitas adegit: pendebantque nihilominus vectigalium quantum in Hollandiâ ſolvebatur; dictitante Archiduce, indecorum ſubditis, Principi, pro juſtâ cauſsâ bellanti, negare, quod pro rebellione hoſtes promtè tolerarent. Et ſub idem tempus per Galliam ad Germanos revertens Andreas Cardinalis, apertè Regi denuntiavit (quippe vulgatam paupertatem fruſtra premi non ignorabat) nihil certò perinde Archiducem manere, quam defectionem ſubditorum, aut militum ſeditionem: quâ de cauſsâ pacem cum Anglis promovere Regem rogaverat. Octavum jam menſem ære ſatellites fraudabantur. Bruxellenſibus civibus cum ipſe, tum domeſtici ejus, ſupra decies centena florenorum millia debebant. Quîs malis novus ex luxu cumulus. quippe aulæ ſumtibus ipſum Cæſarem Carolum ſupergreſſus, quatuor, juxta alios ſena florenorum millia in diem expendebat. Januario menſe univerſis militibus menſis ſtipendium dedit, plura exſpectantibus. Ita ut ſpem ſuam irritam indignati, ſine morâ in ſolidum appellarent. Hamondam Dieſtamque peditum millia terna, equites mille convenerant, creatoque duce (Electum ipſi nuncupabant) incendij ac populationis metu circumjectos pagos tributarios fecere, pro pedite ſeſtertijs in diem duodecim, pro equite duplo exacto, quo compendio illecti plures. Ii potiſſimis Artheſiæ Hannoniæque civitatibus pecunias extorquere, ni parérent, incendia, rapinas, cædes minati. Pagorum duos igne deleverunt, vicos quoſdam depopulati, nonnullis conſcio Alberto factum interpretantibus, quò nationes illas, hactenus principatum ſolenni more deferre omittentes, auxilium à ſe petere adigeret. Rurſumque Antverpiani ſtipendium præſidiarijs caſtelli, & quadringentos in diem florenos ſolvere coacti ſunt. Crepicordium, & caſtellum Andreanum, mille quadringenti quà Germani, quà Walones inſederant, triginta menſium æs flagitantes; & inducijs factis cum Erneſto Naſſovio, qui militum cum manu adverſam ripam præſidebat, averſa ab eo tormenta, contra Sylvamducis collocarunt. Interea nihil rumores de Alberti dilectibus afferebant. Nec Fœderati Patres minus anxij erant: quippe ſuperiore anno duodecies centenis florenorum millibus proventus ſuos ſupergreſſis, hæc imprimis exſolvenda. Et maritimæ rei præfecti tricies centena florenorum millia, Zelandi navalibus ſocijs ſex & triginta menſium ſtipendia debebant, quos à cæteris diſparari ſuadebat ſeditionis metus. Omnibus inſuper in timore reditus claſſis præſenti ære exauctorandæ; quando durante ſacramento etiam ſtipendia procedebant. Hæc quamvis multiplicata moles incumberet, non tamen de ſummâ rerum

Proceres

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Proceres deſperare, aut turbidis hoſtium rebus ad ſocordiam abuti; ſed cIↄI
peſſimis eorum quæ evenire poſſent ob oculos poſitis, rurſum operam da- c.
re permovendis nationibus, ut æs promtè & largiter conferrent, quaſi integris hoſtium viribus. Cæterùm non idem omnibus ſtudium, non eadem erat alacritas. Hollandis plurimum animi, tametſi mercium quæ manu pararentur travectione ex hoſtico in hoſticum interdictâ, plerique Flandri textores, Lugduno, Harlemo, Alcmariaque abeuntes, quem attulerant quæſtum, diſceſſu ſuo abduxiſſent: quâ re multum convulſæ vires. Nihilominus, ac ſi levia hæc, ingentem animum ſimulantes, eâdem quâ hoſtes ſeveritate edixerunt, ne quis in Brabantiam Flandriamve merces qualeſcumque tranſportaret. Quin & ingentem æris vim, Senatui poſtulatam, non modò promiſere; ſed & retinendæ exiſtimationi, ne præterito anno in parandâ claſſe majora viribus tentaſſe viderentur, conſilia agitabant de inſtaurandis mari viribus. Quîs conficiendis augentur tributa in capita ſingulorum; & qui antè florenos centum pependerant, nunc duplum ejuſdem ſummæ adjicere coacti; eandem ad formam cæteri, proportione ſuarum quiſque facultatum. Et ne in acerbitatem id verteret, additum lenimentum, ut pecuniæ reditus quiſque hæreditarios, vel ſi majores mallet, ad vitam caperet. Sed enim Zelandi graviter querentes, concidiſſe quæſtum, infeſtaſque naves longas, decretam communi bello pecuniam in ſui defenſionem verterunt, auxilio inſuper à ſociorum reliquis poſtulato. Quibus querimonijs effecere, ut multò quàm antè ſeveriùs Archidux quicquam à Fœderatis in terras ſuas tranſvehi prohiberet: quamvis ſubditorum damna hoſtilibus haud minora intelligeret. Unde Zelandorum nonnullis ſatis inclinati ad pacem animi. Quorum qui bona ſacris uſibus deſtinata emerant, ſubitò eadem, nec ſine ingenti jacturâ, vendidere, rati pronum quoque paci Mauritium. Suſpicio ex Arſchotanâ Duce (ea Patrum permiſſu in Zelandiam venerat) ad conjugem abeunte, & cum eâ Andrea Heſſelio, quondam illi, nunc Mauritio à conſilijs. Exiſtimabant alij, Mauritium immenſam adeò æris vim poſtulare, quòd pacem ſuadere palam non auſus, intolerandis oneribus Fœderatorum à bello deterrere animos conaretur. A quibus tantùm veritas aberat, ut deliberaſſe eum cum fidiſſimis conſtet, ſi factâ pace Belgas quoque Angli in ſocietatem ejus pertraxiſſent, quomodo redigere in poteſtatem Vliſſingam, cæteramque Walachriam poſſet, noviſſimum ibi caſum exſpectaturus. quo fine etiam Guilhelmum Naſſovium monuerat, ut unum alterumque è validiſſimis præfecturæ ſuæ locis in poteſtate retineret. Minima Friſijs excuſatio relinquebatur in conferendis pecunijs. Quippe ditionem à multis jam annis non hoſtilis, non ſocij exercitus tranſitu aut caſtris oneratam, & illibatos agrorum, pecudumque fructus habuerant. Nihilominus ſtudia vulgi, gratis ſermonibus de minuendis oneribus, ubique captantes, huc rem perduxere, ut quamvis continuatis per quatuor menſes conventibus, nihil decretum ſit. Clamitabantque, inutiliter profundi immenſos Reip. proventus. Multum ſupervacui ſumtus poſtremis caſtris factum, multum æris parcendo corradi potuiſſe. Itaque ne verbum quidem de annotinis debitis, nedum de his, quæ mari contracta erant, audire velle. Satis ſuperque egenæ plebi extortum; hauriri vectigalibus alteram redituum partem. Hollandos, rebus ex voto euntibus, de eo quod ſuperfluat facilè largiri. Etenim dimidiam prope partem Brabantiâ Flandriâque exulantium ijs ſemet aggregaſſe, atque in partem onerum venire. Denique & varias rationum tabulas protulere, ambiguas, & vix veri ſpeciem habentes, quo ſolvendorum parte levarentur. Contrà Hollandi dictitare, quamvis majoris animi ſpeciem præ ſe ferrent, nequa hoſti cauſſa lætitiæ daretur, per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ c. inde tamen ſuis ſubditis, ac ſociorum reliquis, gravia hæc onera eſſe. Colligenda ſibi hoc anno quinquagies centena florenorum millia : licet mercaturâ & navigandi uſu retro eunte multa advenarum millia abijſſent. Remanſiſſe egentiſſimum quemque, qui victum alibi quærere neſcij, vix apud ſe diuturno quæſtu alimenta expedirent, dignam miſericordiâ turbam. Nihil apud ſe immune à tributis aut vectigalibus : cibaria cujuſque generis, fori cauſſas, navigia, poſſeſſiones, venditiones ædium fundorumque, poſtremò & ſingula capita cenſibus adſcripta; ſepoſita ſacris uſibus bona venumdata in belli ſumtus ceſſiſſe; ſolùm reſervato quantum ad Paſtores, publicaque imperia ſuſtentanda, ſufficeret. Maximam adhæc æris vim debere ſe, & quia ſolidum nequeant, reditus ejus perſolvere. Ex ſolis bonorum immobilibus pecuniarum quicquid conferre in commune teneantur, conficere Friſios poſſe, integris his quæ ſacrorum aut fiſci uſibus deſtinata eſſent. Nec debita ijs ulla. Prohibito mercium travectu perire, quæ ex earum importatione aut avectione hactenus proveniſſent. Contrà mari ſumtus belli intendi ſupra vires ſuas, niſi ſocij ſublevent. Ante à ſe illis terreſtri bello ſubventum, cur nunc laborante re maritimâ, gratiam acceptam ſimilibus officijs penſare abnuerent? Nihil ſibi maris imperio potius : quod priuſquam amittant, dimiſſuros militem quem in Geldriâ ac Tranſiſalanâ regione ſuſtentent, parandis illo ære navibus. Friſij, cæteræque nationes, Rheni tranſitu, & à finibus ſuis hoſtem prohiberent. Non tamen obteſtationibus ſuis multum Hollandi profecerunt. Friſiorum potiſſimæ contentiones erant ſuper modo imperandorum tributorum; nonnullis in mercium exeuntes vectigalia augere cupientibus, quò oneris pars in vicinos transferretur. Etenim ſtudium cuique æs colligere ex bonis, ſeu mobilia ea, ſeu immobilia forent, minimo ſuo, & majori vicinorum onere. Agros incolentes vectigalia vino, cereviſiæ, ſaponi, ſali, aceto, & humo ad ignium uſum ſiccatæ, imponi patiebantur, armenta, & conſita arvorum immunia poſtulantes. Quæ cuncta rejicientibus urbibus, tandem de tributo convenit, tertiâ parte quam Senatus poſtulaverat, minori; idque fundis impoſitum, qui graviori ferendo non erant. Paucis pòſt Kalend. Januarias diebus Ludovicus Naſſovius oppidum Wachtendoncam intercepit. Parum opportuna tempeſtas videbatur, ægrè molientibus agmen equitibus, ob gelicidium. Nihilominus, quia periculum in morâ, conandum erat. Noctu ad foſſam venientibus fortè id, quod maximè omnibus in timore erat, uſum non minorem attulit. Oppidani quippe longè adeo à Fœderatorum præſidijs ſemoti, glaciem dolabris perfringere neglexerant, quà tranſeuntes militum nonnulli excubias obtruncarunt; exin effractis intus portis univerſum agmen admiſere. Geleinius urbi præfectus, & LXXX tantum militibus inſtructus, in arcem confugit. Sed poſtquam à Naſſovio (nam tali inſtrumento deſtituebatur) vicinos in pagos dimiſſi, qui ſcalas oppugnandæ arci conquirerent; mox deditionem fecit. Noctu, quando oppidum noſtri petebant, ingens ſclopetorum ſtrepitus auditus, poſteaque compertum eſt, Ludovicum Villarium cum XVII Hiſpanorum centurijs, Venlonam aſtu tentaviſſe. Cæterùm improſperus exitus fuit, miles repulſus, ipſe trajectus eſt. At Wachtendoncæ divitem prædam miles habuit, quia agreſtes, metu Hiſpanorum, qui aliquamdiu in Geldriâ ulteriori hærentes & ſtipendijs fraudati urbibus prohibebantur, omnes undique fortunas ſuas in oppidum contulerant. Naſſovius, relicto ibidem milite, non multo pòſt valido commeatu revertitur, ut loco undique hoſtium præſidijs circumvento, & ſeptem millium à ſuis abſito, cuncta bello neceſſaria inferret. Per idem tempus Breautæus, ex nobilitate Gallicâ, turmæ equitum præfectus, quòd ferociùs nonnulla in contemtum regij militis jeciſſet,

à Lecker-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

a Leckerbetio, Grobbendonckij vicario, ad certamen cum viginti ſocijs depoſcitur. Et quamvis juſtâ ob conditionem ac diſpar genus excuſatione, præſertim adverſus transfugam, & proditâ olim Gertrudiſbergâ infamem, nihilominus juvenili calore, atque irâ, conditionem accipit, poſteaque Mauritium (qui ſi integro res fuiſſet, prohibiturus erat) rogat, patereturne ſe extra ordinem pugnare in hoſtem provocantem. Dein, ut cætera temere, in deligendis quoque ſocijs minùs providus, quàm pro certamine, unde gentis utriuſque exiſtimatio penderet, Gallos novemdecim adſciſcit, Belgam unum Wtenengium. Contrà Leckerbetius ex trecentis fortiſſimum quemque ſe & equum integro menſe exercere juſſit. Convenerat inter utroſque, ne quis armis, niſi bello ſolitis, ſe muniret. Quam legem egreſſos Hiſpanos, præter longiores tubos, duplicem quoque thoracem, & inſertas femoralibus ſicas habuiſſe, in certamine compertum eſt. Campus Vuchtanus pugnæ deſtinatus erat, in quem priùs venienti Breautæo, hoſtes ex urbe Hiſpanicum vinum, panem, & caſeum miſere, reficiendis corporibus. Ipſi, paullò pòſt egredientes, conferti pedetentim adequitant, & ſuum quiſque adverſarium deligunt. In Leckerbetium Breautæus invectus (nam utrumque inſignia à vulgo militum diſtinguebant) diſploſo in buccam ſclopeto, humi exanimem ſternit. Primoque conflictu illinc Leckerbetij frater, & affinis, hinc Gallorum bini occubuere. Sed cum trucidatis regiorum ductoribus, horum in manu victoria eſſe videretur, ſecundo tertioque impetu converſa fortuna eſt, langueſcente paullatim Gallorum impetu; hoſtibus autem conſtanter, ſervatiſque ordinibus, haud ſecus quam ſi ductores univerſi forent, præliantibus. Primus omnium Centurio Lapierrius, potiſſima Breautæi fiducia, menſæque comes aſſiduus, fugam capeſſit, quod dedecus non multò pòſt tempore transfugio ad hoſtem cumulavit. Moxque exemplum cæteri ſecuti; quorum unus Latartæus poſtea querebatur, refractario ſe equo ulteriùs quàm voluiſſet, delatum, nec effuſe ruentis impetum ulla ratione ſiſtere quiviſſe. Breautæus cum cognato, animi ad extremum uſque invicti, poſtquam equi cecidere, pedibus ſtrenuè in hoſtem pugnare non deſiſtebant, donec belli jus dedentibus ſe promiſſum eſt, ſed fide parum ſanctâ. Grobbendonckius quippe, accepto victoriæ nuncio, emiſit nonnullos ex urbe, qui Breautæum, cum propinquo ejus, & tribus captivis interficerent; multum vociferante illo, ne tanquam ignavum aut ſceleratum ſe trucidarent, armaque poſcente, ut honeſtæ ſaltem mortis uſus eſſet. Campum frequentes circumquaque ruricolæ compleverant, quorum in turbam Sigurus (cujus equum ſuo confoſſo Breautæus conſcenderat) cum Gallis tribus, & Wtenengio evaſit. Equi utrimque ſex & viginti proſtrati jacuere. Ineunte Martio Belgarum naves diſtractæ, nunc hæc, nunc alia remeabant; claudæ omnes aut aliquo caſu afflictæ, & vix tertiâ parte earum quæ diſceſſerant reliquâ. Extinctus erat ſupremus claſſis præfectus Petrus Duza. Simul vicariâ poteſtate functus Stormius, & centuriones navales XVII deſiderabantur: ex his qui terrâ militi præfuerant, uno tantùm ſuperſtite. Æquabat tamen utcumque ſumtuum magnitudinem prædæ vis. Cujus pars Mauritio, tanquam ſupremo maris præpoſito, debebatur; ſed ille, Patribus, anguſtum ærarium querentibus, univerſum remiſit. Hic nimirum obtentus quærendus erat Patribus, nimias ducum opes ſuſpectantibus. Affluebant divitijs Fœderatorum terræ, adeò ut promtum eſſet cuivis publica munia fungenti facultates ſuas augere. Sed ducum periculoſæ opes videbantur, quòd ſæpe injuſti potentia adverſus libertatem publicam abutantur. Unde quamvis adverſus bonos cavendum eſt. Naſſovios tamen, nihil minus quam corradendis pecunijs intentos, hæc nequaquam morata

cIↃIↃ C.

 ſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIɔIɔ c. ſunt, quò minùs priſtinâ alacritate, publicè utilia exſequerentur. Ut mirandum ſit, plus pro alienis eos facere commodis, quam aut Cæſar, aut frater ejus, recuperando Hungariæ regno præſtiterunt, magicis artibus unus, alter parandis horologijs, aut alijs id genus futilibus, inutiliter tempus prodigens; qualia parum ex Principum dignitate ſunt. Sed claſſis Canariâ ſolvens, Guineæ litora legerat, atque in itinere navibus quatuor, Hiſpanorum merces vehentibus potita, unam, quæ Veneti nautæ erat, dimiſerat, abducto ſecum mercatore Hiſpano ac mercibus. Divi Thomæ inſula, ut prædæ noſtris plurimum, ita & infecto aëre, maximam hominum partem neci dedit. Prædæ cupidine eam Duza adierat, quamvis monitus peſtilentem aëra. Fortaſſis facilius Belgas intemperiem duraturos credebat, quòd litore Guineano, quà ob aërem periculoſe navigatur, nullos, aut perpaucos ſuorum ægros habuiſſet. Ad diem v I Id. Octobr. inſulam advecta claſſis erat, adductiſque in terram tormentis ſeptem, primum caſtellum deditionem fecit: qui præſidebant capti omnes, promiſſâ, ubi æquum pretium ſolviſſent, dimiſſione. Alterius caſtelli cuſtodes profugêre: civibuſque non ultra decem ducatorum millia ad redimendam vim offerentibus, incenſa urbs, prædaque in naves delata. Fuere tormenta ex fuſili ære viginti & unum, eaque inter duo maximi generis, ſingula decies mille libras pendentia. Dein ciſtarum ſachari millia aliquot, dentium elephantinorum ingens vis, ſericum & è lana panni. His rebus x I v dies conſumti; quo ſpatio milleni in claſſe periere, capitis dolore ad inſaniam uſque vexati, dum nimio calore cerebrum perturbatur. Nonnulli quoque ventris dolorem queſti; quam ob cauſſam inciſo cadavere, liquefactus aquæ inſtar adeps in abdomine repertus eſt. Tertium aut quartum intra diem firmi ac valentes extinguebantur. Cauſſam dabat conſuetudo cum Æthiopicis mulieribus, aut, captandi frigoris cupidine, humus pro cubili, vel nimius atri ſachari, expreſſique è nucibus, quas Cocicas vocant, liquoris uſus, qui alvum ſolvebat. Venenoſæ quoque eâdem in inſula nebulæ extiterunt, quibus cadentibus ſub tecto remanendum erat, quoad Solis radijs diſpulſæ forent: quod tamen neglectum Belgis. Incolebant inſulam Luſitani mercatores, quis ducenta ſingulis trecentave ſervitia ſacharum exercebant. Sed Luſitanorum ſpeciem & habitum æſtus vehementia mirè mutaverat; ipſique fatebantur nemini ſuorum ætatem quinquageſimum ultra annum procedere: nihilominus, lubidinem quæſtus vitâ potiorem habentes, manebant ijs locis. Ferebant Luſitaniæ reges, ſæculo abhinc uno, detectâ fœcunditate locorum, nonnullos eò homines impoſuiſſe, quos ubi virulentia aëris cunctos exanimaviſſet, miſſos primò in Guineam, tum in Longoam Angolamque, ubi inclementius cœlum impuriuſque; ad ultimum in D. Thomæ inſulam: ut paullatim adſueſcerent tolerare intemperiem ejus. Addebatur, Joannem Regem Judæis ad religionem Chriſtianam coactis, abnuentes pro mancipijs vendidiſſe, eorumque infantes baptizatos, magno numero in D. Thomæ deportaſſe, & horum eſſe progeniem pleroſque, qui inſulã nunc inhabitarent. Martio ac Septembri menſe imminentem vertici Solem vident, quo tempore, ob imbrium frequentiam, maxima aëris temperies exiſtit. Majo, & tribus qui ſequuntur menſibus, temperant æſtum ſolis Zephyrus & Auſter. Boreas & Eurus nunquam ijs locis flant, quia Africa objecta eſt, an occultas ob cauſſas. Decembri Januario, ac Februario menſibus, calores maximè intenduntur. Qui candidi vultum ijs habitant locis, octonis quibuſque diebus febriculâ tentantur, primumque frigus & tremor, dein calor corpori infuſus, horas admodum duas membra accendit. Adverſum ea venas quater quotannis incidunt. Sed externis eæ febres plerumque exitiabiles: peſtilentiæ ob-

noxij

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

noxij non ſunt. Æthiopes ſeculum, & eo amplius vivunt, pediculis pulicibuſque ſemper ſcatentes: cute albi ab his immunes ſunt. Claſſe hinc digreſſa, naves ſenæ Braſiliam adierunt, tentandæ fortunæ, reliquæ in patriam properabant, & mox, ubi gradum quintum & ſextum ſupra quadrageſimum attigere, frigidiore illic cœlo, morbi, morteſque multiplicantur. cIↄIↄ C. Numerati uno tempore ægri mille octingenti, plerique ſcorbuto infecti, adeo ut penuriâ hominum navis una fuerit deprimenda. Altera Zelandiam petens, denſiſſimis nebulis ademto proſpectu, ad Sluſam delata, ingenti cum præda in hoſtium poteſtatem venit. Fortè per idem tempus quaternæ quoque mercatoriæ naves, nebuloſa tempeſtate eodem diſpulſæ ſunt: ſed bellicæ noſtræ, è veſtigio ſubſecutæ, duas ſervaverunt, una depreſſa, quartam hoſtis cepit. Junio menſe ſex quas dixi naves Braſilia remearunt, nullâ propemodum prædâ, niſi quòd in itinere obvia Hiſpanorum navis capta, & repertus in ea Laurentius Bickerus, mercator Amſtelodamenſis, celebris apus ſuos nominis. Is ante biennium duabus navibus inſtructis, mercaturam in Guinea, ac Platano flumine exercuerat, fretus literis, quîs ei impunitatem negotiandi regius ibidem Senatus ſimulatè conceſſerat, dum illum acceptum ea loca habitantibus, &, ut maximè vellent, negotiationem prohibere ſe nequaquam poſſe vident. Hâc fiduciâ Bickerus, cum ſuis, navibus egreſſus, ſecurè in urbem ultro citroque commeabat; ſed mox, nihil metuentes, comprehenduntur, naves oppreſſæ, vehentes gladio percuſſi: Bickerus ipſe cum duobus ſuorum Olyſſiponem miſſus, ut igne necaretur; ſed illum exitio noſtrorum occurſus eripuit. Hujuſmodi artibus ſævitiâque Belgas Indiæ acceſſu prohibere Hiſpani nitebantur. Interea Mauritius maturè quæ bello uſui ſunt parabat, ut Crepicordio & Andreano caſtello, potiretur; quæ quanto propinqua noſtris, tanto graviora erant: itaque dum in ſeditione Hiſpani perſeverant, & rebus gerendis tempus minus aptum eſt, incendere ſeditioſos, & per literas monere præſidiarios Andreanos, ſemper veteranis ſe militibus amicum fuiſſe, & ſuperioribus annis dediſſe Italis experimentum animi ſui. Eundem quoque illis favorem præſtare paratum, ut, quæ æquiſſima poſtularent, adipiſcerentur. Flagitabant Albertum x x x menſium ſtipendia: Patres centum L florenorum millia annumeraturos ſe offerebant eo promtius, quia machinæ & reliquum belli inſtrumentum, tum etiam commeatus in caſtellum congeſtus, magni pretij erant. Sed Sylvæducenſes, collecto properè ære, eos compoſuerunt: quod deſiderabatur, certis penſionibus ſoluturos ſe recipientes. Hamondam ad ſeditioſos miſſi ab Mauritio perfugæ aliquot Hiſpani, qui hoſpitaliter accepti, turbidos incitaverunt. Cenſorem militarem, eodem ab Archiduce miſſum, nec audire Electus voluit; ſed novo prorſus modo militem ſacco incluſit, qui eum audiret, reſponſaque daret: dubium ludibrio, an quia noſci nolebat, ne compoſitâ ſeditione ſuo capite pœnas daret, velut præcipuus turbatorum. Mauritius militem ſuum Dordrechti in naves congregabat, & quia nonnulli ob diverſum præſidiorum ſitum Bommelianam inſulam præteribant, nequivere ſeditioſi conjectare, ſibi an alijs vis pararetur. Vulgò qua noſtris, qua hoſtium in partibus, confeſtim in Zelandiam Sluſæ aut Hulſtæ obſidio ituras naves differebatur. Sed naves potiſſimùm adhibitæ tutando adverſus aëris injuriam militi. nam ſub tugurijs contineri nequibant, ob frigoris vehementiam: quippe tribus poſt id tempus hebdomadis intenſum gelu fuit. Igitur derepente Crepicordium adgreſſi noſtri terra & aqua claudunt, factiſque raptim munitionibus, tormenta admovent. Tertiâ die Germani & Walones, quorum duæ centuriæ præſidebant, deditionem fecere: omneſque abjectâ ſacramenti reverentiâ in partes Patrum tranſgreſſi: centuria una

cIↄIↄ c. cum duabus alijs præſidio Crepicordij relicta: altera aliò tranſlata. Nonnulli gregariorum militum, impetratâ miſſione, caſtellum Andreanum petivere. Horum qui remanſerant ſingulis, duûm menſium ſtipendia à Patribus data. Eadem die quingenti Burgundi, lectus varijs ex centurijs miles, Crepicordium contendentes cæduntur. Trecenti occubuere; reliqui, & in his terni Centuriones, capti. Tum Diſiæ amnis oſtium obſtructum, perfoſſi aggeres, & quicquid humilis agri Sylvamducis circumjacet immiſſis fluctibus tectum, quum premendæ urbi, tum corrumpendis itineribus, nequa ſubvenire auxilia caſtello Andreano poſſent, cui extemplo machinæ admoventur. Amnes eo altitudinis æſtus incitaverat, ut nec munitiones, nec opus ullum inſtitui poſſet: ſed, Brabanticâ in ripa, contra adventum hoſtium caſtella Amæ, Maromi, Keſſelæque exſtructa; Littoiæ quoque jactum caſtellum, cuſtodiendo aggeri, ne perfoſſa obſtruere hoſtes molirentur. Imponuntur etiam aggeri tormenta, adverſum Andreanos, qui cum tutò conſiſtere intra caſtellum nequirent, neceſſariò in viam occultam ſemet tuguriaque ſua abdiderunt; cætera fortiter propugnabant, miſſoſque poſtulandæ deditioni tubicinem & tympaniſtam glandibus impetivere, nullas pacis conditionis audientes. Sæpe ignibus ſignificationes fecere, ſæpe Sylvęducenſium ignibus in ſpem arrecti, excitante identidem flammas Mauritio, fruſtrandis ambobus. Quare neceſſariorum penuriâ eos premi, noſtri conjectabant, ut plerumque id genus caſtella ſoli Præfectorum diligentię relinquuntur; quos non mirum in magna neceſſitatum copia, aliquid oblivíſci. Erant in caſtello complures innoxij ſexus & ætatis, conjuges liberique obſeſſorum, quos ut dimittere extra periculum liceret, fruſtra Mauritium rogavere. Binos nando perrumpere auſos, ut de rebus ſuis Sylvęducenſes certiores facerent, reſponſaque referrent, noſtri intercepere, tum verſi ad blanditias, operam ſuam obtulere in cunctis, & Mauritius promiſſo eorum cuique Centurionatu, in caſtris alterum retinuit, alterum Sylvamducis dimiſit, cogniturum quę ſolatia pollicerentur. Poſtea ubi in caſtellum regreſſi, alter à commilitonibus proditus, ac glande tranſiectus in amnem præcipitatur, affixis pectori literis, quîs inſcripſerant, *proditorem Reip. ſuæ à ſe peremtum: iret ad Mauritium nunc, & Centurionatum, præmium laboris, acciperet.* Unde intelligebant noſtri, ſeditionem, quâ faciliorem ſibi deditionem ſperaverant, plus damni, & obſeſſos obſtinatiores facere, tanquam ſtipendiorum jacturam metuentes, ni ſtrenuè rem gererent. Itaque Mauritio una ſpes, in fatigandis fame caſtellanis erat: quo cuncta ſua comparabat. Interea Batenburgo arce in poteſtatem redactâ, acceſſus omnes validis adeo operibus firmat, ut tribus militum millibus claudere Andreanos, cum cæteris obviam ire externis auxilijs, aut quò neceſſitas vocaſſet, ſuccurrere ſuis quiret: ſi fortè Alberti miles Noviomagum, aut Wachtendoncam, cui metuebatur, impeteret. At in caſtris diſcordia inter Germanum Gallumque militẽ orta, dum aleâ luſitantes ad verba, exin manus pervenere, & ſui cuique gentiles aggregantur. Octoni interfecti, vulnerati XL, & acre in certamen prorupiſſent, ni Erneſtus Naſſovius, & Solmenſis, jam pugnam orſos, ſummo capitis ſui periculo diremiſſent. Eodem tempore Oſtendani, acerrimè erumpentes, Hiſpanorum centurias aliquot neci dedere. Qui, excurſibus eorum in Flandriam prohibendis, circumquaque caſtella jecerant, & nonnulla prope adeo, ut tormentis urbem infeſtarent: quam ob cauſſam civium plerique aliò demigravere. Quę dum geruntur, Ludovicus Velaſcius, in exercitus præfectura Mendoſę; Frederico Bergio, equitum magiſtro, Barlotius ſucceſſor datus. Hi octo millium exercitu liberando caſtello Andreano accedentes, & Helmondę primùm, dehinc propius Sylvamducis caſtris poſitis, accu-

ratius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ratius ſe muniunt, ne inopini (nam hærebat animis Turnhoutana clades) cIↄIↄ c. à noſtris opprimerentur. Exeunte Aprili, amnium deceſſu nudatis agris, jam munitionibus ſuis caſtello noſtri ſuccedebant. Quare iterum interpellatis obſeſſis, id ſaltem impetravit Mauritius, ut audire vellent. Offertur primùm parati æris ſumma, & honeſtiſſimę conditiones; dein ut emiſſis ſuorum nonnullis cognoſcerent opera, quàm validè ſepta itinera, exſtructę munitiones, & omnis auxilij externi ſpes ſublata foret. Sed fruſtra hæc cuncta, dum quicquid ab Alberto ſtipendiorum debebatur, ſexcenta florenorum millia exſolvi poſtulant. Ubi pervicaciùs in ſententia perſeverabant, & nulla paciſcendi ſpes reliqua, opus celeratur; donec mutato conſilio obſeſſi ultro pacta quęſivere. Itaque IV Kal. Majas convenit, ut florenorum millia centum & XXV, illis darentur, quę æqualiter, nec ulla dignitatum aut ordinum ratione habitâ dividerent: erant autem numero mille centum quadraginta duo homines. His tranſactis, præſidiarij Fœderatis ſe caſtellum ſanctiſſimâ fide ſervaturos conjurant; ſimul tubos, mox & ordine tormenta, lætitię teſtimonia, diſploſere. Quod pro ſe interpretati Sylvęducenſes, ſine cunctatione machinas ſuas exonerant, in ſpem auxilij, eodemque die promota Hiſpanorum caſtra, quîs ignara deditio erat. Dato, ut diximus, juramento, triduum in caſtello præſidiarij manſere; exin numerato ære, excedunt, impoſituſque præſidio noſter miles. Ipſis Kalend. Majis caſtello digreſſi, qui dies ſuperiore anno Hiſpanorum in inſulam Bommelianam adventum præceſſerat. Tum in Patrum militiam omnes tranſiere. Walonum centuriæ octo, Germanicę tres erant; quę Mauritij voluntate ſuos ipſi præfectos duceſque legerunt. Ut vero data fides eſt, nullam anteactorum memoriam, aut ignominiam, ſed pari loco cum militum optimo quoque eos fore; ſacramentum dicunt, & in cenſu aucti inſuper liberalitate menſtrui ſtipendij. At in caſtello repertæ frumenti pluſquam vehes quinquaginta, machinę XVII, pyrij pulveris dolia XC, globi, & horum ad modum reliqua neceſſaria. Victorię opinio & lætitia apud Hollandos ſumma fuit: quippe ſecundùm arcem Antverpianam, nullum id roboris locum in omni Belgica Hiſpani extruxerant, qui Hollandię junctus, validior multò erat ob fluminum præſidia, quę ut opportuna nobis, ita adverſa hoſti. Denique hoc munimento ad cætera virium adjecto, clauſa & adverſus omnem hoſtium vim, incurſuſque tuta erat ditio Hollandorum: cujus noviſſimum clauſtrum ab ipſis exſtructum Hiſpanis eſſe, notabile videbatur. Sic quoque multis obſervatum eſt, Bommelianam inſulam toties Hiſpanis incaſſum tentatam fuiſſe. Inter hæc curas Fœderati Patres ad Groninganos transferunt. Quorum pervicacia novum hoſti in terras noſtras aditum datura videbatur. nam & eluſa ſæpius Patrum autoritas, dum ſeditionem ſe vulgi metuere obtendunt, quoties de exſequendo decreto mentio injiceretur, & tributa Urbis ac Omlandorum manebant inſoluta. Quîs de cauſſis omnino viſum Patribus effrenem licentiam coërcere. Perficiendo conſilio quatuor rationes proponebantur. Uti aut mœnia civitatis dejicerentur; arx, aut validum prę-ſidium imponeretur; aut pauco milite civibus arma & peccandi licentia adimerentur. Sed priora duo duriora viſa, quàm pro Belgarum libertate, & mitibus imperijs. Et jam anno antè, Patribus huc inclinantibus, caſtellum ædificari Guilhelmus Naſſovius diſſuaſerat. Præſidium numeroſum ſuſtentare magni impendij erat, & Patres minui præſidia, militemque in caſtris haberi cupiebant. Quamobrem ultimum prævaluit: ſimul placuit, avehi machinas, & turbatorum præcipuos pelli urbe, aut Hagæ cuſtodiæ includi, motiſque ſuſpectis, magiſtratum committere optimo cuique, & adverſum Remp. fidei incorruptæ. His conſtitutis, mittuntur eò

equitum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ c. equitum VI turmæ, peditum centuriæ VIII ducente Olivario Tempelio, cum mandatis ad Guilhelmum Naſſovium, uti militem in urbem (jam omnino XI centurijs inſeſſam) perduceret, & Patrum decreta perficeret. Jampridem Naſſovius molliora ſuaſerat, quîs pariter & tributa vectigaliaque urbis ac Omlandorum ad Remp. pervenirent, & Patrum voluntati obtemperaretur. Sed ſuſpecta Proceribus nimia ejus clementia: quare, neſcio illo, Covordam ire militem juſſerunt. Quod factum tametſi, ægre ferebat Naſſovius, paruit nihilominus, militemque omnem, (præter equitum turmas IV, quas pergraves civitati fore, & facultates cogendæ pecuniæ corrupturas prævidebat) in urbem duxit, evocatis equitum loco, peditibus, ex proximis præſidijs. Primoque univerſum urbis præſidium convenire, velut cenſum initurus, juſſit. Tum, nihil diſſimulans, magiſtratui Patrum juſſa & voluntatem denuntiat, cum monitis, ut promte ſe rectoribus ſubmitterent, militemque intromitterent. Abnuentibus illis, & nunc leges, modò initum fœdus oggerentibus, pandit portas, & ordine omnes urbem illuſtri die ingredi jubet. Etenim jam Aprili menſe anni poſt mille quingentos undecenteſimi experimento compererat, coërcendis civibus præſidiarios ſufficere. Itaque aſtu aut nocturnis tenebris uti noluit, quę rapinis ac militari licentię ſæpe occaſionem dederunt. Cives ut armatorum agmina, tot gentium militem, Gallos, Britannos, Germanos, Belgas, medio foro conſtitiſſe vident, attoniti metu, claudere domos, ac bonorum cariſſima quæque in terram defodere. Fœdus imbribus, ventis, ac nivium lapſu dies erat, nihilominus miles quartam pro portis horam, dein eques donec inclinaret ad veſperum dies, injurijs cœli expoſitus ſtetit: tum demum in domicilia diſtributi. Pedes templo inditus ad poſterum diem, & datum cuique aliquantulum æris, ut ſtipendio ſuo, citra civium moleſtiam, victitarent. Ii tametſi fremebant, inopinos adeo ſe oppreſſos, (quod ſæpius Verdugus, quamvis Regis autoritate armatus, incaſſum tentaverat) laudavere tamen diſciplinam & innocentiam militum, nihil eorum, quę præmetuerant, paſſi. His peractis, poſtulant Patrum legati, ut Urbs & Omlandi ſexcenta XXV florenorum millia, tributa à pluribus annis debita, penderent, partem intra quartumdecimum diem, reliqua poſt menſem. Addunt minas, ni mos geratur, ſtipendia & victum à civitate & ruricolis militem equitemque petituros. His verò conſternati omnium animi, & mœrentes queri de iniquitate petitionis: ſi carceri includantur primores, & ſalutem redimere cogantur, amiſſuros antè vitam, quàm præſtare poſtulata poſſint. Adhuc agreſtes ſuperiorum annorum ſterilitate, adhuc inundatione, & murium, qui ſemina & fruges abſumſiſſent, cladem perſentiſcere. Negotiandi uſum in civitate intercidiſſe; iniquiſſimum anni tempus, & vacua horrea eſſe; nihil butyri vaccas ſuppeditare; denique concidiſſe facultates, unde pecunias haberent. Et butyri quod exiguum ſupereſſet, abruptis commercijs, ægerrime diſtrahi. Nec ſanè vana querebantur; ſed vicerat miſericordiam longa pervicacia, & æris apud Patres inopia tanta, ut oblatam antè, ſed à Groninganis rejectam, gratiam, de condonandâ debitorum parte circiter tertiâ, nunc revocarent, & in ſolidum oppidanos appellarent. Non tamen vetera inter urbem & Omlandos odia minuere communis amborum neceſſitas quivit. Quamvis enim neutri parcebatur, & utriſque doloris materies juſta erat: obſervatum tamen multos quoque primorum occulta gaudia cepiſſe, ubi paullo iniquiorem æmulorum conditionem videbant. Exultare Omlandi, ingentes civitatis ſpiritus frangi, milite urbem onerari, ſe contrà immunes. Civitati gaudio eſſe, quòd cenſus, quorum minimam ipſa partem conferebat, primùm exigerentur, pronunciati à judicibus exſecutio ad ultimum locum reſervaretur. Ob

hæc ſine intermiſſione Omlandi inſtare, ut ſimul judicum ſententiam Patres exſequerentur. cIↄIↄ c. Solos infirmiores ad obſequium adigi, hinc premi ſe, inde ne legibus quidem aut inſtitutis ſuis frui poſſe. Sed quanquam molliter cum Groninganis in exigendis cenſibus agebatur; tamen impoſitum domibus tributum acerbiſſimum exiſtimabant: quippe immunes hactenus talium onerum, contra receptum apud Fœderatos morem. Unde & magiſtratuum optimus quiſque, ſine ſeditionis metu perfici id poſſe adhuc negaverant. Sub Hiſpanis non ab hoc ſolùm, ſed cæteris quoque tributis, & belli oneribus liberi egerant: quin & potiſſimi urbem habitantium immunes à cenſibus fundos poſſederant, quo hac lenitate plebis, & qui apud eam plurimum poterant, animi conciliarentur. Itaque & juris quicquid ſine fine ac modo in Omlandos ſibi urbs vindicabat, longis, & ingentem verborum paratum præferentibus codicillis, ratum eſſe voluerant Hiſpani. Quo nunc durius videbatur, non modò Judicum ſententiâ, cuncta illa adimi; ſed & ſuper cenſus, omnibus, quæ ad victum pertinerent, impoſitos, domos ipſas oneribus premi. Sed multò nationum cæteris intolerabilius erat, Groninganos, graviſſimis ſumtibus, multo ſanguine Hiſpanorum jugo ereptos, libertate, cui tuendæ reliqui omnia ſua impenderent, frui, nec interea quicquam de ſuo conferre in publicum velle; quo inæqualitatis exemplo alijs quoque urbibus patientia in poſterum peritura, & Reip. vires infractum iri videbantur. Quare unam offendere urbem, quam peſti huic locum facere, minoris periculi judicabant Patres. Menſem penè integrum diſputavere, quomodo æris bonam ſummam quamprimum colligerent, & miſſis Hagam legatis, demonſtratâque ditionis ſuæ paupertate, permoverent Patres, remittere de poſtulatis, ac penſiones, ſtatoſque dies, quis facienda ſolutio eſſet, præfigere. Nam querelas ſine ære incaſſum delaturos ſe ſciebant. Omlandi propoſuere, ut mille ex opulentioribus delecti, centenos ſinguli florenos mutuo darent, aut tributum capitibus, aut dalerus ſingulis focis imponeretur, vel deniq; è conductione agrorum domuumve pars peteretur: promti ad omnia, militum metu. Sed civitas, cui minus timoris, omnia detrectare, & immunitatem antè uſurpatam retinere velle, tantâ pertinaciâ, ut curiam ditionis ſuæ clauſerit, ac periculoſiſſimis temporibus per octo continuas hebdomadas intermiſſum ſit regimen publicum, unius tantum vocis cauſſa, dum paſſuros ſe negant, ut Delegati ex judicum ſententia, *Groninganæ Vrbis & Omlandorum Delegatos* ſemet nuncuparent. Veterem retineri formulam, & *Delegatis Groningæ, adjacentiumque urbi agrorum* ſcribi poſtulabant. quòd ea verba urbi ſubjicere Omlandos viderentur. Quò minus mirandum erat, in gravioribus, cujuſmodi domuum cenſus, judicum eos ſententiam reſpuere. Improbabant hæc, quorum principes in urbe familiæ erant, ſed nequaquam his ſat animi oppugnandæ plebi, aut qui potiſſimùm eam concitabat, Joachimo Altingio: iſque jacere, *Si vel leviſſima in re cederent, cuncta amitti: majorem poſteritatis, quam præſentis temporis habendam rationem: potius vim exſpectarent, quàm ſua ſponte largientes ſimul juri ſuo renunciarent. Vi erepta per occaſionem alijs temporibus, alijs magiſtratibus repeti poſſe.* Quæ dum geruntur, Patrum legati, nonnullis è Groningano ac Omlandorum Senatu ad ſe vocatis, paucis exquirunt, vellentne judicum ſententiæ ſe ſubmittere: addunt ſpatium deliberandi, horas quatuor & viginti, quas intra, ſcripto reſponderent. Omlandi, quanquam in pleriſque cauſſa cecidiſſent, ſtare ſe eo quod arbitrati judices forent; Groningani, civitatem conſulturos, dixerunt. Poſtridie reverſi codicillos tradunt. Continebatur, *obtemperaturos, præterquam in his, quæ legibus adverſarentur. Æquum eſſe, ut integra poſteritati jura ſua tranſmittant. Nec dubitare, quin Fœderati Pa-*

cIↄIↄ c. *tres, probaturi ſint, quando libertatis ac legum tuendarum, ipſi arma cepiſſent.* Hoc tam ſuperbum reſponſum, quo privilegia legitima etiam ea appellabant, quæ in lite, nunquam probatâ, per vim ſibi vindicaverant, quæque ab Hiſpaniarum Rege, defectionis præmium acceperant; ſimul contemtus ſententiæ à judicibus, quibus ſe ſubmiſerant, poſt litem cum adversâ parte conteſtatam, cæteraque de more peracta, pronuntiatæ, perpulere legatos, ut ſine morâ exarmare civitatem conſtituerint. Alioqui Naſſovius, dimiſſis Hagam literis, abunde ſecuritati conſultum affirmaverat, ſi ademtis vexillis tympaniſque, dimiſſis præfectis, excubiæ interdicerentur. Nonnulli in urbe clàm autores legatis eſſe, ut iteratò Senatum interpellarent: haud dubiè melius reſponſum laturos: quippe ab Altingio priora profecta, abſentibus meliorum nonnullis; quam occaſionem tanto avidiùs arripientem, celeraſſe reſponſum dictitabant. Sed magis è re fuit, arroganter adeo, quam demiſſe, loqui Groninganos. Fors enim humanis reſponſis commoti legati, ad molliora flexiſſent; qua re nequaquam ſecuritati adverſus vulgi mobilitatem conſulebatur: nunc audaciâ oppidanorum materies fuit, qua remedij contra urbem neceſſarij duritia excuſaretur. Ubi fixum fuit armis civitatem orbare, quamquam ſatis præſidij in ordinarijs excubijs; & militem omnem ad arma cogere ſpeciem timoris præbebat; nihilominus ne miles vagus, alius curioſitate domos introſpectandi, irridendis civibus alius, motus daret, jubentur centuriæ omnes, duæ & xx numero, ad fores ducum convenire. Rogati quoque magiſtratus, ut civium præfectos circuire plateas, & ſiqui ferociores obſiſterent, occurrere juberent, nequa exſiſteret ſeditio. Qui poſtquam abnuebant, octoni centuriones militares, per diverſa urbis inceſſere, ſine contentione, ſine motu ullo: quippe à Naſſovio juſſi civium iracundas voces aſpernari, & ab omni temperare contumelia: ſimul tamen negotium habuere domos, ſi clauderentur, vi effringendi. Magiſtratibus civiumque præfectis gladij ſui relicti, quos ferme in bello etiam præfectis centurionibuſque retinere datur, tametſi dedito quem obtinuerunt loco, miles bacillo tantum exeat. Vexilla tympanaque omnia tranſduntur; ſed armorum melior pars abdita. Neç putavit Naſſovius, curioſe ædes latebraſque ſcrutandas, ne direptioni, aut furtis occaſionem patefaceret. Quod veriti cives, cuicumque aut amicus aut propinquus in aula, aut inter milites erat, huc cuncta ſua deportare; ſed omnia ſedatè peracta, & quietius quam in civitate quater mille armatorum municipum opinio erat. Poſtera die Altingius, Houflinus Adſeſſor, & Juſtus Clivius, Hagam ad Patres contendere juſſi, quia cogi ſe poſſe videbant, ſi abnuerent, paruerunt. Et quamvis ſeditioſè multa agitaverant, à Patribus tamen nihil durius in eos ſtatutum. Tres hi, ferocius præ cæteris locuti, collegas in Senatu, ad parendum Patribus inclinatos, obteſtando, orando, denique ubi hæc parvi pendi videbant, multitudinem ultricem oſtentando, terruerant deſtinata peragere. Quantum ad ſacra, Reformatis adhærentes, Hiſpanis rerum potientibus exulaverant, ut plerumque talibus plus audaciæ, dum omnia impune ſibi, & citra ſuſpicionem facere ac dicere licere arbitrantur. Contra Pontificij, ſub Verdugo urbis rectores, in modeſtiâ & metu agitare: quippe gnari, etiam minimum in ſe delictum grave haberi. Nihilominus occulte gaudere ijdem, & Patrum æquitatem in corripiendis etiam eorundem ſacrorum hominibus tollere. At Patres, ubi præter opinionem irritari cum tempore animos, nedum manſueſcere adverterunt, ultimum remedium, quod ut duriſſimum omiſerant, adhibere, & arce urbi impoſitâ, compulſi ſunt prævertere artibus, quas haud dubiè primâ quaque occaſione infenſa multitudo, pro Rege aut Alberto, trahendoque cis Rhenum bello, excogitatura erat, ut anno MDLXXXI factita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

factitaverat. Igitur XXIII Aprilis, vetere dierum numero, arcis opus mi- cIↄIↄ
lites ſexcenti ordiuntur. Civitas dilationem orabat, mittendis Hagam c.
legatis, qui Patrum mentes, quod fieri poſſe confidebant, flecterent. Sed Naſſovius ac legati reſpondere, iterum tertioque acriter adeo juſſos ſe, differre negotium non audere: ſi deprecari civitas poſſet, facile paucorum dierum opus diſiici. Groningani Hagam venientes, demonſtrant, *Duobus potiſſimùm rem & fœdus Belgarum niti, ſacris ac libertate, quis nihil perinde quam arcium ædificatio adverſetur. Nullas unquam liberas civitates, niſi armis & vi oppreſſas, id toleraviſſe. Vt antiqua & aliena exempla prætereantur, centum jam annos eſſe, quum primum Orientalis Friſiæ Comes Edſardus, recentiore memoria Billius, Hiſpaniarum Regis præfectus, arcem coërcendæ Groningæ extruere cœpiſſent: ſed illos & opinione ſua falſos, & prima occaſione diſiectum opus fuiſſe. Non milites, non arces, ſed ſubditorum voluntatem Patribus firmum munimentum: hac niterentur, præſertim quando deditionis legibus conveniſſet, arcem nullam Groningæ imponi. Non armis ſe judicum arbitrio, ſed jure, & rationibus obſtitiſſe: nunc obſequio paratos. Cujus rei datum jam experimentum, promte cives arma tranſdidiſſe, & quietos, concordes cum milite victitare. Ad ultimum orare, ne ipſi, ne poſteri ea ignominia aſpergerentur, neu duræ adeo ſervitutis jugo, famam Patres ſuam apud exteros contaminarent, & urbibus Hiſpanorum crudelitatem jam pridem averſantibus, ſpem omnem præſidium à ſe petendi eriperent. Ipſum Machiavellum, quamvis non Principi ſed Domino præcepta componentem, arces ut noxias diſſuadere. Multas urbes, & noviſſimè Emdam eo onere Patres, non ſine laude ſua, levaviſſe. Pari indulgentiâ in Groninganos eſſent, & confiderent, pro uno caſtello, infinita ſe munimenta, innumeras arces civium in animis habituros.* Adverſum ea Patres ob oculos ponere Groninganis, ut ante XX annos nonnulli in Hiſpanum proni, & turbidi ambitioſique homines, ſub ſpecie civitatis in Omlandos jus perſequendi, Groningam à communi fœdere àvulſiſſent, & contra datam fidem, contra juſiurandum, in hoſtilia tranſtuliſſent; ut Reformati cives, quorum opera in defendendis legibus abuſi fuiſſent, dati in carcerem, acti in exilium, & illicita in Omlandos dominatio cœpta, agrorum quicquid ab ortu Rheno jaceret, vaſtatum, corruptumque; centena aliquot familiarum millia everſa, fortuniſque provoluta; denique hominum amplius viginti millia interfecta forent. Horum mercedem facinorum ab Hiſpano poſtulaſſe & obtinuiſſe eos, fœdiſſimos premendæ Omlandiæ codicillos: quin & auſos jam, poſtquam in fœdus rurſum coaluerint, ad eos provocare; Patrum autoritati, judicum pronunciatis obſiſtere, ac arrogantiſſime jactitare, nullam ſe agnoſcere ſententiam, niſi legibus ſuis per omnia congruentem. Quibus verbis Hiſpanorum eos indulgentiam deſignare, & manifeſtis oſtendere documentis, Hiſpanica ambitione, & inquietis ingenijs, ut olim, ita nunc quoque Senatum regi; hunc civibus oggerere, obſervandas rerum mutationes; hunc ubi de perficiendo judicum decreto agatur, ſeditionem, motus, & nulla non mala impendere dictitare. Tributa vectigaliaque ab ijs retenta, apertè recuſatos domuum cenſus, publicas pecunias profligatas, prohibitum nequis vectigalia tributave eorum ſuo ære redimeret, qui redemiſſent carceri incluſos: denique pro lubidine ærarium exhauſtum, aut profuſum, & his modis pariter ſpretam judicum autoritatẽ, & debitis non ſolutis commune fœdus violatum. Nihil adverſum hæc legationes, nihil monitus valuiſſe, & juſtiſſimum Patribus metum injectum, ne qui inexcuſanda auſi, debita inſuper ſupra ſpem diſſolvendi accreſcere indies petulanter permiſiſſent, novam defectionem molirentur, & incendium premerent, non niſi publico excidio exſtinguendum. Quod ad pactiones ac fœdus toties ruptum provocarent, abſurdum nec audiendum,

neque

cIↃIↃ c. neque vitio Patribus vertendum eſſe, quod ſecuritati rerum ſuarum conſulere velint. Arcem quantum pravis terroris, tantum fiduciæ bonis allaturam: illis licentiam peccandi adimi, horum innocentiam hoc præſidio tutam. Et cognitâ re omnes qua Belgarum, qua exteras urbes nationeſque, Patrum conſilium probaturas: quîs ſciant nec animum, nec poteſtatem eſſe, cujuſquam in damnum arcibus abutendi: ſervandæque Groningæ, & prohibendæ, quàm ante in finitimos exercuiſſet, dominationi, non aliud remedium eſſe, quàm ut arce coërceatur. Hæc reſponſa Groninganis: ſimul opus celerabatur, quo minore præſidio defendi, & militum opera alijs locis uſurpari poſſet. Itaque quotidie mille ducenti milites centenis primum & L, mox CCCC carris, operi intenti cernebantur. Friſij pro militum numero vehicula mille ducenta, ligones, cæterumque inſtrumentum ſubmiſere: affixiſque paſſim ſchedulis, quicumque laboribus promtos ſe profitebantur, Groningam ire juſſerunt, multum intenti properandæ arcis conſummationi. Non tamen adhuc civibus ſatis creditum, ſerio agi id, quo nunquam deſcenſuros Patres rebantur. Jamque tertiâ operis parte perfecta, cuncta in ſpeciem tantùm, & ſe terrendis fieri, ac ſimul ad obſequium rediiſſent, ceſſatura exiſtimabant. Quamobrem iteratò miſſis Hagam legatis, quæcumque imperarentur facturos ſe obtulerunt, etiam obſidibus cavere velle, & tribus quibuſque menſibus, revocatis illis, alios ſucceſſuros, ut ſemper potiſſimis è familijs urbis, complures Patrum in manu forent. Orabant præterea tum Groningæ tum Omlandorum legati, ut ſuper tributis vectigalibuſque debitis, cum Patribus colloqui liceret. Sed rejecta omnia, & primò quadringenta millia florenorum appendere juſſi. Hanc ob ſeveritatem non minores querimoniæ ortæ, quam priora ob neceſſitatem laudata fuerant. Quæ inter Friſiorum quoque contentiones diverſas ſuſpiciones peperere. Conventus, poſt multam dilationem, ad ultimum præproperè indicitur. Dignitates publicæ, ambitu obtinebantur, & mutuo datis ſuffragijs. Sed princeps controverſia exſtitit, ſuper Quæſtore Friſiorum in Dixteræ locum ſurrogando. Gerendo bello quadringenta florenorum millia decernuntur, exigua ſane pro neceſſitate ſumma, neque cogitabant, nationum cæteris eundem ad modum tributa vectigaliaque ſua minuentibus, patriam hoſtibus prædam objici. Quin auſum nonnullis palam dicere, licet Friſij Remp. negligerent, non tamen Hollandos omiſſuros. Ne Friſiorum quidem legati, qui Patrum Fœderatorum conventibus aut caſtris adfuerant, officium ſuum implere in demonſtranda apud ſuos neceſſitate Reip. aut quantum ſuſtinendo hoſti requireretur; ſed quiſque pro ſe auram popularem captare, apiſcendis dignitatibus, aut, ſi conſecuti erant, retinendis. Obſervatum, fuiſſe, qui vino, cereviſiæ, & uſtili glebæ imponi tributa poſtularent, non publici caritate aut curâ, cæterum quia infinitæ rem contentionis, & ſibi interea firmandis partibus ſuis otium fore prævidebant. Nec agri abnuere. Verùm poſtulantibus urbibus, ut jumenta conſitaque arva cenſibus adſcriberentur, pagi, quis armenta & ager minus fœcunda erant, nullo modo paſſuros ſe reſponderunt. Qui memoratæ jam factionis erant, ſub ſpecie hujus controverſiæ, huc incubuere, ut Patrum Delegati alio ſedem transferrent; perfeceruntque ut à tribus Gois, quod diximus tributum, decerneretur. Civitates conjurant, non perpeſſuras, ut à quoquam tributa vectigaliaque hæc conducerentur: etenim in cives univerſum onus redundare, ſuis jumentis parcere agros querebantur. Progrediuntur tamen adverſarij, tanquam ex officio urbes tenerentur, ſuffragiorum hac parte majorem numerum ſequi: affigunt templorum valvis, urbiumque portis ſchedulas, quis diem & tempus ſtatuunt, licitandis vectigalibus. Franequeræ nullæ ſchedulæ panguntur, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

quam ſedem imperij deinceps fore, & habitantibus tributa vectigaliaque cIↄIↄ c. quæ debebant condonaturos ſe, & in poſterum id genus onerum levamentum clam promiſerant. Hujus compendij ſpe illecti Franequeræ magiſtratus ab urbium cæteris deficiunt, ac Oſtergoæ, Weſtergoæque Delegatis pollicentur claves urbis ſuæ, poteſtatem ſigni excubijs dandi, Conſules Senatumque quotannis legendi, denique & præſidij imponendi. His peractis, quatuor utriuſque Goæ legati, cum Friſiorum ſigillo & ſcribâ, Leovardiâ Franequeram contendunt, multum jam profectum rati, convulſaſque ſeceſſione urbium vires, & munito loco acquiſito, unde pro imperio loqui, & judicum conſeſſus autoritatem ſpernere poſſent. Exin confirmandis ſuorum viribus, ejuſdem factionis Weſtergoanæ impulſu conſtituitur, ut in poſterum pecunias ſuas nequaquam communi ærario inferrent; ſed proprium ipſi quæſtorem (quando de univerſali haud conveniebat) haberent: ut pro magnitudine vectigalium ac tributorum ſuorum, quæ tres univerſæ ſummæ partes faciebant, præfectorum quoque & Centurionum pleroſque ſibi conciliarent. Oſtergoani, qui proximi his opulentiâ erant, exemplum ſequi ſtatuerunt: quâ de cauſſa Septemſylvani, cæteris humiliores, urbibus ſe aggregant. Nam, quamvis in cenſibus imperandis Goarum ſententiæ accedentes, diſceſſionem factam indignabantur; & imprimis diviſas pecunias: quippe videbant ſequens, ut regimen ſcinderetur, & quem penes pecuniæ plurimum, eundem penes ſumma rerum fore. Nec verebatur palam diverſa factio jacere, autoritatem cuique deberi proportione eorum, quæ in publicum conferret. Contra hæc adverſarij dictitare, nationes earumque membra æqualia in ſuffragijs ferundis, nec inter ſocios ditiori quicquam in inferiorem juris eſſe. Hunc in modum duas in ſectas ſciſſa Reſp. rectorumque pars Leovardiæ morabatur, ubi urbium Delegati effractis clauſtris, indices publicos, literas, actaque produxere, quia claves ſecum ſcriba abſtulerat. Pars altera Franequeræ agens, urbes dominari pagis, nobileſque, & hæreditario jure agrorum poſſeſſores, opprimere velle paſſim ſpargebat. In hos univerſum belli onus rejicere, illas obſtare cenſibus, quis opulenti mercatores, alijque, qui nihil agri poſſiderent, in partem onerum publicorum venirent. Hæc publicè differre, interea clam Franequeranis polliceri, eorum tributa vectigaliaque à nemine conductum iri: eadem quoque Harlinganis, ſi ad ſe tranſirent, promiſere. Quæ ubi reliquis comperta, adverterunt nequaquam verbis facta congruere, & alia in vulgus ſpargi, alia Goanos agitare. His diſcordijs componendis, præter novum conventum, remedium non erat: quem à Naſſovio indici Septemſylvani urbeſque poſtulabant. Franequerana factio, verita ne in conventu à multis deſtituerentur, acriter obſiſtere, anceps Reip. anceps Patribus clamitantes, ſi Præfecto poteſtas daretur cogendi conventus. Naſſovius incertus agebatur: dum ambitionis apud hos, ignaviæ & inconſtantiæ apud illos crimen metuit. Nihilominus, conceſſum jus uſurpans, conventum Leovardiam indicit, quia Franequeræ quatuor tantùm Delegati, Leovardiæ quini erant: ſimul quòd quamvis paribus ſuffragijs nupera veteribus & longinqui uſus cedunt, imprimis tali novatione, quam conſpiratione paucorum nec ſponte imperantium cœptam ſciebat. Sed Franequerani contrarij plane argumenti codicillis omnes agrarios prætores vetuere accipere aut obſequi Naſſovij literis. Adjecere minas, ſi contra actum cuiquam viderent, & inſectationes Septemſylvanæ urbiumque, quod juris id Naſſovio tribuerent; contra juſiurandum ſuum, contra decus & ſalutem patriæ. Liceſtrij Belgarum imperium affectantis eum veſtigia premere. His literis pravorum in ſua pronos accenderunt; adeò ut Leovardiam præter Septemſylvanos atque Urbes conveniret nemo. Reliqui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ c. Franequeram collecti, ad unum omnes eadem cupere. Suadebat quidem Naſſovius ſuâ & nonnullorũ è judicibus operâ, quos maxime partium ſtudio vacare putarent, componi controverſias, aut arbitrio eorundem permitti, promtis huc Septemſylvanis atque Urbibus. At cæteri mirari ſe reſponderunt, peti, ut ſuper manifeſtis conventus decretis arbitrium caperent, quomodo viam aperiri Friſiorum præfectis, cuncta Patribus placita evertendi. Guilhelmus & hæc fruſtra eſſe animadvertens, proponit, uti medio Leovardiam inter & Franequeram loco convenirent, ac in contentionibus diſceptandis, ſuâ & quorundam ex conſeſſu judicum operâ uterentur. Reſponſum à Goanis eſt, non abnuere ſe; ſed non ejus momenti rem eſſe, quin ſine ſequeſtris tranſigere omnia Patres poſſent. Sed quamvis congreſſi, manſerunt infenſi & diſcordes. Naſſovius diſſidiorum pertæſus, cum Groningâ, ubi arcis opus imperfectum, mœnia urbis diſiecta, civium infenſæ mentes erant, diutius ſine periculo abeſſe nequiret, & contentiones potiſſimum ambitione agitari animadverteret: Septemſylvanis urbibuſque perſuadet, ut publici boni cauſſa privatim ſtudia in nonnullis, quos ærario præfici volebant, omitterent, lectumque ab Oſtergoanis Quæſtorem ſuis ſuffragijs juvarent: quâ re ab Weſtergoanis Oſtergoa, quantum ad pecuniarum negotium, divellebatur, multique è Weſtergoanis Heſſelo Bootſmæ (id recens lecto Quæſtori nomen erat) ſanguine juncti in partes trahebantur. Dehinc rogatur ab Septemſylvanis urbibuſque conſeſſus judicum, ut in factionis autores inquirerent, cognitâque cauſſa exemplum ſtatuerent. Ita nonnulli à judicibus citantur, reddendæ rationi, quòd Remp. diſtraxiſſent, ſigillum actaque publica clam abſtuliſſent, quod denique ſeditioſe multa ſcripſiſſent egiſſentque. At illi inſectari judices, tanquam contra juſiurandum regimini ſe interponentes; eoſdemque Franequeram ad dicendam cauſſam vocare. Etiam conſilia ineunt de novo judicum conſeſſu, novo Friſiæ Procuratore inſtituendo: judicum nonnullos comprehendunt, miniſtros eorundem & viatores contumelioſe habitos, carceri intrudunt. Progreditur nihilo ſecius judicum conſeſſus, & tanquam obſequij oblitos, condemnat, uti ad tempus dignitates publicas ponerent, referuntur quoque in indices bona eorum. Cæterum ubi, per Franequeranum magiſtratum judicij exſecutione impeditâ, milites ſcripſere, & Quæſtoribus agrorum ſibi tributa vectigaliaque annumerare coactis, eo ære, quod Fœderatis Patribus debebatur, dilectus ad defenſionem ſui habituros interminabantur, monitus eſt à judicum conſeſſu Naſſovius, ut eorum autoritatem defenderet. Mittuntur Groningâ duæ centuriæ, quæ, compulſis in urbem Franequeranis militibus, publicas pecunias Leovardiam conferri ex agris fecere. Exin quoque naves Franequeranas merceſque detinent, donec damnatorum cauſſam cives relinquerent. Sed illi obſtinati manſerunt, & armorum, pyrij pulveris, globorum, glandium maximâ vi coëmtâ, cum centurionibus quibuſdam conſilia miſcent, ſcribendis militibus ſexcentis. Hæc audacius Fœderatorum Patrum fiduciâ, quorum conciliaverant animos, dum cenſus apud nationum cæteras receptos, etiam in Friſiam inducturos ſe pollicentur. Gnarum id Naſſovio. Itaque per literas monuit Patres ſubeſſe dolum. Quare factioſos in poſterum ne foverent; ſin perſeverarent, primum in damnis & dolore illorum locum fore. Has factiones in majus vero rumores differebant, ſummo omnium qui Fœderatis cupiebant mœrore. Hoſtes lætari, & Bruxellis paſſim excuſi libelli de turbis Friſiorum circumferebantur: quas augeri votorum illis ſumma. Britanniæ Regina civile bellum verita, ire nonnullos ad Patres juſſit, concordiam ſuaſuros. Illi in Friſiam legatos miſere, parum Friſijs gratos; quippe gnaris, Fœderatos Patres ſuum ex diſcordijs quæſtum quærere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

quærere, & imponere cenſus velle, apud omnes nationes, præter ſuam, cIↄIↄ
receptos. Simul verebantur, ne Hollandi æquatas factionum vires, & ſuo c.
ab arbitrio pendere utramque vellent. Etenim cùm facilè reddi concordiæ Friſij poſſent, ſi paullum modò Goani animos demitterent, legati (& potiſſimi Hollandorum erant) adverſus conſeſſum judicum, eorundem pertinaciam auxere, dictitando, nondum liquere, jure, an præter leges, quidquam patraviſſent: ſed iniqua Septemſylvanos, urbes, & judices facere, quando in foro decidi publicas res velint. Peſſumdari hâc re Patrum autoritatem, & occaſionem judicum conſeſſibus dari regimen in ſe trahendi. Contra ea urbes, cæterique, dicere, rectorum delicta nequaquam ad Remp. pertinere. Magiſtratus perinde, ac privatos, in his, quæ contra patrias leges fecerint, judicum ſententiæ ſubditos. Fruſtra timeri, ne judices ſummam imperij invadant. Ærarium, dignitates, honores, pœnas, præmia, & quibuſcumque amici parentur, manere in manu Patrum, aut quos illi præeſſe rebus voluiſſent. Judicibus odioſa tantùm relinqui, arbitrium vitæ & necis, poteſtatem bona alterius alteri adjudicandi: in quibus lege eos teneri, nec gratificari cuiquam aut condonare meritas pœnas poſſe: ſemper paratum illis odium atque inſectationes eorum, qui cauſſa caderent, ſuperiorum nullas, aut raras grates: quippe qui non favore judicum, ſed debita innocentiæ præmia obtinuiſſe ſe crederent. Semper ſe ita exiſtimaſſe, Fœderatos Patres, ſi quem ſpernere autoritatem judicum vidiſſent, monituros fuiſſe. Quo magis mirari ſe, quod ab ijs accuſentur, velut nimium judicibus tribuentes. Si reliquarum nationum Patres ancipitem ſibi judicum autoritatem arbitrentur, ſibi contrà certum eſſe, hoc munimento regimen niti. Nullam ſe majorem libertatem expoſcere, quam ut jus vigeat, ut ſummi huic perinde atque infimi ſubſint: nec conſultum putare, ut in controverſijs, plus quam fas & æquum, cujuſquam faſtigium valeat. Id ſi Patres improbent, primos ſe damnari, quòd jus nimium venerati eſſent. His de cauſſis Friſij, Patrum præteritis legatis, octo indigenas delegere, pleno jure diſſidia & controverſias definiendi. Opportuna hæc Naſſovio erat occaſio premendæ factioni Roordanæ: ſed ille ſatis habuit, publicæ tranquillitati ſimul & quieti conſuluiſſe. Itaque hortari etiam, ut clementer privati haberentur, neu cujuſquam famæ aut bonis vis fieret. Adeoque amicorum optimum quemque offendit, quòd evertere æmulos cum quiret, occaſione haud uteretur. Arbitri igitur ita moderati ſunt, uti & judicibus integra exiſtimatio ac honos ſuus, & nihilominus damnatis illæſa fama, & anteacta ſine pœna manerent. Qua ſententia ut nec huic, neque illi parti plene ſatisfactum, ita neutra uſque adeo offenſa, ut pretij putaret novas quæſtiones movere. Dein redeunt priores controverſiæ ſuper cenſibus, quibus inducendis, priora diſſidia Patres aluerant, ſeque Franequeranis junxerant, infirmis niſi huic munimento inſtitiſſent: nam nec urbes munitas, nec militem, aut fautorum tantùm habebant, quin prope à ſolis viatoribus conſeſſus judicum cogi ad obſequium poſſent. Friſij penè omnes, qua urbani, qua agrarij, in eo conveniebant, cenſus, ut in Hollandia Zelandiaque obtinebant, ſuæ terræ intolerabiles eſſe: haud abnuentes interea partem onerum belli tolerare, quæ è fundis, quis hactenus incubuerant, peti nequibant. Sed dicere, non eſſe Hollandis, aut Zelandis, quod quererentur, quando ipſi portionem ſuam in commune conferrent; unde æs corraderent illorum non intereſſe. Contrà Hollandi & Zelandi dictitabant, non minoris referre, quibus modis, quàm ut pecuniæ conferrentur. Nullâ ratione ſuam ſe portionem colligere poſſe, abſque his cenſibus: quos neceſſariò iterum remittendos, ſi plebes ſocias nationes ab ijs immunes videat: æqualitate omnium animos continendos. Has

inter

cIↄIↄc. inter controverſias manifeſtè obſervatum, pariter & urbes, & Goas Friſicas, cenſus reformidare, ſed abnuere neutros audere, metu Fœderatorum Patrum, quorum favore indigebant. Itaque promtos ſe palam ſimulare; ſed ſecreto nihil non morandis ijſdem tentare, & pro ſe quiſque anniti, ut invidiam denegatæ rei in alterum conjiceret, ſeque oneri ſubduceret. His atque hujuſmodi rebus conventus Octobri menſe cœptus demum Martio ſequentis annis mittitur. Cenſuum pars perrogata. Tum publicæ dignitates fœdè emendicatis, emtis, aut permutatis ſuffragijs diſtribuuntur. Sæpe ubi paribus ſuffragijs, ad noviſſimum aliquem & humilis loci vel autoritatis ventum erat, qui ſuo unius ſuffragio, ingentis rem momenti huc vel illuc inclinare poſſet, mille artes excogitari occupando ejus animo; aut congeri honores, quos ob humilitatem ſuam ne ſperare quidem auſus unquam fuiſſet; quin &, ſi nulla dignitas vacabat, digniores movebantur. Sed me corruptos referentem mores, nemo exiſtimet, Friſiorum quærere ignominiam: erant profecto, & complures boni, qui pravas artes non ſine dolore aſpectarent, qui omnia tentantes remedia, perfecere, ut decretum fieret, nequis duas eodem tempore dignitates fungeretur. Delegati, Quæſtores, rei maritimæ conſiliarij non ultra biennium, adlecti in Fœderatorum Patrum conventum, aut Senatum, non ſupra tertium annum in ijſdem honoribus manerent: denique ne ſuffragio quis aut ſemetipſum, aut propinquorum quenquam juvaret. Interea Comes Palatinus, perficiendis quæ illi cum Patribus cœpta ſuperius memoravimus, ipſe cum Joanne Naſſovio ad Haſſiæ Comitem, Brunſvici, Saxoniæ Duces, ad Brandeburgicum, alioſque proficiſcitur, & cum exiguam contrahendi exercitus ſpem videret, ut pecuniam conferrent laborabat. Ipſe ſuo nomine centena florenorum millia Patribus miſit, rogatis Principum reliquis, ut exemplum ſequerentur. Monſtrabat Albertum inaugurationis tempore pollicitum, ad Rhenum ſe deinceps bellum geſturum, quo Flandris Arteſijs, Hannonijſque parceret. Nec dubitandum, quin promiſſa impleturus ſit: etenim alioqui perituras illi facultates ducendo bello, deſcituros ſubditos: itaque Juliacenſium in ſolo (& cuivis gnarum, quid non juris in eos Burgundica ſibi domus vindicaret) caſtra poſiturum, occupaturum itinera ad Rhenum, unde eâdem ſub ſpecie promtum illi ad Viſurgim uſque excurrere, ubi Vlotam arcem Cliviæ Dux habeat. Favere ei Clivios, Juliacum, Monaſterienſem ditionem, & Coloniam. Gallum cum Hiſpano Sabaudoque pacem feciſſe. Jam agere de ea Britannos: & forſan Belgas ab omnibus deſtitutos, oblatas ab Alberto conditiones, præſertim ſi, quod libens facturus ſit, liberaliora polliceatur, accepturos. Tum verò univerſam belli molem in Haſſiam, Brunſvicum, & conterminas terras, redundaturam; idque non modo ex ſolito humanarum rerum curſu, verum & innata Burgundicæ domui ambitione colligi. Adhæc quamvis factâ pace militem Juliacenſium agro deducere Albertus nitatur, fieri poſſe ut abire ille niſi ſolutis ſtipendijs abnuat: & debitorum eam eſſe magnitudinem, ut ne Hiſpaniarum quidem Rex luendo ſit. Adeo ut compluribus Principum Germaniæ, in Weſtfalia, inferiore Saxonia, & Rheno adſitis tractibus, (quîs tum neceſſitudines ſuæ, tum antiqua fœdera auxilia præſtare Brandeburgicum alioſque adſtringant) ſuſtentanda præſidia ſint, & defendendi fines adverſus avidam pecuniæ, & finitimis ſuis gravem gentem, ut hactenus à Fœderatis factitatum ſcirent. Hinc Brunſvicenſibus, hinc Haſſis, eorumque conterminis (quorum in ditionem jus ſe prætendere jam ſuperiore anno hoſtiliter tentatis Hiſpani oſtendiſſent) perpetuum bellum fore. Nondum exoluiſſe memoriam, quîs artibus Monaſterienſium terram invadere, inque eâ belli figere ſedem Albanus tentaviſſet; quamvis nullo tum,

ſaltem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſaltem qualis nunc videatur, honeſto obtentu. Id Hiſpanorum ingenium, eam naturam eſſe, ut haud facilè ſemel occupata dimittant. Colonienſem Epiſcopum, licet gratiâ apud eos pollentem, tamdiu recuperandæ Berkæ nequidquam laboraſſe, & paratis urbem reſtituere Patribus, repentino obſidio Hiſpanos prævertiſſe, tametſi monitos ab Epiſcopo de cunctis, quæ cum Patribus egiſſet. Reputandum etiam, coaleſcentibus in pacem potentibus populis, plerumque paullò pòſt omnem in finitimos tempeſtatem devolutam. Et ſi eodem tempore pacem in Belgica Hiſpani, in Hungaria Cæſar apiſceretur; Auguſtanos Principes primos amborum hoſtes fore: quibus & veterani militis vis ingens in promtu, nec opportunior ulla materies laboribus ſit, quàm ut inveterata odia in omnes circa ſacra diverſum ſentientes effundant. Quippe à multo jam tempore fœderibus, ac conjurationibus, huc cuncta ſua Pontificios principes direxiſſe, neque exſequi deſtinata valere, donec Belgarum bella Hiſpanum diſtinerent. Ne longiùs quidem ſitos Principes ſatis rebus ſuis fidere, aut abeſſe ſe à periculo putare: quippe ſuperiore anno complures tractus, omnium penè judicio, extra metum & vim poſitos, vaſtatos eſſe. Quare ut paullatim incendium ulteriùs proceſſiſſet, & ab Rheno Moſellam, hinc Viſurgim attigiſſet: ita nunc quoque ambiguum, quorum prima, quorum poſtrema, an denique omnium eadem ſimul pericula futura ſint. Utcumque res caderet, ſibi ſanè minorem, quàm reliquis, timendi cauſſam: nam pervadendas primò alienas ditiones, quîs ſuæ cingerentur: & in his Gallorum regnum, quod non temere perrepturi eſſent Hiſpani, offendendi Regis metu. Sed Sacri Imperij ſe damna & opprobrium metuere. Intereſſe id Brandeburgici, aliorumque Principum; quîs inſuper hæreditate Cliviorum principatus deberetur. Quandoquidem igitur in auxilijs, vel autoritate Cæſaris, cujus in Hunguria moles pluſquam nimia, & legationes ſuperiore anno ludibrio habitæ forent; quando in mutuis Germanicarum nationum auxilijs, quarum regimen complures Pontificij adminiſtrarent, fruſtra aut ſpei quidquam aut præſidij ponerent; quando militem ſcribere ac ſuſtentare Germanis Principibus grave, & fors etiam inconſultum eſſet, ut ſuperiore anno ingentem exercitum ſua confuſio perdidiſſet: autorem ſe Auguſtanis Principibus eſſe, uti exemplo Eliſabethæ, atque Italorum (qui datis mutuò pecunijs, dum bellorum tempeſtatibus tota quateretur atque hauriretur Europa, in tranquillitate agitantes, bellum procul à ſe aluiſſent) æris aliquantum Patribus ſubmitterent: quos non ulli ſua eripere, non dominari finitimis velle, ſed avitam modò libertatem, & religionem tutari ſcirent. Illis ſubſidia mitterent, quis diſtineri Hiſpani, & ab Imperio averti, poſſent. Simul ſperandum, æris inopiâ, militum turbis, ſubditorum indignatione, paullatim ita Hiſpanorum vires labefactatum iri, ut ad ultimum bello inferiores, & Imperium & Fœderatos ſui timore ſint liberaturi. Ob hæc rogare, ut Electores Principeſque cum Imperij cauſsâ, tum privata quiſque ob pericula (ut à Polono Rege ſanè Brandeburgico in Boruſſiâ metuendæ ejus Regis, & Jeſuitici Senatus artes; contrà bellicarum navium auxilia à Fœderatis exſpectanda erant) haud aſpernandam pecuniæ ſummam, ſi non antè quirent, ſaltem Francofurtenſi mercatu Patribus ſubmitterent; uti ipſe jam centum millia florenorum Patribus tranſdidiſſet. Sed nequaquam in cæteris par ſtudium. Haſſiæ Comitis impetus deferbuerat; dubium avaritiâ, an ob contentiones cum Palatino. Bruſvicenſium Dux bello inteſtino diſtinebatur, obſeſsâque Brunſvico urbe, non niſi tertiò à Cæſare juſſus abſceſſit: dein paucis pòſt diebus repetiit obſidium, tanquam brevi obſequio ſatisfeciſſet, & cœpta de integro urgere, ternaque à Cæſare nova mandata opperiri liceret, quod pro receptis judiciorum ſpatijs non ciↄIↄ c.

cIↄIↄ c. ante ſextum menſem fieri poſſe, gnarum illi, & fatigandæ interea urbis ſpes erat. Brandeburgicus, alijque nonnulli, infirmitate ſuâ ſe excuſavere. Hermannus Comes, & Carolus Nutſelus, legatus Cæſareus, viceſimâ Maji die Fœderatos Patres compellavere: & quamquam multum jam collapsâ Cæſaris Imperijque autoritas, tamen in loquendo pro veteri & vigentis Imperij majeſtate differentes, oblatâque Patribus, ut mos, Cæſaris gratiâ, *Relata Imperatoriæ majeſtati*, dixerunt, *quæ æqua, cæterùm ex officio, & pro debito obſequio, Patres reſpondiſſent, nullum ſe pedem ſoli extra Belgicam petere, aut occupare velle. Sed mirari Cæſarem, Resâ, Emmericâ, Lobitoque ab Hiſpanis reſtituto, paullò pòſt Patres denuo Imperij loca nonnulla vi adortos. Iniquè partem unam alterius pervicaciam ad ſui excuſationem allegare, & Imperium eludere. Cuique, ſi nolit hoſtis Imperij haberi, pro ſe obſequium deferundum, nec in exemplum trahenda, quæ ab alijs delinquantur. Alioqui tandem Cæſarem adactum iri, oblitos obſequij armatâ manu, aut quâ aliâ videretur ratione, reprimere, ac diſpretam Imperij majeſtatem vindicare. Si quidquam Geldris in Grавewartam juris eſſet, redderent Cliviæ Duci vi invaſam inſulam, aut ſaltem in manu arbitrorum relinquerent, tum jure diſceptarent.* Sigillatim poſt hæc nonnulla Fœderatis acta commemoravere, quæ in integrum reſtitui petebant; id ſperatum Cæſari, ſeque juſſos dictitantes reſponſum non niſi apertum referre. *Quantum ad pacem, nequaquam ſibi mandatum quidquam de eo proponere. Neque cogitarent Patres, bellantium parti alterutri invitæ eam velle Imperium obtrudere. Id modò monere, ſive pacem facerent, ſive abnuerent, non Cæſarem, non Imperium hoſtiles irruptiones, tranſitus, commercia ſublata, aut quamcumque aliam vim in poſterum toleraturos. Patres quidem continenter negando colloquia, & quæ pacem ſpectarent, rejiciendo, univerſo ſe orbi ſuſpectos reddere.* Ad ultimum, quandoquidem colloquium de pace uſque adeo averſarentur, ipſique rem omnem relinquerent arbitrio Electorum Principumque ad tractandam pacem anno MDXCIV Ratiſbonæ dilectorum, ignari quas conditiones propoſituri illi eſſent, poſtulavere, uti in inducias Patres conſentirent: effecturos quoque, ne Burgundici eas recuſarent. Patres, haud diu deliberato, Emmericâ præſidium ſuum (undecim centuriæ erant) deduxere: quippe militis ſui alijs locis indigi: nec retinere urbem, niſi novis operibus quibant, quod inconſultum viſum in ſolo alieno. Itaque dare id Cæſaris & Imperij honori dixere, adjectis poſtulatis, efficerent quoque uti Berka ab Hiſpanis redderetur. Inducias abnuerunt, additis rationibus tam gravibus, ut urgendi legatis cauſſa eſſet nulla. Dato reſponſo, paucos dies legati retinentur ſub ſpecie humanitatis, cæterùm ne ingentes navium paratus Bruxellis illorum indicio innoteſcerent. Unde per idem tempus miſſus tubicen, Baſſignio Toparchæ Hornani genere oriundo, Philippo Bentingio, atque Yperano adſeſſori, liberum acceſſum poſtulabat, quos Brabanti, Flandri, aliæque nationes, tractandæ cum patribus paci, voluntate Alberti delegerant. Reſponderunt Patres, efficerent prius Brabanti Flandrique, ut exactis Hiſpanis, caſtella & arces indigenarum in manu eſſent: tubicini cuſtodes additi, quia in Flandriam expeditio parabatur, quam in loco reddemus. Ille paucis pòſt diebus remeans, nunciat, obſecrare Brabantos Flandroſque, uti colloquij ſine morâ initium fiat, quantum ad arces, & diſceſſum Hiſpanorum facilè hæc proventura. Sed tubicinem primò Bergis ad Zomam noſtri attinuere, veriti ne nuncij præſcriptione explorator tegeretur. Emmericam Germanis redditam, nonnulli in peius trahentes, Mauritium inſectabantur, tanquam Cliviæ Ducis gratiam hîc quæſiviſſet, ut invicem Meurſæ Comitatum adipiſceretur, à Comite, paucis ante diebus defunctâ, legatam ſibi. Sed urbem Cliviæ Senatus confeſtim occupaverat, velut in feudum ante datam, & nunc

mortuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

mortuo poſſeſſore Ducis propriam. Fœderati Patres, quos exſequendæ cIↄIↄ
ſupremæ voluntati Comes delegerat, Clivios monuere, cuſtodirent Co- c.
mitatum, tanquam rationem poſtea reddituri. Decimâ Aprilis die Albertus & Iſabella convocatis ſuæ ditionis primoribus, de Rep. retulere, & molliora quam ante poſtulantes, nihil diſſimulando profeſſi ſunt turbatam Remp. multis undique malis diuturnitate inteſtini belli circumventam. Summo ſe dolore oppreſſum miſerijs populum adſpectare. Cuique gnarum afflictum Reip. ſtatum, nec ſe quæſitâ in ſpeciem oratione velare eum, aut inani quemquam ſpe lactare; ſed neque ad deſperationem adigere ſubditos velle. Eſſe ſibi bonam cauſſam, Ducem Deum, eſſe munimentum potentiſſimum Hiſpaniæ Regem, in juvandâ ſorore, promtiſſimum, nec caritate illius parente inferiorem. Dicere porro, nihil perinde gratum Patres facturos, quàm ſi conſilia ac rationes ſuggerant, quîs turbata in integrum reſtitui, perperam acta corrigi, ac patria juvari ſalus poſſit. Promtè ſe conſilia accepturos, & promtos quoque ſemper fore recipiendis in gratiam & corpori recomponendis, quos error, & quorundam temeritas tranſverſos egiſſet, atque, magno partium utriuſque damno, avulſiſſet. Sed eo jam obſtinationis eſſe provectos illos, ut hoc tempore nullis rationibus, nullâ benignitate molliri poſſint. Itaque quamdiu pax obtineri nequeat, bellum animosè parandum. In quo ipſo ſuorum conditionem longe meliorem. Quippe qui etiam ſuis viribus rebelles ſuperent, quîs nunc ſubſidia Peruviæ, totiuſque Americæ accederent, unde ducenta quinquaginta coronatorum millia quotmenſibus perciperent. Non tamen univerſa ab Hiſpanis petenda: ſuis quoque facultatibus rem Belgas gerere, & ſtipendio præſidijs, limitibus à munimentis providere debere. Eo fine hunc ab ſe conventum indictum, ſimul deliberando, quo maximè modo ex uſu publico Hiſpanicæ & Belgarum pecuniæ neceſſarios in uſus erogarentur, reſtituendæ militari diſciplinæ, & levandis onere ſubditis. Præterea quando cuique de ſuo vivendum ſit, ac Principum aulæ fiſco, privatorum res proventibus cujuſque nitantur; poſtulare, ut onera rei fiſcali impoſita diſſolvantur; interea ſufficiendas alias facultates, quîs aulam ſuam ſuſtentarent. Etenim ex quo cum Hiſpaniâ Belgica coaluiſſet, tantùm à cæteris terris fuiſſe acceptũ, ut Reges, quo à cenſibus immunes agitarent Belgæ, fiſcalem rem oppigneraverint, aut Gallico impenderint bello, adeò ut Rex nunc reditibus ſolvendis impar ſit. Rogare ut hiſce animum advertant, & conſilia conferant, velut unius parentis proles: quod ſi diſcrepare eos in nonnullis contingeret, paratos Principes, quid ſui conſilij ſententiæque ſit, exponere, quò priſtino vigori Belgarum res reddantur. Hæc Archiduces: ſed quantum ad Hiſpanicas pecunias, plus in oratione ſpeciei, quam fidei erat. Defunctum Regem, quandò plurimùm, trecenta coronatorum millia quotmenſibus, nunquam amplius, miſiſſe ſciebant: nec ſimile vero videbatur, facturum pro affine filium, quæ propria in cauſſa præſtiterat parens. At graves hoc conventu querimonias nationes movere; quas prævidens Albertus conventum, quoad potuit, moratus eſt: prohibuiſſetque convenire primores, ſi pecuniæ colligendæ aliam ullam rationem reperiſſet. Arteſij Hannonijque poſtulata apertè detrectarunt, ni promiſſæ conditiones implerentur. Brabanti, & Flandri, commerciorum uſum reduci inſtabant. Omnes tamen effrenem ſeditioſi militis licentiam deteſtari, & peſſum ituram Belgicam dicere, non ſubditorum perfidiâ, ſed Principis incuriâ maloque conſilio. Dedito, ut ſupra oſtendimus, caſtello Andreano, Velaſcius cum peditum millibus ſeptem, equitibus ſeptingentis (nam reliquus exercitus Dieſtæ, alijſque locis tumultuabatur) Berlicomi hærebat, horæ à Sylvaducis itinere, qua Graviam itur. Hâc de cauſsâ Mauritius in

cIↄIↄc. Bommeliana inſula cum centurijs IV & XX Erneſtum Naſſovium, Crepicordium contra, conſidere juſſit, qui caſtello intentus agitaret. Reſiduo milite in præſidia ad reficiendum miſſo, ipſe Hagam proficiſcitur, ubi de perſequendâ victoriâ, dum in ſeditione hoſtilis miles perſeverat, ſermones habebantur, apertè fatentibus Hollandis, adeò noviſſimis obſidijs, & quia nihil pecuniæ à nationum reliquis in publicum conferretur, ſe exhauſtos eſſe, ut quidquam novi tentare nequeant. Nihilominus ſi bellum in Flandriam transferre, ac Duinquerkam oppugnare Mauritius velit (quod oppidum ſuper privata mercatorum damna decies centenorum millium florenorum jacturam quotannis Reip. afferebat) daturos operam ut conando vires ſuas etiam ſupergrediantur. Civium tria millia illi; Zelandi (qui expeditionem hanc maximè urgebant) mille obtulerunt tutandis præſidijs, quo plus militum in exercitu eſſet. Duinquerkam quamvis multo labore, expugnari tamen poſſe, plerique judicabant. Equitem peditemq́ue navibus Oſtendam tranſmittere dabatur. Ubi caſtellorum, quis urbs undique cincta, uno in poteſtatem redacto, (tridui hic labor, nec longior futurus erat) Neoportum præter, humiliore aquarum deceſſu, Duinquerkâ tenus iter pandebatur. Machinas, & neceſſitatum cætera, navibus huc convehere nequaquam in arduo. Urbs ipſa ut antè, invalida, nec novi operis aut munitionum quidquam adjectum, unde ſpes inceſſerat, paucis diebus potiundi, priuſquam pacare ſeditioſos Albertus poſſet: qui ſi inopinis ſuperveniens obſidium moraretur, non minus animi Patribus ad prælium, quam præterito anno erat: nam, ferro manuq́ue aperiendum iter, nec ulla præterea ſpes. Propoſitum quoque ut primo Veurna ac Neoportum, expugnarentur, quibus patrandis tutum iter Oſtenda præſtabat: dein, ſi cunctari Archiducem adverterent, Duinquerka tentaretur. At Guilhelmus Naſſovius plena adeò fiduciæ conſilia non minùs mirari, quàm ſuperiore anno Patrum audaciam in prælio expoſcendo. Intelligebat, magis ab Hollandorum Zelandorumq́ue deſperatione, quam judicio aut bono conſilio profecta. Itaque licet ſibi diſſuadendo offenſam multorum & inſectationes paratas prævidebat, tamen ſalubrìa, quàm grata auribus, conſulere ſatius ratus, oſtendit Patribus, *Spem Duinquerkæ ob loci militumq́ue infirmitatem expugnandæ, priuſquam Albertus ſubveniret, exiguam eſſe. Habere id plerumque præcipitia adeò conſilia, ut vel minimo caſu, & leviſſimæ rei interventu, diſturbentur. Nec humanum ingenium id genus omnia providere. Præter ventorum tempeſtatumq́ue incerta, dum navibus omnis exercitus, & imprimis eques imponatur, dum exponatur, ſpatij abunde Archiduci augendo præſidio. Seditioſos ad tantæ rei momentum certatim concurſuros, & obſequium ſeu pollicitationibus, ſeu ut ſe culpâ priore abſolverent reſumturos, vel ſi nihil horum moveret, ituros tamen ſpe uberis & incorrupti in Flandriâ agri, ubi re bene geſtâ, plus materiæ habituri eſſent ſtipendijs impetrandis. Quod ſatis ſibi virium exiſtimarent profligandis externis auxilijs, quia equite prævalerent, id perinde, ut cætera, incertum. Peditem Alberto meliorem, tum nullam prælij neceſſitatem, qui amnes, urbes, agros pro ſe haberet, adeoq́ue otioſe aſſidendo, intercludere commeatus, & omnem ſimul uſum equitatus Fœderatis adimere poſſet. At redire Oſtendam parantes, fluminis ad Neoportum tranſitu intercludi poſſe: cujus arduum tranſiectum, quando Duinquerkam aſtu tentaret, ipſum Mauritium experiendo didiciſſe. Sin vitando huic periculo Neoportum primò oppugnaretur, hoſti tempus & otium dari milite, munimentis Duinquerkam firmandi. Neoporto defendendo prope exercitum requiri, & plus damni quam uſus allaturum: quippe circumjectis oppidulis multo milite ab Alberto auctis, prohiberi excurſiones, nec ex hoſte prædæ quidquam rapi, aut incendij metu æs extorqueri poſſe. Denique cunctis ex voto fluentibus, captam primo impetu Duinquerkam, multo*

minore

minore negotio recipere Hiſpanos poſſe, quam ſuperiore anno Bommelam, ſi opportunitate uti ſciviſſet, expugnare Mendoſa potuerit. Itaque non diutinam victoriæ lætitiam fore. cIↄIↄ c. *At hercle cæſo exercitu Remp. peſſum ituram. Nunquam perinde temeraria atque hæc conſilia audita, initave, apud tot annorum bello exercitum populum. Poſtremo utcumque Duinquerka (uti ſæpe maximæ res facillimè ſuccederent) ſeu hoſtium negligentia, & turbidis rebus, ſeu Numinis Hiſpani vires frangere cupientis, occultâ voluntate caperetur, ac retineretur; æternùm tamen culpandos ſuaſores, qui Remp. tantis periculis objeciſſent. Multò tutiore conſilio Sluſam obſideri, multò faciliùs captam retineri: nullo hic equite opus, quem interea Brabantiæ agros vaſtare poſſe; & munitionibus hoſtilem equitatum prohibere haud arduum. Simul in poteſtatem venturas naves longas, ſimul Zelandorum ſecuritati conſultum, & plus gloriæ quam Duinquerkæ expugnatione partum iri. Ad ultimum ſiquid duriùs ingrueret, Nyerhavam tutum eſſe perfugium, & aſpectante hoſte muniri poſſe. Eâdem in Flandriam, hoſtilium terrarum opulentiſſimam, bellum transferri, & Albertum adigi ad corrumpendas terras, ac facultates ſuas, quæ bellum ſuſtinerent: nec injuriæ ejus præter Axelam, Neuſamque, ulla Fœderatorum loca obnoxia eſſe.* Patres nihilominus acriter urgendo Mauritium perpulere, ut expeditionem pararet. Addebant ſpem domi militiæque turbatæ Alberti res. Nongentæ naves conquiruntur, quæ peditum centurias CXXVII, turmas V & XX, trigas ducentas, L machinas, tranſveherent: adhæc equos trahendis tormentis, aut alijs id genus centum, & annonam aliaque bello utilia. Collectus præterea ingens actuariorum navigiorum numerus, humilioribus carinis, ad exponendum in litus militem. Aſſumtæ etiam piſcatoriæ naves ducentæ, quæ exceptum excelſioribus navibus militem ad litora portarent. Denique publico mandato centenæ aliquot naves præſtò fuere, quæ poſt digreſſam claſſem ad incerta & obvenientia caſuum paratæ in Zelandia tenerentur. Diverſis tractibus, ne penitus limites nudarentur, Heuſdam juxta, Hemertanam inſulam cum ter mille militibus & turmis VIII inſidere juſſus Hohenloius. Ut primum Roterodamo & Dordrechto (nam huc cuncti convenerant) claſſis ſolvit, quamvis tempeſtate haud ſatis proſperâ, Rammekam tamen perventum eſt. Hic cum conſtantia ejuſdem venti Oſtendam profectio impediretur, Patres (quorum pars, ut tantæ rei adeſſet, unà ibat) inconſultum rati tempus & occaſionem exſpectando dimittere, ſuaſerunt, ad Philippinam (quod vocabulum caſtello Saſſum & Iſendicam interjecto) peditem equitemque & quatuor medij generis machinas exponi: qui hinc terreſtri itinere Oſtendam contenderent; & impedimenta, ac reliquus apparatus cum navibus ſequeretur. Igitur primâ luce Rammekâ digreſſi; poſt medium diei, altiore aquarum æſtu duabus horis in terram omnes copiæ exponuntur. Philippina, ſimul cum primo agmine Erneſtus Naſſovius acceſſit, dedita, & ſolo æquata eſt. Poſterâ die pronunciato uti ſenûm dierum quiſque annonam ſecum portaret, ad arcem Aſſenam ventum eſt, quam viſis tormentis, præſidiarij Hiſpani dedidere. Exin excuſo edicto moniti circumquaque pagi, nequaquam hoſtili animo exercitum acceſſiſſe: ſed Flandriæ, & cunctis eam habitantibus, ſine diſcrimine religionis, aut ordinis, ab Hiſpanorum crudelitate vindicandis: proin ſecurè quiſque in ſedibus ſuis maneret, neu rapinas, cædem, aut captivitatem vereretur: tantùm tributa pro portione eorum, quæ à Fœderatis conferrentur, appenderent: quando bella, pecunijs ſuſtentata, deficientibus illis conciderent. Quæ ne in ſpeciem tantum, aut fallendis Flandris dicta viderentur, Mauritius ſeveriſſimâ diſciplinâ militem continere, & prædatum diſcurrentes militum globos, graviter punire. Ceterùm ubi ruricolæ conſcientiâ crudelitatis in milites noſtrós exercitæ, (quippe captivos aut lento

cIↄIↄ c. igne toſtos, aut vivos adacto per maxillam unco ſuſpenſos peremerant) nihilominus diffugerent, paſſim tecta cremari, rapi, vaſtarique agri. Poſt hæc Brugam præter exercitus ducitur, longis, quomodo antè incedebant, agminibus, trinas in acies conſtipatis. Equitum nonnulli propius urbem ſuggreſſi quadringentas pecudes abegere. Brugâ alteris caſtris Oſtendam ventum eſt: in itinere Snaſkerka & Oudenburgo caſtellis ultro hoſtes profugere, incenſis tugurijs, incenſo commeatu, pyrioque pulvere, tormentis in aquas præcipitatis. Poſtridie Albertinum caſtellum, ab occaſu Oſtendæ in collibus ſitum, quatuor machinis quaſſatur, atque in deditionem accipitur. Præſidiarij cum gladijs & impedimentis, cæterùm ſine vexillis, digreſſi, & dato inſuper jurejurando, ſex menſibus proximis in Flandria non militaturos. Ita inviolati, ut antè qui Philippinam, Aſſenamque cuſtodiverant, abiere. Hæc dum terrâ geruntur, duæ & XX, quæ commeatum vehebant naves, à quatuor navibus longis deimproviſo oppreſſæ, & crudeliter cum cunctis qui inerant combuſtæ ſunt. Eæ, ſeorſim à reliquâ claſſe profectæ erant, unius modò præſidiariæ navis comitatu, quæ XVI tantùm defenſores (quorum IX in conflictu periere) & machinas exiguas vehebat. Itaque ſervare ſe, non reliquos quivit. At longæ naves, perſequentibus extemplo noſtris, cum Sluſanum capere portum nequirent, ad Blanckenbergam curſu directo, à ſenis noſtrorum bellicis circumſeſſæ ſunt, quæ dejectis ordine anchoris, ut tormenti jactu ſingulæ diſtarent, clauſas hoſtiles naves tenuere. Mauritius die uno ad Oſtendam in expugnatione Albertini caſtelli conſumto non cenſuit reliquorum caſtellorum, quæ nocere ei nequibant, oppugnatione tempus trahendum. Itaque, tametſi firmarent exploratores, Iſabellæ (id alterius caſtelli nomen eſt) centurionem, deditioni promtum, tantùm ne properando in famam peccaret, exſpectare donec tormentis vallum feriretur, Neoportum contendit, amnemque trajicit, latus urbis, quod occaſum ſpectat adgreſſurus. Hagæ Comitis per id tempus omnium in ſpem arrecti erant animi: nunciantibus ſpeculatoribus, Hamondæ, Dieſtæ, alijſque locis perſtare in ſeditione Hiſpanos. Nec vana referebant; quippe paucis ante diebus, non modò, ut ſolitum, miles in iris egerat, ſed & multos, hactenus innocentes traxerat in ſocietatem turbarum. Soranus Comes, Auguſtinus, & Marchio Antverpianus, ab Archiduce ad eos miſſi, nihil præter ludibria & contumelias retulerant. Nam, accepto menſis ſtipendio, moturos ſe ex hybernis polliciti, poſtquam datum eſt, abnuerunt. Diverſis tractibus ad Gelram, (ubi millia aliquot ſeditionem induerant) nonnulli ab Archiduce pacandis militibus miſſi, multò indigniùs habiti, cæſi, captique: quum pœna oſtentaretur, inriſere, objectantes, non hoc terrore ſe præſidijs exceſſuros. Cæterùm ad ultimum, ubi Iſabella demonſtravit, rebelles illorum ſeditione huc audaciæ prorupiſſe, ut mare tranſgreſſi, per Flandriam vagarentur, ubi ſupplicis inſtar, manus ipſa tendens oravit, ne ſe, ne maritum ſuum, neu veterem gentis gloriam deſererent, ubi denique ingentes pollicitationes additæ: confeſtim poſuere iras, pacti ut ſoli Electo, quem delegiſſent, in ſe imperium eſſet: dein uti poſt victoriam, inoffenſi quæ tenerent præſidia, urbeſque repeterent, donec ſtipendia in ſolidum numerarentur. Igitur modico præſidio, & primarijs viris, quibus obſidibus de ſervandâ fide Iſabella caverat, ibidem relictis, abſceſſere. Præter hos Albertus, quicquid caſtellis poterat militum deducit, adeò ut quibuſdam locis agundis excubijs vix juſtus numerus eſſet. Ita coactis peditum circiter millibus XI, equitibus mille quingentis, ipſe ſeu fiduciâ victoriæ, ſeu tollendæ ducum æmulationi, procedit, tantâ celeritate, ut nuncios famamque ſui præveniret. Oudenburgi & Snaſkerkæ præſidiarij, ut inopinis tantus exercitus in conſpe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIƆIƆ C.

ctum venit, promiſsâ incolumitate deditionem fecere. Snaſkerkam Eindovius centurio cum centurijs duabus cuſtodiebat; qui Hiſpanorum (nam hi agmen ducebant) fidei ſe permittens, contra pacta cum omnibus ſuis fœdè trucidatus eſt: fueruntque Hiſpani, dum ſeditioſi erant, præter ſolitum in noſtros truculenti. Pironus Centurio, Oudenburgo præſidens, cum primo agmine paciſci abnuit: ſed Archiducis exſpectato adventu, fidem tutam inviolatamque habuit. Varij Mauritium rumores diſtrahebant, quum multo demum veſpere, à milite præfecti Pironi, qui pacta Oudenburgenſibus inita, & Alberto ſignata adferebat; cognoſcit tormenta hoſtium, cum primo agmine petere tramitem Neoportum verſus ſibi paratum. His intellectis, per Ludovicum Naſſovium, qui ſecundum equeſtris militiæ gradum obtinebat, edici, nequis militum caſtris digrederetur; & Duboiſium turmæ præfectum, emitti jubet, revocandis, qui centeni aliquot numero equites pediteſque præceſſerant; additis ſimilibus in Tribunos & Centuriones mandatis. Ipſe totam noctem vigilijs extrahens, volvebat animo, quid tam improviſo caſu maximè in rem eſſet. Multùm deliberato, utiliſſimum pro neceſſitate conſilium capit hoſti obviam eundi, & prælio rem committendi. Ergo Warmondæ Toparcham, eundem claſſibus Hollandicis præpoſitum, ponte quàm maturrimè portum jungere jubet. Sed una difficultas, nec ſpes occurrendi erat, quia hanc cum omni exercitu ripam Mauritius, adverſam, quæ Oſtendæ propior, cum peditum centurijs XL, equitum turmis ſex Erneſtus Naſſovius inſederat. Quem impedito ob aquarum altitudinem tranſitu, tardo pontis auxilio, ne hoſtis opprimeret verebatur, ſimulque aut portus tranſiectum, aut iter Oſtendam impediret. Tandem placuit, imperare Erneſto, ut cum omnibus ſuis (aderant ei Edmundus cum Scotorum centurijs decem; ac vander-Notius cum totidem Zelandicis, equitumque turmis quatuor) & duobus medij generis tormentis, ad pontem contenderet, quem anguſto flumini Oudenburgum ac Neoportum inter, die priſtini Mauritius inſtraverat: atque Archiducem ſiſteret, neceſſariò illac tranſiturum, quando caſtellum Niendamum noſtri tenebant. Interea deceſſurum aquarum æſtum, & ſpatium fore rebatur tranſeundo portu. Egreſſus ſimul cum nuntio Erneſtus, ut primâ luce ſemihoram à ponte aberat, tendentem eodem hoſtem videt. Simul turmas quatuor admiſſis equis procurrere, pontemque reſcindere jubet. Sed ſerò ij venere, & Erneſtus ſpe lapſus, ante anguſtias centum in latitudinem paſſuum, quà hoſti omnino eundum erat, aciem inſtruit, non tam victoriæ ſpe, quam ne officio deeſſet. Et fortè ſitus juxtà agger opportunitatem dabat; collocandis ponè tormentis duobus, quæ priuſquam ad manus veniretur, quater in hoſtes diſploſa ſunt. Sed paullum modò ſuſtentato, multitudini ſuccubuit. Perierunt eâ pugnâ centuriones XVII, pedites univerſi, paucis exceptis. Omnes pulchrâ morte, advorſiſque vulneribus, quem vivi ceperant locum, cadaveribus ſuis texerunt: jacebant juxta confractæ haſtæ. Equites evaſerunt: cæteri ad unum omnes ab Hiſpanis trucidati. Dilata mox victoriæ fama Gandavi, Brugis, alijſque locis lætitiam, & tormentorum campanarumque ſonitus concivit. Ipſe Albertus ſuâ manu primum hoſtium agmen cecidiſſe conjugi lætus ſcripſit. Cui reſpondiſſe Iſabellam ferunt, flagranti ſe exſpectare deſiderio, quem vultum perductus ad ſe Naſſovius eſſet perlaturus. Erneſtus, nequidquam tentato ad Mauritium regreſſu, cum præfectorum duobus Oſtendæ ſe abdidit. Ibi perculſos & conſilij inopes Patres invenit; dum ſpe potiſſimâ (nam quatuor minimùm aut quinque hebdomadas pacandis ſeditioſis requiri exiſtimaverant) ſeſe dejectos vident. Momento igitur ſumma fiducia ceſſit in parem conſternationem ac metum. Necdum tamen deſpe-

rato

cIↄIↄ c. rato ob meliori cauſſæ faventem Deum, quo non aliud conclamatis penè rebus ſalubrius eſt, ſecretò cubiculi divini verbi miniſtrum Wtenbogartium, quo in viro miranda vis animi, & facundia, ardentes Numini preces & vota ſuſcipere jubent, ut deſtinatis propitius eſſet. Ipſi inter ſe, nunquam ad periculoſas adeò expeditiones Principem deinceps, niſi pronum, hortaturos dixerunt. Hohenloius ad tutandos limites cum legionibus duabus, & turmis ſex in Hollandiâ relictus, ut ingreſſos iter ſeditioſos accepit, nihil contatus maximis & ipſe itineribus ſequitur; ſed inutili labore: etenim aliquot demum poſt prælium diebus acceſſit. Quâ re convulſas noſtrorum vires, magis Erneſti clades infregit; ut & plures mille pedites equiteſque, qui in fœcundiſſima Flandriæ prædandi cauſsâ effuſi, licet omnibus vijs, omnibus ſemitis revocaturi emitterentur, maximè neceſſario tempore contrahi nequibant. Diversâ in parte quoque, priuſquam exercitus major pars Oſtendam præteriſſet, Archiduci dubitatum, an prælio decernendum foret. Ducum vetuſtiſſimus quiſque, & belli artibus præclari, Albertinum oppugnari caſtellum ſuadebant: quod tormenti jactu ab Oſtenda, in proximis mari collibus poſitum, ne horam quidem hoſtilem vim ſuſtinuiſſet. Ibi caſtra munienda. Opportunum locum eſſe, unde ſine periculo, ſine impendio vel militis unius, fame ac ſiti fatigare hoſtem, atque in extremas deducere anguſtias poſſet. Et profectò vera diſſerebant, quando Mauritio non niſi Caletum receptus, aut Oſtendam ſi iret, prius exturbandus caſtris Archidux erat. Sed jam occaſio effluxerat, & ſeditioſi, ad quos ordo ducendi agminis redierat, locum eum prætergreſſi, tanto impetu, tantis animis Neoportum tendebant, ut ſoli hoſtem debellaturi, nec cætero agmine opus fore videretur. Forteque Contreras luſtrator equitatus, qui principe in agmine pollens autoritate vir erat, ubi Fœderatorum ſolvere naves vidit, ratus quoque exercitum deportari, hortatur Archiducem, celerare iter, ſi concidere hoſtes velit, mox enim omnes in navibus fore. Nec mora penes Archiducem, quin properum illuc agmen raperet, promptior, quia ducum nonnulli, ſeditioſis faventes, hortamentis animum accendebant. adeò ut ne horæ quidem ſpatium poſt ſuperius prælium quieti daret. In tranſitu Albertini caſtelli præſidiarijs de deditione appellatis, & recuſantibus, progreditur, atque aciem ante medium diei ad Neoportum inſtruit. Duo aut tres milites è copijs Erneſti incertis itineribus elapſi, ad Mauritium venere, acceptam cladem nuntiantes. Quod ille prohibendæ militum conſternationi reticendum ratus, omnino aperto Marte decernere conſtituit. Interea relapſo maris æſtu Ludovicum Naſſovium cum turmis VIII tranſmittere portum jubet; pars vado, alij nando tranſiere. Vix tormenti jactum progreſſis in conſpectu fuit agmen ſeditioſorum, & erant equites plerique. Ludovicus Naſſovius, fallente ſpecie, fratrem Erneſtum eſſe ratus, præmittit duos qui cognoſcerent. Ut hoſtem eſſe nuntiatum eſt, trecentos admodum paſſus progreſſus reſtitit, & nuntiari Mauritio jubet, adventare quidem hoſtem, cæterùm ſe injuſſu ejus loco haud ceſſurum. Quare properaret cum peditatu, jam enim prope adeò ſuggreſſos, ut velitationem cœperint. Mauritius renuntiari Ludovico imperat, nullum ſe majus officium illâ die ab eo exſpectare, quàm ut hoſtem ſuſtineat quoad ipſe peditatum tranſmiſiſſet: jam jam cum primo agmine Verium ſubventurum. At hoſtiles equites viſo Ludovico, à tormenti jactu ſubitò conſiſtunt, & exploraturi quid in quoque ſuorū aut animi aut virtutis eſſet, exiguum numerum mittunt incipiendo prælio. Idem & Ludovico actum, & conſertis manibus capitur centurio Italus, ex quo de improſpero fratris ſui prælio intellexit Naſſovius. Quæ inter jam Verius cum Anglorum Friſiorumque legione portum vado tranſierat: & Ludovicum longiùs quàm expediret

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ c.

expediret progreſſum exiſtimans, ſuadet ut pedetentim ſe ad peditatum recipiat. Sed ille parum probato conſilio, rogat Verium, ut à tergo ſuis præſidio ſit, timorem id hoſtibus, & fiduciam ſuis allaturum ratus. Ita horæ ſpatio ſuos utrique continuere, donec adveniens Mauritius cenſuit, ut pede relato, ſiniſter primo agmini Ludovicus adſiſteret. Quâ re ſpatium illi fuit, & portum tranſeundi cum peditibus, (qui pectore, alij humeris tenus aquâ tecti inceſſere, quando pons raptim adeo perfici nequibat;) & in litore, poſtquam receſſerant fluctus, aciem pro natura locorum inſtruendi. Crebri illo portus latere colles ac tumuli viſebantur, quos juxta ſolum calloſum alto & acuto gramine obtegebatur, adeo ut inter edita collium & conciſam æſtuarijs humum, quomodo Flandriæ pleraque ſunt, vix ſpatij tantum eſſet, quod equitum inſtructam caperet aciem. His in collibus opportunum exſpectando hoſti locum Verius occupaverat, quà depreſſiore valle, arctius ima concurrebant. Ita ut planitiei quicquid interjacebat colles, & tramitem qui præter conciſas ducebat terras, inſtructo agmine compleretur, telaque è collibus ad ſemitam quam dixi adigi poſſent. Dein trinos eminentiores cæteris colles conſpicatus, condit hic in inſidijs lectiſſimos jaculatores & haſtatos mille ex primâ acie. Quorum trecenti quinquaginta Angli ex prætoriâ Mauritij cohorte primum & præminentem cæteris collem inſederunt; cujus faſtigium medio ſui à naturâ depreſſum, milites ab impendentibus locis tutos, loricæ in modum circumdabat. Centum ponè paſſibus, adſurgebat collis alter, multo editior; eum occuparunt milites ducenti prætoriam comitari cohortem ſoliti. Sed longius ad latus utriuſque collis, & æquali ab ambobus ſpatio, jacebat tertius humilior, & mari longius abſitus, ſed ardui præruptique adſcenſus: cui quingentos jaculatores Verius indit, quorum jactui pateſcebat quicquid circa campi ad conciſa æſtuarijs loca porrigebatur: eâdemque tutum utriuſque collis dexterum latus erat. Hunc juxta, & ad latus peditum primi agminis ſex medij generis machinas Mauritius collocat; quorum mox duobus proximum in collem ſubductis, defendebatur campi quodcumque interjacebat. Ponè tormenta, quia litoris anguſtiæ diduci in latitudinem copias prohibebant, prima, media, noviſſimaque acies conſtitere. Principi, in quâ Anglorum Friſiorumque legiones, Eques Verius præponitur. Angli quadripartitò, ita ut in quaque manu centuriæ ſex eſſent, & eodem in ordine ſtabant: quorum quæ duæ colli proximæ manus, de legione Horatij Verij erant. His à tergo dextræ ſtabant Friſiorum totidem catervæ, quinque centurionum, quarum altera modico ſpatio alteram præveniebat, ut præſidio invicem eſſent. Illi Hittingâ tribunitius vicarius, huic Centurio Quirinus Blauius præerat. Alteras manus duas, quæ primo in ordine ex Equitis Verij legione ſtabant, ſimiliter ad ſiniſtram Friſiorum geminæ excipiebant manus, quingentorum quæque militum, præfectis Aſſuero & Gerardo Schaio centurionibus. Verij Equitis latus oceanum juxta cum turmis quatuor Ludovicus Naſſovius occupavit, cui à tergo cum totidem turmis ſubſidio erat Marcellus Baxius. Medio agmini Everardus Comes Solmenſis præpoſitus: quod mediocri intervallo rectà à tergo primæ aciei eo ordine conſiſtebat, ut medium locum Gallica legio bipartita obtineret, dextram Helvetij, ſiniſtram Walones clauderent. Horum quod mari admovebatur latus tegebant bifariam diviſi equites, ternæ turmæ Frederici Comitis Solmenſis, & pars Duboiſio parentium, cujus turma una Oudenburgi relicta, ipſe revocandis antecurſoribus exiverat. Corbekæ Toparcha, abſente per id tempus Erneſto, noviſſimum agmen duxit, quod rectà à tergo medij conſiſtebat. Erneſti legio erat, bipartitò collocata, ut in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ c. quâque parte centuriæ eſſent ſeptenæ. Dextrum Giſtelij, ſiniſtrum latus Uchtenbrouckij legiones claudebant; quîs itidem aderant ternæ Balenij, & has præter aliæ Hamiltoni ac Heraugerij. Hic noſtri exercitus ordo. Poſtquam juſſu Mauritij Ludovicus Naſſovius pedetentim regreſſus Anglorum legioni ad latus ſtetit, inſequens Archiducis equitatus noſtrorum tormenta proxime ſuggreſſus erat. Quibus longiùs à ſuorum agmine divellendis, viſum duas ad prælium turmas emittere, mandato, ut de induſtriâ Ludovicum ponè ſemet reciperent, quo ſimulatque telis jaculatorum è collibus, & machinarum globis perturbati ordines eſſent; Hiſpani equites ad peditatum refugientes initium victoriæ Mauritio darent. Sed conſilij id, quo non aliud prudentius reperiri potuiſſet, proſpero caruit ſucceſſu, dum tormentis præfecti, ut ſuggreſſos Hiſpanos vident, opportunitatem gerendæ rei obveniſſe rati, neque exſpectato Mauritij imperio, præproperè machinas explodunt; unde evenit, ut maturè Archiducis eques ponè collem ſemet abderet. Simul novis conſilijs, & ingenti inter Duces controverſiæ præbita materies, obviamne procedendum hoſti, an in loco manentibus exſpectandus eſſet. Hoc Verius probabat, accedente Mauritio: quippe jam inſtructum agmen pro naturâ loci, diſpoſitæq́ue machinæ; nec movere ordinibus integris ingenium locorum ſinebat. Ergo aciem ibidem prælio inſtruunt. Quatuor horis utrimque infeſti exercitus conſtitere. Interea conſulendo, monendo, hortando Mauritius omnia boni Ducis implevit munia, quantum iniquo adeò tempore, & loco, & diſpare adeò copiarum numero licebat. Exin paucis, ſed acribus verbis ad conſtantiam ac fortitudinem ſuos hortatur. Redditur ab omnibus & ſingulis clamor, paratos in utrumque, & vitam non niſi cum illo velle. Tum ſolvi naves, & Oſtendam petere jubet, ut nihil in fugâ ſpei, & æquatum cum omnibus periculum ſuum oſtenderet. Pontem quoque, quamvis dehortantibus nonnullis, reſcindit. Quippe ignavis hanc fugæ viam, prævidebat; cujus initio facto, etiam fortes facilè perturbantur. Itaque & navium nonnullas, quum ſegnitie æſtus tardius attollerentur, incendit: luſtratoq́ue qui colles interjacebat campo, locum deligit diſponendis altiore æſtu equitibus. Fratrem Henricum Fredericum, octodecim annos natu, naves conſcendere jubet. Sed ille cum lachrymis obteſtatus, ne eâ ſe ignominiâ afficeret; nec degenerem ſe ad pericula dictitans, manſit in exercitu, laterique Ducis ſui individuus hærens tantam virtutem præſtitit, ut haud dubiè, ſiquis olim caſus obveniat, ingens ſibi nomen paraturus ſit. Peditem Albertus quadripartitò, & quadratis agminibus compoſuerat. In quibus tres & ſexaginta Hiſpanorum centuriæ erant, miles veteranus, permiſtaq́ue beneficiariorum ingens vis; adeò ut captum in prælio Sapenam poſtea retuliſſe Mauritio conſtet, fuiſſe ſibi unâ in legione ſeptingentos quondam ordinum ductores; nunc ſine munere, ſed ſtipendio ampliore fruentes. Eadem in legionum cæteris ratio. In fronte, Oceanum propter, haſtatorum ingens manus ſtabat, è varijs nationibus, ac nuper ſeditioſis lecta, in quâ militum fortiſſimus quiſque, ad ſubita prælij, & incerta caſuum intenti, unde ambulatoria manus nuncupabantur. Tergi ſiniſtram parvo intervallo prima acies occupaverat; duæ Hiſpanorum legiones erant, ducibus Joanne Hieronymo Mouroio, & Ludovico Villario. Ad dextram, pari ſpatio, conſtiterat medium agmen, in quo Hiſpanica legio Sapenæ, & Italica Alphonſi Davali. Ita inter utramque aciem vacabat locus quò haſtati reciperentur. In acie noviſſimâ, Barlotij, Buquoij, & Hibernica, legiones erant; quæ modico poſt ſecundam aciem intervallo ad lævam conſtitit. Eques (mille ſeptingentis non multò pauciores erant) egregio ordine in alis locatus: ut dextram, quæ mari propior, ſeditioſi, Duce Mendozâ, per

id tempus

id tempus equitatui præfecto; ſiniſtram cæteri tenerent. Germani & Belgę, ſex mille admodum, Oudenburgum Albertinumque caſtellum inter, cuſtodiendis impedimentis ſubſtiterant. Hunc in modum quatuor horę inſtruendis copijs inſumtę, cum incitatus æſtu Oceanus, utrumque exercitum intra colles compulit. Albertus poſtquam tormentis in equitem ſuum, ut oſtendimus, diſploſis, iniquiori certamine in litore frontem noſtrorum invadi intellexit, ſtatuit per inæqualia collium aggredi. Certum Mauritio erat exſpectare impetum Archiducis: quem cuncta, quę in rem forent, perluſtrantem, monuere Sapena Stanleiuſque, ducum vetuſtiſſimi, Mauritianos in plures manus diſtributos, idque haud dubiè periculoſum ſuis. Ergo ſeriò diſpicere, quomodo minores in catervas ſuos diſtribuerent. Cæterùm hoc ſubito adeò efficere arduum. Quamquam captus poſt Sapena Mauritio affirmavit, quo occurreretur malo, Principes ſe ordines plerumque primò, dein reliquos procurrere juſſiſſe. Igitur ubi, ſuperfuſo litoribus æſtu, intra colles redacti exercitus fuere, adeò ut ſoli Verio cum duabus Anglorum, & Aſſuero Schaioque cum totidem Friſiorum catervis in litore locus eſſet poſt tormenta, quæ medij generis quaterna noſtri diſpoſuerant; tam improviſus cum ſuis intra colles Albertus ſupervenit, ut exitij manifeſtus Mauritius videretur. Etenim obtentu collium non ante conſilia, aut aciem Archiducis adverterat, quàm tergis imminerent, & vix ſpatium convertendis ſignis erat. Tamen, ſecundùm Deum, exercitato in talibus militi fidens, mediam ipſe noviſſimamque aciem adequitat, & vertere ſe in dextram milites, tum procedere jubet, donec primi agminis latus noviſſima acies, hanc medium agmen prætergreſſum foret. Exin conſiſtere, & reſtituere ſe ordinibus imperat; adeo ut media extremaque acies mediocribus poſt primam ſpatijs, & obverſæ in hoſtem ſtarent. Simul & Ludovicum Naſſovium cum duplici equitum manu dextram peditatus intra colles, quo commodiſſimum loco, adſiſtere juſſerat. Mox quoque reliquum eodem equitatum è litore advocat: quia diviſo minus virium, peditique in litore tormenta ſimul & colles præſidio erant. Contrà Mendoza apud hoſtes præpoſitus equitum alę, quę mari proxima, ſeptingentos equites Hiſpanos atque Italos, ex ſeditioſis, ut dixi, delectos, continebat, ad finem uſque prælij loco non exceſſit, ſummo noſtrorum commodo, quîs equitatus numero & viribus inferior. Interea inclinatus in occaſum Sol, Mauritianos à tergo, hoſtium frontem urebat, & vento pulvis, arena, fumus, eorundem in ora volvebantur: quando equitem intra colles adducens Ludovicus, videt poſt hoſtilem peditatum à ſiniſtrâ propinquantem ſibi quadripartitam, haſtatorum, & triplicem jaculatorum equitum manum; eoſque, non exſpectato Mauritij imperio, cum ſuis, & qui Marcello Baxio parebant equitibus, invadere decernit. Et quamvis hoſtiles equites æquo campo inſtructi, numero, ut ipſe poſt Mendoza profeſſus eſt, ducenti & xx plures erant; quamvis Naſſovio, ſuper tela, dum hoſtilem peditatum tranſvehitur, denſiſſimè in eum effuſa, aggerum anguſti tramites, ob intercurrentes foſſas, tranſeundi erant, priuſquam aperto conſiſtere in campo poſſet; nihilominus magno impetu irruens hoſtem fundit, ut pars peditem ponè ſe reciperent, alij effuſâ fugâ ſub ipſa Neoporti mœnia agerentur, quo circuitu Naſſovius commodè cum ſuis ad Mauritium redijt: nam quà perruperat, interclusum iter ab Alberti reſiduo equitatu erat, qui in fugientium ſucceſſerat locum. Hæc pediti noſtro primordia fiduciæ & alacritatis fuere, ad primum hoſtium impetum, qui acerrimus, ſuſtinendum: contrà Alberti miles anxius curâ, ne tergum aut latera Mauritianus eques inveheretur. Quæ dum Ludovicus gerit, hoſtiles jaculatores, inſeſſis, qui alterum vallis latus cingebant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIɔIɔc. collibus, acriter miſſilia & ignem in noſtros ſpargere: donec, propinquante primâ ſuorum acie, quingenti Hiſpani, abſque inſignibus & vexillis, nullo ordine, quo proximum cuique erat, connituntur in collium remotiſſimum, Verio occupatum. Ille centum Anglos dextrum Hiſpanorum latus incurrere jubet; ſimulque ipſe cum militibus LX anguſto tramite degreſſus, à fronte invadit, Hiſpanoſque ad principem ſuorum aciem repellit. Succurrit cedentibus par numerus, & redintegrato impetu tumulos nonnullos occupant; unde tela alter in alterum ingeſſere, donec media hoſtium acies, ad lævam primo agmini adſtitit. Sed denſo glandium imbre à Friſijs effuſo referre pedem adacti, collium ſe obtentu, quantum natura locorum patiebatur, tutati ſunt, ſubmiſſis continenter auxilijs, quæ noſtros collibus, aut æquioribus in valle locis depellerent. Nec omittebat Verius ubicumque opus feſſis novos, ſaucijs integros ſubmittere. Ita acre certamen exarſit, dubio diu Marte, & nunc his, nunc illis cedentibus. Accendebat animos æmulatio nationum. Hiſpani ſuper ingenitum faſtum, & contemtum hoſtium, jactabant invictas legiones, non fugatas, non cæſas unquam, & adeò hoſtibus terribiles, ut hactenus aperto Marte ne quidem congredi auſi fuiſſent. Unde velut certi victorię, in prælium & pericula audaciſſimè ruebant. Contrà Belgis validus ſtimulus neceſſitas, fiducia omnis ac ſpes in Imperatore atque ordine exercitus. Certantibus utriſque, Mauritius Ludovicum, cum novem turmis (ternæ longiores tubos, reliquæ breviores geſtabant) iterum adoriri jubet Archiducis equitatum, qui diſſipatorum in locum ſucceſſerat. Vix noſtri exoneratis longioribus tubis verterant ſeſe, cum Archiducis eques ingruit, & ſpargente ſimul tela peditatu, noſtri qui longioribus tubis utebantur, properè adeò & tantâ vi ad reliquas turmas repelluntur, ut Ludovici equites fugam capeſſerent. Illud maximè tempus periculoſum noſtris ea dies vidit, & ſecundùm Numen ſolus rem labantem ſtitit Mauritius: qui aſſumtis celeriter turmis duabus, exitum anguſti tramitis, quà noſtri fugiebant, obſedit, noviſſimam ipſe pugnam editurus, ni hoſtem improſperè conſerti cum Ludovico prælij memoria repreſſiſſet. Sic ſpatium fuit, quo diſperſum equitem poſt turmas ſuas rurſum colligeret: qui poſtquam inſtructi ſtetere, tertiò Ludovicum invadere in hoſtem jubet. Ille nequa, ut antè, confuſio oriretur, quinque tantùm turmis dilectis, cæteras ſubſidio ſtare, & quicumque terga dediſſent, nullo diſcrimine velut hoſtes trucidare jubet. Sed hoſtiles equites, ubi obſtinatos huc noſtros advertêre, dubium, poſt peditatumne ſe recipere vellent, à quo latâ foſsâ dirimebantur, pavore & feſtinatione longiùs ſuos prætervehuntur, adeò ut ſolus cum duabus prætorijs cohortibus Archidux relinqueretur, ita ut poſt peditatus latus alterum conſtiterat. Interea dum ſecundo Ludovicus cum hoſtili equite confligit, acerrima in collibus pugna ciebatur, utroque auxilia ſine intermiſſione ſuis ſufficiente. Jamque Angli omnes, præter eos qui in inſidias conditi erant, cominus vehementiſſimè dimicabant. Nec ſegnis hoſtis occurrere, inſtare, donec multitudine circumventi Britanni ceſſere in collem Friſijs inſeſſum, à quibus cum recipi propter inæqualitatem loci nequirent, ipſique effuſiùs ſine ordine ruunt, fortè adactus eodem tempore tormenti globus ita aciem perturbavit, ut pariter ad centeſimum paſſum repellerentur. Poſt tormenta demum animos, & pedem firmavere. Illis hunc in modum certantibus, reliquorum quoque agminum haſtati in collibus, altiſſimo ſabulo, acerrimè alter alterum urgebant, dubio Marte, & quibuſque momentis huc illuc inclinante fortunâ. Donec Mauritius (id factum paullò antè ſecundum quem dixi equitum concurſum) laborare ſuos intelligens, Balenium præfectum ſubſidio laborantibus, duas in litus

turmas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ C.

turmas rapere, & obvium quemque invadere juſſit. Balenius, militiæ vetus, ubi ingens peditum agmen perturbatum ſtare vidit, ſæpiùs in tranſitu ſpeciem jam jam incurſuri ſimulans, plurimum terroris intulit, eâdemque occaſione uſus, dubium optatus magis an inexſpectatus, Verio ſubvenit. Quippe jam cedere noſtri cœperant; Verius ipſe (cui nihil eâ die omiſſum quod militem ſtrenuum, aut prudentem Ducem deceret) gemino vulnere gravis, &, occiſo equo, à Drurio nobili Anglo in tergum equi acceptus, cum centenis aliquot militibus ad fluctus, pars in aquas jam compulſi erant. At noſtri qui tormenta curabant, ut pedites Hiſpanos ſucceſſiſſe machinis, & mox invaſuros vident, ſupremum ignem & globos, haudquaquam irrito conatu, in hoſtem ſpargunt. Etenim non modò urgentium repreſſus impetus, ſed & convulſa acies. Simul clamorem, gaudij teſtem, navales ſocij tollunt, & Balenius invadere hoſtem à Verio juſſus, vi tantâ irrupit, ut dextra ala ſeptingentorum equitum (Hiſpani atque Itali nuper ſeditioſi erant) prælium non auſa, terga daret. Ex eo verſâ fortunâ, inſtare cedentibus Mauritiani pedites, & quia locorum iniquitate diſtracti diſperſique erant, triceni quadragenique conglobare ſe, & Hiſpanorum laceratos itidem ordines perrumpere; quam ad rem magno ijs uſui erat ſuperiorum temporum exercitatio. Mendozam, famulo, nec quoquam præterea comitante, duo Hiſpani nuper transfugæ (alter quondam in turmâ ejus meruerat) agnovere, & duorum aut trium militum ope captivum Mauritio ſtitere: adeò ut noviſſimo Balenij impetu, qui tertium Ludovici incurſum mox excepit, omnis eques hoſtilis terga verteret. Ipſe Albertus, quamvis ſaluti ſuæ conſulere adactus, non eo ſine gloria fuit: quippe prælio non niſi cum poſtremis ſuorum exceſſit. Ducis exemplum univerſum ſtatim exercitum traxit: alij aliâ fugam capeſſiverunt. Hiſpanus pedes jacentes manu haſtas trahens, noſtris ſe itentidem obvertebat, vim nequidquam tentans. Barlotij, Buquoij, ac Hibernica, legiones, quæ noviſſima acies integris ordinibus otioſæ hactenus ſtantes, hortatu Boſtochij Hibernorum præfecti, immobiles reſtitere, quamquam tribunorum reliqui duo cum jaculatoribus prægreſſi, fugæ ſeſe mandaſſent. Ergo infracto agmine noſtros exſpectavere, donec Horatius Verius, ac Dommervilius, Gallorum legioni vicarij titulo præfectus, collectis aliquot centurijs impreſſionem facerent. Tunc frontem & latus haſtatis ac jaculatoribus, tergum equite circumventi, cum præfecto Boſtochio univerſi periere. Mauritius minori equitum parte ad inſectandos hoſtes emiſsâ, cæteros cum peditatu retinuit, veritus ne propinquantibus Germanis, quos præſidio reliquerat Archidux, prælium redintegraret: quod multis hoſtium ſaluti fuit. Accedebat, quod feſſus miles, propinquæ hoſtium urbes, & interſecta rivis humus, perſecutionem prohibebant. Exin nil præter cædem & fugam cerneres, ſævioribus noſtris, quod nec incruenta ipſis victoria. Simul ſociorum manes, trucidatæ Scotorum ac Zelandorum legiones, Snaſkerkæ præſidiarij perfidè interemti, iram acuebant. Et quia præter Oſtendam pleriſque fugiendum erat, erumpentes præſidiarij vindictæ cupidine, multos quoque Hiſpanorum ab equitibus noſtris pretij ſpe ſervatos interfecerunt. Ab Edmondo Scotorum Tribuno confoſſus, qui redemtionem decies mille coronatorum offerebat. Mauritius nocte in prælij loco exactâ, poſtridie Oſtendam movit, curandis ſaucijs atque ægris, dein ut exercitum ſiti prope confectum reficeret, armaque & neceſſitatum cætera conquireret. Ne tum quidem ira deſierat, ſed centuriarum aliquot exitio manibus ſociorum miles parentavit; donec tympani pulſu Mauritius edixit, ne quibus in poſterum captivis noceretur. Quos inter fuere Mendoza, Salmæ & Feriæ Comites, Ludovicus Villarius, ac Sapena, Tribuni,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ c. & centuriones, nobiles, alijque dignitate aut ordine conſpicui ad octingentos. De peremtorum numero ambigitur: quorum fides graviſſima de quinque millibus tradidere. Albertus vix effugit, qui proximi ſteterant, à cubiculo, à ſecretis, & nobilium puerorum plerique in manus venere, ignari occiſus an ſuperſtes Archidux eſſet. Vexilla pedeſtria CL, equitum ſigna terna (& in his ipſius Mendozæ ſignum) in poteſtatem venere, prætera & ſeditioſorum vexillum. Recepta quoque ſeptendecim vexilla, Erneſti clade; & XXV, inter præliandum amiſſa. E noſtris deſiderati bis mille quingenti milites, accenſis qui cum Erneſto improſpere dimicaverant; præfectorum XXXIV cecidere, non annumeratis vicarijs ac ſigniferis. Pithanum centurionem inter cadavera ſpirantem noſtri reperere, quinquaginta quinque vulneribus confoſſum, & gulâ prope præcisâ. & quanquam per fauces erumperet penè quicquid cibi aut potus ingerebatur, ſauciorum tamen nulli ante eum valetudo reddita eſt. Inventus & centurio Helvetius (Chriſtiano Joinio nomen erat) perinde vulnerum numero conſpicuus. Uterque memorandâ conſtantiâ, quem in prælio ceperant locum ad extremum, vel confoſſi retinuere. Miraculo fuere ſaucij & utrimque non pauci qui paludem ingreſſi in eâ hæſere, & multis poſt prælium diebus vivi conſpecti, ſunt; vix credito cuiquam, poſſe abſque alimentis vitam tanto ſpatio homini durare. Hunc in modum nec incruenta noſtris victoria: cæterùm memoria eo dignior, quod vix ulla unquam ſæcula prodidere tantas Hiſpanorum copias fuſas fugataſque. Albertus ſanè noſtrorum detrimento Principes Brabantiæ Flandriæque civitates ſolabatur: brevi ſe, at ſerò Fœderatos, accepta damna, ſarturos: quin & utilem cladem, ſublatis ſeditioſis. Fœderatis nihil præter gloriam victoriæ decus, inane, & ſine fructu. Cæterùm, quod præterire haud libeat, commiſſum hoc prælium eodem menſe & die eſt, quîs ante annos trecentos & duos Adolfum Cæſarem, Naſſovij generis, Albertus Auſtriacus ſuperavit cecîditque. Victoriæ decus ſoli Numini adſcribendum, cujus miranda hoc die potentia, & præter hominum opinionem eluxit: quippe utrimque inexcuſabiles errores admiſſi. Patres deliberatò exercitum ſuum noviſſimum in diſcrimen, & furcas Caudinas conjecerant; ubi non commeatus, non diſceſſus, non denique honeſtè pugnandi, ſi hoſtis abnuiſſet, ulla ſpes ſupererat. Et unius ſpe oppidi omnem in caſum Remp. dederant. Contra Hiſpani temerè prælio certavere cum deſperato hoſte, quem paucis diebus ocioſè aſſidendo fame ac ſiti enecare promtum erat: jamque dulcis aquæ penuria ſcrobes in collibus noſtri effodere cœperant. At ſi divinam providentiam juxtà, humanâ quid induſtriâ profectum, cuncta debentur Mauritij vigilantiæ, conſilijs, & alacritati, quâ militem mirum in modum accendit. Juvit quoque multum ſcientia militum, jam pridem ad varias aciei formas exercitorum, ſtudio Guilhelmi Naſſovij, qui ſepultas belli ártes, ex antiquitate in uſum revocaverat. Denique ſtimulus acerrimus noſtris, neceſſitas, & ſalutis, niſi in dexterâ, nulla ſpes. Hiſpanos hoſtium contemtus, imperitia Imperatoris perdidit. Tum quod ſummâ imprudentia prælium fatigati cum integris cœpere. Culpabat quoque Mendoza, à ſeditioſis cœptatam pugnam: quamquam talium ſæpe maxima virtus fuit. Poſtquam victoriam quaquavorſum nuncij diſtulere, varij motus in animis omnium conciti. Ineffabile gaudium horror quidam ac trepidatio interpellabat. Capiebat quiſque, à motis Belgarum rebus neutri partium tantæ decus victoriæ acquiſitum: itaque jam ruituras Alberti res, ex mutatione fortunæ pacem ad ultimum fore credebant, aut ſaltem facilius & minore periculo bellum in hoſtico gerendum. Tuta in poſterum maria, & impenſas hactenus claſſibus pecunias terreſtris fore belli ſubſidia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſidia. Simul quantum noſtris tributorum acceſſiſſet, hoſti deceſſurum. cIↄIↄ c. Imprimis autem plus Belgis apud exteros gloriæ, minorem Hiſpani & Auſtriacæ domus formidinem fore. Hinc novam fortè conſultandi materiem ijs, quos adhuc immenſæ potentiæ motus cohibuiſſet. Denique, alia etiam commoda tempus adjecturum. Sed exultantium gaudia repentinus horror turbabat, & perinde paveſcere, ac ſi noviſſimum diſcrimen impendêret. Fatebantur, ut quondam Iſraël Ægyptiorum agminibus, & Rubro mari, ſic Fœderatorum exercitum hinc hoſte, inde vaſto Oceano clauſum fuiſſe. Rurſus igitur execrari autores temerarij adeo conſilij. Florentem illum ac ditem populum, centena aliquot hominum millia, nullâ neceſſitate injecta ſupremo diſcrimini; expoſita miſerijs, oblata dedecori, & truculentiæ immaniſſimi hoſtis, ſanguinem & aurum, ſine modo ſitientis, diuturno exacerbati bello, vindictæ cupidine flagrantis, & noviſſima in ſubactos crudelitatis exempla edituri. Etenim adeò manifeſta periculi expeditio hæc fuit, ut proficiſcente ad exercitum per Hollandiæ urbes Mauritio, etiam multitudo, & quibus vix judicij quidquam, ſiniſtra quæque augurantes, Naſſovij vices miſerarentur. Nulli ſanè prudentiorum temeritas hæc & deſperata conſilia ſe probavere: & plerique mutatis repentè adeò conſilijs Reip. quoque commutationem reformidare. Quippe hactenus non præcipitatæ Patribus victoriæ, ſed cunctatio, & cauta magis ex conſilio, cum ratione, quàm proſpera ex caſu placuerant. Nunc ſimul in caſum omnem Remp. dedere. Et quibus antè, poſſeſſa retinere, loco victoriæ fuerat, ne modicis quidem rebus jam acquieſcebant. Antè ducibus certas quoque victorias oſtentantibus accedere haud ſuſtinuerant: nunc etiam ipſorum ducum judicio ancipitia conſulere, ipſos ad deſperata compellere haud dubitavere. Paucis ante expeditionem hanc diebus monuerant Naſſovium ſedulam Groningæ curam gereret, præſidiumque augeret potius quam diminueret: exin ultro ipſi urbem nudavere, utrumque Belgarum latus hoſtium injurijs exponentes. Occurrebant ſimul ad animos dura in Omlandos, ſociam gentem, imperia, & Friſiorum diſcordiæ in quæſtu habitæ, contrà quàm ſolitum Patribus. Gregarius miles, ubi in duce animos videt, rarò deſperare de fortuna ſolitus, poſt victoriam demum reputare diſcrimen cœpit: proditos fere ſe credebant, repentino & inopinato hoſtium acceſſu. Itaque mutuos in complexus ruere, gratulari alter alteri, ceu ea dies prima vitæ foret. Occurrere, prenſare commilitones, velut poſt varios rerum caſus, poſt diuturna pericula, longinquis ex oris reduces. Hunc in modum varij affectus, lætitia aut metus, pectora intrabant. Uno tamen ore omnes ſupremo Numini grates agere, & confiteri, illius curâ ſervatam Remp. incolumia ſacra eſſe. Poſt victoriam neceſſariò tridui quies militibus data, & Oſtendæ conſederunt. Nonnulli circumjecta caſtella expugnari ſuadebant, & urbem clauſtris exſolvi. Verius inſtandum fugientibus, ne ſe ex timore colligerent, & Gandavi ac Brugarum portas, uſque conſectandos putabat. Ibi alimenta exercitui, & uberiores quam ad Oſtendam agros. Simul terrore magnas quoque civitates perculſum iri, & hinc proſperorum materiem. Hollandis ac Zelandis Duinquerka in ore, in animo eſſe, ob ſperatam navigantibus ſecuritatem. Hanc obſidere, ſed primum patefaciendo itineri Neoportum redigere in poteſtatem certum illis erat. Igitur Mauritius quarto poſt prælium die Neoporto exercitum admovet. cæterùm continuis novem dierum imbribus, claudere urbem munitionibus prohibitus eſt. Quod adeo hoſti opportunum, ut ſingulis noctibus immiſſo urbi præſidio, numerum ad tria millia augeret, quorum tertiâ parte ad cuſtodiam relictâ, reliqui omnes acerrimis eruptionibus noſtros morabantur. Interea & novum Albertus exer-

citum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃC. citum conduxerat, è Germanis & Belgis; qui ad impedimenta relicti extra prælium fuerant, quis collectos ex fugâ reliquos junxit, & millia quinque oppidani militis, quem longo tempore Flandri, ad ſubita caſuum, dimidiato ære ſuſtentaverant. Iiſdem & totidem millia integro ſtipendio militabant, coërcendis Oſtendanis intenta. Hunc in modum modicæ ſtatim copiæ hoſti collectæ, ſat validæ ad defenſionem ſui, & interpellanda noſtrorum cœpta, imprimis in ſolo uliginoſo, & rivis paſſim diviſo. Igitur Albertus Dixmuidæ, mille paſſuum à Neoporto, ſuos collocat. Et Mauritius arduum ratus patrare obſidium, hinc numeroſo urbis præſidio, inde externo exercitu obſiſtente, cum ne tutò quidem eques pabularetur, vaſa conclamat, priuſquam tormenta navibus educerentur. Movet ergo caſtra, circumjecta Oſtendæ caſtella oppugnaturus, & primò Iſabellam. Sequuntur eodem Hiſpani, & propè adeò acceſſere, ut tormentis adacti globi tentorium Mauritij contingerent. Ad manus tamen rem perducere noſtri nequiverunt, defenſis foſſarum interjectu Hiſpanis, quæ quanto nuper noſtris, tanto nunc Hiſpanis præſidio erant. Luctuoſam penè Erneſti Naſſovij fato diem illam Fœderati habuiſſent: duos quippe equos, quorum altero ipſe, altero puer miniſterijs honeſtioribus fungi ſolitus, vehebatur, emiſſus è caſtello globus, cum ipſo puero abripuit. Ipſe cruore & carne fœdatus evaſit. quem amiſit vivaciſſimæ celeritatis aſturco erat, quo vehi Iſabella ſolebat. Per idem tempus tormenti globo Bourlotium, in caſtello noſtri peremerunt. Sed enim cum imminens hoſtis non hic minus arduam oppugnationem faceret, quam ad Neoportum, & nulla equites pabula proximis ex pagis petere quirent, victorioſus exercitus, abitum fugientis inſtar celerare compellitur. Igitur ituros pronuntiatum eſt, evaneſcente ſimul quidquid è victoria ſpei conceptum, erat. Primus eques claſſem conſcendit. Paucis pòſt diebus cum peditatu Mauritius ſequitur, diruto Albertino caſtello, relictiſque Oſtendæ ternis militum millibus. Albertus mox inſtaurato ſui nominis caſtello, Oſtendam ut antè claudit. Dein veritus, ne alibi noſtri incumberent, Hulſtam copias ducit, invalidum per id tempus oppidulum: & ſupra Antverpiam ad D. Bernardi navali ponte Scaldim conſternit; quò, ſi Brabantiam irrumperet Mauritius, expeditus tranſitus eſſet. Ipſe munimentis ſe & locorum præſidio tueri, & quîs ante celuſus erat artibus, noſtrorum conatibus obſiſtere, Quam ob cauſſam copias in hyberna Mauritius diſtribuit: probantibus factum, quis prudentiæ plus erat, & introſpecta gerendæ rei difficultas. At imperitior quiſque fremere, & indignari, non plus emolumenti tam celebri victoriâ quæſitum eſſe. Non reputabant, quomodo ſæpe Patres Hiſpanorum proſpera poſt magnas victorias ſtitiſſent: & poſſe ijſdem nunc artibus hoſtem adverſum Fœderatos uti. At nationibus Belgicæ hoſtilis ſtimulus hæc victoria fuit, antè dictum de pace colloquium ſeriò magis urgendi. Jamque acceptâ impunè veniendi poteſtate Bergas ad Zomam legati earum venerant, ubi congreſſi cum Patrum quibuſdam ex Flandrica expeditione remeantibus, ſpecioſa & magnifica promittebant de Archiduce & Iſabella, quos tædio belli pacem avidiſſimè expetere, nec poſtulatorum quidquam denegaturos affirmabant: cæterùm interrogati quo caverent, quicquid inter nationes conveniſſet ratum fore, neque turbaturos Hiſpanos, nihil certi reſponderunt, ſimul totum negotium infructuosè omiſſum. Eliſabetha Regina jam ſeſquiannum penè de pace tractaverat, & conceſſo Hiſpanicis legatis aditu, ſuos quoque Bruxellas legatos miſerat. Tandem & conſenſit, ut Bononiam utriuſque partis legati convenirent; magno Patrum metu, quorum tamen timorem novæ identidem ſpes ſublevabant, poſtquam audivere, integros menſes diſputari, utri ſuperiorem in conſeſſu locum haberent,

nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

nec interea ad colloquium, in quo cardo rei verſabatur, venire. Quin & abſurda Alberti poſtulata referebantur, de Brilâ ac Vliſſingâ ſibi; Pontificijs in Anglia; religionis libertate reddenda. Quæ adverſum Eliſabetham flagitaſſe reſtitutionem pecuniarum, Fœderatis Belgis anno MDLXXIIX mutuo datarum; adhæc Reformatis in Hiſpania ſacrorum libertatem. Cæterùm ut Regina Bergas ad Zomam conveniſſe noſtros, & hoſtilium Belgarum legatos intellexit; intrat eam metus ac ſuſpicio, ne Patres ſeriò negotium urgerent: itaque revocat Bononiâ legatos ſuos, ut exemplo ſuo Patres à pace dehortaretur. Per idem tempus Galliarum Rex Saluciam per vim recipere parat, dum ex ingenti promiſſorum hiatu nihil quidquam præſtare Sabaudum videt. Hic ipſe antea cum Rege congreſſus monilia centum coronatorum millibus æſtimata ei donaverat, pellici ejus quinquagena millia, tantundem Cæſari, notho Regis filio: quin & cæteros Principum Galliæ tantâ auxerat liberalitate, ut prodigentiam quiſque miraretur: at poſtquam horum vicem retinere Saluciam tentavit, Rex, nihil muneribus motus, arma expedit. Sabaudus, rurſum ad promiſſa reverſus, certis ſe conditionibus ceſſurum Saluciâ pollicetur, adeò exultante Rege, ut Belgæ, qui curandis Fœderatorum negotijs in Gallia agitabat, dixerit, primos ſe Flandricæ victoriæ fructus capturum. Nihilominus moras nectere Sabaudiæ Dux, & nunc hoc, nunc alio uti obtentu, potiſſimùm impellente Hiſpano; etenim nolle eum conſtabat, ut Gallis Longobardorum in terras aditus patefieret. neque Hiſpanum volens offendebat Sabaudus, dum ad filium ſuum omnis Hiſpaniæ imperium devolutum iri ſperat. Ob hæc Gallus diutius ludibria non tolerans, bello inſiſtit, breviſſimoque tempore Burgum Breſciæ urbem, omniaque Sabaudi oppida expugnat: ubi à Primoribus univerſæ ditionis inauguratus, fidelitatis juramentum accipit. Auditorium judicum, ac pleroſque eorum, qui publica munia fungebantur in honore priſtino reliquit, nonnullis etiam ſtipendia auxit, paucos admodum ordine movit. Dux Sabaudiæ, fugâ trans montes, Thurinum Pedemontanam urbem petit, & exercitum cogit: quamvis autem Fontanus Comes Mediolano præfectus, acceptis aliquot militum millibus ex Hiſpaniâ, palam ſe bello huic non miſcuerit: nihilominus ob clandeſtinum favorem & auxilia ſperabãt hinc Belgę novam materiem bello inter Gallum ac Hiſpanum. Ad ultimum Dux, ubi cuncta in Regis poteſtatem veniſſe, & Montæmilianum validam arcem, tormentis bellique inſtrumentis abundantem, ſed annonæ egenam, VII Novembris anni MDC jugum accepiſſe, & Regem nonnulla quoque montana loca ſubegiſſe, & generum ſuum Hiſpaniæ Regem novum bellum ſuſcipere nolle videt: ſeriò pacem petit, & à clementiſſimo Rege impetrat, honeſtioribus conditionibus, quàm ante biennium Hiſpano conceſſæ fuerant. Etenim Saluciam, cum omni tormentorum apparatu, & Centalinam terram retinuit; data Regi earum loco Breſcia, & nonnullis quę ad Rhodanum jacent terris, cum parte impenſarum belli. Sabaudiam reſtituit Rex, cæterùm arcem S. Catharinæ monti impoſitam pyrio pulvere, conſultò, ſed, ut videri volebat, fortè, diſiecit, poſteaque ſolo æquavit, magno Genevenſium gaudio. Dein Bernæ ac Genevæ patrocinio ſuſcepto, Breſciæ Præfectum Reformatæ Religionis imponit, multaque alia favoris ſui indicia Reformatis exhibens, Lugduni Eccleſiam publicè exercendis ſacris conceſſit. Theodorum Bezam, qui in caſtra venerat, complexus, parentem nuncupavit, multum frementè Pontificis legato. Præterea quemadmodum antè pactis cum Hiſpano jus in Navarram, ita hic quicquid in Niceam juris obtendebat, retinuit. Hiſpaniarum Rex, diu ambiguus, menſes aliquot hæc pacta ſancire contatus eſt, interea in Langobardiam milites indies plures CIↃIↃC.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ c. mittebat. Ad ultimum tamen ſubſcripſit conditionibus, nec militem tamen dimiſit. Unde Veneti ac Florentinus Dux, rebus ſuis metuentes, militum circiter millia viginti collegerunt. At in Belgica Fœderatorum opes expeditio Flandrica uſque adeo attriverat, ut ſuprema neceſſitas adigeret Patres nonnullos fœderis ſocios acriùs urgere ad exprimendas pecunias, quàm receptum inter arcto adeo vinculo connexos. Imprimis tamen Omlandorum ac Drenthanorum dura conditio fuit. Excogitabatur anxiè, quicquid proventus augeret, quò maritimus ac terreſtris miles ſub diſciplinâ retineretur. Etiam acriùs animadverſum, ne qua in recenſendis militibus fraus fieret, biniq́ue Centuriones, quia falsò numero delato quæſtui militem habuerant, ordine moti, magno ſuo dedecore, tametſi alter propinquos in ipſo Patrum conſeſſu haberet: quod à x v annis, quo ſpatio multiplices fraudes animadverſæ, detectæq́ue, factitatum haud erat. Intenduntur vectigalia ab Hollandis, Geldris, Ultrajectinis, Groninganis, & Omlandis. Promtos eodem Tranſiſalanos prohibuerunt Swollani, quorum pervicaciam diu diſſimulatam, ad ultimum Fœderati Patres coërcendam rati, bellicam navem ad catarractam (Nigræ nomen eſt) diſpoſuerunt; quæ impedito commerciorum uſu, perpulit eos inſtituere vectigalia. Sed maximè omnium grave alienum æs rei maritimę præfecti contraxerant, ex quo claſſis ad D. Thomæ inſulam profecta: quæ maximo apparata impendio, prædę vix quidquam retulerat. Tardè navalium ſociorum ſtipendia procedebant, & quatuor apud Zelandos bellicę naves ſeditionem cœptavere, unius & x l menſium ſtipendia poſtulantes: dimidiam, quę offerebatur, partem aſpernabantur. Ante omnia cunctis in metu eſſe, ne Oceanũ quæ ingreſſæ erant naves, Duinquerkam in hoſtilia abirent. Etiam mercatores queri, abrupta commercia, & navigandi uſum. Severè tamen edictum exerceri jubebant Hiſpaniarum Rex & Albertus, clauſi obfirmatiq́ue adverſus ſubditorum querelas & damna, & conceptam ſpem acrius quotidie rapiebant, poſſe hâc re fatigari Belgas, atque ad extremas compelli anguſtias. Procedebant quidem, ut antè, navigationes in Americam atque Indiam, & Moluccis Javaque inſula remeantes hâc æſtate naves opes ingentes advexerant, adeò ut mercatores, quorum ære paratę erant, ſuper ſortem, quę in ſocietate manebat, pro nummo uno quaternos haberent: unde inſequente hyeme multę illuc naves contenderunt, adeò ut eodem tempore tricenę circiter in itinere eſſent; ſed quæſtum hunc pauci tantum ex opulentioribus capiebant, quîs grave haud erat longi temporis interuſurium pati. Vulgo autem rurſum deſiderabatur negotiatio cum finitimis nationibus, quę populo multò erat quæſtuoſior. Et ne quid omitteretur, quod prohibendę navigationi eſſet, Wackenę Toparcha, mari apud hoſtes pręfectus, quo tempore ad harengarum piſcatum noſtri profecti, cum navibus x Duinquerkâ digreditur; aderant milites mille. Hâc manu piſcatorum naves ſub Norvegiam ſubito aggreditur: noſtris quatuor tantùm bellicæ præſidio erant, &, quod noxium, diverſis locis excubantes, adeò ut primum hoſtium impetum tantum duæ ſuſtinuerint, quarum, priuſquam cæteræ ſubvenirent, altera depreſſa, x v i piſcatorij lembi capti, & ſimul cum nautis, cunctiſq́ue vehentibus demerſi: quod, interea dum cæteræ præliantur, facilè à paucis Duinquerkanorum navibus patratum: quippe nec machinę piſcatorum navibus, & eorum plerique Mennonitę, armis abſtinebant, ut hoſtis in tantam inermium multitudinem inſtar lupi inter oves ſævierit. Sed ſimul in conſpectu aliæ duæ bellicæ fuerunt, abſcedit. Exin v i & x x mercatorias naves ex adſitis Albi tractibus venientes obvias habuit, invadere non auſus, quia bellicę duę aderant: Ducenti admodum lembi piſcatorij, vix ullo itineris fructu, exiguaque capturâ, in

Hollan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Hollandiam reverſi; ubi cuncta vociferationibus piſcatores complevere. Mittuntur in Oceanum bellicę naves opprimendis Duinquerkanis, ſimul mercatores XIV dies mare ingredi prohibiti. Binas Duinquerkanorum naves perſequentes noſtri in Flandrorum litora impulere, quîs illiſę perierunt; una depreſſa, quarta homines duodequinquaginta vehens in Hollandiam captiva adducta eſt. Etiam longæ hoſtium naves, ſi ventus ac tempeſtas ſecunda, in mare identidem excurrentes, prædas è mercatorijs navibus petebant: adeoque jam metus, inceſſerat ne aliquando expoſito in terram milite Hagam contenderent, ſpoliarentque. Sæpius perſecutæ eas bellicę noſtrę, nunquam adeptę ſunt. Quam ob cauſſam præfecti rei maritimæ ſimiliter naves longas faciendas curavere, quarum motus ad uſum expeditior, & ad fugam, quæq; ad prælium habiles, occaſioni nunquam deſunt. Sed hoc anno ob inopiam æris una tantùm inſtructa, quę nocte quâdam Antverpiam prætervecta, prætoriam hoſtium ad Oſterwielam excubantem oppreſſit, & mercatorias naves ad ripę aggerem pro urbe ſtantes, vectoriamque Antverpiâ Bruxellas navigare ſolitam, rapuit, atque in Zelandiam adduxit. Solaque hâc longâ nave effectum, nequid ultrà auderent naves, quas ejuſdem generis habebat hoſtis: præterquam quòd plerique remigum exſtincti frigore & injurijs cœli: quippe totam hyemem tranſigere in navibus coacti, ne alimentis quidem requiſitis utebantur. Etenim libram panis è furfure piſti in diem accipiebant. Medio hyemis XXX circiter bellicę naves petivere fretum, quod Gallias Britanniamque interluit, exſpectando adventu quinque mille Hiſpanorum, quibus in Belgicam tutiùs perducendis Præfectus mari apud Duinquerkanos Olyſſiponem abierat. Eundem annum felicem Hiſpani habuere claſſibus è Peruviâ, Americâque, & Goâ atque Indiâ reverſis, quę ingentes gazas Olyſſiponem atque Hiſpalim detulere. Ferebant centies & vicies aut quinquagies centena millia advecta eſſe, quorum pars tertia ad Regem redibat. In Friſiâ imminente æſtate novus ager mille octingentorum jugerum aggeribus ſeptus, atque ab aquis vindicatus eſt. Impenſa eam in rem florenorum millia nonaginta octo: agger ipſe ter mille in longitudinem perticarum erat. Eâdem æſtate in patriam redijt Sebaldus Weertius, centurio impoſitus quintę è Roterodamenſium navibus, quę orbem univerſum per fretum Magellanicum circum navigaturę, Junio menſe anni MDXCVIII, iter ingreſſę erant: cujus primordio ſegnes venti tardè adeò claſſem impulerant, ut aquę penuriam veriti, invaleſcente ſimul ſcorbuto, recentem aquam ex Salis inſulis ad viride promontorium ſitis, & Congorum regno, petere adigerentur. Ubi cum Luſitanis ibidem habitantibus certamine ſuper aquis orto, pauxillum ejus, ſummo vitę diſcrimine, ac temporis jacturâ, adepti ſunt. Eaſdem prope inſulas ſupremus claſſis pręfectus Jacobus Mahuvius, ardenti febre, & furore correptus, perierat. Aprili menſe anni MDCIX fretum Magellanicum ingreſſi arduum tranſitu comperere: quippe anguſtię centum mille paſſuum in longitudinem protendebantur, adeò ſæpè arcto ſpatio, ut vix horę itinere diſtarent utrimque litora. Accedebant vaſtę rupes, quæ eminus intuentibus concurrere, & negare tranſitum videbantur. Ventorum incerta & ſæpè turbines pericula augebant, maximè inter arcta celſorum montium. Aſſiduæ inſuper æſtate juxta atque hyeme tempeſtates, fluctus ſupra antennas inferiores attollebant, ſæpè tantâ violentiâ, ut quatuor anchoris alligata navis abriperetur. Æſtus adeò incitatus, ut quando nec ſecundus neque adverſus eſſet, quindecim tamen Germanicorum paſſuum millia naves procederent. At contrario æſtu quamvis validus ventus ſecundaret, & quicquid velorum erat latiſſimè expanderetur, non tamen plus proficiebant, quam ſi ſumma tranquil-

cIↄIↄ c. litas ac malacia exſtitiſſet. Medio freto invicem obviam factæ claſſes, quæ ex Septentrionali, & auſtrali Oceano veniebant; tantiq́ue vertices ſuſcitati, ut naves, quamvis ventis uſæ faventibus, circumagerentur. Ita, Septembri demum menſe freto penetrato, apertum Oceanum ingrediuntur; ubi paucis pòſt diebus diſperſæ, binæq́ue earum in fretum, & priores iterum miſerias redactæ ſunt: quîs quintum menſem conflictatæ, ſemper tamen ſpem ſocios adſequendi retinebant. Interea minui quoque frumentum, & capita ſingula in diem libræ panis quartam partem, oryzæ duas uncias habuere. Quare tantâ ſeveritate annona extendebatur, ut non ſemel à præfectis navium quæſtio haberetur in eos, qui panem ex cellâ communi ſurripuiſſent. Imò & nonnulli in patibulum acti, quos ſola fames ſuffurari annonam è communi penu compulerat. Alij, quos pœnæ multitudinis preces exemerant, additâ denuntiatione, nullum poſthac veniæ locum, nec fas fore cuiquam deprecari talium necem, paullò pòſt ejuſdem criminis denuo comperti, & ſupplicio affecti ſunt. Subvenit tamen Numen egeſtati eorum, & ingentem muſculorum vim habuere, quorum plerique ſpithamam longi, teſtâ detractâ libram pendebant. Habuere & marinos canes, mergos, anates, anſeres, & volucris genus noſtro orbi incognitum, cui ob naturam à pinguedine nomen impoſuere. Corpus magnitudinem pinguioris anſeris habebat; ſed latitudine impar, tergum nigro colore, venter albente, nonnullis annulus plumarum albentium collum cingit, cutis marini canis pellem refert, porcinam craſſitudine æquat. Roſtrum corvi inſtar, ſed minus aduncum. Alarum loco duæ manus erant, ad natandum habiles, volare nequeunt. Erectæ incedunt, adeò ut procul intuentibus nani videantur. Victitant piſcibus, ſi veſcaris ſapor diverſus eſt: & cuniculorum inſtar in antris degunt. Harum volucrium multa millia fuſtibus noſtri percuſſere, manifeſto indicio, paucos ijs tractibus homines eſſe, qui veſci id genus avibus adſueverint. Et trium ſpatio menſium, quos eo in freto inter varias miſerias anguſtiaſq́ue noſtri exegerunt, ter tantum homines conſpecti, ijdem efferi, ut nullis voluntatis ſignificationibus retinerentur, quo minus refugerent. Itaque, noſtrorum quoſcumq; opprimere poterant, interfecerunt, ne exanimis quidem parcentes, ita ut ſepultorum quoque nonnullos eruerint ac dilaniarint. Rurſum à noſtris ſuperati, quamdiu ſpiritus ullus ſupererat, reſiſtebant; nec iræ aut truculentiæ, niſi cum vita, finis erat. At quibus inhabitata, quæ freto ad Septentrionem jacent, mitius genus ſunt; & ſtaturâ vaſtâ, adeò ut x aut x i pedum nonnulli viderentur. Ii hoſtiliter in noſtros irruentes, ubi excuſſis glandibus cadere ſuorum nonnullos advertêre, vim arborum (teneræ erant, & ſpithamæ tantùm craſſitudine) ex humo avulſam, pro vallo objecerunt. Alijs modica ſtatura, omnibus tamen marinorum canum, aut id genus beſtiarum pellibus terga conteguntur: quod mirandum frigidis adeò tractibus, ubi ad quartum & quinquageſimum gradum ab auſtrali polo removentur. Hyems illis atrox, & complures in altitudinẽ paſſus glacie aqua riget, quæ etiam medio æſtatis rupes & ſaxa inter hærebat trium in altitudinem pedum. Tempora anni prorſus noſtro orbi contraria habent, & qui navibus illis ierant, natalem Servatoris celebravere, quando maximè evehitur Solis orbis, & longiſſimi dies ſunt. Contrà D. Johannis feſtum tranſegerunt, quo tempore breviſſima dierum ſpatia. Mulierem cum duobus infantibus cœperant, quorum alter quatuor annorum, alter ſenûm erat menſium. Horum ex moribus didicere, veſci gentes illas crudis carnibus, manu paullùm modò igni admotis, donec caleſcant. Infantium qui minimus, jam ſolus, & nullo greſſus firmante incedebat, etiam dentibus enatis matris inſtar carnibus veſcebatur crudis. Illam cum liberûm altero ad ſuos remiſere, tunicâ, cultro, ſpeculo, lineâ è

globulis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

globulis ligneis, alijſque id genus ſcrutis donatam. at qui ex infantibus na- cIↄIↄ
tu erat major Amſtelodamum abductus, ibique defunctus eſt. Mater ca- c.
pta doloris nulla prorſus indicia edidit, ne magna quidem cum à cariſſimo pignore divelleretur. Sed naves quas diximus duæ ad ultimum tempeſtatibus diſtractæ, & Weertius Centurio per varias tempeſtates tribus anchoris, rudentibus, ac cymbâ amiſsâ, ac vix tertiâ comitum parte reliquâ (nec proſperiori fortuna uſa eſt navis altera) ſolus in Hollandiam redijt: id modò utilitatis navigantibus afferens, quòd nauta ejus profunda, brevia, ac ſyrtes, ſaxa, ubi anchoris jaciendis opportunum mare, ubi pateſcat, cæteraque ſcitu neceſſaria, accuratè deſcripſerat, & ſuo periculo facilem per ea loca navigationem alijs fecerat. Reperere etiam ijſdem locis rudera caſtelli, quod Rex, poſtquam Dracus fretum tranſgreſſus inopinantes ejus naves & ſecuras ad Peruviam agitantes, diripuiſſet, extrui juſſerat: ſed Hiſpani aëris, an illarum gentium inclementiâ, ad unum omnes perierant. Autumno hujus anni ingens rerum mutatio in aula Cæſaris exſtitit. Jam ab annis duobus, quando Pragam veniens Albertus, aſſenſum ejus in ducenda Hiſpaniarum Regis filia poſtulaverat, animi dolor manifeſtis indicijs in eo deprehenſus erat: quippe prælatum ſibi fratrem juniorem indignabatur. Adeò ut qui jam ante impromptus ad audiendos appellantes fuerat, hoc mœrore propemodum ab hominum conſortio diſcretus ac ſolus intra cubiculum agitaret. Munia cuncta conſiliarij exſequebantur: neminem ipſe, non legatos externorum principum, non proprios ſubditos, niſi perquam raro audire. Subinde in ardentem adeo iram prorumpebat, ut ne vitæ quidem certi miniſtri forent. Quorum aliquando unus diſtricto cultro inſequentem vix effugit, præcipitem ſe de feneſtris dejiciens. Rumpius, penes quem à multis annis vis omnis imperij fuerat, jam indies validior, quia per illum quiſque adibat Cæſarem, & reſponſa accipiebat. Itaque pro arbitrio ac lubidine multa quoque ignaro Cæſare agitare, neque illi aperire, niſi quæ ſciri vellet, cætera diſſimulabat. Advertitque aliquando perfidiam Cæſar, & irâ plenus gladium ſtringens, aulâ Rumpium ejecit. Arcas & cubicula ejus obſignari juſſit, ſchedis & arcanis ſcrutandis: nam ſuſpectabat eum, ſuaſiſſe matrimonium Alberti, & nunc quoque laborare, ut Romanus Rex idem crearetur: quod multò graviùs ab eo acceptum. Addebant aliqui Rumpium, ſub nomine Cæſaris, nonnullis in Bohemiâ nobilibus exercitium ſacrorum ademiſſe. Quod nunc expulſo Rumpio reddidit Cæſar, monuitque Archiducem Ferdinandum, cognatum ſuum, deſineret in Stiria ob diverſum in religione ſenſum ſubditos affligere: ſeriò quoque jam conciliare ſibi velle Auguſtanos Principes, quia Pontificijs animum videbat evehendi ad regium faſtigium Alberti. Hinc ſegnior in Ungaria belli cura. Præſidijs ſtipendia non procedere, nec exercitus cogebatur; nonnulli è Walonibus ac Gallis, ſuperſtites Mansfeldij, ſub quo militarant, & poſt factam pacem externa bella quærentes, præſidium Pappæ agitabant, & quia nihil à Cæſare pecuniarum mittebatur, egeſtate adacti à Turcis accepere. Eos confeſtim Swartzenburgius Caſtrorum præfectus obſedit: nec à Turcis præſidij quidquam veniebat, unde valeſcente fame, deſperati & mortem miſeræ vitæ potiorem habentes, erumpunt, magnâque ſtrage editâ non inulti occubuerunt. Swartzenburgius ipſe cecidit. Pauci illorum vivi in manus Cæſarianorum venere, & membratim laniati, aut igne toſti inter diros dolores animam exſpirarunt. Pars per mediam Cæſarianorum aciem perrumpentes, & paucis pòſt diebus Wiſſenburgo digreſſi, commilitonum cadavera ſub mœnibus Pappæ urbis rotis impoſita ſuſtulerunt, & prope urbis ipſius potiti. Præcipiti æſtate Turcicus Imperator ingenti cum exercitu Stiriam ingreditur, & infirmioribus

 Chriſtia-

cIↃIↃ c. Chriſtianis quam ut prælium auderent, Caniſam ſubigit, poſtquam in oppido fortè illapſus pyrio pulveri ignis, ingenti clade urbem hominesque involverat. Caniſam ante annos XXX, poſt captum à Turcis Sigetum, Chriſtiani in Stiriâ exſtruxerant, ſiſtendo curſu victoriarum hoſtilium. Qui nunc populantes Saltzburgo ac Bavariâ tenus graſſabantur, cuncta ingenti ſolitudine vaſtantes. Feceruntque tributariam ſibi populoſam regionem porrectam ad viginti Germanicorum paſſuum millia. Dein ut illarum gentium animi conciliarentur, civibus, qui Caniſam incolebant, immunitates, & vetera beneficia largiùs conceſſere, quàm ſub Principe ſuo habuerant. Ferdinandus Archidux veterem ſedem ſuam deſerere, atque in Bavariam fugere compulſus eſt: idque demum ſpatium reſpirandi à tyrannide habuere, qui in ditione ejus diverſum circa ſacra ſentiebant: quîs in calamitate publicâ ſolatium præbebat conſcientiæ libertas, quam & Ferdinandus, & frater ejus Epiſcopus Patavianus, præripere ſummo ſtudio adnixi erant. Etenim & hoc anno ſubditos ſuos milite oneraverant, exilijs, cædibus cuncta compleverant, denique & pagorum nonnullos exuſſerant, quo cæteros ad Pontificia ſacra terror ageret. Præter hæc incommoda in ipſis quoque limitibus diſcordiæ accenſæ. Fœdus cum Cæſare inierat Michaël Walachiæ Waiwoda, ac ejus nomine, cæterùm proprijs viribus ac facultatibus, Sevenbergam eripuerat Sigiſmundo Duci, & fratri ejus Cardinali Bathoreo, qui donationem (ut ſuprà oſtenſum) Cæſari factam reſciderat. Michaël urbibus ac validis omnibus locis potitus, Cæſarem ut ſuperiorem ac feudi dominum agnoſcere, cæterùm poſſidere ipſe parta cupiebat. Et quamquam metus erat, ne recuſato, quod poſtulabat, auxilium à Turcis peteret, miſit tamen adverſus eum Cæſar exercitum Duce Georgio Baſta: à quo profligatus Michaël, denaque hominum millia in loco cecidere. Sed rurſum nova factio ſemet Baſtæ oppoſuit, quæ Auſtriacum regimen exoſa, Polonorum auxilijs firmabatur. Ab his capitur Baſta, ac revocatur Sigiſmundus. Verùm inſequente anno Polonis Livonico bello adverſus Carolum Ducem occupatis, & Sigiſmundo eorum auxilijs deſtituto, iterum proſperiores Auſtriacis res. Hæc circa autumnum geſta, cum fortè magnifica legatio Perſarum Regis Pragam venit. Iter illis per Moſcoviam, inde Norvegiam circumgreſſi Emdam venerant, hortaturi Cæſarem ut perſeveraret in bello adverſum Turcas, cum promiſſis, ſuum quoque Regem in eos moturum. Sed triſtis, quem oſtendimus, rerum ſtatus, adegit Cęſarem negligere opportunam adeò occaſionem: cui tam levis momenti viſa Perſarum ſocietas, quam tanto ſtudio olim Carolus Cæſar, alijque Chriſtianorum Principum affectaverant, ut infenſi ſimul ac mœrentes legati ad Pontificem contenderent, exploraturi, an promtius Itali oblatam ſocietatem amplecterentur. Princeps legationis Antonius Siurlæus erat, nobilis Anglus, qui annos aliquot Belgarum militiam ſecutus, & nihil humile aut modicum meditans, bona vendiderat, collectiſque circiter ducentis florenorum millibus triginta plus minus famulorum comitatu Venetijs in Turciam, inde ad Perſas profectus erat, inter barbaras gentes fortunam tentaturus, quam pro ingenti animo patria in terra amplam ſatis adſequi nequibat. Potuitque ita inſerere ſe Regis animo, ut magnificè donatus etiam legationis princeps fieret, additis comitibus aliquot è Perſarum primoribus. Biennium jam erat, ex quo Venetias venerat quiſpiam, Sebaſtianum ſe Luſitaniæ Regem ferens, qui ſeptimo & ſeptuageſimo anno poſt mille quingentos in Africâ cæſus occubuerat. Sed hic graviter quidem vulneratum ſe fuiſſe dictitabat, Numinis tamen munere ſervatum. Veneti, Hiſpanicæ potentiæ formidine, tetro carceri eum incluſerunt, & pro miſericordiâ atque ingenti beneficio erat, quòd in patibu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ c.

patibulum eum nequaquam tollerent, urgente id Hiſpanico legato, tametſi cicatrices complures faciendæ fidei oſtentaret, ſecretaſque literas, & quondam cum Senatu Veneto acta ſibi accuratè referret. Quin & manu ſcriptionem Sebaſtiani congruenter exprimebat, in literis ſubſignandis per omnia morem ejus retinens. Luſitani facilè ea quæ cupiebant credere, & vera an falſa eſſent, nihilominus profutura ſibi. Multi è primarijs ſtudio mercaturæ, aut exteras gentes peragrandi ut ferebant, patriâ digreſſi terrâ, Venetias venere, renatum, ut videbatur, Regem in captivitate viſentes; quorum nonnullos pœnæ Hiſpaniarum Rex ſubjecit. Etiam Emanuel, & Chriſtophorus, uterque Antonio, quondam Luſitaniæ Rege, genitus, vinculis exſolvi eum deſiderabant, quorum ille Delfis habitans, fidem Fœderatis Patribus fecit, non omnino pro falſis habenda, quæ ferrentur, permovitque eos, ut Venetum Senatum per literas rogarent, ut captivum ſi juvare nequirent, ſaltem libertati redderent, quo in Belgicam venire ibique tentare fortunam ſuam poſſet. Chriſtophorus Romam abijt, ubi bis à Pontifice auditus eſt: rogitabatque ut tanquam Chriſtiani orbis caput, oppreſſum Principem, cui immeritò regnum ac poſſeſſiones ſuæ præreptæ eſſent, ſolatijs auxilijſque juvaret, & Hiſpaniarum Regem per conſcientiam ſuam obteſtaretur, injuſtè occupata reſtituere. Ita ſæculi decimiſexti anno & menſe noviſſimo à Venetorum Senatu poſt quinque & x x menſium captivitatem dimittitur, additâ denuntiatione, ut a. d. tertium imperio eorum excederet, quod anceps illi, quippe abeunti neceſſario intranda Hiſpani, Cæſaris, aut Pontificis ditio. Et Venetijs agitans Hiſpanicus legatus ſpeculatores diſpoſuerat, qui in eum intenti agitarent. E Luſitanis Proceribus ac nobilitate nonnulli confeſtim agnoverunt eum, veneratique ſunt ut Regem. Movebant cicatrices x I v quas oſtentabat, & Sebaſtiano totidem fuiſſe ſciebant: ſed per Florentinas terras Marſiliam ire parantem rurſus gentis Dux comprehendit. Apud Scotos mirabili periculo Regem Numinis beneficium exemit, cui temere ſe & improvide immiſerat. Invitarat eum ad epulas Gauriæ Comes, cujus parens, poſtremis regni motibus, quo tempore hic Rex infantiam hauddum egreſſus, gladio percuſſus erat: & velut occultos theſauros commonſtraturus, per juniorem fratrem ſuum, procul à convivis omnibus ſeduci curaverat, quo loco adventum Regis armatus vir opperiebatur. Qui ubi, Numinis voluntate, ſponte conterritus obſtupuit, pugione Regem invadit Comitis frater. Ille ictum avertit, & inimicum comprehendit, ubi uterque in humum collapſi luctantes jacuere, donec ſtrepitu exciti ſatellites cubiculum irrumperent, Regique ſubvenirent. Ortæ per idem tempus diſcordiæ inter Anglos ac Danos, querente Rege, Britannos mercatores, Norvegiam circumnavigantes non modò Moſcovitas ſubvectionibus ſuis firmare, verum & nulla ſolvere vectigalia. Eam ob rem Emdam conventus indicitur, quò prior acceſſit Daniæ Cancellarius; multo pòſt tempore Londinenſis Epiſcopus, quem adverſæ tempeſtates hactenus attinuerant. Fortè eodem die, quo Epiſcopus acceſſerat, Cancellarius, longioris moræ tædio, naves rurſum conſcendit, & quanquam obteſtante ac preces admovente Epiſcopo ut maneret, obſtinatus animi re infectâ patriam repetit. Conſcendit nihilominus terram Epiſcopus, ac Emdâ miſſis ad Regem literis, longiorem exſpectationem, immiſſis à Deo contrarijs tempeſtatibus excuſat, utque revertatur Cancellarius rogat, ſed abnuit Rex. Unde acriores inter utrumque Regem inimicitiæ præmetuebantur.

FINIS LIBRI XVII.

EVERARDI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

EVERARDI REIDANI
ANNALIVM
LIBER
DECIMVSOCTAVVS.

BREVIARIUM LIBRI.

ALbertus colleƈtis undique viribus duobus exercitibus bellum gerere ſtatuit. Eſſexius captus & capite plexus. Enno Orientalis Friſiæ Comes Patribus ſuſpeƈtus, filiam ſuam fratri conjugem dat permiſſu Pontificis. Mauritius bello neceſſaria parat. Cloutius Equitum turmæ præfeƈtus Cracoviam capit. Provinus Gertrudenbergam prodere agitans, deteƈtâ re, ſupplicio affeƈtus dilaniatur. Vliſſinga inſidijs petita. Puerorum certamen Antverpiæ. Mendoza cum Patribus de redemtione tranſigit. Regina Britanniæ quinque millium auxilia offert, ſi bellum in Flandria gereretur; unde nova Patribus conſilia. Hiſpanorum claſſis naufragium facit. Doria Princeps Alcairum aſtu irrito tentat. Quinſalum, in Hibernia ab Hiſpanis occupatum. Mauritius Berkam, hoſtis Oſtendam obſidet. Illa deditur, & mox Meurſa, Cracoviaque. Oſtendanum præſidium augetur; ejus eruptiones ab hoſte prohibitæ. Archidux terribiliter urbem machinis impetit, & infruƈtuoſe. Obſeſſi aggerem perſodiunt, quem fruſtra obſtruere nituntur oppugnantes. Oppidani novum portum extruunt. Externarum gentium proceres Oſtendam luſtrandæ oppugnationis deſiderio ingrediuntur. Patres de avellendo ab urbe Alberto conſultant. Lira aſtu, ſed incaſſum tentata.

CIↃIↃ CI. INter hæc Albertus acceptam in Flandria cladem ſarcire, & amiſſam reparare famam ſummo ſtudio nitebatur. Novos in ditione ſua & in Leodicenſibus ac Lotharingi terris dileƈtus habere, & complures equitum turmas ſcribere; quarum uni trecentorum capitum præpoſitus Philippus Guilhelmus Princeps Arauſionenſis; qui haƈtenus militiâ abſtinuerat. Seditioſus Dieſtæ miles quingentis ducatorum millibus pacatus ad obſequium redijt. In Hiſpania quinque millia colleƈta erant, ſupplementum cæſorum. Quîs tranſportandis Gallolorum, & accolarum Albis, naves magno numero Rex detinuit: & ſecundam in curam accitus eodem Duinquerkanarum claſſium præfeƈtus, præſidio navigantibus futurus. Præter hæc pluribus Hiſpaniarum portibus, quò apparatus occultior eſſet, minores naves, ſed bello aptæ, extruebantur, centum vehium pleræque, aut circiter, quia vaſtas illas Hiſpanicarum navium moles inhabiles Belgico Oceano eſſe uſus docuerat. Potiſſimæ tamen Alberto ſpes, millia multa exercitati militis, quæ haƈtenus apud Sabaudos morata, nunc ibidem otioſa agitabant, faƈtâ inter Ducem ac

Gallum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Gallum pace. Nec in itinere difficultas ulla, quando tranſitum ijs per Se- cIↃIↃ
guſianos dari pactis convenerat. Quà Fontanus ſuper dimiſſum à Sabaudo c.
militem, etiam quas hactenus tutandis Mediolanenſibus copias ſuſtentaverat, in Belgicam miſſurus erat. Regem, ut promtiùs in pacem conſentiret, fortaſſis impulerat amor novæ ſponſæ Mariæ, quam Florentino Duce genitam, ac Sabaudo propinquam, Lugduni menſe Decembri matrimonio ſibi junxerat. Etenim Sabaudo, quamvis infirmo hoſti, honeſtiores conditiones ab eo conceſſæ, quàm ante triennium potentiſſimo Hiſpaniarum Regi. Quippe Saluciæ Marchionatum, totius belli cauſſam, in manibus ejus Henricus reliquerat. Hac igitur ſpe Archidux duos ſuſtentare exercitus decrevit; alterum trans Rhenum, quo fine Veſalienſibus denuntiavit, cum aulicis miniſterijs, ac modico præſidio, ſedem ſe proximâ æſtate ea in urbe habiturum: in Flandris alterum; quis promiſerat, pubeſcente anno ſe Oſtendam (hanc maximè illis gravem attritis mœnibus validæ tempeſtates & maritimæ inundationes plurimùm labefactaverant) properè adorturum, & prius quàm bellicæ Fœderatorum naves ſubſidio venire poſſent, incumbentibus Oceano Martij menſis tempeſtatibus. Etiam trans Rhenum proſperorum ſpem ingentem conceperat, ex conſcientia cum Orientalis Friſiæ Comite, cujus legati ei aderant, imprimis ob diſcordias Friſiorum, ubi deficere tributa ac vectigalia, & malum contactu cæteras quoque nationes inceſſurum exiſtimabat. Illius contrà proventus indies augebantur. Nam Brabanti, Flandri, & quæ aliæ ſub eo nationes, trecenta x x florenorum millia quotmenſibus collaturos ſe receperant. Quos invicem ille in ſpem arrexerat, accuratè Regem ducenta L ducatorum millia menſibus ſingulis numeraturum pollicitus, quando ſuperiore anno proſperè adpulſæ ex Oriente atque Occidente claſſes ingentem opum vim adportaverant. Exin novæ quoque ei ſpes in Britannia; ubi qui multos hactenus annos pacem cum Hiſpano ſuaſerant, validiores in conſilio Reginæ; & Belgarum ſocietatem ſuſpectam fecerat is, qui maximè omnium ijs favebat. Quod quia primordijs hujus anni evênit, dein ob ſubitam rerum commutationem, dignum poſterorum notitiâ exiſtimamus. Memoratum ſuprà nobis, Eſſexium, quondam validum in animo Reginæ, nec minùs inviſum poſtea, in carcerem datum fuiſſe. Paullatim tamen laxius habitus, primùm ædes ſuas pro cuſtodia acceperat, tandem & poteſtatem univerſam Britanniam peragrandi, ſolam aulam ingredi vetitus. Muneribus cæteris dimotus, equitum tantum magiſterium retinuerat, ſpecioſum & ingens nomen, ſed quamdiu conſilio arcebatur, ſine vi, ſine imperio. Ille tolerandi neſcius, vi ſemet inſerere Conſilio imperioque laborabat. Nec deerant adjutores, promtâ in eum nobilitate, promtis centurionibus: & Principes regni, ac vetuſta familiarum decora præferentes oderant pleroſque conſiliariorum Reginæ, quos ab infimo loco ad ſummas opes, potentiam, & regimen Britannorum perductos indignabantur. Igitur hi quottidie Londini in ædes Eſſexij frequentes adeo convenire, ut ſuſpectante malum Conſilio, & hortantibus Reginam nonnullis, quidam è Conſiliarijs ad eum miſſi monerent, ſuſpectos & frequentes cœtus ædibus ſuis prohiberet, & quod mente agitabat Reginæ, ut decorum ſubdito, proponeret; repulſam, ſi æqua peteret, nequaquam paſſurum. Ferebant x x x millia armatorum quinque poſt diebus convenire ab eo juſſa, exſequendis deſtinatis, ac movendis loco Conſiliariorum nonnullis, quos Hiſpano addictos dictitabat; ſed detectâ re cum ducentis tantùm nobilibus tentare fortunam adactus eſt. Senatores ad ſe miſſos cuſtodiri intra ædes ſuas juſſit. Ipſe è magiſtratu Londinenſi quem fidiſſimum habebat, conveniens, Nunc, inquit, tempus adeſt, quo oſtendas, quantum pro me

cIↃIↃ CI. aut fidei, tibi aut conſtantiæ ſit. Quis verbis concitari ad arma plebem cupiebat. Alter mole rei conſternatus, Majorem Londinenſem cum eo adit. Favebat is Eſſexio, ſed arduam rem, nec fieri poſſe ratus, cives in ſuis quemque foribus armatos ſtare, cæteros deſerere plateas juſſit: quod optimum conſilium ordinandis atque in aciem educendis civibus, quos anceps tali tempore in unum locum convocare. Eſſexius ſpe lapſus domum ſuam regreditur; ſed clauſerat tranſitum Londinenſis Epiſcopus armatâ manu. Octingenti erant, quos adverſum certamen orſus petaſum trajicitur, & mox conſcenſa navicula amne ad ædes ſuas pervenit. Invalidæ erant, & confeſtim armatorum millia aliquot omnes exitus ſepſerant. Etiam tormenta admota; ſed priuſquam diſploderentur, poſtulat colloquium Eſſexius, ſeque Houwarti, claſſibus Anglicis præfecti, manibus permittit, qui ipſe ad Reginam ſe eum deducturum promiſerat. Et quia facilè adeo deditionem, nec fugam in alios Britannorum portus (ubi præfectos ſibi addictiſſimos habebat) ſed proprias in ædes fecerat, ſpem multi concepere, fore ut nihil durius in eum ſtatueretur. Igitur, ut Houwardus pollicitus, ſub veſperum horâ nonâ ad Reginam deducitur, ubi duabus horis exſpectato, abnuit aditum illa, ac Londinenſi turre claudi, & quæſtionem in eum haberi jubet. Invaduntur, quicumque in amicitia ejus ſuſpecti, & terrâ, amnibuſque, Londinum ad carceres rapiuntur, tantâ multitudine, ut mille octingenti eodem tempore in vinculis detenti, neceſſitatem adferrent novos carceres extruendi. Paucis pòſt diebus in magno atrio, quod Weſtmonaſterij eſt, propalam & cunctis audientibus à XXIV gentis judicibus capitis condemnantur Eſſexius & Suidhamtonus, & ſub veſperum præparare ſe juſſi, tanquam poſterâ die haud dubiè morituri. Eſſexius triſtem nuntium interritus accepit, conſumſitque totam noctem, querimonijs, & pœnitentiâ peccatorum juventę ſuę. Interea angi atque huc illuc diſtrahi Regina, dubia, pluſne veteri amori, an novę irę tribueret. Singulis penè horis mutatâ ſententiâ, bis perfici ſupplicium, bis differri juſſit. Sub veſperum occidi imperaverat: appetente aurorâ prohibuit; unâ poſt horâ rurſum juſſit: exin quę inſecuta eſt hora quartus nuntius contraria adferens mandata, jam proſtratum Eſſexium repperit, invidiâ inimicorum, qui pœnam celeraverant. Extinctus eſt in ſecreto carceris, adſtantibus primorum paucis; ne palam morte adficeretur, fecerat metus multitudinis, cujus incredibilis in eum favor. Moriturus & credere ſe Numen, & Reformata amplecti ſacra profeſſus eſt; cæterum ambitione ac inani gloriæ cupidine in præceps actum. Adverſum Reginam, aut Remp. quidquam meditatum abnuit; ſed ſtudio publici Conſiliarios nonnullos in Hiſpanica pronos movere loco voluiſſe. Mortem ſuam ignoſcere ſe omnibus, petereque ut ſiquem offendiſſet, viciſſim ſibi condonetur. Rogare etiam, ut pœnæ ſuæ Reginæ acquieſceret, neu in reliquos ſuo impulſu ſeductos ſæviret. Hæc profatus, trunco caput ultro applicavit, illigatus, nec oculis ullo velamine obducto. Mappam nonnullis offerentibus, rejecit, impavidum ſe mortem exſpectare, & luminis aſpectum non niſi cum vitâ amittere velle dictitans. Tum rogat carnificem, differret ictum, donec ſupremis precibus Numen invocaſſet, daturum poſtea ſignum. Quibus conſummatis carnifex quadam conſternatione dum trepidè & inconſtanter gladium vibrat, humerum ferit. Eſſexius tamen immobilis jacuit, donec tertio ictu caput abſcinderetur. Fuere qui ſanguini ſudaria intingerent, quem multi ut ſanctorum reliquias venerati ſunt, & è civibus Londinenſibus complures, reſectam digiti tantum latitudine particulam, duobus Anglicis (Britannorum is nummus eſt) redemerunt. Hunc triſtem exitum in ipſo juventæ flore habuit magnanimus ille Eſſexius,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ſexius, ad ingentia quæque natus. Procero corpore Britannis omnibus, cIↄIↄ magnitudine & vi animi, genticis Principibus præcellebat. Voluptatum CI. & otij aſpernator, laboribus ſemper & ſerijs rebus tempus dare, ſæpe & ſomnum abrumpere ſolitus, & inter cibos, quos raptim plerumque capiebat, cogitabundus conſidere. Mores, ſermones à natura facti alliciendis hominum ſtudijs: & haud dubiè extinctâ ſine prole Regina regnum obtinuiſſet, ni populi favore fretus, per abrupta ſemet egiſſet. Suidhamtonum, eandem pœnam ſubiturum, atrox adeo morbus lectulo affixerat, ut contrectari nequiret. Rutlandiæ Comitis adoleſcentia veniam meruiſſe viſa, ſed deſperatione atque animi dolore mentem amiſit. Sublati præterea cum Eſſexio Equites nonnulli: Blondus vitricus cum altero decollatus. Aulæ procurator, quique à Secretis erat, raptati per diverſa platearum, actique in patibulum, & dilaniati ſunt. At Fœderati Patres miſêre ad Reginam gratulaturos, quòd tanto diſcrimine incolumis evaſiſſet. Illa gratum id ſibi accidiſſe teſtata, Gallorum ac Scotiæ Reges occultæ Eſſexij conſcientiæ innexos querebatur, muliebri magis ſuſpicione, quàm ullo certo argumento. Et quia ſemper Eſſexius pro Belgis loqui ſolitus, etiam in ſuſpicione ijdem erant; rogatuſque ille, conſiliumne ſuum Carono aperuiſſet, agitaſſe id quidem, non tamen perfeciſſe reſponderat: quod Carono juxta ac Fœderatis ſalutare. Hic in Britannia rerum ſtatus erat. Nunc, quia Orientalis etiam Friſiæ mentionem ſuprà injecimus; viſum paucis ſtatum ejus exponere, quia finitimarum gentium pleræque in cunctis ſuis Fœderatorum proſpera aut adverſa ſpectabant. Ibi igitur Ennonis Comitis ſuſpecta facta veterem diffidentiam alebant. Ortæ inter eum, ac Oldenburgenſem Comitem, contentiones acriùs urgebantur, quàm pro momento rei, ſuper quâ diffidebant: quippe ſterilis agri portio exigua erat. Plerique dolum & malas artes Kniphuiſij ſuſpectare; qui, concorde utroque Comite, pagos nonnullos inter eorum ditiones medios, & à judicibus adjudicatos ſibi, retinere alioqui nequibat. Enno cenſum à ſubditis flagitabat, ſcribundo militi ad limitum defenſionem. Illi, ſi neceſſitas urgeret, ſemet venturos offerebant: poſſe operâ ſuâ Comitem uti, perinde atque Oldenburgenſis Comes pro milite proprios ſubditos haberet. Sed Enno ſubditis haud fidere, metu ne armis adverſum ſe uterentur: contrà illi contentiones cum Oldenburgenſi Comite ſpeciem tantùm eſſe ſcribendi militis, ſed reipſa ad opprimendos ſe ſubſidia quærere Ennonem verebantur. Qui poſtquam Kniphuiſium ad Albertum miſit, queſturum ſuper injurijs ab Oldenburgenſi Comite ſibi illatis, fraudem tegi prudentior quiſque ſuſpicabatur. Auxit opinionem hanc, cùm integrum à partium ſtudijs animum oſtentare cupiens, nonnullos ſuo nomine ad Fœderatos Patres miſit, qui Oldenburgenſem Comitem, ut Hiſpanis addictum, differebant. Simul occultè comperiebatur, novos conſiliarios, qui ante pro urbe nitentes apud Fœderatos ſolatium & opem quæſiverant, ab eo adactos jurare, nihil cum Patribus commune ſibi fore, nec conſilia ſociaturos: contrà eos, qui nuper ex Hiſpanorum partibus in ejus miniſterium tranſgreſſi, nequaquam vetuit communicare conſilia cum Hiſpanis. Sed maximè ſuſpecta ſimulatio ejus. Quippe erant, qui, ſuperſtite adhuc Edſardo deplorantem eum duram ſubditorum conditionem, dicentemque audiverant, miſereri ſe Emdanorum: ſed inanem dolorem ſuum. Parentem deteriora ſequi conſilia; ſeque obſequio ejus naturæ lege teneri. At ſi quondam in manu regimen haberet, re ipſa oſtenſurum, quàm præſentia improbaret. Nunc ſilendum, & tacitis tantùm gemitibus deplorandam ſortem ſubditorum. Hæc ductis ex imo corde ſuſpirijs, & lachrymans protulerat, adeo ut adſtantium pleriſque fletum exprimeret. Qui ſimul

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

CIↃIↃ CI. abſceſſiſſent, irridere ipſe ſimplicitatem eorum. Firmabat cætera ſuſpicionum, quòd nuper novata, & imprimis inductos urbi Flaccianos miniſtros, uti convenerat, abdicare orſus, & jactitans caritate ſubditorum ac implendæ fidei per omnem Germaniam ſe ut hæreticum differri, brevi rurſum cœpta omiſerat: nec modò Flaccianorum pleroſque in muneribus ſuis reliquit, verùm & abdicatos inrepere, ac Eccleſias complures vacuas miniſtris eſſe permiſit. Ad ultimum non obſcuris, ut antè, artibus, ſed palam animum prodens, promiſſos cenſus urget. Subditi prius impleri pacta poſtulabant, quâ ſpe tributum ſpopondiſſent: erant ea de antiquandis quæ novata, & accuratè indicando, quantum univerſa ditio deberet: quo, exſolutis ijs, cenſus ceſſarent: alioqui verebantur, ne perpetuò tributum pendendum eſſet. Enno, his compertis, agreſtium opulentiores nonnullos nocte intempeſtâ lectulis avulſos capitis poſtulat, tanquam oblitos obſequij, ac ſeditioſos, quia imperatas pecunias exſolvere, & præſtare de quibus non convenerat, abnuebant; præſertim dum altera parte plus poſtularet, quam in conventu decretum erat. His in rebus nunc adjutores habebat Kniphuiſium, alioſque urbi antè patrocinatos. Januario menſe anni qui primus fuit ſeculi decimi ſeptimi, cùm, novis magiſtratibus creatis, ſpem concepiſſet, quoſdam favore, alios metu pro ſe fore, collegium XL virorum, civicas centurias, ac inſtituta nuper vectigalia cenſuſque abrogari, poteſtatem publici horrei, ſuo ac magiſtratuum arbitrio permitti, excubantem ad portas urbis militem in ſua tantùm verba adigi, claves civitatis ſibi aut Prætori ſuo tradi, aliaque complura poſtulat, iniqua, & Cæſaris reſcripto adverſantia. Id cum facere civitas gravaretur, non apud Cæſarem, aut Spirenſem, aut denique genticum conſeſſum, ſed coram Cancellario Conſilioque ſuo dicere cauſſam jubet. Addit, ni parérent, eſſe ſibi, quo coërcere eos poſſit. Emdani ad Judicem ſuum provocare, & iniquum dicere, eundem actorem & judicem eſſe. Ille nobilitatem cum certo quemque numero equorum convenire jubet, ad excipiendos Poloniæ Regis legatos. Unde veriti Emdani, ne opprimerentur, confeſtim firmant civicas excubias, Tribunos quatuor creant, Comitique denuntiant, equites ſe admittere in urbem haud poſſe. Hæc cuncta concordibus magiſtratuum animis acta; quod ubi compertum Ennoni, deſtinata in præſens omiſit. Per idem tempus Ridbergæ celebrabantur ſolennia nuptiarum inter fratrem ac filiam ejus: & Ridbergiæ Comitatus, quem frater ejus habebat, pretij abunde Ennoni viſus, ut non Numinis modò, ipſiuſque honeſtatis, verùm & ſervata profanis gentibus lex contemneretur. Peregit ſolennia matrimonij Jeſuita Monaſterienſis, Pontificijs cæremonijs: nam ſolius Pontificis autoritate ac permiſſu res tota nitebatur: cujus adſenſum ut impetraret, ſponſus ipſe Romam contenderat, & ſacra non ſibi tantùm, verùm & majoribus ſuis culta deſeruerat. Jeſuita, qui eos copulavit, antequam benediceret utrique, Chriſtianos, Moſis lege, quæ eo ſanguinis nexu adſtrictos contrahere matrimonium vetuiſſet, ſolutos eſſe dixit, & fas eſſe, permittente Pontifice, tales jungi. Nihilominus indigna res cunctis mortalibus viſa. Nec omittebant quidam ex gentilium annalibus memorare, tali matrimonio ad principatum veniſſe immanem truculentiæ Neronem, artibus Agrippinæ matris, & cui ea nupſerat patrui Cæſaris Claudij. Atque ipſum Claudium, quamvis profanum & ſævum Principem, naturâ tamen abhorruiſſe, donec in Senatu adulatorum nonnulli, novâ lege id genus matrimonia inſtituiſſent: ſed ut primam talis connubij Agrippinam, ita & noviſſimam fuiſſe. Nuptijs propinquorum aut illuſtrium virorum nulli præter Paderbornenſem Epiſcopum interfuere. Ipſe Enno cum matre ac ſorore, & filiarum altera ædibus ſe tenuit, invito ſe contra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ctas nuptias ſimulans. Sed nulli ſatis creditum id in filia, quam prohibere
& quibat, & debuerat. Quini ſanè ijs in nuptijs immodico potu aut alijs ca- cIɔIɔ
ſibus extincti; plures alij ſubitis morbis vitæ diſcrimen adiere, quod pro ſi- cI.
niſtro omine acceptum, & quiſque ſuſpicionum materiem ſumere ex
omnibus anteactis, dum fratrum hunc palam pro Alberto, illum à rectis
deficientem ſacris, religionem Pontificiam induiſſe, & Miſſam Ridbergæ
reponere vident: unde non ſuarum virium fiduciâ cuncta hæc illis auſa
conjectabant. Cæterùm in Belgicam ut revertamur, Mauritius, quæ bello
uſui forent, maturè comparabat, quo ſua ſaltem tutaretur, ſi nullus pateret
caſus in hoſtem novis auxilijs, ut ſupra oſtendimus, firmatum. Abrepta flu-
ctuum impulſu mœnia Oſtendæ, quo commodiſſimùm fieri poſſet modo,
reparari jubet, & militem, qui ſuperiore æſtate limites cuſtodierat, ttans-
fert in loca, unde brevi in caſtra educi poſſet. Etiam Guilhelmum Naſ-
ſovium evócat ſociandis conſilijs, quid potiſſimùm laceſſendo hoſti, aut
defenſioni Belgarum eſſet. Sed quia ob acres Friſiorum inter ſe conten-
tiones, & averſos Groninganorum animos, ubi necdum conſummatum
caſtellum erat, denique & ob Emdanos motus, anceps Naſſovio præfe-
cturam ſuam deſerere, cuncta per nuntios ac literas tranſacta, & cum curâ
deliberatum, quid dignum viribus ſuis, quid è re ſua tentaturus Albertus
videretur. Goeſam ac Tholam, Bommelianam inſulam, aut Betuam
irrumpere, Oſtendam obſidere, aut tranſire Rhenum poterat. Sed non
tam Bommelianæ, aut cæteris inſulis Mauritius ac Guilhelmus, quam
Oſtendæ metuebant: quippe experiendo hoſtis anteactâ æſtate didicerat,
quanti ea momenti eſſet. Videbat, expugnatâ eâ, auctum iri proventus
ſuos, quos nunc in perniciem ejus noſtri vertebant. Sed quia maritima
urbs, & validis firmata munitionibus, nec claudi mari poterat, quatenus
metuendum Alberto, ne alijs locis noſtri & majore pretio incumberent;
deliberatum, an non Archidux adiutus opportunitate aggerum & caſtel-
lorum cum parte copiarum obſidere urbem, ipſeque potiſſima virium ra-
pere trans Rhenum poſſet, qua parte Fœderatorum limites invalidiores.
Etenim quod Mendoza ijs tractibus agitans nihil penè dignum memoriâ
geſſerat, pravo tantum conſilio, non virtute noſtrorum acciderat. quod
gnarum Alberto, haud dubiè meliora nunc conſilia ſecuturo. Igitur ante
omnia hanc rem provideri par erat. Quando autem tranſire Rhenum ante
æſtatem nequibat (quippe nec prius adeſſe è Sabaudia miles, nec pabula
habere eques poterat) conſultabatur, an non medio tempore ſummâ vi in-
cumbere Oſtendæ poſſet. Adverſum id duo tantum remedia, ut confe-
ſtim ad Oſtendam caſtra Fœderatorum ponerentur, aut obſeſſa hoſtili nec
minoris momenti urbe, revocaretur à cœptis Albertus: etenim prælij in-
certa ſubire neminem ſuaſurum, qui noviſſimi pericula reputaret. Jam
caſtra ad urbem facere arduum ob propinquum hoſtem, intonantes machi-
nas, & Oceani furorem. Simul inconſultum graviſſimis navium impenſis
tranſmittere exercitum, quamdiu conjectura incerta. Tutius erat, quod
de diſtrahendo hoſte proponebatur, & prius quam Oſtendam ille impete-
ret, aut ſimulatque cœpta oppugnatio, ſemper exſequendi occaſio erat.
Si præveniretur, fortaſſis turbatum conſilia ejus, & perculſum ipſum iri;
Sin donec cœpiſſet obſidium exſpectarent, accuratius dijudicari poterat,
quænam urbium obſidio noſtrorum opportuna; quippe in extrema Flan-
driæ abductis hoſtium viribus, terrarum cæteræ noſtrorum conatibus
patebant. In Flandria quidquam tentari diſſuadebat Guilhelmus: etenim
ſuperiore anno ante hoſtium adventum claudi munitionibus Sluſam aut
Hulſtum potuiſſe; nunc præmonitus, inquit, & in omnem caſum intentus
hoſtis, ſine mora ſuperveniet, adigetque denuo Remp. dare in caſum an-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ cipitis prælij. Et quamquam multis comprobari poteſt, in Flandria majorem conatibus fructum oſtendi: præcavendum ne incertam ob ſpem, aut hianti cupiditate certum periculum, forſan & exitium, incurramus. Dementiæ, non fortitudinis eſt, ubi extra periculum ſis, omnia contemnere diſcrimina, & jactabundis vocibus opprimere hoſtem velle, nec cogitare, poſſe eum paucos intra dies, à tormenti ſolùm jactu caſtra noſtris adverſa caſtris ponere, ac munitionibus tutum, commeatus, cæteraque neceſſaria excludere, adeo ut pugnare, quamvis volentibus, nulla futura ſit occaſio. Hæc eo majore ſtudio Wilhelmus memorabat, quod multos Patrum, ob accepta nuperrimè à Duinquerkanis detrimenta, ob infeſtum piratis mare, & ingentis emolumenti ſpem, rurſum in Flandriam trahere exercitum, nec reputare rei diſcrimina advertebat. Itaque parum his grata ejus oratio. Sed ille, ſi Oſtendam Albertus premeret, oſtendebat, poſſe Graviam, Sylvamducis, aut Berkam obſideri: aut ſi cum univerſis viribus Rhenum tranſiret Archidux, in vicina Veſaliæ Patrum duci exercitum, & Emmericam Rheſamque expugnari, quod alioqui haud dubiè hoſtis facturus eſſet. Proinde quod tutiſſimum ſibi videatur, exſpectarent donec hoſtis moviſſet; tum pro re, pro tempore, conſilium caperent; interea in omnes caſus parati, parcerent exercitui, donec recens ex Sabaudia miles Albertum veniſſet, quo tempore neceſſaria maximè ejus opera futura eſſet. Februario menſe Cloutius turmæ præfectus cum equitibus nonnullis in pago, Wachtendonckam tendentibus objecto, conſedit, ſimulans commeatus inferendi gratia veniſſe; ac Rihovium, ſui ordinis virum, Wachtendonckâ alterum in pagum præfixo tempore evocat. Pari ratione Berkæ, Geldræ, Stralæque præſidiarij, nunciato Cloutij adventu, tempus conſtituunt, quo in unum convenirent, eumque invaderent. Ad manus ubi deventum, Cloutius inter pugnandum conſultò pedem referens, pertrahit hoſtes in pagum Rihovio inſeſſum. Tum ille frontem, Rihovius terga invadens, ſexagenos hoſtium proſternunt, quadringentos capiunt: quo impetu etiam Cracovia arx in Meurſæ Comitatu Hiſpanis cuſtodita pylorecte admoto expugnatur. Eodem menſe ſupplicio affectus, diſcerptuſque eſt Provinus. Is adoleſcens nobilis Bruxellis oriundus, magnique ingenij, proditionem Gertrudiſbergæ molitus erat. Paucos ante menſes in partes Fœderatorum tranſgreſſus, honeſtâ conditione ac ſtipendio liberali fruebatur. Sed cum ſolus patrare deſtinata nequiret, hoſtis Galli ſuccenturionis fidem tentat, conceptâ ſpe ex moribus ejus. Ille ut ſine impendio ſuo libertatem (nam captus erat) reciperet, in cunctis fidem operamque addicit: ſolutus rem detegit. Fraus perficiendæ rei reperta, ut XL aut L milites ſub ſpecie prælii digreſſi capi ſe à noſtris paterentur, quos Gertrudiſbergæ in ædibus præfecti rerum capitalium detentos, Provinus, domum portæ ac vigilum ſtationi propinquam habitans, auxilio Galli vinculis exſolveret, dein portā oppreſſis excubijs juncti occuparent, aut trans mœnia (eratque locus adſcenſu facilis & incuſtoditus) in urbem acciperent. Provinum priuſquam moreretur, ſacrorum miniſter ad animæ curam hortatus, Reformatorum ſuſcipere ſacra perpulit: quod hoſtibus irriti conatus dolorem auxit. Pari modo Albertus Vliſſingæ proditionem ſperans, menſes nonnullos potiſſima virium vicinis Hulſto tractibus retinuerat, Oſtendæ ſe obſidium meditari ſpargens, cæterum ut intentis illuc noſtris facilius in Vliſſingam deſtinata provenirent. Dolum gnaro Mauritio ſuggeſſerat is, cui munus erat ſcrutari intrantes portum naves, nec ab illo luſtratas quiſquam ultra ſuſpectas habebat. Civium alius, in Hiſpanica pronus, ſerio perficiendæ rei incumbebat, ut in hoſtilia urbem traduceret. Cornelius Lenſſius, centurio navalis, provectâ vir ætate, ad-

cI.

cIɔIɔ cI.

te, advertit pravos hominis conatus, & graveſcente valetudine, ubi ſupremam veniſſe horam ſenſit, divini verbi miniſtro rem aperit. Ille ad magiſtratum defert. Sed proditor ſuo ipſe gladio incubuit: alterum, qui fallendis hoſtibus inſidias excogitaverat, Mauritius excuſavit. Antverpiæ ipſis Bacchanalibus puerile certamen, memoratu tamen haud indignum exſtitit. Pueri, aliquot centeni numero, in duas catervas diſcedentes, ducem ſuæ quiſque parti delegerant, Alberti ac Mauritij nomine impoſito. Pugnabatur ſaxis ac fuſtibus tanto ardore, ut nonnulli occumberent. Marchio Antverpianus ſuorum auxilio componere diſſidentes adniſus, fruſtra fuit, adeo ut dirimendo certamini civium centuriæ nonnullæ arma caperent, quæ ducem Alberti nomine appellatum, & humi à Mauritio projectum, verberibus ejus exemere: ſed, præterquam quòd malè ab adverſario multatus, in curiâ etiam virgis cæditur. Mauritius fugâ elapſus Bergas ad Zomam venit, & quanquam juſtâ ætate nondum erat, tamen ob animoſum facinus militum indici inſcriptus eſt. Eodem quoque tempore Mendoza, ut ſubinde diuturnæ captivitatis tædia ſublevaret, gallos duos, inditis Alberti ac Mauritij vocabulis, commiſerat. Et ſuperante qui Mauritij nomen gerebat, utrumque caveæ incluſum, ſaginari ad dies nonnullos jubet: exin iterũ ad certamen mutatis nominibus producit. Ubi fortè gallus, qui, dum Albertus vocabatur, alteri ceſſerat, nunc Mauritij nomine impoſito, victor fuit, triſti Mendozâ: nam loco ominis id habebat. Poſtea cum Patribus de recipienda libertate pactus, promiſit omnes ſe captivos cujuſcumque forent ordinis, qui per univerſum Hiſpani aut Alberti imperium detinerentur, aut qui intra ſextam hebdomadem quo hæc conveniſſent caperentur, vinculis exſoluturum. Patres Ludovico Naſſovio præmium capti Mendozæ florenorum centum millia dedere. Ipſi multorum laudibus ob hanc rem extollebantur, qui propinquos ac neceſſarios ſuos deſiderabant, ex quo per omnem Hiſpaniam detentæ Belgarum naves, & ingens numerus ad remos damnatus duriſſimæ conditioni nullo pretio eximi poterat. Jamque vix tertia pars quondam captorum ſupererat; cæteri in acerbâ captivitate exſtincti. Sed qui rediere ccc admodum aut cccc numerabantur, & in his nonnulli ipſis exordijs Belgici belli capti, quos fatis conceſſiſſe jam pridem fama tulerat. Bommelianus ante annos xxii captus, gravidam uxorem reliquerat. Ex qua ortam filiam nunc maritatam, & conjugem ſuam alteri nuptam repperit, quæ ſecundum deſerere maritum compulſa. Groningam alius remeans annos vi & xxx remorum labores duraverat. Grappam Torcuviumque, Walonicos centuriones, qui inter dedentes Andreanum caſtellum fuerant, paullò pòſt hoſtium in poteſtatem delapſos, quiſque jam perijſſe rebatur, quippe nulla ijs veniæ ſpes, unde & Patres eorum dignitates in alios transtulerant. Sed illi fictis nominibus adeò callide ſe occultavere, ut inter cæteram captivorum multitudinem latitantes evaderent. Occœperat jam Majus menſis, neque à Belgis, aut Alberto quidquam movebatur, cum Regina, ne cum Eſſexio extinctus amor ejus videretur, quina militum millia ſuo ære ſuſtentaturam ſe offert, ſi exercitum Patres in Flandriam ducerent, expugnandis quæ Oſtendam circumjacebant caſtellis. Credebatur Caronum caritate patriæ (nam Flander erat) huc Reginam impuliſſe, inſtinctu quorundam ex Patribus Hollandiæ Zelandiæque, quo Mauritium rurſus in Flandriam traherent. Inſperata hæc liberalitas, ſimul & hoſtis otium, accenderunt Patres ad ſuppeditanda Mauritio neceſſaria, ut prior ex hybernis moveret, ſperabantque poſſe ante adventum Sabaudici militis egregium aliquid patrari. Igitur quo Reginæ mos gereretur, propoſitum, ut Verius cum novis ac veteribus Britannorum auxilijs, & quater mille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ CI.

ter mille Belgicis militibus caſtella Oſtendam circumſita aggrederetur. Equitatum & reliquas copias Berkæ Mauritius admoveret, diſtrahendo hoſti. Super his ſententiam rogatus Guilhelmus Naſſovius, non neglexit demonſtrare, quanti periculi foret Fœderatorum divellere vires, & in diſſita longiſſimè loca abducere, ubi pars neutra alteri præſidio eſſe poſſet. Occaſionem eâ re hoſti quicquid habeat virium vertendi in infirmiorem, & illa cæsâ alteram impetendi. Incertum & anceps eſſe varia eodem tempore & ardua tentare, ac diviſis viribus ſubigere caſtella velle, quæ ſuperiore anno victor exercitus neceſſario deſeruiſſet. Potius quod roboris haberent Fœderati in Berkam, exin caſtella ad Oſtendam, aut Sluſam verterent. Non dubitare ſe, quin Regina, ubi rectè conſilium intellexerit, probatura ſit. Contrà alij tendere, niſi in Flandriam iretur, carendum auxilijs Elizabethæ. Ubi quia jam potiſſima copiarum hoſtilium erant, nihil tentari poterat, priuſquam, alijs tractibus Fœderatorum acceſſu turbatis, eodem Hiſpani pertracti forent. Igitur perſuaſum Mauritio, ut Berkam iret, tametſi advertebat id, in quo totius rei cardo vertebatur alteri; ſibi, quod diſtrahendo hoſti eſſet, mandari. Nec inanem ob gloriam publicum egregium putavit negligendum. Fortè per idem tempus cognatus illi Ludovicus Naſſovius conjugem ducebat Annam Manderſchitiam, viduam interfecti pridem Broucquij Comitis. Et quia Arnhemi nuptias celebrari convenerat, velut interfuturus, eodem contendit, evocatoque Guilhelmo Naſſovio, militem ad Rhenum ac Moſam fluvios convenire, & pluribus ſimul locis tormenta cæteraſq; neceſſitates navibus imponi jubet, ut quorſum tenderet nullus conjectare quiret: unde evenit ut ferentia Berkã itinera nihil tale metuentibus oppidanis, jam ab equite tenerentur. Arnhemum veniens, cognoſcit Præpoſitum caſtello, quod ab Iſabella denominatum, ſeditionem induiſſe, & cum Oſtendano Præfecto conſilia ſociare. Sed Albertus æris vim pacandis qui Weerdæ erant ſeditioſis deſtinatam, Iſabellanis numeravit: quippe orientes in Flandria ignes opprimi pluris intererat; unde Weerdani ſperato excidere. Qui Bruxellis venerant, ſilentium ibi de bellico apparatu eſſe afferebant. Albertumque & Iſabellam divam Virginem Hallenſem adijſſe, impetrandæ ſoboli, & cum jaculatorum cæteris Archiduces poſitam in ſublimi avem ligneam telis petijſſe, ipſamque adeo Iſabellam, acceptum militari more tubum applicuiſſe maxillæ. Pleriſque in aula creditum, otioſum hunc ab armis annum fore, quando Patres non moturos quiſque judicaret. Quin & eâ ſpe multas è ſcriptis nuper equitibus, & inter has Arauſionenſis quoque Principis turmam exauctoratam eſſe, adeo ut Belgarum conſilijs ubique adſpirare Numen videretur. Contra iræ ejus in Hiſpanos teſtimonium, quòd Albertus & Iſabella militi, cujus maximè nunc indigi, ſtipendia numerare nequibant, immane quantum pecuniæ ſupervacuo aulæ luxu prodigentes, adeo ut Proceres earum quæ ſeceſſerant nationum indignabundi, minui impenſas, & ærarij curam ſibi credi rogarent. Sed contumelioſe reſcriptum; *quantum ad prius grates ijs ab Archiducibus agi; de altero cum ærarij curatoribus deliberaturos.* Interea veterem in luxu, in ſuperbia, morem retinebant, adeo frementibus multis, ut Antverpiæ publicis locis libelli famoſi affigerentur. Senſus erat, *Hiſpanicum Conſilium, & nimium luxum, egeſtatis publicæ cauſſam eſſe. Mutarentur conſiliarij, luxus coërceretur, priuſquam immedicabile malum foret.* Promiſerat Archidux ducenta quinquaginta ducatorum millia quotmenſibus ex Hiſpania ventura; ſed pecuniæ vix quidquam afferebatur. Claſſis XIII navium Peruvianas & Americæ gazas vehens, Martio menſe hujus anni, juxta Dominici inſulam tempeſtatibus everſa erat. Id malum calamitatem quoque mercatorum ſecum traxit:

multi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

multi Hiſpali, multi alijs Hiſpaniæ locis foro cedentes immenſam auri vim
creditoribus debebant. Et fide pecuniam contrahere cupiens Rex, angu- cIↃIↃ
ſtas res comperit. Unde iratus, unâ clade omnes omnium facultates exhau- cI.
ſtas, quoſdam Gallos, Lubecenſes, Hamburgenſes, alioſque nautas ac mer-
catores, crudeliter in patibulum tolli jubet, quod conditam in naves pecu-
niam avehere tentaverant. Edicto quidem jam olim ſancitum erat, ne
quis pecuniæ quidquam Hiſpaniâ exportaret, ſed incurioſè obſervatum, &
nunquam ullus Belgarum, tametſi æris maximam copiam avexiſſent, de-
prehenſus erat. Acceſſit dein alterum quoque Regi damnum in Indicâ
claſſe; illeque duplicato numero, pro quinis hactenus quotannis conten-
dere illuc ſolitis, denas miſit, adjectis inſuper validiſſimis bellicis navibus
duabus, Anglorum & Belgarum metu. Ea claſſis juxta promontorium Spei
tempeſtatibus horrendis vexata, coactique vectores merces pleraſque in
fluctus præcipitare, mox & Olyſſiponem reverti, adeo ut ſuper ingentia
ſubditorum damna, Regi quoque iſtoc anno carendum fuerit cunctis pro-
ventibus Orientis. Nihilominus ingentes præter ſolitum copias in Lan-
gobardia ſuſtentavit, incuſſitque ſollicitudinem Venetorum Reip. Prin-
cipibus Italis, & Galliarum Regi, quorum pro ſe quiſque ſuis ac hoſtium re-
bus intenti agitavere; donec ad ultimum octona millia in Belgicam, dena
in Hungariam miſſa ſunt. Armaverat inſuper Philippus longas naves duas
& viginti, aliaſque complures, impoſitis militum x x millibus, duce Prin-
cipe Doria. His Alcairum per inſidias eripere Turcis cogitabat; ſed irritæ
ſpes & conatus fuere. Doriam Hiſpani Proceres negligentiæ incuſabant,
ille nautas imperitiæ: quorum nonnullos, ut ſe expurgaret, laqueo punivit:
nihilominus ſub finem anni dimiſſus, lenimentum miſſionis ingens ſtipen-
dium habuit. Nec multo pòſt Turcæ navibus longis ditionem Ducis Me-
dinæ Sidoniæ (S.Lucæ terras nuncupant) invaſere, & ſuper gravem præ-
dam quingentos. Chriſtianorum captivos abduxerunt. At Hiſpanus claſ-
ſem quoque, & cum ea quinque Hiſpanorũ millia, in Hiberniam miſit, qui-
bus Quinſalinus portus expugnatus eſt. Hæc paupertatis cauſſa Regi erant,
adeo ut vetus immotumque Hiſpanorum Regum & Inquiſitionis decre-
tum, de non tolerandis Judæis, mutaret, conceſſumque palam ijs ſacra ſua
exercere, dummodo ingentem auri vim penderent: datum etiam piper
emere, quia non alij mercatores plus licebantur. Hinc ſuſpicio inceſ-
ſerat, nequire Regem promiſſas affini pecunias ſtatis temporibus numerare,
& documento erant aſſiduæ militum ſeditiones. Fortè etiam congruit,
ut Antverpiæ Nicolaus Sivonius, mercator Italus, mutuò datis Alberto
quindecies centenis florenorum millibus, quæ partim de ſuo, partim ab
alijs ſumta collegerat, cum fruſtra creditum reddi urgeret, pertæſus vitæ,
ſublimi è feneſtra præcipitem ſemet ipſe daret. Septembri tamen menſe
nonnullæ è Peruviâ naves, aliquid ſolatij, ducatorum octuagies centena
millia attulere, quorum vicena Regis erant. Poſtrid. Kal. Jun. Berkæ exer-
citum Mauritius admovet. Præſidebant oppido Hiſpanorum atque Italo-
rum centuriæ decem, ſex item Germanicæ. Numero in univerſum erant
millia fere tria. Summa imperij penes Ludovicum Bernardinum Avilam,
gente Hiſpanum, veterem militiæ, & ſummæ apud militem auctoritatis.
Propugnaculorum mœniumque eadem, quæ noviſſimo obſidio, forma; niſi
quod pro foſsâ, via nunc erat ad latebras jaculatorum tecta, ingens noſtris
mora in celerandis acceſſibus. Fœderatorum in exercitu centuriæ centum
& duæ, turmæ tres & x x x numerabantur. Dimidio machinæ jactu ab ur-
be, quà in Septentrionem vergit, colles jacebant, quos ponè ſedes aſſigna-
ta dimidiæ exercitus parti, nimirum Friſicæ, Gallicæque, & Britannicæ
legioni, cum equitibus nonnullis. Hic ſtatim jacta caſtella contra exter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↃIↃ cI.

num hoſtem. Ulterius paullò iterum in tumulum adſurgebat humus opportunum ſubventuris urbi hoſtibus, & ſi præcepiſſent, noſtris gravem. Itaque paucis pòſt diebus quadrata hic caſtella extruuntur: hæc ipſa perpetuo aggere foſſaque inter ſe connexa; quod opus tantæ firmitudinis, ut nullus ab externo hoſte metus eſſet. Auſtrum verſus caſtra habuere Solmenſis, Erneſti Naſſovij, Giſtelli, ac Scotorum Walonumque legiones: quibus locis planiſſimi campi, & pro ut natura eorumque ſitus poſtulabat, munitionibus firmati. Jam quoque adverſum eruptiones oppidanorum validus agger cavatis itineribus objectus, quæ ubicumque in angulum deſinentia flectebantur, inditæ ſtationes aliquanti militis capaces. Octava Junij die ducenti milites vi ſex & x x x machinarum, caſtello, quod inſulæ impoſitum, profugientes, in oppidum ſe receperunt, & inſequenti nocte è Septentrione ac meridie occultæ viæ propinquari cœptum. Poſtero mane duæ epiſtolæ intercipiuntur, occultis numerorum notis præſcriptæ, quas hoſtium unus, ob nandi ſcientiam delectus, Bruxellas ſe perlaturum receperat. Argumentum erat, Mauritium magis ſe munitionibus adverſus externa ſubſidia, quam urbem firmare. Ingentem machinarum vim habere, quîs fatigare obſeſſos ſperaret; ſed animadverſurum, cum veterano milite ſibi rem eſſe. Milleni circiter milites, levibus prælijs, & in ſpeciem tantum, boreali urbis latere cœptis, quater ſummo impetu noſtros adorti, & fortiter nec ſine clade ſua repulſi ſunt. Obſidentium non plures x x x periere. Comes Caſtellioneus, Gallicæ legionis Tribunus, magnanimus juvenis, femur glande tranſiectus eſt. Altera in parte dux ipſe Hiſpanicus Avila erumpentibus Comes & hortator adverſum in os glande vulneratur, quæ per occiput egreſſa eſt. Binos milites interea emittit perferendis Bruxellas literis, qui à noſtris capti fatebantur centum promiſcue ſuorum hac eruptione vulneratos aut occiſos eſſe. Quartò pòſt die rurſum oppidani mille ducenti erupere, quâ parte Auſtro oppidum admovetur. Incedebant tecti cavitate itineris, adeo ut ſimul penè in manibus & conſpectu eſſent. Operæ inopino acceſſu perculſæ, inteſtina itinera deſeruerunt: ſed in ſtationem ſe recipientes, ſubveniente equitatu ſervantur, multique hoſtium à ſuis excluſi. Fœderatorum in partibus viceni circiter mortem, aut vulnera acceperant: in his duo Centuriones Galli, & Huiſmannus Germanus. Erneſti Naſſovij Adjutor & ipſe acerrimè dimicans, letali vulnere afficitur, & quamvis captus, effugit tamen, occiſo milite à quo comprehenſus ducebatur, reliquis in fugam actis. Poſtea complures eruptiones obſeſſi fecere, ſed quia c c c aut c c c c tantum ſimul prorumpebant, exiguo oppugnantium damno. Interea Stralam auxilia hoſtium convenire cœperant, legiones Buquoij ac Barlæmontij, cum equitibus mille trecentis. Sed obſeſſis non multum in ijs ſpei aut ſolatij. Quippe Albertus ignem in opulentiſſima fœcundiſſimaque ditionis ſuæ terra ortum extinguere præcupiens, quàm procul abſita extremis in limitibus loca defendere, virium potiſſima in Oſtendam verterat. Incitaverant quoque eum Flandriæ Procerum hortationes & promiſſa, qui donec urbs expugnaretur, trecenta florenorum millia ſe quotmenſibus collaturos receperant. Exeunte Junio, obſeſſam ab Alberto Oſtendam celeres nuncij ad Mauritium tulere: quo tempore creberrimis machinarum ac mortariorum globis loricæ vallum, ac propugnacula, Berkæ quatiebantur. Labefactabat exercitum diſceſſus Britannorum, qui Oſtendam plerique contendebant. Viceſimâ die poſt cœptum opus, noſtri acceſſibus ſuis angulum occultæ viæ attigerunt, qui cuniculis ſuffoſſus, & ſexto pòſt die diſiectus eſt. Mauritius præfectos ac milites centenos, quà Gallos, quà Germanos, delegerat, qui cuniculo intenti agitarent, additis mandatis, ut x x x militibus diſiecta inſiderent. Sed

illi,

illi, impetum magis ſuum, quàm juſſa Imperatoris ſecuti, dum urbi pro- CIƆIƆ
piùs ſuccedunt, non ſine clade multorum fortium militum repelluntur. CI.
Bodehauſius Centurio occubuit. Cremnitzius Germanus, ejuſdem ordi-
nis è legione Erneſti Naſſovij, graviter vulneratus. Germani culpam im-
proſperi prælij in Gallorum intempeſtivum ardorem rejiciebant; reper-
tumque inter occiſos cadaver Folgovij centurionis; quem ſua ſponte, nec
vocatum, præliaturis ſe junxiſſe, conveniebat. Vulneratus quoque ſupremus
vigilũ inter Walones præfectus. Jonas Centurio poſtridie ex vulnere extin-
guitur. Retenta tamen à noſtris ſunt, quę diſiecta erant, & inſecutâ die hoſtis
occultam viam, quo latere auſtrum ſpectabat, deſerit. Inter hæc ex interce-
ptis literis cognoſcit Mauritius, Alberto & Hermanno Bergio decretum eſ-
ſe cum Sabaudico milite obſeſſis ſubvenire: quamobrem in celeritate
omnia ſita exiſtimans, tribus locis occultam viam, latere quo Septentrioni
admovetur, ſuffodi jubet. Etiam Avila crebras ignibus ſignificationes Gel-
drenſibus facit. Ita conſtitutis rebus, dedi urbem Mauritius poſtulat. Re-
ſpondit Avila, ipſum Mauritium, quâ belli ſit ſcientiâ, ſatis intelligere, pri-
mum hunc obſidij diem eſſe, ſibique abunde militum, pyrij pulveris, atque
annonæ: proin deditionem fœdam fore. Mauritio tamen pro oblatis gra-
tes agere. Adjecit alia nonnulla in ſpeciem verba. Igitur tribus antris oc-
culta via ſuffoditur parte Septentrionali: & hanc quoque hoſtis deſeruit.
Quintò pòſt die iteratò appellatus Avila reſpondit, quandoquidem ſæpe in-
ternunt ij, non accurate ſatis mandata perferant, rogare, ut ſcripto conſigna-
re poſtulata ſua Mauritius velit. Fecitque ille, & interea nihilo ſecius opera
promovebantur; ipſaque illâ nocte injectus foſſæ agger mœnia urbis con-
tingebat, ac milites nonnulli conſcenſo vallo præfixas loricę ſudes avulſere.
ſimul ſitum propugnaculi introſpexerunt, quod à paucis cuſtodiebatur.
Altero etiam latere deventum ad Auſtrale propugnaculum, quod tribus
cuniculis ſuffoſſum; quorum duos hoſtis detexit, tertius integer & ignora-
tus manſit. Quîs rebus adductus Avila perquam humaniter orat, poteſta-
tem ſibi fieri, ad Hermannum Bergium duos milites mittendi, cognituros,
quid de auxilijs eſſet; interea induciæ concederentur. Mauritius poſtulata,
& ulla conveniſſe auxilia bonâ fide negavit. Proin conſuleret rebus ſuis
Avila, & aut obſides mitteret, aut vim exſpectaret. Ille poſtridie ſe factu-
rum reſpondit. Eâdem nocte ignibus Geldræ præfectus ei ſignificat, ad-
eſſe auxilia. Quippe jam tranſire Moſam cœperant, acceſſeratque è Sa-
baudia miles, XXX Neapolitanæ, XVI Mediolanenſes centuriæ. His ad-
gregatæ XVI Hiſpanorum centuriæ, Walonum legio Duce Buquoio, &
Germanica ſub Barlæmontio; præterea ſeditioſi Weerdani equites, qui
quamvis iras & ſeditionem retinerent, non abnuerant tamen adeſſe copijs
Berkam euntibus. In univerſum octona peditum, duo equitum millia &
quingentos faciebant. Contrà Mauritio, poſt diſceſſum Anglorum, quina
tantum millia peditum, equitum duo erant. Etenim cum, tripartito pedi-
tatum diviſurus, duas partes utrumqne urbis latus cuſtodire, tertiam ex-
ternis auxilijs intentam ſtare juſſiſſet, vix duo millia ſingulis locis repererat.
Poſtero mane ab Avila obſides in caſtra venere, & nonnulli è noſtris urbem
ingreſſi: diſceptatâ re, eodem die convenit, ut obſeſſi armati, evolutis vexil-
lis, ſonantibus tympanis, cum impedimentis exirent. Tormenta relin-
quere coacti. Dedit tamen honori Avilæ Mauritius, ut machinas campe-
ſtres duas aveheret. Mille trecenti, & eo amplius, valentes ac ſtrenui mili-
tes numerati, accenſis aliquot navalibus ſocijs. Et præter hos trecenti
quinquaginta ſaucij, aut ægri. Fatebatur capitalium rerum præfectus, ſe,
juſſu Avilæ, cenſu peremtorum inito, nongentos reperiſſe, exemtis quos
eruptiones, cuniculi, ignitaque miſſilia hauſiſſent. Datur Giſtello præ-

cIↄIↄ cI. fectura Berkæ , quæ quo firmius eſſet , juſſit Mauritius occultam viam longius ab oppido duci. Vallum & foſſam pedum in latitudinem x x, ea formâ, ne, ſiquando accuratius muniri oppidum placuiſſet, inſerendis propugnaculis ſpatium requireretur. Tutandis operis Erneſtus Naſſovius cum peditum centurijs x x, ac turmis ſeptem, inſidere juſſus inſulam Berkæ objectam. His decretis, movet Wachtendonckam Mauritius, & oppido commeatum, pyrium pulverem, cæteraſque neceſſitates infert. Duabus horis aberant copiæ hoſtiles, collectæ ad ſolvendam obſidio Berkam, quæ ut Mauritium tam propinquum eſſe cognoverunt, metu ne invaderentur, confeſtim Arſenam prope ad Moſam munitiones excitant. Nam convulſæ vires eorum, & ſtatim ab adventu duodecim centurias Hiſpanorum, novem Mediolanenſes, Oſtendam miſerant, ubi potiſſima belli conſtiterant. Ultro præterea ad ſuos remeaverant Weerdani equites, ſimulatque auditum ijs Berkenſes de deditione colloqui. Meurſam oppidum frequentes Clivij jaculatores tenebant, interceſſuri teſtamento defunctæ Comitis. Mauritius opportunam occaſionem perſequendi juris nequaquam dimittendam ratus, deditionem poſtulat. Illi ſpatium petiere, quo Cliviorum Ducem facerent certiorem; & negato, tormentiſque admotis, confeſtim digrediuntur. Mauritius ternis centurijs impoſitis, à ſubditis inauguratur, & cuncta mandat, quæ cum Meurſæ, tum Cracoviæ muniendæ eſſe videbantur. Paullò pòſt, quò ærario conſuleretur, equos, & naves, quibuſcumque ullo modo careri poterat, dimittit; diſtributoque in præſidia exercitu, Hagam repetit, communicandis cum Patribus conſilijs. Hunc in modum cuncta, præter opinionem Patrum, proceſſerant, & quod diſtrahendo hoſti, in ſpeciem tantùm erat tentatum, ſummâ induſtriâ Mauritius felicem ad exitum perduxerat. Sed in Flandria, ubi totius belli cardo vertebatur, prorſus jam alia rerum facies, & dilapſa ſpes omnis, dictitante Regina, acrius exarſiſſe Hibernicum bellum, nec ſe, tantâ domi mole, externis impenſis parem. Nihilominus Britannum militem Oſtendæ immiſſuram ſe offerebat, ſi ſtipendia ei Patres numerarent. Hâc re omnis Duinquerkæ oppugnandæ ſpes evanuerat; & reſtabat modò conſultare, quo modo hoſtium manibus Oſtenda eriperetur. Exercitus ad urbem rapi nequibat, prohibentibus ijſdem, quæ ſuperiore anno pòſt prælium noſtros moratæ erant, difficultatibus. Accedebat, quòd nunc non tantùm multo validior hoſtis, ſed & æſtuarijs interſectam humum præceperat, ut ipsâ naturâ locorum ſatis defenderetur. Ob hæc militum ſeptena aut octona millia imponere oppido viſum, quæ crebris eruptionibus corrumperent hoſtile opus, & urbi propinquantes repellerent. Primoque favebat cœptis fortuna, ſæpe quadringenti, quingenti hoſtium cæſi, prohibiti acceſſus, corruptæ machinæ, diſiectæque munitiones: ſed vicit tandem cuncta Hiſpanorum diligentia, qui munimenta majore curâ exſtruebant, quàm ullis adhuc obſidionibus ab ijs factitatum. Itaque obſeſſis, ademtâ erumpendi facultate, omnia indies arctiora. Animus primùm Alberto erat tormentorum immenſa vi urbem fatigare; vallum, domos, & quicquid editum, proſternere. Itaque perfectis munitionibus, quas ſummâ curâ exſtruebat adverſum eruptiones obſeſſorum, celſos colles ex arena & humo aggerebat; impoſitiſque machinis, globorum millia aliquot quottidie mœnia & tecta urbis lacerabant. Verius in omnia hoſtilia intentiſſimus, novis quoque munitionibus occurrere; jecitque complura circum urbem munimenta, opportuna condendo militi, ut vallo & foſſis oppidi, unde omnia pendebant, hoſtem prohiberet. Defenſaque ea ſunt ad ſupremum obſidij diem. Sed quanquam domibus & urbe relictâ, poſt mœnia urbis, & nuper adgeſtum vallum, atque in propugnaculis tuguria milites haberent, quotidie tamen vicenis, ſæpe &

pluribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ cI.

pluribus eorum , lacerti , cruraque , globis aut vulneribus infecta, amputabantur , præterquam quòd multi inſuper occumbebant. Nihilominus cuncta hæc fortiter tulere , in miſerando commilitonum ſpectaculo priſtinam virtutem & conſtantiam retinentes, donec ad ultimum Hiſpani, plus decies centenis florenorum millibus in ſolos tormentorum jactus expenſis, ubi parum profici intelligebant, de priſtino fervore remiſerunt. Vergente Auguſto, cum anguſtiſſimæ obſeſſorum res eſſent, Mauritius ipſe poſtremo tunc urbem ingreſſus, vander-Notio præfecto occultè codicillos dederat, mandata continentes perfodiendi aggeris, qui ab occaſu Oſtendæ ſitus eſt, ſi oppidum undique hoſtis clauderet. Id certiſſimum ſervandæ urbi remedium exiſtimabat: & quia magnum facinus erat, fidem vander-Notio dedit, ſi quis crimen intentaret, cauſſam ſe ejus ſuſcepturum. Vander-Notius, ob magiſtratus aliorumque voces, qui totam urbem fluctibus hauſtum iri dictitabant, diu exſequi mandata contatus erat. Idem & poſtea à Verio factum, donec extremâ neceſſitate juſſa Mauritij conſummata non ſine emolumento fuere. At Albertus inexhauſto labore perfoſſa obſtruere conatus, qualiacumque inventa, ſæpe in quibus nulla ſpes eſſet, tentavit. Aliquando immane è ligno vas compegerat, injectis millibus aliquot ferreorum globorum; quò immenſi ponderis compage, in locum, quà altiſſimæ erant aquæ, demiſsâ, fractoque earum impetu, utrimque à latere aggerem ſtruere minus in arduo foret. Aliàs ſaccorum millia nonnulla injicere agitaverat; ſed rapidus æſtus omnia corrupit. Ludovicus Aquilarius, è vetuſtiſſimis Tribunorum, apertè dictitare auſus, incaſſum cuncta tentari: proinde ſuadere, ut impenſis parceretur. Et quo ſtudij ſui ſpecimen daret, princeps inquit ipſe ſaccum injiciam, meoſque milites adigam ſequi exemplum, ſed ſigna abſque milite Regi referam. Non tenuit iram Albertus, ipſumque ob linguæ libertatem ordine movit. Aquilarius ad Regem provocat, illi ſe dignitatem debere, nec alium eripere ſibi poſſe. Sed Rex penſavit dolorem ejus liberali ſtipendio, datis in annos ſingulos aliquot ducatorum millibus, etiam literis Archiducem monuit, ſaltem inter conſiliarios eum adſciſceret. Præter hæc virgultorum ingens moles, palis, & ingeſtâ humo, adverſus aquarum impulſum ſolidata, cui loricæ è cratibus, & machinæ impoſitæ. Hoc opus ſenſim ad perfoſſa promovebatur, operis hinc adverſum aquas tutandis, inde contra vim obſeſſorum: nam continenter Verius novis operibus aquas attollebat. Jamque paullatim auctum opus terribilem ſui ſpeciem præbebat, ut nonnulli de retinendo oppido deſperarent; ſed ſuperveniens identidem tempeſtas & inundatio, uno die diſiecit, quantum quatuordecim diebus inſtaurari nequiret. ita ad ultimum conatus intermiſſi. Autumno iterum arctæ oppidanis res. Militum ſeptena ante millia, quà morbis, quà aſſidua tormentorum vi, ad tria redacta erant. Et hæc inter multi quoque ægri, multi bello inepti. Accedebat, quòd ventis ex meridie atque occidente ſex continuas hebdomadas flantibus, quamvis plurimum orante Verio, naves militemque ſubmittere Patres nequirent. Sæpe etiam horrenda quæ mari incubuit tempeſtas, partium utrique neceſſitatem attulit, adverſus novum ſe hoſtem muniendi: & firmandi munitiones contra indomiti Oceani inſultus. Plerumque tamen majora Hiſpanis damna, quàm obſeſſis; qui interea novum portum, medio urbis ducebant, ubi minus periculi navibus ab hoſtium tormentis. Et nequa repentina maris vis ingrueret, vaſtas è faſcibus moles objecerat. Dein decretum, ut alter agger interſcinderetur, quà in urbem naves penetrarent, & adverſus fluctuum vim valida objiceretur catarracta. Quod proſperè adeo ſucceſſit, ut quæ primum digreſſæ naves, impoſitas celſis collibus machinas aſpernarentur. At

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cIↄIↄ CI. Hiſpani ternas naves lapidibus onuſtas in novo alveo depreſſere, quas impetu æſtus in litora adactas, obſeſſi rapiunt, iiſque opera ſua adverſus Oceanum plurimum firmavere. Moles illa, & quicquid præterea ab Oſtendanis contra mare aut oppugnantes operum extructum erat, florenorum duodecies centenis millibus ſtetit: Alberti impenſæ quintuplo majores erant. Quantum propinquabat hyems, minui quottidie Archiducis ſpes. Conflictantem miſerijs atque egeſtate militem videbat; ſimul & morbi inceſſerant, & parum procedentibus ſtipendijs multi dilabebantur. Materies adverſum frigoris ſævitiem procul abſitis ex locis petenda erat: contrà obſeſſis ab humo, quâ in uſum ignis utimur, ſic ſatis proviſum. Nihilominus ille pervicax propoſiti, exultare quòd atroces in urbe morbi graſſarentur, nec illis eandem, quæ ſibi foret, copiam ſupplendi defunctorum locum: unde tandem minuto numero faciliùs proventura deſtinata ſperabat. Accendebatur etiam literis Hiſpaniarum Regis; promittentis, donec patraretur obſidium, quotmenſibus ſe duplum ſolitæ pecuniæ, quingenta videlicet ducatorum millia, tramiſſurum. Multos exterorum Principum hæc obſidio illexit, ut Oſtendam ingrederentur. In his Daniæ Regis frater, & Hohenloius Comes (quanquam diſſuaſerat Mauritius) & magnanimus juvenis Caſtellionæus; quem tormento inſidentem, adactus machinâ globus percuſſit, exanimavitque. Brocus, vicariâ poteſtate Scotorum legioni præpoſitus, quamvis glande caput tranſactus, convaluit. Poſtquam ſtudio Alberti effectum, ne erumpere Oſtendani poſſent, nova conſilia ineunda erant. Patres cenſebant, omni exercitu hoſtilem agrum invadendum, & ferro atque igne pervaſtandum. Contrà Mauritius rogare, ne incerta, & fortaſſis parum profutura, tentarent. Anceps quoque conſilium eſſe: etenim ſi vel minimum interveniat impedimentum, rem totam everti. Credibile haud eſſe, hoſtem ob clades agrorum, cœpta deſerturum. Potiùs celebris alicujus urbis obſidio hoſtem Oſtendâ avellerent. Hulſtam, Graviam, aut Sylvamducis oppugnarent. Sed Hulſti obſidium arduum, & duobus tantùm millibus militum impoſitis diu ſuſtinere hoſtis poterat. Graviam impetere pretij non videbatur. Sylvaducis urbs ingens, duobus claudenda exercitibus erat. Nec quamvis præſidia, deducto milite, civibus firmarentur, pluſquam ſeptena millia cogi poterant. Nihilominus huc iri Mauritius ſuadebat. Fortaſſis cœptis, & induſtriæ adſpiraturũ Numen: aut ſubditorum querimonijs commotum Archiducem eodem vires ſuas tranſlaturum. Ut ut eſſet, multò id conſilium reliquis tutius eſſe. Patres graviſſimos tanti obſidij ſumtus horrentes, tertium propoſuere, de firmanda munitionibus Caſandâ inſulâ: quo Sluſa, & ſtantes in portu urbis naves longæ, premerentur. Itaque perſuadent Mauritio, ut una in Zelandiam contendat. Ille, huc ut ventum, judicat facillime commeatibus excludi caſtellum poſſe. Patres tamen ſub noctem cum ſexcentis militibus in inſulam tranſmittunt. E veſtigio appulſa eodem navis longa anchoras jacit, quam illi hoſtilem rati totam noctem trepidi & aperto ſub cœlo exegere. Appetente luce abſceſſit metus, ſocioſque agnoſcunt. Opus tamen omiſſum, cum ob reliqua, tum quòd ducenta florenorum millia extruendis munitionibus requirebantur. Interea Tempelius inſidias jampridem Mauritio adverſus Liram meditatas exſequitur. Aderant ei centuriæ XXIII, turmæ XIII. quîs cum X turmis ſe Ludovicus Naſſovius junxit, ſed fortuna conatum deſtituit.

FINIS LIBRI XVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

INDEX
EORVM, QVÆ IN
ANNALIBVS
REIDANI
maximè notatu digna occurrunt.

A

ABBAS *Ebternaci Ioannes Bertelius capitur.* Pag.343
*Abbas S.Gertrudis.*20. 27
Abbas Perchæ. 20. *extinguitur.* Ibid.
Abelus Centurio Friſius. 185. *occumbit.* 187
Academia Franequeræ erecta. 77
Adolphus Nivenarius Geldriæ Præfectus. 58. 100. *Meppam capit.* 143. 144. *extinguitur.* 182. *ingenium ejus.* Ibid.
Adrianus Saravia, Theolog.Profeſſor. 158
Æmilia Mauritij Naſſovij ſoror Emanueli Luſitano nubit. 386
Agria à Turcis expugnata. 363
Aiſma, vide *Heſſelus Aiſma.*
Albanus Dux Sanguinis Senatum inſtituit. 5. *Arauſionenſem cum exercitu inſequitur.* 6.7. *decimas exigit.* 8.9. *Montes Hannoniæ obſidet, & capit.* 12. *Belgicâ excedit.* 15. *mores ejus.* Ibid.
Albertus Auſtriacus Luſitaniæ prepoſitus. 190. *Belgarum Præfectus deſignatus.* 318. *in Belgicam venit.* 327. *Ambiano fruſtra ſuccurrere conatur.* 388. *deſpondetur ei Iſabella.* 416. *in Hiſpaniam abit.* 416. *cum Iſabella Bruxellas venit.* 475. *inauguratur.* 476.477. *conventum ditionis ſuæ indicit.* 513. *Erneſtum Naſſovium cædit.* 517. *prælio in Flandria vincitur.* 519,520,521,& ſeqq.
Albertus Foeckius. 103
Alcairos aſtu tentata. 543
Alcmaria ab Hiſpanis obſeſſa. 13
Aldegondius pacem juſſu Requeſenij tentat. 17. *Conſul Antverpianus.* 69. *ædibus ſuis clauditur.* 72. *notarum occultarum interpres.* 302. *filius ejus occiſus.* 217
Aldenarda amiſſa. 44
Alenzonius, vide *Franciſcus Valleſius.*
Alexander Farneſius Parmenſis, Belgis Præfectus. 29. *Antverpiam obſidet, & pontem Scaldi imponit.* 68, 69. *claſſem parat.* 170, 171. *inſulam Tholanam irrumpit.* 176. *imperium deponit.* 180. *moritur.* 234. *ingenium ejus.* Ibid.
Alexander Hautænus. 95
Allerius Klantius, nobilis Omlandus. 186
Aloſtum aſtu captum. 45
Alpa à Mendoza capta. 429
Alphonſus Davalus. 225.229
Alphonſus Vargas captus. 173
Amandi fanum amiſſum. 39
Ambianum ab Hiſpanis aſtu captum. 371. *ab Galliarum Rege obſeſſum.* 378. 386.387. *deditum.* Ibid. & 388
Ambroſius Landrianus. 475
Ambroſius Pirellochus. 297
Amurathes Egmondanus, vide *Egmundanus.*
Andinus, vide *Franciſcus Valleſius.*
Andreanum caſtellum extructum. 465. 475. *obſeſſum.* 500. *captum.* 501
Andreas Auſtriacus Cardinalis. 416. 465
Andreas Miranda, vide *Miranda.*
Angbaſia inſula. 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Anholdius Toparcha deficit. 32
Antonius Coquellius. 211. & ſeqq.
Antonius Luſitaniæ Rex. 40. pellitur. Ibid. & 41. abire ex Anglia parat. 136. Luſitaniam repetit. 190. veneno tentatus. 298, 299. moritur. 330, 331. Turcarum auxilia ſpernit. Ibid.
Antonius Perrenottus, vide Granvellanus.
Antonius Siurlæus, Perſarum Regis legatus. 532
Antverpia ab Alenzonio aſtu tentata. 46,47,48. à Parmenſi obſeſſa. 68. & ſeqq. capta. 71
Aquiſgrani ſacrorum libertas ſublata. 413
Arauſionenſes legatos ad Mauritium mittunt. 119
Ardreſium expugnatum. 337
Arenbergius cæſus. 6
Arnoldus Dorpius captus. 307,308
Arſchotanus Flandriæ Præfectus. 22. deficit. 29. & rurſum. 54, 55
Artheſij & Hannonij deficiunt. 29
Aſſuerus Adriani centurio. 218
Auſtria tumultu concuſſa. 327
Axela capta. 94

B

BALAIGNIUS Cameraci Præfectus. Pag. 293. 324
Balanſonius cæſus. 368,369,370
Baldeſius Lugdunum deſerit. 16. in vincula datur. Ibid.
Balenius turmæ equitum Præfectus. 522,523
Balthaſar Gerardus Arauſionenſem perimit. 58. 417. hortatu Ieſuitæ. 232
Balthaſar Moucheronius, vide Moucheronius.
Bantamum civitas. 375. 480
Barlotius Tribunus. 344,345
Bartholomæus Enteſius. 9
Bartholomæus Walius. 105
Batenburgum captum. 94
Batenburgici fratres occiſi. 6
Bathorius Cardinalis. 532
Beaulieus, vide Carolus Beaulieus.
Bellovaſius. 10. 13. exſtinguitur. 14
Belli Belgici cauſſæ variæ. 3. & juxta quoſdam decimarum exactio. 9
Bellum Ferrarienſe. 392
Bellum Maurorum Granatenſium. 8
Bergæ ad Zomas obſeſſæ & deſertæ. 177
Bergenſis Marchio in Hiſpaniam abit. 5. veneno tollitur. 6
Berka ad Rhenum obſeſſa. 379. dedita. 380. ab Epiſcopo Colonienſi repetitur. 400. à Mendoza expugnata. 430. à Mauritio obſeſſa. 543. capta. 545
Bernardinus Mendoza. 84,85. 157
Berſellus. 20
Bevelandia Septentrionalis aggeribus cincta. 424
Bevervordius raptor. 183. ſupplicio afficitur. Ibid.
Bickerus, vide Laurentius Bickerus.
Bironius prælio Hiſpanos vincit. 323. Warenbonnium. 352. Cimacenſem. 354
Blondus viduam Liceſtrij ducit. 176
Blondus vitricus Eſſexij capite plexus. 537
Bommelia oppugnata. 463. deſerta. 464
Bommeneda amiſſa. 17
Bonna amiſſa. 178
Bordeſius. 76
Boſſuvius Comes Roterodamum invadit. 11
Boſſuvius Imperator exercitus. 26. moritur. 27
Bouchæna capta & amiſſa. 39
Bovillionæus Dux. 296. Mauritij ſororem ducit. Ibid. geſta ejus. 310. 322
Bourſius. 21
Bourtanga. 223
Brakela amiſſa. 188
Breautæi certamen & mors. 496,497
Breda aſtu amiſſa. 39. aſtu capta. 193, 194
Breſurtum vi expugnatum. 383,384
Brila à Lumæo capta. 9
Brugæ aſtu tentatæ. 48, 49. proditæ. 55. aſtu tentatæ. 261
Brunſvicum à Duce ſuo obſeſſum. 490
Buckenhorſtius Reginæ legatus. 113. 125,126,127. 138
Buda obſeſſa. 439
Bura amiſſa. 17
Burglæius ægrotans Reginam ad pacem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

cem hortatur. 415. moritur. 417
Buſenvallius. 294, 295. oratio ejus. 314, 414

C

CÆCILIA Badenſis. Pag. 197, 298
Cæſar Eſtæus Ferrariæ Dux. 392
Cæſar Henrici Galliarum Regis ex Gabrielâ nothus. 387. Mercurij Ducis filia ei deſponſa. 527
Caius Rantzovius Daniæ Regis legatus. 128, 129
Calcaria à Mendoza expugnata. 438
Caletum obſeſſum & expugnatum. 335, 336. Henrico Regi redditum. 413
Calmaria expugnata. 491
Cameracum obſeſſum. 39, 40. liberatum. Ibid. obſeſſum. 293. & 324. deditum. 224
Camerafium amiſſum. 45
Camminga. 241
Campaniacus Granvellani frater. 55
Canaria inſula direpta. 480
Caniſa Stiriæ urbs à Turcis ſubacta. 532
Carolus Arvernorum Comes. 411
Carolus Auſtriacus Maximiliani Cæſaris ad Hiſpanum legatus. 7
Carolus Beaulieus Valentinianus. 10. notas occultas explicat. 13, 14. 302, 303
Carolus Brimæus Comes Megenſis. 15
Carolus Croius, vide Arſchotanus.
Carolus Finniæ Dux, legatos ad Galliarum Regem mittit. 407. Sigiſmundum caſtris exuit. 439. Calmariam capit. 491
Carolus IX. Gallorum Rex. 4
Carolus Heraugerius Bredam capit. 193. & Huium. 310. quod dedit, ideoque accuſatur. 312, 313. Liram occupat. 329. amittit. 330
Carolus Hiſpaniarum Regis Philippi II. filius moritur. 7
Carolus Houwardus, vide Houwardus.
Carolus Lævinus Famarſius. 211. extinctus. 223
Carolus Mansfeldius Betuwam irrumpit. 88
Carolus Nutzelus legatus Cæſaris. 373. 437
Carolus Roorda. 240. ſimultas ejus cum Naſſovio. Ibid.
Carolus Trillo prætor Vltrajectinus. 103
Caſembrotius conſul Brugenſis. 49. legatus ad Reginam. 132. redit ex Anglia. 136. iterum legatus. 165. 188
Caſimirus, vide Ioannes Caſimirus.
Caſpar Colinius, Gallici maris præfectus. 11
Caſparus ab Euſum, vide Euſumus.
Caſtelletum obſeſſum. 319
Catharina Medicæa, Gallorum Regina, fœdus cum Hiſpano facit. 4
Certamen leonis & tauri. 7, 8. puerorum Antverpienſium. 541. duorum gallorum. Ibid.
Chalonius Palamedis filius. 223
Chriſtianus Ioinius. 524
Chriſtianus Saxoniæ, Elector moritur. 233
Chriſtophorus Iſelſteinius. 100
Chriſtophorus Luſitanus, Antonij filius. 533
Chriſtophorus Morus. 292
Ciconiæ in Iava inſula. 376
Claſſis Anglorum in Hiſpaniam tendens. 389
Claſſis Hiſpanica. 172. altera. 363. tertia. 390
Cliviæ Dux uterque furioſus. 232. 311. parens menti redditus. 390, 391. conjux ejus laqueo extincta. 390
Cliviorum ſtatus. 311. 328, 329. 355, 356. 390, 391
Cloierus Centurio. 481
Cnodſenburgum caſtellum. 197. 206
Cocicæ nuces. 498
Colomna Italus captus. 170
Colonienſe colloquium. 29
Cornputius, vide Ioannes Cornputius.
Corona Cantabriæ urbs ab Anglis expugnata. 190
Cortracum amiſſum. 39
Coſmus Peſcarengius Pedemontanus. 157. ſupplicio afficitur. Ibid.
Coverda amiſſa. 36. recepta. 37. amiſſa. 38. obſeſſa. 223. & ſeqq. capta. 230. eſt juris Tranſiſalani. 230. à Verdugo obſeſſa. 259. deſerta. 278
Cracovia arx capta. 450
Crepicordium captum. 197. 499
Crimpa capta. 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

D

DAMMUM *ab Arſchotano proditum.* Pag. 55
Daniæ Rex Belgarũ naves detinet. 129
Daniel Burggravius. 89,90
Daniel vander-Meulius mercator. 412
Daventria aſtu tentata. 8. *Præfectum Standlæum accipit.* 101. *& ab eo proditur.* 114, 115. *à Mauritio capta.* 199
Decimæ Belgici belli cauſſa. 9
Delfſila amiſſa. 36. *aſtu tentata.* 179. *capta.* 204. *aſtu petita.* 273
Derbius Comes Reginæ ad Parmenſem legatus. 136
Dieſta capta. 39
Dixmuida ab Alenzonio occupata. 49
Doeſburgum captum. 97
Doetecomum Mendozæ deditum. 433. *expugnatum.* 471
Dordrechtani Liceſtrio addicti. 143.157
Duinquerka amiſſa. 53. *conſultatum de ea oppugnanda.* 514,515
Duinquerkani navibus Belgarum damna inferunt. 319.481. *in piſcatores graſſantur.* 528
Durlanũ obſeſſum. 320. *expugnatũ.* 323

E

EBTERNACUM *captum & deſertum.* Pag. 343
Eccleſiaſtæ Friſij legatos ad Reginam ignaris Patribus mittunt. 122
Edictum Liceſtrij de abrumpendis commercijs. 92. *quæ altero Patrum edicto reducta.* 107,108
Edictum Hiſpaniarum Regis de re fiſcali, & fœnore mercatorum. 367. *Iſabellæ de commercijs.* 457, 458. *Patrum de ijſdem.* 460,461
Edſardus Orientalis Friſiæ Comes. 77. *diſcors ſubditis.* 303. *reconciliatus ijſdem.* 305,306. *moritur.* 452
Eduardus Enſius. 223.230
Eduardus Fortunatus Marchio Badenſis. 297. *mores ejus.* Ibid. *mors.* 298.491.
Eduardus Noritius. 95.269
Egmondani Comitis inconſtantia. 5. *decollatur.* 6
Eindova capta. 46
Eliſabetha Britanniæ Regina Belgarum ſuſcipere principatum abnuit. 18. *ab Alenzonio ambitur.* 34. *fœdus cum Belgis init.* 87. *ad pacem Patrum legatos hortatur.* 135. *de pace cum Parmenſi colloquitur.* 136. *de eadem conſultat.* 403,404. *argumenta ejus, pro illa, & reſponſa Patrum legatis data.* 404,405. *mutuum à Patribus repetit.* 417. *eoſque rurſus ad pacem hortatur.* Ibid.
Emanuel Luſitanus Mauritij ſororem ducit. 386
Embiſius. 22. *gladio percuſſus.* 55
Emdanorum & Edſardi Comitis diſſidia. 304, 305. *Fœderatorum Patrum conciliatione compoſita.* 305, 306. *renovata.* 397,398.452. *legatos ad Ennonem mittunt.* 453. *dein ad Patres.* Ibid. *à quibus miles cuſtodiæ urbis miſſus.* 414. *diſcordiæ cum Ennone.* 537,538
Emmerica Mendozæ dedita. 432. *à Mauritio expugnata.* 434
Emmetilla capta. 178. *amiſſa.* 195. *capta.* 205
Enno Edſardi Comitis filius. 304,305 *parenti defuncto ſuccedit.* 452,453. *inauguratur.* 482,483,484. *diſcordiæ inter eum & Emdanos.* 537. *filiam ſuam fratri uxorem dat, permittente Pontifice.* 538, 539
Enſcheda capta. 384
Erneſtus Auſtriæ Archidux. 262,263. 267. *mores ejus.* 267. *Belgarum præfectus.* Ibid. 291. *percuſſorem Mauritio immittit Renichonum.* 274. *& Fourium.* 298. *agitur de eo Romanorum Rege creando.* 301
Erneſtus Bavarus Colonienſis Epiſcopus. 45
Erneſtus Fredericus Marchio Durlacenſis. 297
Erneſtus Naſſovius ab hoſte captus. 322. *Hulſtum ingreditur.* 346.350. *prælio in Flandria vincitur.* 517,518
Erneſti Solmenſis mors. 322
Eſcovedus. 27
Eſpruneauſius. 28
Eſſexius, vide *Robertus Eſſexius.*
Everardus Reidanus feudorum Geldriæ ſcriba. 37

Everar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Everardus Solmenſis Hulſto præfectus. 345, & ſeqq. *munere à Zelandis dimovetur*. 351.473,474
Euſumus centurio. 218. *Covordæ Præfectus*. 269,270

F

FERA *obſeſſa*. 324 337. *dedita*. Ib.
Ferdinandus Hardeccius Comes ſupplicio affectus. Pag. 299
Ferdinandus Truchſeſſius ſubmerſus. 70
Florentius Hermalus. 103
Florentius Thinus. Ibid.
Fœdus Hiſpaniarum Regis cum Gallo, ad extirpandos Reformatos. 4. *Belgarum ſub Hiſpano, cum Fœderatis*. 20. *Trajectinum*. 30. *Eliſabethæ cum Belgis*. 87. *renovatum*. 418. *cum Gallis*. 337. *Moſchorum Ducis cum Cæſare*. 327. *Gallorum, Britannorum, & Belgarum*. 352,353
Fontanus Comes. 291. *Belgis præfectus*. 312
Franciſcus Bodimontius. 74. *ſeditioſi libelli auctor*. 84
Franciſcus Dracus. 97.191.325. *extinctus*. Ibid.
Franciſcus Francus adſeſſor Goudanus. 97
Franciſcus Genebella autor machinæ, quâ pons in Scaldi diſiectus eſt. 70
Franciſcus Mendoza, vide *Mendoza*.
Franciſcus Muſcatellus. 297
Franciſcus Valleſius, Dux Andinus. 18. *Belgarum principatus ei offertur*. Ibid. *defenſor Belgicæ libertatis ſalutatur*. 24. *in Galliam redit*. 28. *Belgarum Princeps eligitur*. 34. *Eliſabetham Reginam ambit*. Ibid. *in Belgicam veniens inauguratur & orationem habet*. 42,43. *juramentum ejus*. Ibid. *Antverpiam aſtu tentat*. 47. *literas ad Patres dat*. 50. *in Galliam abit*. 53. *moritur*. 54
Franciſcus Verdugus, vide *Verdugus*.
Fredericus Alvarez Toletanus, vide *Albanus Dux*.
Fredericus Bergenſis ad hoſtes tranſit. 78. *Covordæ præfectus*. 223. *Stenovicum aſtu tentat*. 371. *Tranſiſalanis præfectus*. 383
Fredericus Daniæ Rex. 353
Fredericus Henricus, Scotorum Regis filius. 283
Fredericus Henricus Naſſovius. 520
Fredericus Palatinus Elector. 246.266. *acta ejus cum Patribus*. 489. *quibus pecunias mittit*. 510
Fredericus Toletanus Albani Ducis filius. 13
Fredericus Vitenhamius. 57
Fridericus Zuilenius Niveltius. 105
Friſiorum Reſpublica. 72. *ordo creandorum magiſtratuum*. 76. *diſcordiæ inteſtinæ*. 506,507,508

G

GABRIELA, *Henrici Galliarum Regis concubina*. Pag. 387. 490
Gades inſula & urbs ab Eſſexio expugnantur. 323,324
Gamachius, Durlani præfectus. 323
Gandavenſis pax. 18
Gandavum à Parmenſi in poteſtatem redactum. 56
Gavrius Comes. 533
Gebardus Truchſeſſius Colonienſis Epiſcopus pellitur. 45
Geldra prodita. 142
Gemblacenſis clades. 42
Georgius Baſta. 532
Georgius Lalænius Rennebergius deficit. 30. *Hohenloium vincit*. 38. *moritur*. Ibid.
Georgius Liaucama, conſul Groninganus. 284,285
Gerardus Prouningius Daventrius. 89. *conſul Vltrajectinus*. 102.166
Gerardus Soudenbalgius. 105
Germani exercitum contra Mendozam educunt. 468. *legationibus ejus interpellantur*. Ibid.
Gertrudiſberga oppugnata. 239. & ſeqq. *capta*. 246
Gertrudiſbergæ præſidiarij ſeditioſi. 164. *à Mauritio obſeſſi*. 180. *hoſti urbem produnt*. Ibid.
Glimeſius Brabantiæ Baillivus. 20
Goarum certamina apud Friſios. 73,74
Gomerus Hani præfectus. 319
Granvellani apud Belgas potentia. 4. *Belgicâ excedit*. 4
Gravia amiſſa. 94

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Grolla amiſſa.36.*obſeſſa & deſerta*.294. *obſeſſa*. 320. *& rurſum deſerta*. 321. *capta*. 382
Groninga prodita. 30. *ab Hohenloio obſeſſa*. 35. *aſtu tentata*, 80, 160. *à Mauritio obſeſſa*. 279, 280, 281. & ſeqq. *dedita*. 288. *conditiones*. Ibid.
Groninganorum acta cum Iulio Brunſvicenſi Duce. 279. *lis cum Omlandis finita*. 311. *controverſiæ cum iiſdem definitæ*. 370,371. *eorum pertinacia coërcita*. 502
Gualtherus Rhaleus. 425
Guilhelma Bergenſis ſubmerſa. 209
Guilhelmus Arauſionenſis dux exercitus regij. 4. *in Germaniam abit*. 5. *accuſatur*. 6. *expeditionem ſuſcipit*. Ibid. *Moſam tranſit, & in Germaniam mox redit*. Ibid. *Daventriam aſtu tentat*. 8. *Ruræmondam capit*. 12. *Antverpiæ vulneratur*. 44. *Alenzonium ſecundo recipi ſuadet*. 52.52. *tranſiicitur glande, & occumbit*. 58. *mores & ingenium ejus*. Ibid.
Guilhelmus Bardeſius. 91.127
Guilhelmi Bergenſis levitas & negligentia. 13. *Geldriæ præficitur*. 36. *ſuſpectus cuſtoditur*. 56, 57. *dimiſſus transfugit*. 58
Guilhelmus Bernardi nauta. 377. *moritur*. 378
Guilhelmus de *S. Clemente, Hiſpanicus legatus*. 292,293. 300,301
Guilhelmi Cliviæ Ducis mors. 233
Guilhelmus Fonckius. 355
Guilhelmus Haſſiæ Comes moritur. 234
Guilhelmus Kniphuiſius, prætor Emdanus. 484
Guilhelmus Ludovicus Naſſovius. 37 *Friſiæ vicario jure præficitur*. 72. *dein ſummo*. 76. *ab Eccleſiaſtis proſcinditur*. 122,123. *Arauſionenſis filiam ducit*. 159. *orationem habet de inferendo bello*. 191,192. *ſtudium ejus in exercendis militibus*. 193. *ſimultas cum Roorda*. 240,241, & 274, 275,276. *Duinquerkæ obſidium diſſuadet*. 514,515
Guilhelmus Montfortius. 38
Guilhelmus Pelhamus. 95.109
Guilhelmus Rijſſenburgius. 105
Guilhelmus Standlæus Daventriæ præfectus. 101. *& proditor*. 113,114
Guilhelmus Treſlongus. 9
Guilhelmus Zuilenius Niveltius. 97,98

H

HANNONII *& Artheſij à Rege deficiunt*. 28. *cum Parmenſi fœdus ineunt*. Pag. 29,30
Hanum Picardiæ captum. 319
Hardeccius Comes, vide *Ferdinandus Hardeccius*.
Harlemum expugnatum ab Albano. 13
Haſſeletum oppidum Tranſiſalanum. 239
Hedela expugnata. 197
Helmonda capta. 141
Hemerta expugnata. 197
Hemertius capite plexus. 94
Henricus Agileus. 103
Henricus Bergius captus. 330.343
Henricus Buthus Canonicus. 103
Henrico III. *Galliarum Regi oblatus Belgarum principatus*. 63. & ſeqq. *ille ſe excuſat motibus regni ſui*. 67, 68. *confoditur*. 191
Henricus Hengelius. 10
Henrici Naſſovij mors. 16
Henricus Navarrenus legatum ad Patres mittit diſſuadendæ paci cum Hiſpano. 134.191. *Galliarum Regnum ſuſcipit*. 250. *à Petro Caſtellio vulneratur*. 306. *bellum Artheſijs & Hannonijs indicit*. Ibid. *Burgundiæ Comitatum invadit*. 322. *hoſtem prælio vincit*. 323. *fiſci rem curat*. 361. *fœdus cum Eliſabetha & Belgis facit*. 337. *dein pacem cum Hiſpano*. 407. *conditiones ejus*. 407, 408,409. *Galliæ triſtis tunc ſtatus*. 410,411. *ſacrorum libertatem edicto concedit*. 490. *Sabaudo bellum infert*. 527. *Mariam Medicæam ducit*. 535
Henricus Rhedius. 183
Heraugerius, vide *Carolus Heraugerius*.
Herbertus Reginæ legatus pacem urget. 131
Hermannus Bergenſis transfugit. 78. *Friſiam irrumpit*. 81.159. *Daventriæ præfectus*. 201
Hermannus Enſius. 223
Herman. Goerius Perſæ Toparcha. 274

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Hernantellus Portocarera Ambianum aſtu capit. 371
Heſſelius Centurio. 220
Heſſelius Aiſma Friſiorum præſes. 109. *ingenium ejus.* 22. *ædibus ſuis clauditur.* 124.159
Hezius gladio percuſſus. 39
Hiberni barbari homines, præſidio Daventriæ impoſiti. 101
Hiberni adverſus Reginam rebellant. 325. 484,485
Hieronymus Rhoda. 20,21
Hiſpani Belgicam in imperij formam redigere conantur. 3. *artes eorum ad exhauriendos Belgarum opes.* 4
Hiſpani mari infelices. 364,365
Hiſpanica claſſis. 172. & ſeqq. *alteram Eſſexius deſtruit.* 339,440. *tertia.* 363
Hogeſaxius Dynaſta. 37
Hohenloij ingenium. 33. 88. *ſimultas cum Liceſtrio.* 124. *& Noritio.* Ibid. *apologiam ſuam edit.* 155,156. *legatus in Daniam mittitur.* 165. *vicario jure Germanorum exercitui præficitur.* 467,468. & ſeqq. 473
Hollandicæ Reip. forma. 153,154. 155
Hornanus Comes gladio percuſſus. 6
Hottomannus Liceſtrio à ſecretis. 119
Houtmannus. 376
Houwardus mari apud Britannos præfectus. 173. 338. 340,341,342,536
Hugenius Arauſionenſi à ſecretis. 85
Hugo Donellus munere dimotus. 124
Huium aſtu captum. 319. *amiſſum.* 312
Hulſtum captum. 207. *Alberto obſeſſum.* 345,346. & ſeqq. *deditum.* 350. *aſtu tentatum.* 355

I

IACOBUS *Batenburgicus Toparcha Anholdius deficit.* 31. *extinguitur.* Pag.45
Iacobus Heemſkerkius. 376
Iacobus Kempius. 221
Iacobus Reingoutius. 89,90. *ærario præficitur.* 91. 97. *comprehenditur.* 98. *fuga & mors ejus.* Ibid.
Iacobus Scotus. 157
Iacobus Valckius. 130
Iacobus Volmarius. 157
Iava inſula. 375,376
Iavarinum deditum. 299. *captum à Chriſtianis.* 555
Idiaquus Cantaber. 438
Ieſu Societas Gallijs pulſa. 292
Inchius Cameraci præfectus. 306. 414
Inſulæ oppidum à Rege deficit. 30. 39
Inundatio. 29
Ioachimus Altingius. 313. 393
Ioannes Argentorati Epiſcopus moritur. 503
Ioannes Auſtriacus Belgis præfectus. 234 21. *hoſtis à Belgis declaratur.* 22. *moritur.* 27. *indoles ejus.* Ibid.
Ioannes Baptiſta Taxius legatus in Daniam. 353
Ioannes Baxius Muidæ præfectus. 106. 121
Io. Bertelius Ebternaci abbas captus. 343
Io. Bodinus Alenzonio à libellis. 52
Io. Buirius. 279. 284,285
Io. Caſimirus Dux Palatinus, in Belgicam venit. 25. *in Britanniam abit.* 27. *à pace cum Hiſpano Patres dehortatur.* 134,135. *moritur.* 233
Io. Comannus legatus Erneſti Auſtriaci. 282
Io. Cornputius. 204. 215. 256
Io. Fonckius. 355
Io. Friſiæ Orientalis Comes moritur. 236
Io. Gentius. 282
Io. Moda. 255. 260
Io. Naſſovius. 6. *Geldriæ præfectus.* 22. *ſemet abdicat, & Germaniam repetit.* 36
Io. Noircarmius Dynaſta Selleſius. 39
Io. Noritius. 81. 109. *Hohenloio infeſtus.* 124. *in Luſitaniam proficiſcitur.* 190,191
Io. Oldenbarneveldius Patrum ad Gallorum Regem legatus. 198. 414. *ad Reginam.* 415
Ioannes Pironus. 94
Io. Roberti Druineus. 103
Io. Roſæus. 220
Io. Stappius. 259
Io. Stirumbius Comes, Grollæ præfectus. 382
Io. Wtenbogartius divini verbi miniſter. 518
Iorckus, vide *Rolandus Iorckus.*
Iperæ obſeſſæ. 53. *& amiſſæ.* 54
Iſabella Clara Eugenia Alberto deſponſa.

ſponſa. 385. edictum ſub nomine ejus editum de abrumpendis commercijs. 457, 458,459. cum Alberto Bruxellas venit. 475. Tributa poſtulat. 476. inauguratur. Ibid.
Iſelorta caſtellum captum. 81
Iſelſteinius. 106
Iuliana Bergenſis ſubmerſa. 209
Iulianus Cleerhagius. 70. Gorcomio præfectus. 107. inſulam Principis expugnat. 423. extinguitur. 424
Iulianus Romerus. 20
Iunius Liceſtrio à Secretis. 119
Iuſtinus Naſſovius Patrum ad Gallorum Regem legatus. 398.414
Iuſtus Lipſius. 328
Iuſtus Matthæus, caſtrenſis architectus. 184.205.211.221
Iuſtus Meninius. 130. munere dimotus. 308
Iuſtus Soetius Vltrajecto præfectus. 102
Iuſtus Stirumbius Comes. 237
Iuſtus Telingius. 91

K

KEMPO Donia. Pag.241.276
Kerſemakeri inventum ad diſiiciendum pontem in Scaldi. 71
Killegræus. 134.163.165
Kniphuiſius. 452,453.537
Kouwenſtænianus agger. 71

L

LAMOTIUS Huium capit. Pag.312 extinguitur. 320
Lanovius captus. 39
Laurentius Bickerus mercator. 499
Leckerbetij cum Breautæo certamen. 497
Legati Patrum ad Alenzonium. 33. ad Galliarum Regem principatum Belgarum ei offerunt. 61. 91, & ſeqq. Eccleſiaſtarum Friſiorum ad Reginam. 122. legati Elizabethæ & Parmenſis de pace colloquuntur. 136. legatus Poloniæ Regis ad Patres, & Elizabetham. 372,373. Daniæ Regis ad Patres. 375. Alberti Archiducis ad urbes Hanſeaticas. 398,399. Patrum ad Galliarum Regem & Elizabetham diſſuadendæ paci. 401, 402, 403. Germanorum ad Mendozam & Mauritium. 431. Mendozæ & Andreæ Cardinalis ad Germanos, eorumq; oratio. 431,442, & ſeqq. Cæſaris ad Patres. 512. Perſarum Regis ad Cæſarem. 532
Legierus Centurio. 479
Leonardus Caſembrotius, vide Caſembrotius.
Leoninus Geldriæ Cancellarius orationem coram Galliarum Rege habet. 64,65
Leonis & tauri certamen. 7,8
Liceſtrius in Belgicam venit. 87. edicto navigationem & travectiones in hoſticum prohibet. 92. loca hoſtibus propinqua igni vaſtari jubet. 93. monetam curat. Ibid. Mauritium ſuſpectum habet. 97. impedit Patrum in Germania dilectus. 100. Belgarum imperium affectat, & quibus artibus. 102,103,104, & ſeqq. in Britanniam revocatur. 108. abiens regiminis curam Senatui relinquit. 109. de Patribus per literas queritur. 112. Patrum literæ ad eum. 117. pacem urget. 130. libellum contra Patres edit. 145. Lugdunum per dolum tentat. 157, 158. præfecturam Belgarum deponit. 162. moritur. 175. ingenium ejus. Ibid. veneno interceptus. 176
Limburgum aſtu petitum. 261
Linga capta. 385
Lira prodita. 44. aſtu occupata & amiſſa. 329,330. aſtu tentata. 548
Liranus Guilhelmopoli præfectus. 166
Literæ Liceſtrij ad Patres. 112.162. 163. Patrum ad illum. 117
Lochemum obſidio liberatum. 45
Lopezius medicus Iudæus, vide Ruius Lopezius.
Ludovica Mauritij ſoror. 247
Ludovici Bergenſis mors. 220
Ludovicus Bernardinus Avila Berkæ præfectus. 543.544
Ludovicus Naſſovius Arenbergium cædit. 6. Montes Hannoniæ aſtu capit. 12. ad Movicum perit. 16. mores & ingenium. Ibid.
Ludovicus Naſſovius Gades irrumpit. 338, 339, 340. prælium ejus cum hoſte.

hoſte. 475. Wachtendonkam capit. 496. Manderſchitiam Comitem uxorem ducit. 542

Ludovicus Requeſenius, vide Requeſenius.

Lugdunum Batavorum obſeſſum. 24. deſertum. 15. iterum obſeſſum & deſertum. 16. inſidijs petitum à Liceſtrio. 157,158

Lumæus Comes Brilam capit. 9

Lutetia Pariſiorum obſidio à Parmenſi liberata. 197

M

MACHLINIA capta. Pag. 39

Madagaſcar inſula. 375

Madura inſula. 376

Magellanicum fretum. 529,530

Maldræus Tornacenſis. 316

Malecontentorum factio. 216

Mansfeldius : vide Petrus Erneſtus Mansfeldius.

Marcus Fuggerus. 297

Maria Bergenſis. 209. moritur. 456

Maria Stuarta, Scotiæ Regina, decollatur. 220

Marnixius, Sanct-Aldegondij filius, Centurio, occiſus. 217

Martinus Schenckius Hohenloium prælio vincit. 35. capitur. 37. 79. Eques à Liceſtrio creatus. 100. Pattonum prælio vincit. 181. ſubmergitur. Ibid. mores ejus: Ibid.

Maſius Iuriſconſultus. 475

Matiſlcus. 35

Matthias Auſtriacus Belgis præfectus. 22. ex Belgica abit. 35

Matthias Flaccius Illyricus Antverpiâ pulſus. 5

Matthias Hiltius miles. 294

Mauritius Naſſovius Hollandiæ Præfectus. 96. Suſpectus Liceſtrio. 97. qui literas ejus intercipit. 119,120. à Sonoio Medembliccâ arcetur. 120. diſciplinæ ſeverus. 202,203. celeritas ejus in rebus gerendis. 208,209. Covordam obſidio ſolvit. 277, 278. expeditionem in Flandriam ſuſcipit. 516,517, & ſeqq.

Maurorum Granatenſium bellum. 8

Maximilianus Baexenius. 105

Maximiliani Cæſaris ad Philippum legatio. 7

Maximilianus Hornæus Loquerenus. 276,277

Maximilianus Hungariæ Rex cum Baiazethe confligit. 363

Medemblicca obſeſſa. 163. dedita. 164, 165

Medinæ cœli dux. 11

Medinæ Sidoniæ Dux Hiſpanicæ claſſi præfectus. 173

Mendo. 307

Mendoza. 416. exercitum educit. 426, 427. crudelitas militum ejus. 436, 437. capitur. 523. redimit libertatem. 541

Meninenſis factio. 26

Meninius, vide Iuſtus Meninius.

Meppa capta. 100. 143. amiſſa. 144

Mercurius Dux Henrico Regi reconciliatus. 407. filia ejus Sæſari Regis notho deſponſa. Ibid.

Meurſæ Comitatus Mauritio legatus. 512

Meurſa expugnata. 381. à Mendoza capta. 429

Michaël Hogelkius. 75. 178. 187. extinguitur. 188

Michaël Lauterbekus. 144

Michaël Renichonus ſupplicio affectus. 274. 282,283

Michaël Walachiæ Waiwoda. 439. Sevenbergam ſubigit. 532

Middelburgum captum. 13

Miranda Hiſpanus Meurſæ Præfectus. 381

Moerwarta. 345,346

Mompenſierius in Diliam flumen delapſus. 50

Mondragonus Grollæ ſubvenit. 321. 329. moritur. 332

Montes Hannoniæ à Ludovico Naſſovio capti. 12. ab Albano recepti. Ib.

Montignius in Hiſpaniam abit. 5. capite plectitur. 6

Moucheronius Principis inſulam expugnat, & Marchionis titulum ſumit. 423

Muleius Maluccus Maurorum Rex Sebaſtianum vincit. 40

N

NAERDENA cædes. Pag. 13

Naves longæ Spinolæ. 479

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Navigatio in Breſiliam. 425. *in Guineam.* 423. *in Hiſpaniam.* 338.359, 360. *per Magellanicum fretum.* 529. *in Orientem.* 317.375,376.422,423. 480,481. *in Septentrionem.* 303. 317.332. 360.377
Neoportum obſeſſum & deſertum. 525, 526
Nicolaus Baſta. 368,369,370
Nicolaus Doubletius. 98
Nicolaus Maudæus. 157
Nicolaus Sivonius mercator Italus. 543
Nicolaus Zuilenius. 103
Nicopolis incenſa. 439
Nivella capta & amiſſa. 39
Noircarmius, vide *Ioannes Noircarmius.*
Northus. 102
Nova Zemla. 302,303. 377
Noveſium captum. 78
Noviomagum amiſſum. 68. *aſtu tentatum.* 99. 181. *expugnatum.* 208

O

OLDESALIA *capta.* Pag. 384
Olyſſipo ab Antonio obſeſſa. 191
Omlandorum cum Groninganis lis finita. 311
Oratio Alenzonij ad Patres. 42,43. *Patrum ad Liceſtrium.* 139, 140. *Guilhelmi Naſſovij ad Patres.* 191, 192. *ad Friſiorum delegatos.* 274, 275. *Legatorum Belgarum ad Reginam.* 398,399. *Hiſpanicorum ad Germanos.* 442, 443, & ſeqq.
Orſoia à Mendoza ſubacta. 420
Orvillerius. 319
Oſtenda. 539. *obſeſſa.* 544,546,547,548
Oſwaldus Bergenſis transfugit. 78
Otho Hartius Erneſti Auſtriaci legatus. 282
Otho Klantius. 82
Otho Swartzenburgicus Comes. 29
Otmarſia capta. 384

P

PACECUS *à Vliſſinganis ſuſpenſus.* Pag. 10
Pariſina cædes. 12
Parmenſis Princeps, vide *Alexander Farneſius.*
Pattonus Geldram prodit. 142. *cæſus à Schenckio.* 180
Paullus Buiſius. 91. *Advocatus Hollandiæ.* 95. *carceri intruditur.* 95
Paullus Choartus, vide *Buſenvallius.*
Paullus Dialinus Polonicus legatus. 372,373
Pax Gandavenſis. 18. *inter Hiſpanum & Belgas à Maximiliano tentata.* 7. *à Requeſenio.* 17. *à Cæſare.* Ibid. *ab Elizabetha.* 131, 132. *argumenta contra eam.* 133,134. *ab Erneſto Auſtriaco.* 282. *à Poloniæ Rege.* 372. *à Cæſare.* 373, 374. *Patrum reſponſum.* Ibid. & 375. *à Cæſare.* 487
Pax Gallorum cum Hiſpano, & conditiones ejus. 407. & ſeqq.
Pecuniæ apud Hiſpanos prodigentia. 228,229. 253
Penichium Luſitaniæ caſtellum. 191
Perſica legatio. 532
Peſtilentia atrox. 393. *in Mauritana.* 491
Petrus Caſtellius ſupplicio affectus. 306
Petrus Dathenus. 23.26. *in Holſatiam abiens nomen mutat.* 56
Petrus Douza. 281. *claſſi præfectus.* 461. 497
Petrus Erneſtus Mansfeldius. 180. 225. *Parmenſi in præfectura ſuccedit.* 235 *Gertrudenbergæ ſuccurrere conatur.* 246,247. *in Hungariam abit.* 291. *moritur.* 326
Petrus Fourius ſupplicio affectus. 298
Petrus Guſmannus, vide *Fontanus Comes.*
Petrus Moralis Cordubenſis. 195. 196
Petrus Pannius ſupplicio affectus. 413
Petrus Peutericus. 26
Petrus Sednitzkius, vide *Sednitzkius.*
Petrus Villerius. 160, 161
Petrus Wervius. 157
Pharos urbs incenſa. 341
Philippus Arauſionenſis. 328. 357. *bona paterna recipit.* 417
Philippus Egmundanus deficit. 29. *capitur.* 39
Philippus II. *Hiſpaniarum Rex uxorem & filium Carolum amittit.* 7. *edicto rem fiſci reformat.* 367. *pacem cum Gallo quærit.* 396. *& facit.* 407. *quibus conditionibus.* 407,408,409. *moritur.* 418. *morbi, mores, & geſta ejus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

ejus. 418,419,420,421
Philippus III. *Hiſpaniarum Rex*. 435. *donationem Belgicæ Alberto à parente factam retractat.* 436
Philippus Hanoviæ Comes filiam Arauſionenſis ducit. 386
Philippus Hohenloius, vide *Hohenloius.*
Philippus Marnixius, vide *Aldegondius.*
Philippus Naſſovius Gorcomio præfectus. 117. *Lutzenburgum irrumpit.* 236. *moritur.* 323,324
Philippus Sidneius. 94. 96. *mors & ingenium ejus.* 99
Pironus. 346. 355
Pithani Centurionis fortitudo. 524
Podlitzij Dynaſtæ mors. 260
Pons navalis Scaldi à Parmenſi impoſitus. 68
Pontus Noielles. 30
Portus Regalis. 340
Prælium ad Amerongam. 79
Flandricum. 518,519,520. & ſeqq.
Hardenbergenſe. 36
Hungaricum Maximiliani cum Baiazethe. 363
Movicenſe. 16
Ad Northormam. 38
Turnhoutanum. 379,370
Princeps Doria Alcairum aſtu tentat. 543
Provinus Gertrudiſbergam prodere conatus punitur. 540
Prouningius, vide *Gerardus Prouningius.*

Q

QUINSALVM *Hiberniæ ab Hiſpanis captum.* Pag. 543

R

RANTZOVIVS, vide *Caius Rantzovius.*
Reformatorum ſtatus in Gallia. 362. 414
Reida ſubacta. 185
Reidanus, vide *Everardus Reidanus.*
Reingoutius, vide *Iacobus Reingoutius.*
Reingoudiſtarum factio. 89. 118,119

559
Renchius. 166
Reipublicæ apud Hollandos forma. 153, 154, 155
Religionis pax, vel, Leges de tolerandis diverſis circa ſacra opinionibus. 23. *in Gallia promulgatæ.* 490
Rhenoberka, vide *Berka ad Rhenum.*
Rheſa Mendozæ dedita. 432. *à Germanis obſeſſa.* 469,470. *deſerta.* 472, 473. *ab Hiſpanis relicta.* 489
Requeſenius Belgarum præfectus. 15. *moritur.* 20
Richardotus Artheſiæ præſes. 56. 412
Richardus Meroda. 72
Rihovius. 22
Robertus Dudleius, vide *Liceſtrius.*
Robertus Eſſexius Comes claſſem Hiſpanicam deſtruit, & Gades capit. 338, 339, 340. *claſſe in Hiſpaniam tendit & tempeſtatibus reÿcitur.* 389 *pacem Reginæ cum Hiſpano impedire conatur.* 406. *ædibus claudi juſſus.* 485. *accuſatur.* Ibid. & 486. *comprehenſus.* 535. *ſupplicio capitis affectus.* 536. *ingenium ejus.* 527
Rochepotus Comes. 47,48
Rolandus Iorckus. 98. *Zutphanienſis caſtelli præfectus.* 99. *& proditor.* 155. *moritur.* 116
Rolandus Ketelius. 80
Roſneus Lotharingus. 346,347
Rodolphus II. *Cæſar æger animi.* 531
Ruius Lopezius Medicus Iudæus. 298, 299. *ſupplicio afficitur.* Ibid.
Ruræmonda ab Arauſionenſi capta. 12
Ruſſelus Vliſſingæ præfectus. 160
Rutlandiæ Comes. 537

F

SABAVDIÆ *Ducis cum Galliarum Rege bellum.* Pag. 527
Salentinus Epiſcopus Colonienſis. 12
Salzedus Hiſpanus. 44
Saſboutius Præſes Senatus. 20
Schafius Berkæ præfectus. 430
Schenkianum caſtellum oppugnatum. 456. *deſertum.* 457
Schenkius, vide *Martinus Schenkius.*
Schurichmannus concionator confoſſus. 456
Scotiæ Rex periculo ereptus. 533
Scoonhovia amiſſa. 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Sebaldus Weertius. 529
Sebaſtianus Loza. 81,& 132
Sebaſtianus Luſitaniæ Rex cæſus. 40. falſus Sebaſtianus. 532
Seditio Antverpiæ orta. 5. Londini. 325
Seditiones militares Hiſpanorũ: Antverpiæ. 16. alia. 20.290. Germanorum. 355. Italorum Sichemi. 290. 301,302, Hamondæ & Dieſtæ. 494. 499. 516. 262
Seditio Sonoij militum. 163
Sednitzkius vicarius legionis Friſiorum. 180. 184. ſimultas ejus cum Hogelkio. 187, 188. vigilum præfectus ſub Mauritio. 482
Seiſingius. 76
Sevenbergenſis Dux, vide Sigiſmundus.
Sigiſmundus Poloniæ Rex. 439
Sigiſmun. Sevenbergæ Dux. 392. & 532
Simon Luppiæ Comes Germanico exercitui præfectus. 467
Sipa aggeribus ſepta. 424
Sipeſteinius proditor. 393
Slikenburgum captum. 78
Sluſa amiſſa. 141
Solpoſtus ruſticus Luſitanus. 41
Soltcampum vi expugnatum. 189
Sonoius, vide Theodericus Sonoius.
Spangenbergius Antverpiâ pulſus. 5
Spinola naves longas adducit. 479
Standlæus, vide Guilhel. Standlæus.
Steno Malteſius. 82,83
Stenovicum obſidio liberatum. 38. amiſſum. 45. obſeſſum. 210,211. & ſeqq. captum. 220. aſtu tentatum. 371
Stephanus Ivarra. 291. 292
Stephanus Perretus. 97
Strigonium captum. 326
Suidhamtonus capitis damnatus. 536
Swachſterſila capta. 184
Swartzenburgius. 311. 316. 320
Swevenſelus. 262
Sylvaducis. 28. aſtu tentata. 70

G

TAKO Dixtera Quæſtor Friſiorum. 400, 401. virgis cæſus & in exilium conjectus. Pag. 401
Taxius Zutphaniæ præfectus prælio ad Amerongam Fœderatos vincit. 79.
trajicitur. 178
Tempelius Nivellam capit. 39
Tempeſtas atrox. 8.269
Teneramunda ab Alenzonio occupata. 49
Teſtudines mirandæ magnitudinis. 479
Theodericus Sonoius Hollandiæ borealis præfectus. 206. obſequium Mauritio negat. 120.158.163
Theodorus Beza. 527
Theodorus Borrius Ameronganus. 105
Theophilus Dammannus centurio. 346
Tholana inſula à Parmenſi tentata. 176
D. Thomæ inſulæ. 498
Thomas Budlæus. 222
Thomas Webbeſius. 110
Thomas Wilkeſius. 118
Tiardus Herema. 189
Tiberis exundat. 417.492
Tir-ænus rebellis. 325
Tornacum amiſſum. 40
Trajectum ad Moſam obſeſſum. 29. aſtu tentatum. 274
Trajectinum fœdus. 30
Tremoullius Dux filiam Arauſionenſis ducit. 386
Treſlongus deficit & capitur. 21. ejus inſolentia. 69
Truchſeſſius, vide Gebardus Truchſeſſius.
Turnhoutanum prælium. 370
Turnhoutum captum. 370
Turris lignea Cornputij. 211

V

VALENTINVS Depardieus, vide Lamotius.
Valkeſteinius Comes, vide Wirichius.
Vander-Notius Oſtendæ præfectus. 547
Vargas Hiſpanus. 5,6
Vectigal Caletanum ab Arauſionenſi inſtitutum. 18
Vectigalia prima importatis & exportatis mercibus à Zelandis impoſita. 14
Veigatum fretum. 302. ſitus, & populi illic habitantes. 332
Venlona amiſſa. 94. aſtu tentata. 372, 372
Verdugus Lalænio ſuccedit. 38. 205. caſtra Fœderatorum ad Covordam invadit. 227. Covordam obſidet. 269. 270,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

270,271. *mors & mores ejus.* 332
Verij Tribuni laus. 275
Veteraquæ captæ ab Hiſpanis. 17
Vidoſanus Caleto præfectus. 335, 336
Viglius Zuichemus. 20
Villerius Vltrajecti præfectus capitur. 79. *ægrotus.* 123
Vliſſinga ab Hiſpano deficit. 9. *aſtu tentata.* 84,85. 540, 541
Vltrajecti res à Liceſtrio novantur. 102, 103. *Eccleſiaſticorum ejus urbis merita.* 104. *queruntur de Liceſtrio apud Patres.* 104,105
Vrſi in Nova Zemla. 377,378
Vulpes. Ibid.

W

WACHTENDONKA *capta.* Pag. 496

Warenbonnius Geldriæ præfectus. 180. *à Bironio vincitur.* 352
Wedda capta. 251
Wilhelmus Arauſionenſis, vide *Guilhelmus.*
Wirichius Comes Valkeſteinius trucidatus. 428
Wolfardi Arnhemenſis politoris certamen. 7
Wolfardus Prengerus. 273.281
Wtenbogartius, vide *Iohannes Wtenbogartius.*

Z

ZUTPHANIA *à Bergenſi occupata.* 12. *& amiſſa.* 13. *à Mauritio obſeſſa & capta.* Pag. 200,201
Zutphanienſi caſtello Iorckus præficitur. 99. *qui illud prodit.* 115

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13

/7.10:-
90/n

(70)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
35 A 13